R.P. OLIUERII BONARTII SOCIETATIS IESU IN ESTHEREM...

Olivier Bonaert, Cornelis : van Dalen, ...

Digitized by Google

37
20 D
4

Digitized by Google

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus CORNELII ab EGMOND et Sociorum.
cIↃ IↃ C XLVII.

B.FONS.AR.

R. P. OLIVERII BONARTII,
Societatis IESV
IN
ESTHEREM
COMMENTARIVS,
LITERALIS & MORALIS;

Cum triplici Indice accuratiſſimo
DOCVMENTORVM, RERVM
ET ARGVMENTORVM,
Expoſitioni Euangeliorum & Epiſtolarum
totius anni ſervientium.

B A

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Sumptibus Cornelii ab Egmondt, & Sociorum,
M D C XLVII.

NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS
AC GENEROSIS DOMINIS,
PRÆTORI, SENATVI,
A C
DYNASTIS VASALLIS
MVNICIPII
E T
CASTELLANIÆ IPRENSIS.

NOnum & amplius jam annum paro & orno glorioſam ſecundæ Orbis Monarchiæ Imperatricem, Reginam, inquam, Ediſſam ſive Eſtherem, non quidem ornatus vel paratus mei, vel cujuſcumque alterius indigam, cum formoſa valde, & incredibili pulchritudine omnium oculis gratioſa & amabilis fuerit, nec umquam cultum muliebrem quæſierit, ut de ipſa ſacra memorat Hiſtoria; ſed quia haud ambigebam gratum fore ſi cidari ejus Perſicæ lemniſcum adjicerem; hoc eſt, ut planius dicam, Commentariis meis res ab ea præclarè geſtas illuſtrarem, & Suſis liliatis, ubi ipſa imperavit, roſarum calathiſcum inferrem. Igitur quærendi mihi fuere quorum auſpiciis Commentarius

Eſther C. 2.

meus Perſidi huic Nymphæ offerretur. Cum verò contigiſſet me annis præteritis Marte Gallico cogente è partibus in quibus tunc degebam, quaſi ex undabundo mari Ipras in portum tunc utcumque ſecurum deferri viſum fuit D D. V V. hæc mea Commentaria inſcribere. Nec rationes defuerunt hujus conſilii mei. Siquidem cum Hiſtoria Eſtheræ illuſtriſſima ſit, & planè eximia, viris etiam generoſis & eximiis fuit dedicanda. Acceſſit ad hæc inſignis D D. V V. in Gymnaſium & Templum Collegii noſtri Iprenſis munificentia, cui referenda omnino fuit gratia; qua in re ſecutus ſum Romani Philoſophi monitum: *Diſcamus*, inquit, *occaſiones beneficiorum reddendorum obſervare.* Novi apud veteres Sapientes unam ex Gratiis dictam Thaliam ἀπὸ τοῦ θάλλειν, à germinando, eò quod pullulare & refloreſcere debeat & ſoleat Gratia ad referendum. Thalia ergo ſive Charis & Gratia aurem mihi vellicavit & admonuit, ut ſub nominis veſtri ſplendore hæc Commentaria mea prodirent. Et certè Hiſtoria hæc quæ hiſce explicatur, digniſſima eſt, quæ à D D. V V. maximè his turbulentiſſimis temporibus accuratè perpendatur. Videre hic eſt veluti in puriſſimo ſpeculo altiſſimam radiantem Pronoiam, Divinam nempe Providentiam, quæ ex cœleſti veluti

lib. 6 de Beneficiis, cap. 41.

ma-

machinâ funeſtam Tragœdiam, quam Amanus nefandum caput, exorſus fuerat, inexpectato ordine temperavit, & Cataſtrophe inſperatâ malum conſilium quod frabricaverat in ipſius conſultoris peſſimi caput retorſit. Locum enim hic habuit cœleſte illud Oraculum, non ex Tripode Delphico, ſed Sapientiſſimi Regis pectore profectum: *Sortes mittuntur in urnam, ſed à Domino temperantur:* Sed hæc Dei Providentia, cujus *in manu corda Regum ſunt, omnes poteſtates, & omnium jura regnorum*, ſuſpicienda eſt, & hominibus ſubmiſſè colenda. Offerunt ſe in hac Hiſtoriâ plura exempla in pulcherrimo poſita documento, quæ Rerum Publicarum moderatores meritò imitentur. Prov. 16.

De lectiſſimæ Heroinæ Eſtheris religione, prudentiâ, modeſtiâ, continentiâ, fortitudine pluſquam Amazoniâ & flagrantiſſimo amore erga ſuorum popularium ſalutem nihil dicam, ne videar viris mulierem imitandam proponere. Quamquam qualem mulierem & virginem? Quantum inſtar in ipſa! Solum mihi in votis eſt, ut Dei Matrem, ſemper Virginem, cujus Typum Eſther geſſit, & prætulit, ut ſemper feciſtis & facitis, præcipuo cultu proſequamini. Illa Reipublicæ veſtræ navim tamquam cœleſtis Thalaſſarchos diriget, & ad clavum ſedens feliciter moderabitur.

Propono interim Assuerum, quem Septuaginta Seniores Artaxerxem dixerunt, primum quidem veteratoris Amani arte in fraudem inductum, qui licet nimiâ credulitate & animi levitate peccaverit, postmodum tamen egregiè errorem correxit. Æmulari licet insomnem ejus in pervolvendis antiquis Annalibus & Majorum suorum præclarè gestis vigilantiam, in remunerandis fides sibi Aulicis liberalitatem planè Persicam, in Patriæ perduellibus plectendis severam justitiam.

Ante omnia verò insistendum Mardochæi vestigiis. Enimverò quis vir, quis Heros Mardochæus? multa de illo suggerit exiguo libello Historia Estheræ contenta. Strictim hæc de illo leguntur capite decimo. *Mardochæus acceptabilis plebi fratrum suorum, quærens bona populo suo, loquens ea quæ ad pacem seminis sui pertinent.* Verbo dixerim dignum fuisse titulo Patris Patriæ, siquis alius. Aulicus (rarum hoc decus) verè pius & sanctus, Dei honori nihil præferens, Regum Maximo Artaxerxi famulus fidelissimus, pro patriâ non timidus mori. Hoc Elogium illius esto. Sed manum de hac tabulâ tollo, cum libellus Historiæ Estheris palmaris omnibus in promptu sit, quem verè quis dixerit Amaltheum & Cornucopiæ omnis honesti & virtutis. Interim Nobilissimi,

Am-

Ampliſſimi Domini in ſinum & protectionem veſtram hæc mea in illum Commentaria ſereno vultu ſuſcipite, & verò etiam, cum à publicis negotiis otium fuerit, perlegite.

Ex animo opto & voveo D D. V V. & toti Iprenſi Ditioni & Caſtellaniæ à Martiis tumultibus reſpirationem, pacem & proſperitatem, quam mecum omnes communis patriæ ſalutis amantes à Deo ſupplicibus votis certatim poſtulant.

Valete. poſtridie natalis Chriſti Præcurſoris Anno M D C XLVI.

D D. V V.

Servus in Chriſto

OLIVERIVS BONARTIVS.

Copia

Copia

PRIVILEGII

Societatis Iesv

Pro Sacro Romano Imperio.

CUm *ex mandato Sacræ Cæsareæ Majestatis, omnibus & singulis Typographis, Bibliopolis, atque aliis quibuscunque librariam negotiationem exercentibus, seriò strictèque inhibeatur, ne quis libros ullos à Societatis nostræ Patribus hactenus editos, aut edendos imposterum, intra S. Rom. Imperii, regnorumque & dominiorum Sacræ Cæsar. Majest. hereditariorum fines, simili aliove charactere aut forma, sive in toto, sive in parte, excudere, vel recudere, vel aliò recudendos mittere, aut alibi etiam impressos invehere, vendere aut distrahere clam, seu palam, citra supradictorum Patrum consensum ac testimonium audeat vel præsumat; ego Ioannes Baptista Engelgrave Societatis* Iesv *per provinciam Flandro-Belgicam Præpositus Provincialis, concedo* Cornelio ab Egmondt, Typogr. Colonienſi & Sociis, *Facultatem excudendi R. P.* Oliverii Bonartii *Societatis nostræ Theologi Commentarium In Estherem. in cujus rei fidem litteras manu mea subscriptas, & sigillo officii mei munitas dedi Antverpiæ anno* 1646, *die* 16 *Octobr.*

Ioannes Baptista Engelgrave.

Facultas R. P. Provincialis per Flandro-Belgium.

EGo infra scriptus Societatis Iesv per Flandro Belgium Præpositus Provincialis, pro potestate mihi facta à R. P. Vincentio Carrafa Societatis nostræ Præposito Generali, permitto *Cornelio ab Egmondt, Typ. Colonienſi & Sociis,* ut Commentarium in Estherem, Patris Oliverii Bonartii è Societate Iesv, ab ejusdem Societatis deputatis Theologis examinatum & approbatum typis mandare possit, Antverpiæ 16 Octobris 1646.

Ioannes Baptista Engelgrave.

APPROBATIO.

COmmentarium *in Esthercm R. P. Oliverii Bonartii Societatis* Iesv *Presbyteri plane eruditum ac prælo dignissimum censeo Antverpiæ* 14 *Octobris* 1646.

Christianvs Voochts S. T. L. Canonicus & Archipresbyter & librorum censor.

MAGNÆ COELORVM TERRARVMQVE IMPERATRICI

SEMPER VIRGINI, DEI MATRI.

QVærenti ſollicitiùs & mente quaquâ verſùm omnia luſtranti, ſi fortè Reginam quampiam aut heroinam reperirem, cujus ex inaurato lacunari aut palatii tholo tamquam anathema, commentariolum hunc meum appenderem, nec verò pro voto reperienti in terris; tu mihi ſubitò refulſiſti, cœli auguſtiſſima Imperatrix, cui Eſthera noſtra quaſi dramatico quodam ſchemate præluſit, cujus morum virtutumque rudia lineamenta duxit, quam nomine, vitâ, & factis quadamtenus adumbravit.

Tu Eſther mihi es, imo Aſter, quæ *cœlo luces jucundior ignis*, ad quam mortales tamquam maris ſtellam, dum tetrâ vitiorum perturbationumque caligine involvuntur, oculos mentemque attollunt, non ſecus ac nauarchi locorum ignari errantesque pelago, ad Helicen, Cynoſuram, candidum aliquod & ſalutare ſidus proras obvertunt, curſumque dirigunt.

Te Ediſſam meritò appellem, quod nomen Regina noſtra tulit, id eſt, myrteam, non Venerem, ſed Virginem, cui pulcherrimæ inter mulieres myrtus, virginitas, inquam, æternùm virens ſacra ſemper fuit, quam etjam virgineo tuo & admirabili partu ſacratiorem reddidiſti. Suſis tibi Auguſtale & domicilium fixiſti. Lilium cum ſis, & ſuſa, lactea inter lilia paſceris, cœleſtibus ſpiritibus & integris contagii animis virginumque choris ſemper aſſociata.

Dicam te myrtum mundo ſuavem afflare odorem, quo tibi devotorum pectora reficis, & ad te pertrahis.

O quam te memorem, Virgo! Eſthera es ſpecioſiſſima, & tamen occulta, vere עלמה *Halmah*, virgo, quæ modeſtiæ & humilitatis peplo, pallio inſignis demiſſionis & pudoris, ut quondam Rebecca, decorem, quem Aſſuerus ſummus Princeps, & Rex maximus Artaxerxes concupivit, velas & obnubis.

Scio, ô Regina, te amare ſecretum, ſolitam ferè publicum fugere: placent tibi cum Eſthera dies ſilentii. Parvula latuiſti in matris conclavi, in paternis ædibus, exinde in abſcondito tabernaculi Domini, aut ſacro parthenone, & gynæconitide recluſa, etiam ſanctiſſimo ſponſo in manum data, mortalibus oculis ferè incognita vixiſti; unde & factum eſt, ut quam nemo virorum videret, ſolus Angelus ſolam in cubiculi penetralibus reperiret.

Sed numquid ſemper abſcondêris, *Maria?* Inſtat tempus, quo intrare ad Regem debeas; venit dies oſtentationis tuæ. oſtende illi faciem tuam. non quærendus tibi eſt muliebris cultus, ut ei placeas. es enim *formoſa valde, & incredibili pulchritudine omnium oculis gratioſa & amabilis.* quin verò adamat te Rex pluſquam omnes mulieres: habuiſti gratiam & miſericordiam coram eo, ideoque poſuit diadema regni in capite tuo. jam regnas in

loco Vasthi, quam fastus è solio deturbavit : pro conjunctione & nuptiis cum Dei filio celebratis, jussit Rex convivium præparari cunctis servis suis, *dedit pacem & requiem*, immunitatemque tributorum *universis Provinciis & dona largitus est juxta munificentiam principalem.*

Libens agnosco & amplector in te mirabilia opera Dei, & magna quæ fecit tibi, qui potens est. *Respexit* enim *humilitatem ancillæ suæ. Ecce enim ex hoc* (ἀπὸ τῦ νῦν, ex hoc nunc) *beatam te dicunt omnes generationes.*

Fons parvus eras, & crevisti in fluvium maximum, & in aquas plurimas redundasti, ita ut quæ ante plena fueras, nobis etiam superplena fieres, & de plenitudine tua accipiant universi. *Ecce factus est tibi trames abundans, & fluvius tuus appropinquavit ad mare*, mare, inquam, gratiarum, quas in omnes effundis : quæ astrum sub nube thalami virginalis latens, vel igniculus potius sub cinere humilis observantiæ erga parentes, sacerdotes, sponsum fueras, in lucem solemque conversa es ; mulier sole amicta, lunâ calceata, stellis coronata, *quasi enim antelucanum illuminas omnibus, & illustras omnes sperantes in Domino:* denique, *ex te ortus est Sol Iustitiæ, Christus Deus noster.*

Sed, prô dolor ! mentem subit & effodit tristis sententia mortis à summo Rege pronuntiata contra universum genus humanum, procurata autem ab Amano iniquissimo hoste primos nostros parentes conturbante, & ad defectionem excitante, cujus etiam crudelitas in ipsum Regem redundabat. *traditi eramus omnes nos, ut contereremur, jugularemur, & periremus.* Ceterùm novit tecum totus orbis, idcircò te præ cunctis mulieribus ad tantum fastigium Regnumque venisse, ut in tali tempore parareris, & communi necessitati succurreres. Regalibus ergo vestimentis induta ad maximum Regem accessisti, placuisti oculis ejus, invenisti gratiam coram eo, non prò te solùm, sed etiam pro totâ gente tuâ. extendit in signum clementiæ ad te virgam auream, accedensque osculata es summitatem virgæ ejus. Christum nempe Dei virtutem & Sapientiam è cœlo descendentem virgineo utero excepisti, genuisti, brachiis strinxisti, sinu fovisti, parvulo oscula libasti : per te Amani hostis nostri pessimi machinationes, quas contra nos excogitaverat, irritæ factæ sunt, vetusque mortis chirographum novis litteris, annulo Regis æterni obsignatis, quibus vita pax, salus mundo nuntiatur, oblitteratum.

Sed nimis antiqua retracto. En novis undique opprimimur malis, truculentissimis circumcingimur hostibus in exitium nostrum armatis, propriis sceleribus tantùm non in tartara demergimur. Quò confugimus traditi morti & gravioribus morte suppliciis ? quò ? nisi cum Mardochæo gemebundo & amaro animo ad Estheram misericordiæ Reginam, ut pro populo deprecatura Regem Iustitiæ accedat. Ingredere ergo pro nobis ad Regem, ô Maria. repulsam non patieris. tibi ab illo dictum est : *Quid vis Esther Regina ? quæ est petitio tua ? etiam si dimidiam regni partem petieris, dabitur tibi.* Et iterum : *Quid habes Esther ? ego sum frater tuus : noli metuere.* quamvis etiam atrocissimis nostris facinoribus irritatus, instar leonis fremat, & rugiat, pectorisque furorem ardentibus verborum fulminibus indicet, accede secura. verticordia es, ô Regina : precibus tuis & gratâ oratione spiritum in nos inflammati Regis convertes in mansuetudinem.

Sic mecum vovet universum humanum genus, suppliciter genibus tuis affusum ; hoc animo calamum meum, lucubratiunculas, inquam, meas (*Quod felix faustumque sit*) altaris tui laquearibus affigo.

PRÆ-

PRÆFATIO AD LECTOREM.

Lectori meo salvere & benè agere.

PRiusquam, benevole Lector, Isagogicas quasdam ad Commentarium prolusiones designo, paucis te monitum volui. 1.

Quamvis multa eaque præclara, palmari hoc libello hominum moribus formandis se offerant; primò tamen præ omnibus opto, ut mecum mentis oculos attollas in magni numinis Pronœam & Providentiam, quæ in hac, quam expositum vado, Estheræ Reginæ lectissimæ historiâ clarissime elucet.

Principiò, scitum est, auctores Hagiographos, ut, Deo afflante & illustrante libros suos conscripserunt, ita etiam ea, quæ narrant, prout peculiariter eodem moderante gesta sunt, litteris mandasse; cùm profanæ historiæ scriptores ea plerumque referant, quæ humano consilio & industria confecta fuerunt. Non aperiam hic Sacratiorum voluminum tabularia, in quibus hoc luce meridiana lucidius cernitur: solum evolvam paucas Estheræ pagellas, unde agnoscas verissima esse Regis Sapientissimi effata, initio cap. 8, Libri Sapientiæ; ubi sic pronuntiat: 2.

Sapientia (Dei providentia) *attingit à fine usque ad finem fortiter & disponit omnia suaviter.* Iterum cap. 14, 3, *Tua, Pater, providentia gubernat*, (lignum, inquam, vel navem per fèros fluctus maris) & mundum hunc vastissimum instar navis, ut solertissima Thalassarchos, & gubernatrix: unde & alii legunt: *Tua providentia cuncta gubernat.* 3.

Contemplabere mecum potentissimam illam Numinis Supremi dextram, mentem, inquam, illam oculatissimam, πανεφθαλμον, ab exordio ad finem usque Tragœdiam illam, quæ libro Estheræ continetur, disposuisse, inchoasse, confecisse, fortiter simul, cui nec Amanus potentiâ, superbiâ, & divitiis ferox resistere potuit, & tamen suaviter, usam imbellis fœminæ ministerio; ordine & ratione maximè idoneis ad gentis suæ liberationem.

Pinxerunt Ægyptii Hieroglyptæ sive sapientes θεῦ ἴνδικον ὄμμα, Dei vindicem oculum, omnia prævidentem, providentem, pervidentem, regali sceptro insidentem; & quidem symbolum illud aptè quadrat cum notione divinæ providentiæ, quam nostri tradidere doctores. 4. Hieroglyphicum Dei Providentiæ, oculus sceptro insidens.

Sic enim illam ex Severino Boëthio lib. 4 De Consolatione Philosophiæ definiunt. *Providentia est divina ratio in summo omnium principe constituta quæ cuncta disponit*, id est (ut S. Thomas 1 p. q. 22, art. 1. exponit) ad suos fines ordinat. sin autem S. Ioannem Damascenum sequimur, lib. 2 de fide Orthodoxa, cap. 29, *Providentia est voluntas Dei, per quam omnia, quæ sunt, convenientem gubernationem accipiunt.* 5. Definitio Dei providentiæ.

Providentia itaque duo significat, & continet, nempe, prænotionem ordinis rerum ad suum finem, & decretum, illum suo tempore exsequendi. utrumque indicatur in oculo sceptro incumbente. oculus Dei insopitus & perspicacissimus nihil præterit improvisum, negligit nihil, omnia perspicit, *Æqualiter est ei cura de omnibus*, Sapientiæ 6, 8. summis, imis, magnis, parvis, Angelo, vermiculo; ante eum jacet hujus mundi globus, quem sursum deorsum versat, prout libuerit, convenienter tamen rerum naturæ.

Hoc sceptrum indicat, potentissimum nimirum Dei nutum, quo omnia potest & vult perducere ad fines, quos sibi proposuit, atque præfixit.

Hanc Dei prænotionem, & administrationem ut perdiscas, & ex ejus consideratione, æquam mentis tranquillitatem in quacumque rerum perturbatione serves, inter omnes sævientis fortunę procellas animi naviculam *Bonæ Spei* anchorâ firmes, opus non est, ut vel Senecæ, aut cujuspiam è Stoâ Philosophi de providentia libros pervolvas, vel etiam veterum Patrum ejusdem argumenti opuscula perlegas, Chrysostomi, Theodoreti, Salviani. Magnæ principis Estheræ historia te abunde instruere poterit.

Quis hujus Heroinæ Hebrææ & fidelis nuptias cum Artaxerxe Persa incircumciso & infideli conciliavit, & ad populi sui liberationem, & gloriam retulit? Numen illud Supremum, de quo Psaltes Regius & egregius: *Non dormitabit, neque dormiet qui custodit Israel;* Psalmo 120, 4. Agnovit hoc Mardochæus ipse hìc cap. 4, v. 14. 6. Ostenditur Dei Providentia ex Historia Esther.

Quis, ait, *novit utrum ideirco ad regnum veneris, ut in tali tempore pararetis?*

NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS AC GENEROSIS DOMINIS, PRÆTORI, SENATVI, AC DYNASTIS VASALLIS MVNICIPII ET CASTELLANIÆ IPRENSIS.

NOnum & amplius jam annum paro & orno glorioſam ſecundæ Orbis Monarchiæ Imperatricem, Reginam, inquam, Ediſſam ſive Eſtherem, non quidem ornatus vel paratus mei, vel cujuſcumque alterius indigam, cum formoſa valde, & incredibili pulchritudine omnium oculis gratioſa & amabilis fuerit, nec umquam cultum muliebrem quæſierit, ut de ipſa ſacra memorat Hiſtoria; ſed quia haud ambigebam gratum fore ſi cidari ejus Perſicæ lemniſcum adjicerem; hoc eſt, ut planius dicam, Commentariis meis res ab ea præclarè geſtas illuſtrarem, & Suſis liliatis, ubi ipſa imperavit, roſarum calathiſcum inferrem. Igitur quærendi mihi fuere quorum auſpiciis Commentarius Eſther C. 2.

meus Perſidi huic Nymphæ offerretur. Cum verò contigiſſet me annis præteritis Marte Gallico cogente è partibus in quibus tunc degebam, quaſi ex undabundo mari Ipras in portum tunc utcumque ſecurum deferri viſum fuit D D. V V. hæc mea Commentaria inſcribere. Nec rationes defuerunt hujus conſilii mei. Siquidem cum Hiſtoria Eſtheræ illuſtriſſima ſit, & planè eximia, viris etiam generoſis & eximiis fuit dedicanda. Acceſſit ad hæc inſignis D D. V V. in Gymnaſium & Templum Collegii noſtri Iprenſis munificentia, cui referenda omnino fuit gratia; qua in re ſecutus ſum Romani Philoſophi monitum: *Diſcamus*, inquit, *occaſiones beneficiorum reddendorum obſervare.* Novi apud veteres Sapientes unam ex Gratiis dictam Thaliam ἀπὸ τὸ θάλλειν, à germinando, eò quod pullulare & refloreſcere debeat & ſoleat Gratia ad referendum. Thalia ergo ſive Charis & Gratia aurem mihi vellicavit & admonuit, ut ſub nominis veſtri ſplendore hæc Commentaria mea prodirent. Et certè Hiſtoria hæc quæ hiſce explicatur, digniſſima eſt, quæ à D D. V V. maximè his turbulentiſſimis temporibus accuratè perpendatur. Videre hic eſt veluti in puriſſimo ſpeculo altiſſimam radiantem Pronoiam, Divinam nempe Providentiam, quæ ex cœleſti veluti

lib. 6 de Beneficiis, cap. 41.

ma-

machinâ funeſtam Tragœdiam, quam Amanus nefandum caput, exorſus fuerat, inexpectato ordine temperavit, & Cataſtrophe inſperatâ malum conſilium quod frabricaverat in ipſius conſultoris peſſimi caput retorſit. Locum enim hic habuit cœleſte illud Oraculum, non ex Tripode Delphico, ſed Sapientiſſimi Regis pectore profectum: *Sortes mittuntur in urnam, ſed à Domino temperantur:* Sed hæc Dei Providentia, cujus *in manu corda Regum ſunt, omnes poteſtates, & omnium jura regnorum,* ſuſpicienda eſt, & hominibus ſubmiſſè colenda. Offerunt ſe in hac Hiſtoriâ plura exempla in pulcherrimo poſita documento, quæ Rerum Publicarum moderatores meritò imitentur. Prov. 16.

De lectiſſimæ Heroinæ Eſtheris religione, prudentiâ, modeſtiâ, continentiâ, fortitudine pluſquam Amazoniâ & flagrantiſſimo amore erga ſuorum popularium ſalutem nihil dicam, ne videar viris mulierem imitandam proponere. Quamquam qualem mulierem & virginem? Quantum inſtar in ipſa! Solum mihi in votis eſt, ut Dei Matrem, ſemper Virginem, cujus Typum Eſther geſſit, & prætulit, ut ſemper feciſtis & facitis, præcipuo cultu proſequamini. Illa Reipublicæ veſtræ navim tamquam cœleſtis Thalaſſarchos diriget, & ad clavum ſedens feliciter moderabitur.

Propono interim Assuerum, quem Septuaginta Seniores Artaxerxem dixerunt, primum quidem veteratoris Amani arte in fraudem inductum, qui licet nimiâ credulitate & animi levitate peccaverit, postmodum tamen egregiè errorem correxit. Æmulari licet insomnem ejus in pervolvendis antiquis Annalibus & Majorum suorum præclarè gestis vigilantiam, in remunerandis fides sibi Aulicis liberalitatem planè Persicam, in Patriæ perduellibus plectendis severam justitiam.

Ante omnia verò insistendum Mardochæi vestigiis. Enimverò quis vir, quis Heros Mardochæus? multa de illo suggerit exiguo libello Historia Estheræ contenta. Strictim hæc de illo leguntur capite decimo. *Mardochæus acceptabilis plebi fratrum suorum, querens bona populo suo, loquens ea quæ ad pacem seminis sui pertinent.* Verbo dixerim dignum fuisse titulo Patris Patriæ, siquis alius. Aulicus (rarum hoc decus) verè pius & sanctus, Dei honori nihil præferens, Regum Maximo Artaxerxi famulus fidelissimus, pro patriâ non timidus mori. Hoc Elogium illius esto. Sed manum de hac tabulâ tollo, cum libellus Historiæ Estheris palmaris omnibus in promptu sit, quem verè quis dixerit Amaltheum & Cornucopiæ omnis honesti & virtutis. Interim Nobilissimi,

Am-

Ampliſſimi Domini in ſinum & protectionem veſtram hæc mea in illum Commentaria ſereno vultu ſuſcipite, & verò etiam, cum à publicis negotiis otium fuerit, perlegite.

Ex animo opto & voveo D D. V V. & toti Iprenſi Ditioni & Caſtellaniæ à Martiis tumultibus reſpirationem, pacem & proſperitatem, quam mecum omnes communis patriæ ſalutis amantes à Deo ſupplicibus votis certatim poſtulant.

Valete. poſtridie natalis Chriſti Præcurſoris Anno M D C XLVI.

D D. V V.

Servus in Chriſto

OLIVERIVS BONARTIVS.

Copia

Copia

PRIVILEGII

Societatis Iesv

Pro Sacro Romano Imperio.

CUm *ex mandato Sacræ Cæsareæ Majestatis, omnibus & singulis Typographis, Bibliopolis, atque aliis quibuscunque librariam negotiationem exercentibus, seriò strictèque inhibeatur, ne quis libros ullos à Societatis nostræ Patribus hactenus editos, aut edendos inposterum, intra S. Rom. Imperii, regnorumque & dominiorum Sacræ Cæsar. Majest. hereditariorum fines, simili aliove charactere aut forma, sive in toto, sive in parte, excudere, vel recudere, vel aliò recudendos mittere, aut alibi etiam impressos invehere, vendere aut distrahere clam, seu palam, citra supradictorum Patrum consensum ac testimonium audeat vel præsumat; ego Ioannes Baptista Engelgrave Societatis* Iesv *per provinciam Flandro-Belgicam Præpositus Provincialis, concedo* Cornelio ab Egmondt, Typogr. Colonienſi & Sociis, *Facultatem excudendi R. P.* Oliverii Bonartii *Societatis nostræ Theologi Commentarium In Estherem. in cujus rei fidem litteras manu mea subscriptas, & sigillo officii mei munitas dedi Antverpiæ anno 1646, die 16 Octobr.*

Ioannes Baptista Engelgrave.

Facultas R. P. Provincialis per Flandro-Belgium.

EGo infra scriptus Societatis Iesv per Flandro Belgium Præpositus Provincialis, pro potestate mihi facta à R. P. Vincentio Carrafa Societatis nostræ Præposito Generali, permitto *Cornelio ab Egmondt, Typ. Colonienſi & Sociis*, ut Commentarium in Estherem, Patris Oliverii Bonartii è Societate Iesv, ab ejusdem Societatis deputatis Theologis examinatum & approbatum typis mandare possit, Antverpiæ 16 Octobris 1646.

Ioannes Baptista Engelgrave.

APPROBATIO.

COmmentarium in Estherem R. P. Oliverii Bonartii Societatis Iesv *Presbyteri plane eruditum ac prælo dignissimum censeo Antverpiæ* 14 *Octobris* 1646.

Christianvs Voochts S. T. L. Canonicus & Archipresbyter & librorum censor.

MAGNÆ COELORVM TERRARVMQVE IMPERATRICI

SEMPER VIRGINI, DEI MATRI.

QVærenti ſollicitiùs & mente quaquà verſùm omnia luſtranti, ſi fortè Reginam quampiam aut heroinam reperirem, cujus ex inaurato lacunari aut palatii tholo tamquam anathema, commentariolum hunc meum appenderem, nec verò pro voto reperienti in terris; tu mihi ſubitò refulſiſti, cœli auguſtiſſima Imperatrix, cui Eſthera noſtra quaſi dramatico quodam ſchemate præluſit, cujus morum virtutumque rudia lineamenta duxit, quam nomine, vitâ, & factis quadamtenus adumbravit.

Tu Eſther mihi es, imo Aſter, quæ *cælo luces jucundior ignis*, ad quam mortales tamquam maris ſtellam, dum tetrâ vitiorum perturbationumque caligine involvuntur, oculos mentemque attollunt, non ſecus ac nauarchi locorum ignari errantesque pelago, ad Helicen, Cynoſuram, candidum aliquod & ſalutare ſidus proras obvertunt, curſumque dirigunt.

Te Ediſſam meritò appellem, quod nomen Regina noſtra tulit, id eſt, myrteam, non Venerem, ſed Virginem, cui pulcherrimæ inter mulieres myrtus, virginitas, inquam, æternùm virens ſacra ſemper fuit, quam etjam virgineo tuo & admirabili partu ſacratiorem reddidiſti. Suſis tibi Auguſtale & domicilium fixiſti. Lilium cum ſis, & ſuſa, lactea inter lilia paſceris, cœleſtibus ſpiritibus & integris contagii animis virginumque choris ſemper aſſociata.

Dicam te myrtum mundo ſuavem afflare odorem, quo tibi devotorum pectora reficis, & ad te pertrahis.

O quam te memorem, Virgo! Eſthera es ſpecioſiſſima, & tamen occulta, vere עלמה *Halmah*, virgo, quæ modeſtiæ & humilitatis peplo, pallio inſignis demiſſionis & pudoris, ut quondam Rebecca, decorem, quem Aſſuerus ſummus Princeps, & Rex maximus Artaxerxes concupivit, velas & obnubis.

Scio, ô Regina, te amare ſecretum, ſolitam ferè publicum fugere: placent tibi cum Eſthera dies ſilentii. Parvula latuiſti in matris conclavi, in paternis ædibus, exinde in abſcondito tabernaculi Domini, aut ſacro parthenone, & gynæconitide recluſa, etiam ſanctiſſimo ſponſo in manum data, mortalibus oculis ferè incognita vixiſti; unde & factum eſt, ut quam nemo virorum videret, ſolus Angelus ſolam in cubiculi penetralibus reperiret.

Sed numquid ſemper abſcondêris, *Maria?* Inſtat tempus, quo intrare ad Regem debeas; venit dies oſtentationis tuæ. oſtende illi faciem tuam. non quærendus tibi eſt muliebris cultus, ut ei placeas. es enim *formoſa valde, & incredibili pulchritudine omnium oculis gratioſa & amabilis.* quin verò adamat te Rex pluſquam omnes mulieres: habuiſti gratiam & miſericordiam coram eo, ideoque poſuit diadema regni in capite tuo. jam regnas in

loco Vasthi, quam fastus è solio deturbavit : pro conjunctione & nuptiis cum Dei filio celebratis, jussit Rex convivium præparari cunctis servis suis, *dedit pacem & requiem*, immunitatemque tributorum *universis Provinciis & dona largitus est juxta munificentiam principalem.*

Libens agnosco & amplector in te mirabilia opera Dei, & magna quæ fecit tibi, qui potens est. *Respexit* enim *humilitatem ancillæ suæ. Ecce enim ex hoc* (ἀπὸ τοῦ νῦν, ex hoc nunc) *beatam te dicunt omnes generationes.*

Fons parvus eras, & crevisti in fluvium maximum, & in aquas plurimas redundasti, ita ut quæ ante plena fueras, nobis etiam superplena fieres, & de plenitudine tua accipiant universi. *Ecce factus est tibi trames abundans, & fluvius tuus appropinquavit ad mare*, mare, inquam, gratiarum, quas in omnes effundis : quæ astrum sub nube thalami virginalis latens, vel igniculus potius sub cinere humilis observantiæ erga parentes, sacerdotes, sponsum fueras, in lucem solemque conversa es ; mulier sole amicta, lunâ calceata, stellis coronata, *quasi enim antelucanum illuminas omnibus, & illustras omnes sperantes in Domino:* denique, *ex te ortus est Sol Justitiæ, Christus Deus noster.*

Sed, prô dolor ! mentem subit & effodit tristis sententia mortis à summo Rege pronuntiata contra universum genus humanum, procurata autem ab Amano iniquissimo hoste primos nostros parentes conturbante, & ad defectionem excitante, cujus etiam crudelitas in ipsum Regem redundabat. *traditi eramus omnes nos, ut contereremur, jugularemur, & periremus.* Ceterùm novit tecum totus orbis, idcircò te præ cunctis mulieribus ad tantum fastigium Regnumque veniisse, ut in tali tempore parareris, & communi necessitati succurreres. Regalibus ergo vestimentis induta ad maximum Regem accessisti, placuisti oculis ejus, inveniſti gratiam coram eo, non prò te solùm, sed etiam pro totâ gente tuâ. extendit in signum clementiæ ad te virgam auream, accedensque osculata es summitatem virgæ ejus. Christum nempe Dei virtutem & Sapientiam è cœlo descendentem virgineo utero excepisti, genuisti, brachiis strinxisti, sinu fovisti, parvulo oscula libasti : per te Amani hostis nostri pessimi machinationes, quas contra nos excogitaverat, irritæ factæ sunt, vetusque mortis chirographum novis litteris, annulo Regis æterni obsignatis, quibus vita pax, salus mundo nuntiatur, oblitteratum.

Sed nimis antiqua retracto. En novis undique opprimimur malis, truculentissimis circumcingimur hostibus in exitium nostrum armatis, propriis sceleribus tantùm non in tartara demergimur. Quò confugimus traditi morti & gravioribus morte suppliciis ? quò ? nisi cum Mardochæo gemebundo & amaro animo ad Estheram misericordiæ Reginam, ut pro populo deprecatura Regem Justitiæ accedat. Ingredere ergo pro nobis ad Regem, ô Maria. repulsam non patieris. tibi ab illo dictum est : *Quid vis Esther Regina ? quæ est petitio tua ? etiam si dimidiam regni partem petieris, dabitur tibi.* Et iterum : *Quid habes Esther ? ego sum frater tuus : noli metuere.* quamvis etiam atrocissimis nostris facinoribus irritatus, instar leonis fremat, & rugiat, pectorisque furorem ardentibus verborum fulminibus indicet, accede secura. verticordia es, ô Regina : precibus tuis & gratâ oratione spiritum in nos inflammati Regis convertes in mansuetudinem.

Sic mecum vovet universum humanum genus, suppliciter genibus tuis affusum ; hoc animo calamum meum, lucubratiunculas, inquam, meas (*Quod felix faustumque sit*) altaris tui laquearibus affigo.

PRÆ-

PRÆFATIO AD LECTOREM.

Lectori meo salvere & benè agere.

PRiusquam, benevole Lector, Isagogicas quasdam ad Commentarium prolusiones designo, pauciś te monitum volui. 1.

Quamvis multa eaque præclara, palmari hoc libello hominum moribus formandis se offerant; primò tamen præ omnibus opto, ut mecum mentis oculos attollas in magni numinis Pronœam & Providentiam, quæ in hac, quam expositum vado, Estheræ Reginæ lectissimæ historiâ clarissime elucet.

Principiò, scitum est, auctores Hagiographos, ut, Deo afflante & illustrante libros suos conscripserunt, ita etiam ea, quæ narrant, prout peculiariter eodem moderante gesta sunt, litteris mandasse; cùm profanæ historiæ scriptores ea plerumque referant, quæ humano consilio & industria confecta fuerunt. Non aperiam hic Sacratiorum voluminum tabularia, in quibus hoc luce meridiana lucidius cernitur: solum evolvam paucas Estheræ pagellas, unde agnoscas verissima esse Regis Sapientissimi effata, initio cap. 8, Libri Sapientiæ; ubi sic pronuntiat: 2.

Sapientia (Dei providentia) *attingit à fine usque ad finem fortiter & disponit omnia suaviter.* Iterum cap. 14, 3, *Tua, Pater, providentia gubernat,* (lignum, inquam, vel navem per fèros fluctus maris) & mundum hunc vastissimum instar navis, ut solertissima Thalassarchos, & gubernatrix: unde & alii legunt: *Tua providentia cuncta gubernat.* 3.

Contemplabere mecum potentissimam illam Numinis Supremi dextram, mentem, inquam, illam oculatissimam, πανεφθαλμον, ab exordio ad finem usque Tragœdiam illam, quæ libro Estheræ continetur, disposuisse, inchoasse, confecisse, fortiter simul, cui nec Amanus potentiâ, superbiâ, & divitiis ferox resistere potuit, & tamen suaviter, usam imbellis feminæ ministerio; ordine & ratione maximè idoneis ad gentis suæ liberationem.

Pinxerunt Ægyptii Hieroglyptæ sive sapientes ὄμμα ἔνδικον, Dei vindicem oculum, omnia prævidentem, providentem, pervidentem, regali sceptro insidentem; & quidem symbolum illud aptè quadrat cum notione divinæ providentiæ, quam nostri tradidere doctores. 4. Hieroglyphicum Dei Providentiæ, oculus sceptro insidens.

Sic enim illam ex Severino Boëthio lib. 4 De Consolatione Philosophiæ definiunt. *Providentia est divina ratio in summo omnium principe constituta quæ cuncta disponit*, id est (ut S. Thomas 1 p. q. 22, art. 1. exponit) ad suos fines ordinat. sin autem S. Ioannem Damascenum sequimur, lib. 2 de fide Orthodoxa, cap. 29, *Providentia est voluntas Dei, per quam omnia, quæ sunt, convenientem gubernationem accipiunt.* 5. Definitio Dei providentiæ.

Providentia itaque duo significat, & continet, nempe, prænotionem ordinis rerum ad suum finem, & decretum, illum suo tempore exsequendi. utrumque indicatur in oculo sceptro incumbente. oculus Dei insopitus & perspicacissimus nihil præterit improvisum, negligit nihil, omnia perspicit, *Æqualiter est ei cura de omnibus*, Sapientiæ 6, 8. summis, imis, magnis, parvis, Angelo, vermiculo; ante eum jacet hujus mundi globus, quem sursum deorsum versat, prout libuerit, convenienter tamen rerum naturæ.

Hoc sceptrum indicat, potentissimum nimirum Dei nutum, quo omnia potest & vult perducere ad fines, quos sibi proposuit, atque præfixit.

Hanc Dei prænotionem, & administrationem ut perdiscas, & ex ejus consideratione, æquam mentis tranquillitatem in quacumque rerum perturbatione serves, inter omnes sævientis fortunę procellas animi naviculam *Bona Spei* anchorâ firmes, opus non est, ut vel Senecæ, aut cujuspiam è Stoâ Philosophi de providentia libros pervolvas, vel etiam veterum Patrum ejusdem argumenti opuscula perlegas, Chrysostomi, Theodoreti, Salviani. Magnæ principis Estheræ historia te abunde instruere poterit.

Quis hujus Heroinæ Hebrææ & fidelis nuptias cum Artaxerxe Persa incircumciso & infideli conciliavit, & ad populi sui liberationem, & gloriam retulit? Numen illud Supremum, de quo Psaltes Regius & egregius: *Non dormitabit, neque dormiet qui custodit Israel;* Psalmo 120, 4. Agnovit hoc Mardochæus ipse hîc cap. 4, v. 14. 6. Ostenditur Dei Providentia ex Historia Estheræ.

Quis, ait, *novit utrum idcirco ad regnum veneris, ut in tali tempore pararetis?*

Quis menſe primo, Amano mittente ſortes in urnam, quo die & menſe gens Iudæorum deberet interfici, procuravit ut exiret menſis duodecimus? Profecto is, de quo loquitur Rex Davidides, Proverb. 16, 33. *Sortes mittuntur in urnam, ſed à Domino temperantur.*

Ita ante nos obſervavit Abbas Tuitienſis lib. 8 de victoria Verbi Dei cap. 12. *Infatuatus*, inquit, *& illuſus eſt Aman ab ipſis ſortibus, dum mittente eo ſortem menſe primo, quo die, quo menſe Iudæi deberent interfici, menſis duodecimus exivit: totum utique annum ſors illa poposcit: Deus exegit ſortem regens & habens, ut jam dictum eſt ex Pſal. 30, in manibus ſuis.* Hæc ille. Divina namque providentia annum integrum populo ſuo demenſa eſt, ut interea ſaluti ſuæ non modo humanis, ſed maxime divinis ſubſidiis conſuleret.

Quis Regi barbaro & ſomnum nocturnum abſtulit & mentem injecit, ut juberet afferri ſibi Hiſtorias & Annales priorum temporum, illis lectis fidem Mardochæi perſpiceret, de illo dignis honoribus afficiendo ſeriò cogitaret? Deus ille & magnus Dominus, *qui deponit potentes de ſede, & exaltat humiles, ſuſcitat de pulvere egenum & de ſtercore elevat pauperem, ut ſedeat cum principibus, & ſolium gloriæ teneat.*

Ioſephus hoc vidit, dum lib. 11 Antiquit. cap. 6, impendentem Iudæis ſub Artaxerxe Longimano calamitatem ſcriptis proſequitur. *Iuſſerat*, inquit, *Aman lignum erigi, in ſuo palatio ad Mardochæi ſupplicium. Deus autem irriſit Amani ſpem improbam, cui ſciebat eventurum longe aliud. nam eâ ipſâ nocte ſomnum Regi ademit, qui nolens vigiliæ tempus perdere, miſit ſcribam, allatis commentariis res tam à ſe quàm à majoribus geſtas legere*, &c.

Quis furore accenſum Aſſueri animum, quem etiam ardentibus oculis indicabat, ita ut eo viſo Regina collabererur, & timore exalbeſcens delaſſatum ſuper famulam reclinaret caput, oleo tranquilliorem, & placidiſſimum reddidit? Quis, inquam, niſi ille de quo cap. 15, ℣. 11, ſcribitur, *Convertit Deus ſpiritum Regis in manſuetudinem.* Illi namque Regina ſupplex preces cum lacrymis & humili corporis & animi demiſſione obtulerat, in quibus inter alia ita ſupplicabat cap. 14, ℣. 13, *Tribue ſermonem compoſitum in ore meo, in conſpectu Leonis* (Artaxerxis) *& transfer cor illius in odium hoſtis noſtri, ut & ipſe pereat & ceteri qui ei conſentiunt.*

Certiſſimum igitur illud magni principis oraculum Proverb. 21, ℣. 1, *Sicut diviſiones aquarum* (quæ ad nutum agricolæ in hos vel illos alveos ducuntur) *ita cor regis in manu Domini: quocumque voluerit inclinabit illud.*

Quis denique, ut omittam alia ſuo loco diſcutienda, huic Tragœdiæ tam celebrem, tam inexſpectatam, tam luctuoſam impoſuit cataſtrophen? id eſt:

Quis ita omnia moderatus eſt, ut Amanus illo figeretur patibulo, quod Mardochæo paraverat, cap. 7. ℣ 10? Ille dubio procul, quem ſanctiſſima Regina obſecraverat, cap. 14. ℣. 11, *Converte conſilium eorum ſuper eos, & eum, qui in nos cœpit ſævire, diſperde.*

Præcinuerat hoc multis ante ſæculis Rex pſalmodus, Pſal. 7, *Sagittas ſuas ardentibus effecit*, id eſt, odio & invidiâ inflammatis Amano, & ſatellitibus ejus præparavit. *Ecce parturiit injuſtitiam*, rem injuſtam machinatus eſt, *concepit dolorem*, odium ſuum auctorem excrucians: *peperit iniquitatem*, necem ſcilicet injuſtiſſimam Iudæorùm capitibus. Sed quid? *Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foveam, quam fecit. Convertetur dolor ejus in caput ejus & in verticem ipſius iniquitas ejus deſcendet.* Nunc ad proluſiones gradum facio, ſi hîc unum adjecero.

Propoſitum mihi eſt non exiliter, & jejunè hiſtoriæ litteram excutere, ſed copioſè & fructuoſè lectores meos & divini verbi prædicatores optimis inſtitutis & præceptis erudire, ut ingenium noſtri ſeculi ab Enarratoribus Sacrarum litterarum efflagitat. Quid ad hæc aliqui contra ſentientes muſſitent, nihil moror. Explicabo autem hiſtoriam eo ordine, quo legitur, in libris Latinis ex tranſlatione S. Hieronymi, idque in gratiam lectoris, qui aſſuevit lectioni Bibliorum Latinorum, prout habentur in editione noſtrâ ab Eccleſia Catholica approbata. Poſtea verò eamdem recenſebo ſervatâ ſerie temporis, quo contigit, ne quid Chronologiæ ſtudioſus è noſtris Commentariis deſideret, additâ ſimul tranſlatione Septuaginta ex Græco editionis Sixti quinti cum notis Nobilii.

PRÆ-

PRÆLOQVIVM PRIMVM.

Quæ hujus libri inscriptio?

IN textu Hebræo, hac epigraphe prænotatur, מגלת אסתר Megillah Esther, id est, volumen Esther; siquidem Megillah derivatur à radice גלל Galal, à volvendo scilicet, quia olim libri cylindro involvebantur, vel complicabantur. Fortè etiam quia epistola, vel exiguus liber est, qui interdum dicitur volumen: sic vocatur hic cap. 9, v. 16. Et cuncta quæ gesta sunt, epistolà, id est libri hujus volumine continentur.

Adverte 1. *Tres veteris Testamenti libros præ se ferre in fronte nomina feminarum, videlicet Ruthæ, Iuditbæ, & Estheræ, ut ante nos observavit S. Hieron. epist.* 140. Ruth, *ait*, & Esther, & Iudith, tantæ gloriæ sunt, ut sacris voluminibus nomina indiderint.

Adverte 2. *Non ideo volumina illa inscribi nominibus feminarum, quod ipsæ eorum fuerint authores, sed quia res ab ipsis cum laude gestæ eisdem comprehenduntur. Licet autem in libello Estheræ etiam magnam partem sibi vindicent Assuerus, Amanus, Mardochæus, qui in hac Tragœdia non ignobiles sunt personæ, nihilominus Estheræ chorum ducit, eà potissimum de causâ, quòd scriptori sacro propositum sit hoc libro demonstrare, quomodo Deus populum suum ex certissimo internecionis periculo liberaverit, ad hoc usus ministerio feminæ.* Dux femina facti.

An vero Esther, partem etiam hujus libri conscripserit, posteà videbitur.

Nihil hic dico de notione nominis Esther, de quâ locus erit inferiùs, cum primùm in textu occurret.

PRÆLOQVIVM II.

An liber Esther Canonicus?

LVtherus, *ut auctores sunt Iudocus Coccius tomo* 1 *Controvers. lib.* 6, *art.* 10, *& Serarius hîc in Prædicendo* 4, *absolutè Estheræ librum sacro Canone excluſit: posteà tamen videtur palinodiam cecinisse, & solùm rejecisse postrema septem capita à versu* 4 *capitis decimi: in quem errorem concessere posteà Brentius, & totus grex Lutheranorum & Calvinistarum. sed hos non moramur.*

I. *Dico primò: A quibusdam Patribus olim dubitatum est generatim & absolutè, de hujus libri auctoritate. Vnde Melito Sardensis, epistolâ ad Onesimum, inter libros sacros hunc non recenset, nec Nazianz. in Carmine de sacris scripturis.*

Dixi generatim & absolutè, quia non defuere plures qui septem postrema capita, quòd in Hebraico textu non reperiantur, ut Apocrypha & dubiæ auctoritatis, à sacro Canone abstulerunt. sic S. Hieron. videtur non adeò magni fecisse, quæ non reperit in Hebræo, ut constat ex ejus in Esther præfatione, & ex observationibus, quas passim inserit septem postremis capitulis. non tamen ex ejus verbis apertè colligimus eum non habuisse has lacinias pro Canonicis, cum ex illis quædam ut sacra citet. Post ipsum, ante Concilium Tridentinum, plures Interpretes ea in serie Apocryphorum collocarunt, ut Rabanus, Liranus, Hugo, Cajetanus in Commentariis, & post Tridentinum, quòd mirum est, etiam Sixtus Senensis, lib. 1, *&* 8 *Bibliothecæ sanctæ: qui falsò pro se citat Originem, & pro se adducit Carthusianum: quem ideò hic acriter refellit Mariana cap.* 10.

Totus liber Esther Canonicus.

II. *Dico secundò; totum librum Esther absolutè cum suis etiam laciniis, ut S. Hieron. vocat, id est appendiculis & partibus, esse canonicum. Probant hoc Serarius hic Prædicendo* 4, *Bellarminus tomo* 1 *Controvers.* 1 *lib.* 1, *cap.* 7, *& ibidem Greiserus, Iudocus Coccius suprà, Francisc. Ficardent. in Commentario, ante cap.* 13, *Mariana ad cap.* 10, *& alii. nos breviter hîc idem stabiliemus.*

Primò itaque confirmatur: quia Hebræi veteres illum pro Canonico habuerunt, teste Iosepho libro 1 *contra Appionem: & valdè verisimile est olim totum Hebræo idiomate conscriptum extitisse etiam tempore ejusdem Iosephi.*

2. *Quia hunc in Canonem receperunt antiquissima Concilia, ut Laodicinum, Can.* 59, *Carthaginense* 3, *cap.* 47, *& alia.*

3. *Idem fecere Patres tam Græci quam Latini, ut Origenes variis locis, in Psal. primum & epist. ad Iulium Africanum, Cyrill. Hierosolym. Catechesi* 4, *Damascen. lib.* 4 *de fide Orthodoxa, cap.* 18, *Hilarius in Psal.* 1, *Innocentius primus epist.* 3, *Sanctus Augustinus lib.* 2 *de doctrinâ Christianâ, cap.* 8, *& alii plurimi, quorum Catalogum texuit Coccius suprà.*

Audi unum Origenem epist. ad Iulium Africanum. In libro, *inquit*, Esther neque Mardochæi, neque Esther preces quæ legentes possint ædificare habentur apud Hebræos, sed neque epistolæ, neque quæ ab Aman scripta est de eversione gentis Iudæorum, neque Mardochæi ex nomine Regis Artarxerxis gentem à morte liberans. Apud septuaginta autem & Theodo-

tionem ea sunt. *& postea*, Vide ergo ne imprudentes & inscientes abrogemus exemplaria, quæ habentur passim in Ecclesiis & legem statuamus fraternitati, ut deponant quidem sacros, qui apud eos feruntur, libros, assententur autem Hebræis & persuadeant ut nos puris impertiant, & qui nihil habeant figmenti. An non providentia in sanctis scripturis dedit omnibus Christi Ecclesiis ædificationem? non curam gessit eorum, qui empti sunt pretio, pro quibus Christus est mortuus? *Hæc ille.*

4. *Quia ex illis septem postremis capitibus, tanquam ex libris auctoritatis Canonicæ sæpe testimonia Patres mutuantur, & illa ut sacra probant.*

Sanctus Alexander primus epist. 1 ad omnes Orthodoxos sanctæ Trinitatis mysterium confirmat ex cap. 13, v. 9. Si Trinitas personarum non est, cur Mardochæus orando dixit: Domine, Domine Deus omnipotens, omnia in potestate tua sunt? si unitas non est, quare in tua posuit, & in vestra signavit?

S. Basil. lib. 2. contra Eunomium citat cap. 14; Sapientissima Esther orans dixit: Ne tradas Domine sceptrum tuum non existentibus. *Eadem profert S. Ambros. ad Psal. 36.* Non cognoscit Dominus eos qui non sunt, & Esther ait: Non des virgam regni tui iis qui non sunt. *Eadem adducit S. Hieron. ad cap. 26 Ezechielis.*

S. Augustinus, tum alibi, tum libro de gratia & libero arbitrio cap. 21. In libro, *ait*, Esther scriptũ est, quæ mulier ex populo Israel, in terra captivitatis, facta fuerat uxor alienigenæ Regis Assueri; ergo in ejus libro scriptum est, quòd, cùm haberet necessitatem interveniendi pro populo suo, quem Rex ubicumque in regno ejus esset, jusserat trucidari, oravit ad Dominum, cogebat enim eam magna necessitas, ut præter jussum Regis, & præter ordinem suum ad illum auderet intrare. Et videte quid scriptura dicat (*cap. 15.*) Et intuitus est eam tanquam taurus impetu indignationis suæ, & timuit Regina, & conversus est color ejus per dissolutionem, & inclinavit se super caput delicatæ suæ, quæ præcedebat eam, & convertit Deus & transtulit indignationem ejus in lenitatem. *Ita legit S. August.*

5. *Quia Ecclesia Catholica ex his postremis capitibus sub sacrosanctum Missæ sacrificium interdum quædam ex antiquâ consuetudine legere consuevit, ut feriâ quartâ post Dominicam secundam quadragesimæ lectio sacra sive Epistola legitur ex cap. 13 hujus libri. Item in Missa contra Paganos eadem recitatur. Rursus Dominicâ 21 post Pentecosten Introitus sumitur ex eodem capite. Vide Petrum Venerabilem Abbatem in Epistola contra Petrobrusianos.*

Meritò, *ait Rupert. lib. 8 de victoria Verbi Dei, cap. 12,* Sane clamores eorum quibus vel quantis clamaverint in cœlum omnem ætatem sentire, & non oblivisci vult sacer Ecclesiæ chorus, dum per singulos annos statutis diebus declamat ante Dominum in persona illorum (*Judæorum*) Everte cor ejus, scilicet Regis, in odium repugnantium nobis, nos autem libera in manu tua. *Vide cap. 14, v. 11, 14, 19.*

6. *Accedit authoritas Concilii Tridentini in Decreto de scripturis Canonicis, ubi cùm in Indice earum librum etiam Esther comprehendisset, post omnium enumerationem hæc subjungit:* Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur, pro sacris & Canonicis non susceperit, Anathema sit.

Iam ex his assumamus & concludamus contra dubitantes de authoritate septem horum capitum: Atqui hæc capita sunt partes libri Esther, prout in Ecclesiâ Catholicâ legi consueverunt, & habentur in vetere vulgatâ Latinâ editione (imo etiam Græcâ) ut probatum est; ergo pro sacris & Canonicis sunt recipienda.

Sed objiciet quis contentiosus cum Sixto Senensi lib. 1 Bibliothecæ Sanctæ, Tridentinum loqui de veris librorum partibus, non vero de additamentis vel laciniis.

Respondeo primò, cum viris quibusdam doctis, illa capita vocari appendiculas, non respectu Canonicæ scripturæ vulgatæ Græcæ vel Latinæ, cùm apud septuaginta suo loco integra inveniantur, sed respectu textus Hebraici, cui has tamquam lacinias ex textu Græco addidit S. Hieronymus.

Aliter respondet Bellarminus supra, scilicet eodem modo dici posse quædam capita Danielis, ut qua continent historiam Belis & Susannæ, & Canticum trium puerorum: Item aliqua Marci, Lucæ, Ioannis, & alia, esse additamenta, non verò partes sacræ scripturæ, & ita rejici posse.

Deinde cur Concilium adderet illa verba (cum omnibus suis partibus) *nisi ut omnes intelligant eas etiam partes, de quibus aliquando controversia fuerat, ad Canonem sacrum pertinere?*

Denique, ut rectè Serarius, cum Concilium probat librum integrum, etiam probat omnes ejus partes, cùm totum ex partibus constet; nec videtur Concilium addidisse (cum omnibus suis partibus) *nisi ut controversiam illam de*

qui-

quibusdam partibus controversis olim, imposterum planè dirimeret, alioqui gratis & supervacaneè adjunxisset, cum omnibus suis partibus, *cum partes in toto probentur.*

Verùm opponunt Novatores, capita hæc non existare in Hebræis codicibus, cum tamen Hebraicè liber conscriptus sit: unde signum est illa esse notha, & non genuina: & ait Sixtus Senensis illa ex Fl. Iosepho esse desumpta.

Ad hoc argumentum multis responderi potest. Primò: Esse viros doctos, qui totum Hebraicè conscriptum librum asservari adhuc alibi asserunt, ut Angelus Rocca, in Bibliothecâ Augustinianorum Bononiæ, teste Mariana suprà.

Secundò: vix dubium esse, quin olim illa capita extiterint Hebraicè, cum Iosephus lib. 11 Antiquitat. cap. 6, plura ex illis ponat, dum gesta Esthera describit, quæ illum ex Hebræo desumpsisse vel ipso teste affirmare possumus, cùm ita scribit suprà cap. 12, lib. 10. In ipso, *inquit*, historiæ meæ principio propter eos, qui quæstionem faciunt, aut in aliquo culpare nituntur, astruxi dicens translaturum me libros Hebraicos in eloquium Græcum, & hos volentibus aperire, neque adjicere me aliquid seorsum neq; subtrahere promittens. *Iosephus etiam Gorionis, qui Hebraicè scripsit, pleraque ex his postremis capitibus refert.*

Tertiò: non rectè, ne quid amplius dicam, scribere Sixtum suprà, capita hæc septem sumpta esse ex Iosepho, cùm potius dicendum sit, Iosephum illa quæ suprà lib. 11 narrat, descripsisse ex Hebræo codice, qui tempore ejus extabat, vel saltem ex exemplari Septuaginta Græco, quos ipse sæpius sequitur: unde Epistolas illas Assueri, quas hic habemus cap. 13 & 16, easdem cum Septuaginta producit.

Quartò: quid si dicamus illa capita excidisse ex textu Hebraico, ut Epistolæ ad Africanum censet Origines? An mirum partes aliquas excidisse librorum Canonicorum, cum integri aliqui libri exciderint, quos tamen Scriptura citat, ut liber Bellorum Domini?

Quintò: respondet Bellarminus, fortè primum libri Esthera Auctorem tantùm Hebraicè summam historiæ scripsisse, postea verò alium eandem scripsisse Hebraicè quidem, sed copiosiùs, & à Lysimacho in Græcam linguam translatam, ut indicatur hic cap. 11. Ceterùm prioris Auctoris librum Hebraicum ad nos pervenisse, posterioris verò translationem tantùm.

Argumenta Novatorum contra hæc vel levia sunt, & diluuntur à Serario, vel certè præcipuas hujus libri aperiunt difficultates, de quibus aptiùs in ipso contextu agetur.

PRÆLOQVIVM III.

Quis ejus ordo inter libros Canonicos?

NOtum est ex S. Hieron. in Prologo Galeato, & aliis, Hebræos statuisse triplicem ordinem librorum sacrorum. Dividunt enim eos in Thora, sive legem (quæ comprehendit Pentateuchum, sive libros quinque Mosis) in Prophetas, quos numeratos habes apud S. Hieronymum, & Hagiographa, in quorum ordine Esther locum nonum, sive ultimum tenet.

Patres tam Latini, quàm Græci vario librum hunc ordine collocant, sicut Interpretes, sed quia res exigui momenti est, puto hic non insistendum.

Sequimur nos seriem librorum sacrorum, quæ modo in Bibliis nostris habetur, quam etiam ponit Trident. Sess. 4. Valde enim probabile est, hoc pacto nos tenere ordinem temporum, quo historia Esthera contigit: si quidem multorum doctorum virorum judicio res gestæ ab Esthera posteriores sunt tempore Iudithæ, & de Holoferne victoriâ: unde etiam meritò liber Esther volumen Iudith subsequitur; quamvis, ut manifestum est, is qui Canonicos libros in ordinem redegit, hujus non semper habendam duxerit rationem.

PRÆLOQVIVM IV.

Quis hujus libri Author?

SCriptores & Interpretes in varias abiere sententias.

1. *Plures antiquiores existimarunt ab Esdrâ compositum, & in Canonem sacrorum voluminum relatum; quippe qui res à Mardochæo & Esthera gestas vel præsens inspexerat vel certâ auditione acceperat. Ita sentit S. Augustin. lib. 18 de civitate, cap. 36. Isidor. lib. 6 Etymologiar. cap. 2. & quidam ex Hebræis.* Prima sententia.

Verùm refutat hoc Euseb. in Chronico, anno mundi 4734, & cum illo Beda. Nec mirum hoc refellere Eusebium, cùm ipse historiam Esther existimet contigisse sub Artaxerxe Mnemone, ut postea videbitur, ad cujus tempora Esdram non pervenisse, in comperto est: unde ait Esdram de hac historiâ omnino siluisse; ideoque censendum ab alio quodam Prophetâ ipso posteriore scriptis mandatam fuisse.

2. *Sunt qui autumant fuisse libri scriptorem Ioachimum filium Iesu, vel Iosue filii Iosedec, Iudæorum Pontificem. Ita Philo Anianus lib. de Temporibus, quem etiam addit memoriam Phurim instituisse, hortante illum per literas Mardochæo, qui ætatem Isaac annis octodecim superavit:* Secunda sententia.

vit : constat autem ex Genes. 35. 28, Isaac vixisse annis 180. *ergo Mardochæus vixerit annis* 198. *Hæc ille.*

Sententia Auctori.

3. *Cæterùm mihi quasi certum est, Mardochæum hoc volumen scripto tradidisse. Ita plerique omnes Authores & Interpretes, Hebræi, Græci, Latini; Rabbi Moyses Hispanus, Abenesra: Lyranus, Dionys. Feuardent. Sanctius, Serar. Vatabl. Menoch. Tirin. & alii, saltem quoad partem majorem, Gordon. qui addit : fortè excepto initio capitis* 10. *Adjunxisse potuit, excepto initio capitis* 11. *Non enim dicimus totum omnino librum à Mardochæo scriptum.*

Colligitur hæc sententia manifestè ex cap. 9. *v.* 20. *ubi sic habetur :* Scripsit itaque Mardochæus omnia hæc, & litteris comprehensa misit ad Iudæos, qui in omnibus regis provinciis morabantur, tam in vicino positis, quàm procul.

Ne quis autem dicat Mardochæum solùm commendasse litteris suis, ut Iudæi solenni gaudio, & festivâ celebritate quotannis dies Phurim, id est, Sortium, peragerent; repugnat ipse textus cap. 9. *v.* 24. *ubi breviter tota series historiæ libri Esther recensetur. & postea hæc verba v.* 26 *subjiciuntur :* Et cuncta quæ gesta sunt, *(q. d. Non tantùm, ut dies* 14, *&* 15 *mensis Adar pro festis susciperent)* epistola, id est, libri hujus volumine continentur ; quæque sustinuerunt, & quæ deinceps immutata sunt, susceperunt Iudæi super se & super semen suum.

Accedit quòd cap. 12. *v.* 4. *cum scriptor facer narrasset insidias, quas eunuchi regi Artaxerxi struxerant, à Mardochæo detectas, ipsosque jugulatos, statim subjicit :* Rex autem quod gestum erat, scripsit in commentariis: sed & Mardochæus rei memoriam litteris tradidit. *Quamvis autem sermo ibi solùm sit de insidiis à Mardochæo detectis, litterarum monumentis consignatis; nihil tamen vetat ea ad alia quæ hæc historia continet, extendere, cùm eadem ratio videatur. Cùm ergo ex scripturâ constet Mardochæum, & ea quæ periculum Iudæorum antecesserunt, ipsumque eorumdem periculum, & quomodo illud depulsum fuerit, litteris mandasse, dicendum erit totum ferè volumen ab ipso conscriptum.*

Adde Paraphrasten Chaldæum in fine cap. 9. *ubi Latinus habet :* Omnia quæ libri hujus, qui vocatur Esther, historiâ continentur: *& quæ Hebræus legit :* Et scriptum est in libro : *addere explicationis gratiâ :* Per manum Mardochæi.

Existimavi tamen semper cum Nicol. Serar. Iacobo Tirino & Sanctio, etiam reginam Esther aliquid ad hanc scriptionem operæ contulisse. Inductus ad hoc sum verbis cap. 9. *v.* 29. *ubi sic legimus :* Scripseruntque Esther regina, filia Abigaïl, & Mardochæus Iudæus etiam secundam epistolam, ut omni studio dies ista sanciretur in posterum: *quod in Græco explicatius est hoc modo :* Et scripsit Esther regina, & Mardochæus Iudæus, quæ fecissent, ipsamque confirmationem epistolæ ipsorum Phurim.

Quamvis autem hæc ita dicantur à nobis de primario Mardochæi calamo in manu scribæ velociter scribentis, non negamus tamen potuisse volumen hoc in ordinem redigi vel à Ioachimo summo pontifice, vel ab Esdra scribâ doctissimo, aut viris synagogæ, prout in horum vel illorum tempora hæc historia incidit.

PRÆLOQVIVM V.

Quo tempore accidit Estheris Historia.

Quæstio hæc perplexa est, & pluribus involuta ambagibus: unde & Hæreticis ansam dedit, ut vel totam Estheris historiam, vel saltem postremam ejus partem rejicerent. Sed absit, ut difficultas, vel incertitudo temporum historiæ sacræ detrahat authoritatem. Etsi enim arduum sit res gestas ab Esthere conciliare cum profanis Græcorum Annalibus, & omnes ferè Historici, & interpretes Esthera diversos conjungant maritos, Assueros, vel Artaxerxes vocatos (quæ nomina fere communia fuerunt Medorum, & Persarum Regibus, ut videbimus) veritas tamen sacra inter discordes scriptorum sententias inconcussa manet, & in æternum manebit.

Dico ergo, veritatem hujus quæstionis in obscuro latere, quam forte nullus Auctor hactenus consecutus sit, quantumvis illam perquam studiosè indagaverit, cùm unus uni, alter alteri Persarum, imò etiam Medorum Regi Estheram matrimonio copulet.

Vt autem lector singulas Auctorum opiniones & illarum refutationes melius percipiat, ponam hic ordinem regum Persarum, prout eos recensct S. Hieronymus in cap. 7. *&* 11 *Danielis. sunt autem numero quatuordecim; de quibus etiam videndus Pererius in cap.* 11 *Danielis, lib.* 13 *commentar.*

1. *Cyrus Astyagis ex filia nepos, Monarchiæ Persicæ conditor.*

2. *Cambyses Cyri filius.*

3. *Fratres Magi, vel ut alii, Smerdes Magus.*

4. *Darius Hystaspis filius, unus ex Magorum cæsoribus.*

5. *Xerxes Darii filius.*

6. *Artabanus, quem S. Hieron. ponit regnasse*

gnasse septem mensibus scribens in cap. 4 Ezechiel. sicus & alii.

7. Artaxerxes μακρόχειρ, sive Longimanus, Xerxis filius.

8. Xerxes secundus.

9. Sogdianus { Vterque hic per vim & dolum regnum invasit.

10. Darius cognomine νόθος, Nothus, Longimani ex pellice filius.

11. Artaxerxes Memor, vel Mnemon.

12. Artaxerxes Ochus.

13. Arses.

14. Darius Arsami filius, in quo Persica monarchia terminatur.

Prima opinio. 1. Sunt, qui Astyagen avum maternum Cyri existimant fuisse Estheræ maritum, qui Daniel. 9, v. 1, vocatur Assuerus, sic enim habes: In anno primo Darii filii Assueri (Astyagis) de semine Medorum, qui imperavit super regnum Chaldæorum. Ita tenet Gerardus Mercator in Chronologia.

Alii putant ejusdem Astyagis filium Darium Medum, qui ab historicis Cyaxares vocatur, & à septuaginta Artaxerxes. ita Canus lib. XI de locis Theologicis c. 6. & Cedrenus in Compendio historiarum.

Sed hæc opinio nullam habet speciem veritatis. siquidem Reges illi non obtinuerunt regnum Persarum, nec dominati sunt centum viginti septem Provinciis, ut alia omittam, quæ suggerit Bellarminus suprà.

Secunda opinio. 2. Hebræi ergo & Genebrardus in Chronologiâ cum Lirano, uno consensu ponunt Cambysen, qui 1 Esdræ 4, v. 6, vocatur Assuerus, & v. 7 etiam Artaxerxes, ut docti plures tenent. errant verò Iudæi cùm ajunt hunc Assuerum ex Esther genuisse Darium Persam, cujus regni anno 2 fuit extructum templum Hierosolymitanum, ut refert ex illis Vatablus: nam hic Darius non fuit filius Cambysis, sed Hystaspis, ut apertum est.

Hæc sententia nihil habet probabilitatis, cùm constet Cambysen ne quidem integris octo annis imperasse, & hic c. 3, v. 7, numeretur annus Assueri 12. Deinde toto imperii sui tempore Iudæorum fuisse adversarium patet ex cap. 4 lib. 1 Esdræ. Plura etiam adferunt contra hanc opinionem, Bellarminus, Torniellus & Salianus.

Tertia sententia. 3. Venio ergo ad sententias probabiles, quarum prima asserit hanc historiam contigisse tempore Darii Hystaspis, quarti Persarum Regis. Ita plures ex Hebræis: item Feuardentius in Commentario, Iacobus Tirinus hic, Henricus Samerius in Chronologiâ, Ioannes Benedicti in notis Biblicis, & alii.

Probatur hæc sententia primò: quia, ut Assuerus, vel Artaxerxes noster, ita Hystaspides præfuit 127 Provinciis, sive Satrapiis, ab India usque Aethiopiam, & omnibus Satrapis suis fecit cœnam magnam. Audi Historicum 3 Esdræ 3, initio: Rex Darius fecit cœnam magnam omnibus vernaculis suis, & omnibus magistratibus Mediæ & Persidis, & omnibus purpuratis, & prætoribus, & consulibus, & præfectis sub illo, ab India usque Æthiopiam 127 Provinciis. Confer cum his, quæ habes Esther primo, in principio de rebus gestis Assueri nostri, & planè convenire videbis. Adde utrumque inhabitasse Susa, ut infrà dicetur.

2. Vterque impensè favit Iudæis, ut hoc libro constat de Assuero, de Dario verò tum alibi, tum primi Esdræ 6, ubi ipsius decreto jubetur templum Hierosolymitanum ante inchoatum absolvi, ipso impensas subministrante.

3. Quia hæc optimè conveniunt cum iis, quæ habentur Esther 2, v. 6, de ætate Mardochæi: nam anno 3 regni Darii Hystaspis solùm fuerit 60, vel circiter annorum.

Sed contra hanc sententiam varia à Saliano anno mundi 3590, n. 4, & Torniello anno mundi 3514, & aliis objiciuntur: quia ex Herodoto libro 3 constat uxores Darii fuisse filias Cyri, Estheram autem fuisse Iudæam hic dicitur. Darius etiam ab initio regni sui benevolus fuit Iudæis, ut constat ex primi Esdræ cap. 6, maritus verò Esther solùm ab anno regni sui duodecimo, ut patet Esther 3, v. 7, & sequentibus. Susa autem à tempore Cyri fuerunt sedes omnium regum Persarum, ut infrà videbitur.

Mirum etiam foret Herodotum, qui res Darii fusissimè prosecutus est, nullam mentionem fecisse turbarum ab Amano excitatarum, ejusque infamis mortis.

Quarta opinio. 4. Altera minus probabilis, Estheræ conjugio nobilitat Xerxem illum clade in Græciâ acceptâ decantatum Darii Hystaspis filium.

Sed paucis hanc pertranseo, tum quia paucos habet assertores, & fere Novatores, ut Scaligerum lib. 6 de emendatione Temporum, Ioannem Drusium in cap. 2 Esther, &c. apud Salianum suprà num. 5: tum quia constat ex Herodoto, & aliis Xerxem illo tempore fuisse in expeditione bellica contra Græciam versatum, quo Assuerus noster traditur fuisse Susis. Plura alia habet Salianus suprà num. 6.

Quinta opinio. 5. Tertia, quæ & multorum doctrinâ præstantium virorum authoritate nititur & rationibus non planè infirmis stabilitur, tenet, Estherem conjugio copulatam fuisse Artaxerxi Longimano, sic dicto, quod manum unam altera longiorem haberet, ut Plutarchus in Artaxerxe Mnemone, vel potiùs, quod stans manu genua sua contingeret, ut Strabo lib. 15. Hanc amplectitur Bellarminus lib. 1 de verbo Dei, cap. 7. Stepha-

nus Menochius, Sanctius in hujus libri Commentariis, Salianus lib. 5 Annal. vet. Testamenti, anno mundi 3590, num. decimo, & sequentibus. Cajetanus in Commentariis hujus libri, & plures alii, & videtur illam sequi Iosephus lib. undecimo Antiquit. cap. 6.

Probat hanc Salianus his argumentis.

Primò, & nomen convenit, & benevolentia in Iudæos: (misit enim Esdram, & Nehemiam Hierosolymam primo Esdræ 7, & Nehemiæ cap. 2.) & veri Dei cognitio, & regni amplitudo, & diuturnitas, & commoratio in Perside: regnavit enim annis 40, & morum similitudo. sub hoc etiam Rege cœpta est resici, & validis mœnibus muniri Hierosolyma.

Sed huic sententiæ opponit has rationes Pererius lib. 11 in Danielem, quæst. 4.

1. Incredibile videtur finitimos populos, hostesque Iudæorum sub hoc Artaxerxe, qui Nehemiam miserat Hierosolymam, ut supponimus ex 2 Esdræ 2, v. 6, ausos fuisse impedire ædificationem Ierusalem, cùm scirent Reginam esse Iudæam & ipsius Mardochæi etiam Iudæi arbitrio omnia negotia in regno gubernari; præsertim cùm illis nota haud dubiè esset insignis cædes quam in Perside Iudæi exercuerant hostium Hebræi nominis, idque procurante Regina & Rege decernente.

2. Non petiisset Nehemias per se facultatem reparandæ urbis gratiâ redeundi in Iudæam, sed per Reginam id efficaciùs postulasset & facilius impetrasset.

3. Ex Eusebio in Chronico sic instat idem Pererius: Si Esdras & Nehemias fuissent missi Ierosolymam sub hoc Rege, cùm ipsi libros suos conscripserint post id temporis, quo Esthera nupta Assuero vel Artaxerxi, & Mardochæus princeps aulæ regiæ fuerat, non est dubitandum quin in suis historiis felicitatis Esthera & exaltati Mardochæi mentionem fecissent.

Sexta opinio.

6. Quartò ergo ad alterũ jam Artaxerxem pergamus, undecimum nempe Persarũ Monarcham, Mnemonem, vel Memorem vocatum, quod præstanti esset memoriâ: cujus vitam Plutarchus litteris commendavit: hunc enim fuisse Assuerum, quem quærimus, Esthera conjugio nobilem tradunt in primis gravissimi auctores, Eusebius in Chronico sub Olympiadem 94, Sanctus Hieron. in 4 Ezechielis, Beda in lib. de 6 ætatibus mundi, Rabanus in lib. Esther: ex recentioribus verò Pererius lib. 13 in Danielem, sub initium cap. 11, & lib. etiam 10, ubi de 70 Hebdomadibus, & Torniellus anno mundi 3650, & alii, estque hæc opinio etiam probabilis.

Duo huic argumenta opponit Bellarm. lib. 1 de Verbo Dei cap. 7.

Primò sic argumentatur: Nulli habentur apud Hebræos Canonici libri, qui scripti fuerunt post tempora Longimani, sed liber Esther est in canone Hebræorum: ergo non accidit hæc historia post tempora Longimani. Esdras enim eorum librorum canonem composuit, qui non vixit ultra Longimani tempora.

Argumentatur Bellarminus 2: Artaxerxis Mnemonis vitã accuratè scripsit Plutarchus, qui nihil innuit pertinens ad historiam Esther: sed potiùs contrarium: nam ait Mnemonem habuisse duas uxores Statiram & Atoßam: Statira autem non fuit repudiata, ut Vasthi, sed veneficio sublata magno ipsius Regis dolore: Atossa autem vixit cum Rege usque ad mortem ejus, sed fuit Persica ipsius Mnemonis filia, non verò Iudæa.

Septima opinio.

7. Postremò quidam nuptam volunt Esther Artaxerxi Ocho Persarum Regi duodecimo. Ita amplè Serarius in cap. 1 Esther, quæst. 3, Iacobus Gordonus initio Comment. hic. Gretserus in defensione Bellarm. Tomo 1 lib. 1, cap. 7. Adrichomius anno mundi 3544.

Argumenta pro hac sententiâ multa congessit Serarius suprà, ad quem lectorem remitto. putat enim ipse nulli priorum Regum Persidis convenire omnia, quæ narrantur lib. Esther, in hunc verò bellè omnia quadrare.

Certè præcipuum fundamentum hujus opinionis videtur esse, quod haud multo tempore historia hæc abesse possit ab ætate Alexandri Magni, multoque minùs à regno Philippi patris ipsius, quorum ævo Macedones Persis erant formidabiles, ad quos propterea Aman Persarũ Monarchiam transferre moliebatur, Esther 16, v. 14.

Huic tamen sententiæ opponit Salianus suprà n. 7, D. Augustinum, qui lib. 18 de Civitate, cap. 36, ait res gestas ab Esthera in laudem Dei, non longè distare à temporibus Aggæi, Zachariæ, Malachiæ, Esdræ: ait verò à primo anno Artaxerxis Longimani, sub quo Esdras floruit, usque ad primum annum Ochi centum annos ab Eusebio numerari.

Addit Salianus 2, hanc sententiam nullum veterum habere patronum, quod verum est: deinde nullam posse adferri rem gestam ab Assuero, Mardochæo, aut Esthera, quæ Ocho aut ejus regno conveniat.

Postremò nihil ad rem facere vicinitatem aut longinquitatem imperii Macedonum, cùm juxta multorum explicationem, ut in Commentario nostro videbimus, Assuerus non objiciat Amano eum voluisse regnum Persarum transferre ad Macedones, quasi jam hi cum Persis de imperio contenderent, sed contrà potiùs voluisse Amanum gentem suam tum obscuram & ignobilem, imperio translato evehere & nobilitare; sicut Cyrus Persas ante obscuros, translato à Babyloniis & Medis imperio illustres reddiderat.

Torniel. autem anno mundi 3690, & illud adfert inter alia, quod hic Ochus fuerit sævissimus,

mus, ut constat ex Q. Curtio, lib. 10, post medium, & ex Iosepho lib. 11 Antiquit. cap. 7, ubi agit de Bagose Artaxerxis copiarum duce.

Vides lector, quàm diversa viri docti de Assuero nostro sentiant: ego ipsorum judex esse nolo, sed incino illis illud Palæmonis:

Non nostrum inter vos tantas componere lites.

Dico tamen non vitula, sed palmâ digniores videri, qui Estherem Reginam fuisse sponsam asserunt vel Darii Hystaspis vel Artaxerxis Longimani, vel Mnemonis. Alios procos nihil moror.

Auctoris sententia.

Ne tamen nihil dixisse hoc loco videar, Censui perlectis auctorum præcipuorum sententiis, qui hanc quæstionem examinarunt, simulque textu sacro cum illis collato, quatuor pro dirimendâ hac controversiâ, & Assuero nostro perdito reperiendo, Theses statuendas.

Prima Thesis.

Prima sit: Videndum, ne Mardochæi ætatem, qui dicitur Esther 2, vers. 6, & cap. 11, vers. 4, translatus de Ierusalem eo tempore, quo Iechoniam Regem Iuda Nabuchodonosor transtulerat, nimium extendamus. v. g. ad 200 & 50 annos, & eo amplius, aut certè ne vim sacro textui inferamus, exponendo, eum translatum Babylonem in suis majoribus. Item ut integra maneat fides verborum Esther, quæ profert in Oratione suâ ad Dominum capit. 14, vers. 18, Nunquam lætata est ancilla tua ex quo huc translata sum, *&c.*

Secunda Thesis.

Secunda sit: Ne etiam Assuerum aliquem quæramus nimis remotum à Philippo Macedone, vel filio ejus Alexandro Monarchiæ Græcorum parente, & id, ut verba Assueri Regis, quæ habet in suo edicto cap. 16, vers. 14. prout sonant, sine contortione accipiantur, ubi dicit Amanum cogitasse interfecto Assuero & Estherâ regnum Persarum transferre in Macedones: quod tum vel maxime locum habet, si dicamus hujus Assueri tempore Macedones opibus, armis, rerum domi forisque gestarum gloriâ præstitisse.

Tertia Thesis.

Tertia: Ille nobis asserendus est Assuerus, verus non adulterinus Esthera maritus, sub quo templum Hierosolymitanum, & altare perfectum stetit. sic enim loquitur in suâ Oratione Regina cap. 14, vers. 4. Volunt, *inquit,* tua mutare promissa, & delere hæreditatem tuam, & claudere ora laudantium te atque extinguere gloriam templi & altaris tui. *Significat ergo tum temporis fuisse gloriam templi recens exstructi; cujus exstructio fuit absoluta, saltem interiùs, anno 6 Darii Hystaspis, ut constat ex 1 lib. Esdræ, anno verò nono ejusdem etiam exteriùs templum planè fuit consummatum.*

Quarta Thesis.

Quarta: Rex quem indagamus, ut sponsum aliquo modo parem Reginæ nostræ, præditus fuit cognitione veri Dei, à quo ipse & majores ipsius regnum acceperant, ut constat ex verbis ejus edicti cap. 16, tum vers. 4, tum clarissimè vers. 15, ubi sic loquitur: Nos autem à pessimo mortalium Iudæos neci destinatos in nullâ penitus culpâ reperimus, sed contrariò justis utentes legibus & filios Altissimi & Maximi semperque viventis Dei, cujus beneficio & patribus nostris & nobis regnum est traditum, & usque hodie custoditur.

Idem ingenuè fatebatur Cyrus lib. 1 Esdræ cap. 1, vers. 2, videlicet omnia regna terræ Deum cæli ei dedisse: cum autem hic Assuerus dicat à semper vivente Deo etiam patribus suis traditum regnum, necessariò asserendum, hunc saltem pluribus annis ab ætate Cyri regnasse. Et hæc hactenus dicta sint de Rege, sub quo Esthera historia contigit.

PRÆLOQVIVM VI.

Quod libri hujus Argumentum?

Sanctus Hieronymus epistolâ ad Paulinum sic brevem Epitomen illius ponit: Esther in Ecclesiæ typo populum liberat de periculo, & interfecto Aman, qui interpretatur iniquitas, partes convivii & diem celebrem mittit in posteros.

Est ergo in hoc exiguo libello magna, & illustris manifestatio divinæ providentiæ, & misericordiæ erga populum peculiariter à se electum, quâ illum à præsentissimo internecionis periculo liberavit, ope viri religiosissimi & puellæ sanctissimæ, crudelissimo & superbissimo tyranno in crucem acto, & hostibus funditus deletis: in quo etiam elucet Dei mirandâ virtus, quâ animas sibi modestiâ & humilitate subjectas ad summa evehit, sibi verò præsidentes & elatas ad ima demergit.

Ajunt interpretes per Assuerum (intellige quoad quædam) significari Christum, per Estheram verò Ecclesiam, vel Dei Matrem, aut quamlibet piam animam, per Mardochæum autem magistratum religionis avitæ servantissimum, boni communis amatorem, & propugnatorem. Denique per Vasthi, & per Amanum maximè, generis humani hostes, carnem, mundum & Cacodæmonem.

PRÆLOQVIVM VII.

Quæ hujus libri partitio?

Triplex potest constitui hujus libri divisio. Prima sumitur ex modo scriptionis, quo conscriptus est, Hebraicè Græcè vel Latinè. Siquidem textus Hebraicus complectitur capita decem, sed ultimum illud vocari potest capitulum, cùm solùm tribus versibus constet: Græcus textus Septua-

ptuaginta totidem etiam capitibus constat: Latinus verò habet sedecim, sic tamen, ut non plura comprehendantur nostro contextu, quàm Græco, hoc tantùm discrimine, quòd Græcus omnia ferè narret suo loco & ordine, Latinus alio & alio, ut videre licet ex S. Hieron. notis circa caput 10, hinc inde positis in nostris Bibliis.

Altera accipi potest ex divisione Tragœdiæ in suas partes, quæ sunt Protasis, Epitasis & Catastrophe, quas in hac Esthere historiâ cernere viro erudito facilè licet.

Protasis apparet in periculo, quod genti Iudaicæ intentatur ab Amano: Epitasis in perturbatione Mardochæi, Esthere, & Iudæorum: Catastrophe in conversione sortis Amani in deterius, Iudæorum in melius. In quâ etiam integra demonstratio & absolutio historiæ.

Tertiam, ex rebus ipsis quæ geruntur, commodam suggerit noster Servius hic in Prædicendo septimo, quam divisionem in commentario suo sequitur. Hoc pacto liber hic quatuor partes sortitur. In prima sunt illa quæ Iudæorum periculum antecedunt, ut sunt quæ continentur cap. 11. v. 2, usq; ad finem, & tribus prioribus capitibus usq; ad v. 6, cap. 3. In secunda verò illa numerantur quæ pertinent ad Iudæorum periculum, & habentur toto cap. 3. In tertiâ eorundem liberatio, à c. 4, usq; ad 9, v. 17, additis illis quæ habentur c. 13, & 14. In quartâ, quæ Iudæorum liberationem sunt consecuta, & habentur cap. 9.

PRÆLOQVIVM VIII.

Quis hujus libri fructus.

DEcerpere ex brevi hac historiâ plurimos, eosq; præstantissimos fructus in promptu esset, eosq; lectori degustandos offerre; sed secutus sum consilium Authoris secundi libri Machab. qui c. 2, ibidem, v. 33, ait, Stultum est ante historiam effluere, in ipsa autem historiâ succingi. Lector meus ultra centùm in Commentario collectos reperiet: ad aliquos tantùm digitum intendo, eosque magis obvios & communes.

Primus fructus universalis, est ordo divinæ providentiæ, quæ servos suos ex evidentissimis periculis liberat, & eorum jugulis exactos gladios in hostes ipsorum convertit.

1. Deus vitam Principum maximè tuetur.

Alter est peculiaris Dei vigilantia, & cura, qua Regum, & principum, etiam gentilium vitam tuetur: ita ut rectè dixerit Alphonsus Aragonum Rex apud Antonium Panormitam, cùm vetuissent medici, ne attrectaret librum sibi ab hoste missum, quem putabant veneno infectum in ejus interitum: An ignoratis, inquit, Regũ animas non privatorum libidini subjectas esse, sed sub cura Dei securas & lætas agere? eandem curã Numinis expertus est Assuerus, cui ab Eunuchis paratas insidias Mardochæus detexit.

Tertius: Apparet Dei clementia in eos, qui divini ejus Numinis religiosi sunt cultores,, humiles, & trementes ejus sermones, quales fuere Mardochæus & Esther, & populus Iudæorum; quorum priores duos ad summos honores evexit, hunc verò à mortis faucibus eripuit.

Quartus: Rursus Dei cernitur gravis vindicta, quâ Amanum populi sui sævissimum persecutorem è summo dignitatis culmine dejectum infami supplicio affecit, filios ejus ignominiosâ morte mulctavit, familiam ejus funditus evertit, gentis suæ adversarios perdidit, &c.

Quintus: Discant hinc viri Principes, Aulæ purpurati insessores, quàm horrendum malum sit ambitio, cùm semel hominis animum occupaverit, quàm præceps, quàm sævum, cui ludus sit innoxiorum sanguinem fundere, propriis etiam bonis se spoliare, ut aliorum cæde furorem extinguat: deniq; quomodo hominem in corporis & animi exitium devolvat. Ostendit hoc Amani detestanda amentia, quam sacer scriptor breviter, sed nervosè depinxit.

Sextus: Suggerit hæc historia remedia, quibus utendum dum adversa fortuna capiti nostro incumbit, dum hostes nominis Christiani in nostrũ interitũ arma vibrant, imò dum ex Tartari fundo erumpunt furiæ in nostrã perniciem armatæ. Sunt hæc, pretiosarum & delicatarum vestium dejectio, sacci & cilicii assumptio, prævenire faciem Domini in confessione, plorare coram Domino, in cinere volutari, jejunio macerari, supplices Deo fieri, ut fecere Mardochæus, Esther, & Iudæi ceteri. Sic placatur Numen, sic Dei misericordiam extorquemus.

Septimus: Habent in Assuero Reges, quid caveant, quid verò imitentur: caveant sibi à nimiâ credulitate, & levitate, imitentur Assuerum in vigilantiâ volvendi annales antiquos, in fidis famulis remunerandis justitiã. Discant Principes fœminæ Vasthi quidem fugere arrogantiã, Esthera verò sectari prudentiam, humilitatem, religionem, in vestitu modestiam, pro populi sui salute zelum & amorem, ut pro ejus salute asserenda mortis discrimen non metuant.

Palatini studiosè observent, ne Amani crudelitatem & ambitum æmulentur, quin potiùs exitium ejus illos reddat cautiores: potiùs insistant Mardochæi pii & sancti Aulici vestigiis, nihil Dei cultui & honori præponant, reflante fortunâ ad ejus opem confugiant; curam sibi commissorum gerant, si parentes sint, filiorum; si tutores, vel curatores, pupillorum utilitati studeant.

Postremus: Ecclesiarum Præsides, & Rectores hinc exempla accipiant populos monendi, ut divinam iram ingruente calamitate precibus avertant: cùm vero perfuncti periculo fuerint, Dei Numen debitis celebrent laudibus. Festa in memoriam cælitus acceptorum beneficiorum institu-

ta religiosè colant, quinimo, sic re exigente, etiam nova inducant, vel suâ authoritate sanciant. Hæc modò indicasse sufficiat.

PRÆLOQVIVM IX.

Qui hujus libri expositores?

SErmo nullus hîc nobis est de iis qui hoc volumen in linguam Græcam, vel Latinam transtulerunt, sed de iis modò qui commentarios in istud scripserunt.

Ex his reperi prater Novatores, quos non memoro, Rabanum, tomo 3, qui allegoricè exponit, Glossam ordinariam & Interlinearem cum Lyrano &c. Hugonem Cardinalem, & Dionys. Carthusianum. extant & annotationes Incerti, & Haymo Halberstatensis. Item Rupertus Tuitiensis tom. 2, lib. 8, de victoria Verbi Dei, qui allegoricum sensum passim ingerit, ut etiam Hugo de S. Victore tomo. 1. Habet & Petrus Berchorius moralitates l. 19. Adde his Cajetani commentarium litteralem maximè ex Hebræo. Adfertur etiam Laurentii Cuperii expositio, quem nondum sum nactus.

Ex recentioribus copiosè scripsit Franciscus Feuardentius: ex nostrâ verò Societate plures expositiones ediderunt: ut enim omittam annotationes Emmanuelis Sa, Marianæ, Stephani Menochii, Iacobi Gordoni, & Tirini, commentaria in lucem emiserunt Nicolaus Serarius, & Gaspar Sanctius.

De somnio Mardochæi quod habetur c. 11, in Clypeo suo l. 2, c. 8 scripsit Ferdinandus de Esculante.

Subjicio hîc quædam Esthera encomia ex Sanctis Patribus, ex quibus etiam magis elucesceat ejusdem voluminis dignitas, & authoritas.

Elogia Estheræ ex Patribus Græcis & Latinis aliisque probatis Auctoribus.

Clemens Alexandrinus lib. 3 Pædagogi.

SOlam Esther invenimus justè ornatam. Mysticè ornabatur mulier Regis suo, sed ejus pulchritudo invenitur pretium, quo liberatus fuit populus, qui interficiebatur.

Idem 4 Stromatum.

RVrsus perfecta illa in fide Esther Israelem à tyrannicâ potestate liberans, & à crudelitate Satrapæ: sola mulier afflicta jejuniis restitit armatis copiis innumerabilibus, tyrannicum per fidem solvens decretum & tyrannum quidem mitigavit, Aman verò repressit & Israelem perfectâ ad Deum oratione liberavit.

S. CHRYSOSTOMVS

Homil. 3 ad Pop. Antiochenum.

FVit quædam mulier Hebræa, Esther erat ipsi nomen: hæc universum Iudæorum populum internecione delendum sic eripuit: Postquã Persarum Rex omnes passim Iudæos interimi jussit, & nullus erat, qui contra iram illius obsistere posset, pristinum vestitum exuta mulier & sacco amicta, ac cinerem substrata divinæ clementiæ supplicabat, ut secum ad Regem ingrederetur: & talia orans verba dabat: Grata fac, Domine, verba mea, & da sermonem ornatum in os meum, &c. *Esther 14. Vide eumdem hom. 10 in diversos.*

S. AMBROSIVS

Libro de Elia & Iejunio.

ESther pulchrior facta est jejunio, Dominus enim gratiam sobriæ mentis augebat. Omne genus suum, id est, totum populum Iudæorum à persecutionis acerbitate liberavit, ita ut Regem faceret sibi esse subjectum, non libidinis ardore flammatum, sed cælesti miseratione conversum; ita ut ea pœna retorqueretur in impium & honor sacris redderetur altaribus. Itaque illa, quæ triduo jejunavit & corpus suũ aqua lavit, plus placuit, & vindictam retulit; Aman autem dum se regali jactat convivio, inter ipsa vina pœnam suæ ebrietatis exsolvit. Est ergo jejunium reconciliationis sacrificium, virtutis incrementum, quod etiam feminas fecit graviores augmento gratiæ.

Idem lib. 3 Officiorum cap. 15.

QVid Esther Regina? Nonne ut populum suum periculo eriueret (quod erat decorum atque honestum) morti se obtulit, nec immitis Regis trepidavit furorem? Ipse quoq; Rex Persarum ferox, atq; tumido corde, tamen decorum judicavit, indici insidiarum, quæ sibi parata forent, gratiam repræsentare populumq; liberum à servitute eripere neci, nec parcere neci ejus qui tam indecora suasisset. Deniq; quem secundum à se, ac præcipuum inter omnes amicos haberet, cruci tradidit, quod dehonestatum se ejus fraudulentis consiliis animadvertisset. Ea enim amicitia probabilis, quæ honestatem tuetur, præferendæ sanè opibus, honoribus, potestatibus; honestas verò præferri non solet, sed honestatem sequi, &c.

Idem ad Ecclesiam Vercellensem

Epist. 82.

ESther Regem superbum suis inclinavit jejuniis, &c.

S. Hieronymus prologo in Sophoniam.

Judith & Esther in typo Ecclesiæ & occidisse adversarios & periturum Israel de periculo scimus liberasse.

Idem Epist. 103, ad Paulinum, c. 7.

Esther in Ecclesiæ typo populum liberat de periculo, & interfecto Aman, qui interpretatur iniquitas, partes convivii, & diem celebrem mittit in posteros.

Rursus Epist. ad Salvinam.

Mardochæus & Esther inter purpuram, sericum, & gemmas, superbiam humilitate vicerunt, tantique fuere meriti, ut captivi victoribus imperarent.

S. Augustinus Epist. 199, ad Ediciam.

Nempe apud Patres Esther illa Regina Deum timens, Deum colens, Deo subdita, marito Regi alienigenæ non eumdem secum colenti Deum, tamen subjecta serviebat, quæ cùm extremo periculo, non suo tantùm sed etiam gentis suæ, qui tunc erat populus Dei, Domino prosterneretur orando, in ipsa sua oratione dixit, ita sibi esse ornatum regium sicut pannum menstruatum, & ita orantem confestim exaudivit, qui cordis inspector eam verum dicere scivit. Et utique maritum habebat mulierum multarum virum, & deorum alienorum falsorumque cultorem &c.

Severus Sulpitius historiæ sacræ l. 2.

Esther Judæa ex tribu Benjamin, utroque parente orba, à Mardochæo patruele educata, cum ad regales nuptias duceretur, mandante educatore genus & patriam occultavit: admonita ne paternarum traditionum immemor, etsi in matrimonium alienigena captiva succederet, gentilium cibis participaret. Igitur juncta Regi, brevi vi pulchritudinis, totum ejus animum facilè cepit, adeo ut eam æqualem imperio veste purpurea donaret. & rursus: Esther audendum aliquid pro civibus rata, etsi certa pestis adesset, pulchro negotio occumbere parat: invocato prius Domino aulam Regis ingreditur.

S. Paulinus Nolanus natali 8 S. Felicis.

Et maledictus Aman, sanctâ prece perditus Esther.

Qui benè pœnarum versâ vice, quæ malè sanctis,
Miscuerat, solus bibit impius, & cruce justâ,
Quam populo Domini præfixerat, ipse pependit.

S. Prosper de promissionibus & prædictionibus, p. 2, c. 38.

Esther quæ à Mardochæo fuerat pro filiâ educata, dum aulam regiam Mardochæus curaret, à Deo qui exaltat humiles ad regiam perducta est dignitatem. Hæc cùm populum suum agente amico Regis Aman, causâ Mardochæi damnatum intelligeret, morti, gladiusque eorum cervicibus imminere, animam suam Esther pro populo suo ponens invocato divino auxilio, penetralia Regis ingressa est, quò mulieri non vocatæ accedere non licebat, &c. Et subdit mysticè ad Ecclesiam referens, *Sic Ecclesia sancta crucis perimit inimicos. Sic se pro suis, periculis hujusmodi opponit. Sic datis in mortem, suis laboribus, vitam conferendo ministrat, utpote Regina, quæ à suo Rege, sponso & Domino admonetur, eique dicitur: Libera eos qui ducuntur ad mortem, & redime eos qui occiduntur (Proverb. 24.) Cujus beneficiorum refugia ipsi quoque ejus appetunt inimici.*

Rupertus lib. 12 de Divinis officiis, cap. 25.

Esther pro temperantiâ ponitur, quæ repudiatâ ob arrogantiam Vasthi Reginâ, in regnum subrogatur. Nam ipsius temperantiæ hoc indicium est speciale, quòd leonem illum, de quo ipsa ad Dominum dicit: Et da mihi gratiam in conspectu leonis, *id est, Assueri Regis, in mansuetudinem convertit, ejusque edictum ex instinctu Aman intemperantissimè superbientis, & genus Judæorum perdere cupientis, in consolationem suæ stirpis transtulit, &c.*

Dionysius Carthusianus procœmio in Esther.

Sicut sol, *Ecclesiastici* 26, oriens mundo in altissimis Dei, sic mulieris bonæ species in ornamentum domus suæ. *Potest hoc verbum de sancta & speciosissima Esther convenienter exponi, cujus domus fuit Synagoga seu familia Judæorum. Itaque sicut sol claritatis suæ splendore tenebras fugat, terram fœcundat, ac totum vernalat sensibilem mundum, & reddit eum visibilem: sic electissima Esther desolatissimum populum suum è nebulis tristitiæ eripuit, suisque precibus & beneficiis exhilaravit, & de paupere fecit ditissimum, atque virtutibus suis, sapientia & doctrina ornavit, populum illum ad Creatoris amorem & cultum succendit, & ab extrema adversitate ad maximam prosperitatem perduxit.*

Et omnia ista per eam egit omnipotens, cujus sapientiæ non est finis, & cujus potentia nec terminum habet neque mensuram, qui & infirma elegit, ut per ea operetur maxima bona, quemadmodum in hujus libri historia monstratur.

RE-

REVERENDI PATRIS OLIVERII BONARTII E SOCIETATE IESV IN LIBRVM ESTHER COMMENTARIVS.

CAPVT PRIMVM.

ARGVMENTVM.

Rex Persarum Assuerus, ut demonstraret gloriam & potentiam regni sui, splendidissimum celebrat epulum, vocatis non solùm principibus suis, sed etiam toto populo Susiano; ad quod invitata Vasthi regina venire renuit: unde iratus rex convocato Sapientum concilio, & auditâ sententiâ Mamuchan, Vasthi repudiavit, decretumque ad omnes sui imperii provincias misit, quo maritos principem locum & dominium in suis familiis obtinere declaravit.

TEXTVS.

1. IN diebus Assueri, qui regnavit ab Indiâ usque Æthiopiam, super centum viginti septem provincias: 2. quando sedit in solio regni sui, Susan civitas regni ejus exordium fuit. 3. Tertio igitur anno imperii sui, fecit grande convivium cunctis principibus, & pueris suis, fortissimis Persarum, & Medorum inclytis, & præfectis provinciarum coram se, 4. ut ostenderet divitias gloriæ regni sui, ac magnitudinem, atque jactantiam potentiæ suæ, multo tempore, centum videlicet & octoginta diebus. 5. Cumque implerentur dies convivii, invitavit omnem populum, qui inventus est in Susan, à maximo usque ad minimum: & jussit septem diebus convivium præparari in vestibulo horti, & nemoris, quod regio cultu & manu consitum erat. 6. Et pendebant ex omni parte tentoria aerii coloris, & carbasini ac hyacinthini, sustentata funibus byssinis, atque purpureis, qui eburneis circulis inserti erant, & columnis marmoreis fulciebantur. Lectuli quoque aurei & argentei, super pavimentum smaragdino & pario stratum lapide, dispositi erant: quod mirâ varietate pictura decorabat. 7. Bibebant autem qui invitati erant aureis poculis, & aliis atque aliis vasis cibi inferebantur. Vinum quoque, ut magnificentiâ regiâ dignum erat, abundans, & præcipuum ponebatur. 8. Nec erat qui nolentes cogeret ad bibendum, sed sicut rex statuerat, præponens mensis singulos de principibus suis, ut sumeret unusquisque quod vellet. 9. Vasthi quoque regina fecit convivium feminarum, in palatio, ubi rex Assuerus manere consueverat. 10. Itaque die septimo, cum rex esset hilarior, & post nimiam potationem incaluisset mero, præcepit Maumam, & Bazatha, & Harbona, & Bagatha, & Abgatha, & Zethar, & Charchas, septem eunuchis, qui in conspectu ejus ministrabant, 11. ut introducerent reginam Vasthi coram rege, posito super caput ejus diademate, ut ostenderet cunctis populis & principibus pulchritudinem illius: erat enim pulchra valde. 12. Quæ renuit, & ad regis imperium, quod per eunuchos mandaverat, venire contempsit. Vnde iratus rex, & nimio furore succensus, 13. interrogavit sapientes, qui ex more regio semper ei aderant, & illorum faciebat cuncta consilio, scientium leges ac jura majorum (14. erant autem primi & proximi, Charsena, & Sethar, & Admatha, & Tharsis, & Mares, & Marsana, & Mamuchan, septem duces Persarum atque Medorum, qui videbant faciem regis, & primi post eum residere soliti erant,) 15. cui sententiæ Vasthi regina subjaceret,

quæ

quæ Assueri regis imperium, quod per eunuchos mandaverat, facere noluisset. 16. Respondítque Mamuchan audiente rege, atque principibus, Non solum regem læsit regina Vasthi, sed & omnes populos, & principes, qui sunt in cunctis provinciis regis Assueri. 17. Egredietur enim sermo reginæ ad omnes mulieres, ut contemnant viros suos, & dicant: Rex Assuerus jussit ut regina Vasthi intraret ad eum, & illa noluit. 18. Atque hoc exemplo omnes principum conjuges Persarum atque Medorum, parvipendent imperia maritorum: unde regis justa est indignatio. 19. Si tibi placet, egrediatur edictum à facie tua, & scribatur juxta legem Persarum atque Medorum, quam præteriri illicitum est, ut nequaquam ultrà Vasthi ingrediatur ad regem, sed regnum illius, altera, quæ melior est illa, accipiat. 20. Et hoc in omne (quod latissimum est) provinciarum tuarum divulgetur imperium, & cunctæ uxores tam majorum, quàm minorum, deferant maritis suis honorem. 21. Placuit consilium ejus regi, & principibus: fecitque rex juxta consilium Mamuchan, 22. & misit epistolas ad universas provincias regni sui, ut quæque gens audire & legere poterat, diversis linguis & literis, esse viros principes ac majores in domibus suis: & hoc per cunctos populos divulgari.

VERSVS I, & II.

1. *In diebus Assueri, qui regnavit ab India usque Æthiopiam, super centum viginti septem provincias.*
2. *Quando sedit in solio regni sui, Susan civitas regni ejus exordium fuit.*

Sensus textus hic clarior erit: Assuero (qui in diebus suis regnavit ab India usque Æthiopiam super 127 Provincias) quando sedit in solio regni sui, Susan civitas regni exordium fuit: id est: Assuerus omnibus imperii Persici rebus compositis, plenâque regnorum suorum acceptâ possessione, vel confirmatus in regno, Susis, regiis acceptis insignibus imperare cœpit, vel, ut omnes ferè Interpretes ex Hebræo & Chaldæo exponunt, fecit Susa regni sui metropolim. Ita Liranus, Dionys. Feuard. alii. Licèt enim ageretur jam tertius annus ejus imperii, dicitur tamen tunc perfectè regnare cœpisse cum in Susianâ metropoli vel regiâ sedem suam collocavit, fortè ibi coronâ vel diademate, sive cidari inauguratus.

Hebraicè: *Et* fuit in diebus Achasfueros. Ipse est Achasfueros, qui regnabat ab Indiâ usque Æthiopiam super septem & viginti & centum provincias. In diebus illis cum sederet rex Achasfueros super solium regni sui, quod erat in Susan Habbiras (1. regiâ vel metropoli.)

Græca duos hos priores versus conjungunt cum sequentibus hoc modo: In istis diebus quando sedit in throno rex Artaxerxes in Susis civitate, in anno tertio, convivium fecit &c.

Sic etiam Ioseph. l. 11. c. 6: Artaxerxes post susceptum imperium, & constitutos ab Indiâ usque Æthiopiam 127 Satrapas, anno regni tertio amicos & duces gentium Susis accepit epulo sumptuosissimo.

COMMENTARIVS.

1. Quid significat copula *Et*, initio librorum sacrorum?

Respondet prima.

PRæmonet hîc in capite libri quæstionem Serarius noster, cur Hebraicè & Chaldaicè liber Esther inchoetur à conjunctione copulativâ, *Et*.

Sed dicendum est, proprium Hebræis esse, ut sæpè libros suos ab hac particulâ exordiantur, idque vel ornatus gratiâ, vel quia Vau ו est nota initialis alicujus libri, orationis, vel sententiæ. Patet hoc initio librorum Exodi, Levitici, Numerorum, & aliorum. Licet etiam cum hoc verum sit, eandem particulam sæpe continuare libri alicujus initium cum fine præcedentis, ut manifestum est in Exodo, qui incipit, Veelle Semoth, & sic Hebraicè inscribitur: olim enim totus Pentateuchus solum unus liber erat, qui postea in quinque tomos, sive sectiones fuit divisus.

Respondet altera.

Nec malè respondet Serar. cum aliis, præsertim S. Gregor. homil. 2 in Ezechiel. Scriptores sacros Hebræorum, cum copulam libris suis præponunt, mente considerasse rem aliquam antecedentem, cum quâ quod scribebant, colligabant, sive id scriptum jam antè esset, sive animo tantum comprehensum: & fortè hujus libri author conjunxit quod hîc narratur cap. 1, cum somnio Mardochæi, quod est in Græco textu libri principium, & accidit anno Artaxerxis secundo, convivium verò regium anno ejusdem tertio.

In diebus Assueri. Certamen magnum est inter Chronographos & Interpretes, quis fuerit iste Assuerus, vel, ut est apud Septuaginta, Artaxerxes; sed quia accuratè eâ de controversiâ dixi Prælogio quinto, nihil necesse est hîc eadem repetere. Cùm autem, moraliter loquendo, veritas hujus rei teneri non possit, cùm multi reges Persarum nomen tulerint Assueri & Artaxerxis, & Græ-

& Græci Hiſtorici nihil attingant de iis, quæ narrantur in volumine Eſther, omnibus exactè perpenſis concluſi, probabilius ſentire eos ſcriptores, qui hunc Aſſuerum & Artaxerxem ponunt vel Darium Hyſtaſpis, vel Artaxerxem Longimanum, vel Memorem.

2. Nomen Aſſueri & Artaxerxis commune Perſarum Regibus.

Tantum obſerva, duo illa nomina, Aſſuerus & Artaxerxes, fuiſſe fere communia regum Medorum & Perſarum, ſicut nomen Pharaonis, & poſterioribus ſæculis Ptolomæi apud Agyptios, Cæſaris vel Auguſti apud Romanos, regibus & Imperatoribus, adſcribebantur: Sic Cambyſes Cyri filius vocatur Aſſuerus 1. Eſdræ 4, ℣. 6. & ℣. 7. idem vocatur Artaxerxes. Daniel 9. ℣. 1. Aſtyages avus maternus Cyri, & pater Darii Medi etiam agnominatur Aſſuerus, ita & maritus reginæ Eſther hîc dicitur Aſſuerus aliàs Artaxerxes.

3. Quid nomen illud ſignificet.

Obſerva 2. Achaſſueros, quod interpres Latinus dixit Aſſuerus, nomen eſſe Hebraicum, vel potius Chaldaicum, dicitur enim ab אחש Achas, id eſt, magnus, & ורש Veros. i. & caput, q. d. magnus princeps, dux, ſive eximius capitaneus. Idem iiſdem fere conſonantibus, mutatis tantum vocalibus, dicitur Græcè Oxyares, id eſt, acer Mars, & Perſicè Xerxes. i. bellator; Artaxerxes, quod authore Herodoto lib. 6, ſignificat Magnum bellatorem, ſive virum Martium. Ammianus Marcellinus lib. 19 interpretatur Bellorum victorem: unde quorundam peritorum linguarum orientalium judicio, hæc omnia vocabula eadem ferè ſunt, Oxyares, Ochoxerxes, Xerxes, Aſſuerus, Axurxes, Artaxerxes, vel ut dicuntur Perſæ efferre, & in multis ſcribuntur libris, Sexres, Artaſexres, vel Artaxata.

Qui regnavit ab Indiâ uſque Æthiopiam.

Apud ſeptuaginta abeſt *ab Uſque Æthiopiam*, quod tamen habent Hebræa. Itaque terminus imperii Aſſueri Orientalis erat India, Occidentalis autem Æthiopia.

Sanctius hîc rectè exiſtimat hæc non eſſe dicta hyperbolicè ſicut illa cap. 12, verſ. 2, ubi dicit Aſſuerus: *cùm univerſum orbem meæ ditioni ſubjugaſſem*, nam veriſimile eſt tam latè extenſum fuiſſe Perſarum imperium.

Hinc quidam colligunt hunc Aſſuerum fuiſſe Darium Hyſtaſpis, ut Iacobus Tirin. & alii, quia quod hîc Scriptura tribuit Aſſuero, ſcilicet, regnaſſe ipſum ſuper 127 provincias, hoc idem aſſerit lib. 3 Eſdræ, cap. 3, verſ. 1, & 2, de Dario. Deinde ſoli Dario Hyſtaſpis ab Herodoto lib. 4, & 7. adſcribitur, quod Indos ſubegerit. Adde eundem magnificis ædificiis Suſa amplificaſſe.

Qui autem hunc Aſſuerum eſſe Artaxerxem Ochum volunt, ut Gordon. & Serar. ſub quo Ægyptus defecerat, vicina Æthiophiæ, ajunt eum adhuc jus in eam tenuiſſe, & à ſuis vocatum Ægypti Dominum, ſicut hodieque Rex Catholicus dicitur, & eſt Hollandiæ Comes & Dominus, quamvis ejus imperium detrectet, & Rex Galliæ ſibi retinet titulum Regis Navarræ & Rex Angliæ appellat ſe Regem Franciæ, &c.

Super centum viginti ſeptem provincias.

His verbis amplitudo Imperii Aſſueri Regis deſcribitur. Provinciæ autem dicuntur Hebraicè Medinah מדינה vel Medinoth מדינות à radice Dun דין id eſt, à judicando, quod in iis varia eſſent tribunalia, & judices, ad quos iſtarum Regionum cauſæ deferebantur.

Aliqui putant Medinas vocari civitates Metropoles quæ populos & oppida ſubjecta habeant, quibus jus dicunt ut ſint illæ quaſi orbium præcipuarum ditiones, municipia vel territoria.

Nota regnum Perſarum in Præfecturas, Provincias vel Satrapias diſtributum fuiſſe, quarum Præfecti Satrapę vocabantur, ut Herodotus lib. 1, & 3. Iſocrat. in Panegyrico. Plutarchus in Themiſtocle: & patet hîc Eſther 8, ℣. 9, ubi vocantur principes, Procuratores & Iudices qui 127 Provinciis ab Indiâ uſque ad Æthiopiam præſidebant, de quibus legendus Briſſonius lib. 1 de Regio Perſarum principatu.

Porrò numerus Satràparum, Prætorum vel Præfectorum & Satrapiarum vel Provinciarum varius fuit, pro Regum arbitrio. Darius Medus, teſte Ioſepho lib. 10. Antiquit. cap. 12. conſtituit 360. Daniel tamen cap. 6, ℣. 1, ſolùm numerat 120, his verbis: *Placuit Dario & conſtituit ſuper regnũ Satrapas centum viginti, ut eſſent in toto regno ſuo, & ſuper eos principes tres ex quibus Daniel unus erat.* Darius Hyſtaſpis conſtituit 127, ut Ioſephus lib. 11 Antiquit. cap. 4, ubi ſic ſcribit: *Primo ſui regni anno Darius ſplendido ac magnifico apparatu excepit tam domeſticos ſuos quàm Medorum ac Perſarum Satrapas, Provinciarumque Præſides ab Indis uſque ad Æthiopas, & Præfectos copiis per 127 Satrapias.* eadem habentur 3 Eſdræ cap. 4. hunc numerum ab Artaxerxe vel Aſſuero noſtro ſervatum hîc habemus, & etiam apud Ioſephum ſupra cap. 6. Parthi poſtea illas Satrapias in octodecim regna diviſerunt, ut ſcribit Plinius lib. 6, cap. 13, & cap. 25. vide Briſſonium ſuprà, ubi etiam agit de officio Satraparum. Cur verò Reges Perſarum Præfecturas vel Satrapias, hi quidem ad pauciores contraxerint, alii verò in plures diviſerint, rationes adfert hîc Serarius quæſt. 4.

Quando ſedit in ſolio regni ſui.

Cùm ſcilicet omnibus Imperii ſui negotiis compoſitis plenam Imperii ſui poſſeſſionem accepiſſet, vel inauguratus eſſet confirmatuſque in regno.

Docet Salian. tomo 5, anno 3590, Artaxerxem Longimanum duobus annis fuiſſe occupatum in regni ſui ſtatu componendo, conſtituendis ſatrapis, defectionibus ſuorum comprimendis. vide illum n. 16.

Suſan civitas regni ejus exordium fuit.

Conſtituit Suſa civitatem exordium & initium, unde inciperet ſuam Monarchiam & omnibus regnis ſuis dominaretur. Græca ſolùm habent, quando ſedit in throno Rex Artaxerxes in Suſis civitate. Hebræa autem: in diebus illis cum ſederet Rex Aſſuerus ſuper ſolium regni ſui, quod erat in Suſan Habbirah.

Difficultas hîc magna eſt, quid tandem ſignificet vox illa Hebræa Habbirah, quam S. Hieron. hoc in libro aliquando transfert Civitatem, ut hîc, & ſæpe aliàs, aliquando verò omittit, ut hoc cap. ℣. 5, & alibi, cùm tamen Hebraicè paſſim addatur, in Suſan Habbirah הבירה aliquando idem interpretatur Caſtrum, ut Nehemiæ 1, ℣. 1. *Ego*

eram in Susis Castro : ubi Hebraicè est Habbirah. Rursus Danielis cap. 8, ℣. 2, vertit Castrum. *Cum essem in Susis Castro.*

Quidam hanc vocem videntur accepisse pro nomine proprio Palatii aut Regiæ Persarum. sic intellexit Benjaminus in suo Itinerario : pag. 78, ubi ita scribit : *Inde quatuor milliaribus Chuzelan distat, Elam olim dicta, Elamitarum patria, maxima urbs, verùm magna sui parte jam excisa, vasta & inhabitata, inter cujus ruinas Susan Habbirah adhuc spectatur, Assueri Regis palatium maximum, pulcherrimo opere constructum multis adhuc manentibus regii admirandique ædificii partibus & artis exemplis.* Hæc ibi.

Septuaginta Nehemiæ 1, ℣. 1, ubi nos habemus *Castro*, vocem Hebraicam retinuerunt : item ibid. cap. 7, ℣. 2.

Hebraizantes ajunt Birah בירה significare arcem, Basilicam, Regiam, Castrum : quare etiam non civitatem ? cùm Græca hîc passim habeant πόλιν, & Latina eodem modo vertant, & Iosephus lib. 11, cap. 5. vocet Susa μητρόπολιν τῆς περσῶν, Metropolin Persarum : quomodo & hic passim Interpretes vocem illam Birah exponunt.

Mariana hic ait Birah בירה significare palatium & Susa hoc nomine vocata ab elegantiâ, quòd urbs universa instar palatii esset.

Notat Cornelius noster in Danielis 8, ℣. 2, ex S. Hier. Susa urbem maximam vocari ibi & alibi Castrum, quia undique validissimis mœnibus & turribus instar arcis & Castri erat munita. quod & ego probo potiùs, quàm illud quod ipse adjicit ex Antonio Fernandio, Tractatu de visionibus veteris Testamenti, visione 25, tempore Danielis Susa tantùm fuisse castrum, sed postea adeò amplificatas esse res Susianorum, ut Susan fuerit Metropolis Persiæ. Quamvis enim concedi possit tempore Danielis ita fuisse, cùm sciamus postea Susa à Dario Hystaspis plurimis splendidissimis turribus & ædificiis ornata; quid tamen dicemus de temporibus Nehemiæ, qui multis annis Daniele posterior vixit sub Artaxerxe Longimano, ut omnes fere Patres docent, fuitque ejus Pincerna, & tamen fatetur in suo libro cap. 1, ℣. 1, se fuisse in Susis Castro ?

5. Susa & urbs & arx.

Vnde quidam putant duplicia fuisse Susa; nempe Civitatem, & ἀκρόπολιν, sive arcem ejusdem & utraque eodem nomine appellata: quod valde credibile est. Ita enim passim videmus arces primum & castella ædificata, & postea populo aucto eis conjunctas urbes. Sic ergo Nehemias rectè dixisse potuit, se fuisse in Susis Castro, in quo videlicet erat palatium Artaxerxis, cui ipse à poculis erat minister, cum interim metropolis Persidis, in qua arx vel palatium Regis erat eodem nomine appellaretur.

Major etiam difficultas est in textu nostro, quo videlicet respexerit S. Hieron. cum vertit, *Susan Civitas Regni ejus exordium fuit.* Huic enim voci *Exordium* nihil in textu Hebræo vel Græco respondet. Miror verò nullum prorsus Interpretem, quod sciam, hoc dubium attigisse. Sunt quidem qui dicant τὸ *Exordium* significare metropolin; sed hæc vocatur Habbirah, & redditur Græcè quidem πόλις à Septuaginta, & à S. Hieron. in Latino hic passim *Civitas.*

6. Quid *Exordium* hic significet?

Duo mihi occurrunt, quæ respondeam. Primum : Sanctum Hieron. aliter legisse in Hebræo, quam modò habemus. Alterum in voce Birah בירה aliquam occultam latere notionem, quam per τὸ *Exordium* exprimere voluit. quod apertius erit, si per *Exordium* accipiamus id, quod principatum in aliqua re obtinet, q. d. *Susan Civitas fuit Regni Assueri caput*, vel primum locũ tenuit inter regni oppida; quod idẽ est quod metropolis & quod Birah propriè significat. Ita accipitur in Scriptura Hebraicum Reschith ראשית & Græcum ἀρχὴ & Latinum principium & initium. Licet autem in illâ significatione non legerim alibi accipi *Exordium*, nihil tamen vetat, quin hoc loco ita intelligatur. Sic quidem principium capitur Psal. 109, ℣. 3. *Tecum principium in die virtutis tuæ.* Græcè ἀρχὴ, id est, principatus : quam vocem etiam in eodem sensu Latini autores usurpant. Ita etiam τὸ Initium accipi probavi in Ecclesiastico, tum cap. 1, ℣. 16. *Initium sapientiæ timor Domini* : tum clariùs cap. 11, ℣. 3, *Initium dulcoris habet fructus illius* : id est, mel obtinet principatum inter dulcia. Ita 1 Reg. 15, ℣. 12. *Saul asserebat sacrificium Deo de Initiis prædarum*, id est, melioribus & præcipuis. Ezechielis 20, ℣. 40, *Initium decimarum* vocat lectissimas decimas. Exordium sic accipi tenet mecum Estius lib. de locis Scripturæ difficilioribus, & Salianus Tomo 5, anno 3592. num. 3, cum ait : *prius quidem regnare cœperat Assuerus; tertius enim regni illius annus agebatur, ut mox dicitur, sed ultimum quasi complementum acceptæ possessionis, fuit sedere Susis urbe metropoli in solio primario regni sui. Exordium enim hic pro prima Civitate ponitur.* Ita ipse.

Susan regni ejus exordium fuit.

7. *Susa* metropolis Persidis.

Nota 1. Susan fuisse caput Provinciæ Susianæ, quam post subactos Babylonios Persarum Reges elegerunt pro suâ regiâ; nec hoc sine ratione, quia Susa locata erant in finibus Assyriæ, Babyloniæ, Persidis, Mediæ, ut constat ex Strabone lib. 15. unde multò erat hæc Civitas commodior ad tutandas hasce Provincias Persepoli, antiquâ Regum Persarum Aulâ, in quâ tamen, quia tutior erat, utpote remotior ab aliis gentibus, regia gaza asservabatur, teste Strabone suprà : licet Curtius lib. 5, Thesaurorum apothecam ponat Pasargadam, & historici passim faciant Persepolin Regni Persici caput, ut Plin. l. 6, cap. 26. Iustin. lib. 11. Curtius l. 4. Diodor. l. 16.

8. Reges *Persidis* pro varietate anni sedem mutabant.

Nota tamen 2. Persarum Reges certo loco continuas sedes non habuisse, sed eas statis temporum vicibus mutasse, alibi æstate, alibi hyeme commorantes, ut Xenophon scribit lib. 8 Pœdias : unde Cyrus, inquit, hyeme 7 mensibus morabatur Babylone, quod tepida esset regio, vere, 3 mensibus Susis, æstate menses 2 Ecbatanis, sicque veris perpetua temperie fruebatur. quod institutum reliqui Reges tenuerunt.

9. Susa dicta à lilio.

Nota 3. Susa Civitatem fuisse amœnissimam ad fluvium Choaspem, dictam à liliorum floriditate & copia, ut habet magnum Etymologicum, Atheneus lib. 12. Eustathius in Dionys. de situ orbis 5. Est autem vox Hebræa, Chaldæa, Persica & Phœnicia.

Nam apud illos orientales populos Susan & Susanna dicitur lilium à radice שש Ses, .i. Sex; est enim lilium Hexaphyllũ, .i. Sex-folium. Sic Florentia

urbs

urbs Italiæ nomen duxit à floribus, & Rhodus ἀπὸ τῶ ῥόδων, à rosis nominata creditur, vel quia ut quidam ajunt, habet insula illa speciem rosæ. Quin verò Latinis dicitur unguentum Susinum, cujus præcipua materia est de liliis, ut testatur Hesychius in voce Susinum, & Plin. lib. 13, cap. 1. Titulus Psal. 44. *Pro illis qui commutabuntur*, est, Hebraicè, pro Sosannim שושנים quod S. Hieron. Aquila, Symmachus vertunt, pro liliis. Stephanus tamen in Catalogo urbium, ait Susa dicta à copiâ fontium, qui Persicè dicuntur Susin.

10. Quis Susorum conditor.

Ceterum Plinius lib. 6, cap. 27. scribit Susa condita à Dario Hystaspis, quod intellige cum Æliano lib. de Histor. Animalium 13, cap. 18, & 59, mirificè ab illo aucta magnificis & regiis ædificiis: unde Cassiodor. lib. 7 Variarum Epist. 15. & alii referunt Memnonem Tithoni filium Susa illigatis auro lapidibus exstruxisse. Ajunt

Regia Cyri.

hâc in urbe nobilem illam fuisse Cyri regiam candido varioque marmore magnâque gemmarum copiâ exornatam: cæli in lacunaribus habentem simulacrum stellis micantibus insignitam. Plura de Susis & Susiana Regione vide apud Ptolomæum lib. 6, cap. 3. Putant aliqui hodie Susa nominari Tauris & Magni Sophi Persarum Imperatoris adhuc regiam esse. Vide etiam Pererium lib. 9 Commentar. in Danielem, cap. 8, ℣. 2. Quia verò Commentaria nostra, ut initiò insinuavi, non solùm sacræ Scripturæ expositoribus, sed multò etiam magis divini verbi concionatoribus, & lectoribus, qui animos suos piis institutis erudire student, scribimus, hîc tradere Allegorica & Tropologica monita incipiemus.

Excvrsvs Moralis.

Susan Regni ejus exordium fuit.

Castitas exordium & caput regni Christi.

SVsan sive Susanna linguâ Persicâ, & aliis Orientalibus, ut dictum est, lilium vocatur: unde exiguo flexu Hispanis dicitur Azuzena. lilium autem in litteris sacris esse Castitatis symbolum nemo ignorat. Consulat lector Interpretes in Cantici 2, 16. *Qui pascitur inter lilia*; & ea quæ notavimus Commentariis in Ecclesiasticum cap. 39, ℣. 19.

Iam dicimus Castitatem liliatam & Susinam lilio significatam, esse exordium regni Assueri, Christi videlicet, Regum maximi, per quam virtutem in animis nostris regnare incipit, quæ principium est Christianæ perfectionis, Alphabetum hominis ad culmen sanctitatis contendentis.

11. *Castitas Alphabetum Christianæ perfectionis, & fundamentum.*

Recte Cassian. lib. 1, cap. 16, de Institutis Cœnobiorum: *Illud est*, inquit, *cunctorum luctaminum velut quoddam solidissimum fundamentum, ut primitus carnalium desideriorum incentiva perimantur. Nam nullus carne propriâ non devictâ legitimè decertare poterit. & qui legitimè non decertat, sine dubio nec in agone conflixerit, nec coronæ gloriam, nec victoriæ gratiam poterit promereri.* Idem cap. 17, exponens verba Apostoli prioris ad Cor. 9, *Castigo corpus meum, & servituti subjicio &c. Vides*, inquit, *ut in semetipso, id est, in carne suâ colluctationum summam velut in basi quadam firmissimâ statuerit, & proventum pugnæ in solâ castigatione carnis, & in subjectione sui corporis collocarit.* Hæc ille: est ergo corporis integritas, quæ ejus maceratione & edomatione acquiritur, hominis Christiani Alphabetum, per quam Christus in nobis triumphat, nostræ perfectionis exordium. sicut enim virtutum fundamentum & initium in suo genere est fides & humilitas, ut docent Theologi; ita & continentia.

S. Hieron. lib. 1. contra Iovinian. *Omnes virtutes spiritus quasi solidissimum fundamentum, & sublime culmen continentia sustentat, & protegit.* Eleganter & aptè ad nostrum propositum. siquidem sustentat ut basis, exordium videlicet vitæ perfectæ, & tamen eadem, ut tectum & fastigium perfectionis protegit.

S. Ambrosius Oratione funebri in Satyrum fratrem: *Iure*, inquit, *dixerim castitatem virtutum parentem, ubi castitas, ibi modestia, temperantia, pietas, sapientia.* unde S. Iacobus cap. 3, ℣. 17, ait: *Quæ de sursum est sapientia, primùm quidem pudica est*, Græcè ἁγνὴ, id est pura, casta, Christo Agno incontaminato familiaris, ut Agnes vel Hagnes Virgo.

12. Sapientia comes Castitatis.

Sapientia enim & castitas sibi arctissimo necessitudinis vinculo conjunguntur, & amicè conjurant. siquidem pudicus animus instar speculi benè tersi plenius & illustrius divinæ sapientiæ lumine irradiatur.

Deinde Salomon Proverb. 22, ℣. 11, inquit: *Qui diligit cordis munditiam, propter gratiam labiorum suorum, habebit amicum regem*: Regem utique cæli, qui illi desponsabit primogenitam filiam suam sapientiam. Clarius hoc exprimunt septuaginta, dum ita hæc efferunt: *diligit Deus casta corda, & accepti sunt ei omnes immaculati.* Ostendunt hoc plura, viris piis è cælo oblata visa, ut S. Nazianzeno Athenis philosophiæ operam danti; (ut refert Aldhelmus lib. de Virginitate cap. 13, & alii) ut B. Laurentio Iustiniano, Henrico Susoni & aliis. vide quæ dicta sunt à nobis in Ecclesiasticum cap. 51, ℣. 18. & cap. 14, ℣. 27. Illa synoride & quasi jugo stipatus fuit B. Ioannes Euangelista, *cui Christus Virginem Matrem Virgini commendavit, qui fluenta Euangelii de ipso fonte dominici pectoris potavit*; quem S. Ioan. Damascen. Oratione de Transfiguratione nominat θεολογίας παρθένιον καὶ καθαρώτατον ὄργανον, *Virgineum & purissimum Theologiæ organum.* Lege S. Petrum Damiani serm. de eodem Euangelistâ. Sapientiæ 6, ℣. 10. *Incorruptio facit esse proximum Deo*, id est puritas secundum animam & corpus, sive virginitas, ut ibi exponit S. Bovavent.

Hoc ipsum indicat Psalmodus Regius, qui volens nos ad vitam beatam æternamq; gloriam instituere, ita recinit Psal. 2, 12. *Apprehendite disciplinam*: Septuaginta habent παιδείαν. Est autè παιδεία propriè institutio puerilis, quæ fit verbis, & subinde, ubi necesse fuerit, etiam verberibus. quænam verò hæc est, nisi puritas mentis & corporis, Alphabetum pueri Christiani, quæ comparatur frequenti divini verbi meditatione, & etiam corporis castigatione, ut eam sibi peperit Apostolus? Nequis autem dubitet Davidem de hâc loqui; reddit illa verba ex Hebræo S. Hieronymus, *Adorate puræ*; alii, *Adorate puritatem*; quidam *Instruite vos puritate cordis.* vide Genebrardum in illum locum.

13. *Castitas etiam fastigium perfectionis Christianæ.*

Ceterùm non solum Continentia est rudimentum, vel Pædia elementaris vitæ Christianæ, sive initium perfectionis, sed etiam virtutum fastigium.

gium. sic enim hic diximus accipi exordium pro eo, quod summum, præcipuum, & caput est in quaque re: unde sicut Susan regni Assueri fuit regia; ita castitas, virtus vere regia est, virtutum metropolis, Regis cælestis Augustale.

Hinc est, quod S. Cyprian. lib. de habitu virginum; virgines vocet *illustriorem portionem gregis Christi*. S. Ephrærem tom. 1, in Encomio Castitatis, *O castitatis currus spiritualis, possessorem suum in sublime evehens!* Alludere videtur ad Eliam Vatem castissimum, curru igneo & Angelorum ministerio raptum in cælum.

Apocalyps. 14: Casti sequuntur Agnum quocumque ierit. de quo audiendus S. Augustinus lib. de virginitate, cap. 27.

Gaudia propria Virginis Christi non sunt eadem non virginum, quamvis Christi: nam sunt aliis alia, sed nullis talia. Quid est enim sequi nisi imitari? sequuntur etiam Agnum cæteri fideles, qui virginitatem corporis amiserunt, non quocumque ille ierit, sed quocumque ipsi potuerint: possunt autem ubique, præterquam ubi in decore virginitatis incedit.

Hi Canticum modulantur novum, mirabile, & inauditum, quod frustra cæteri cælites, aut discere velint, aut dicere, cum tantum cygneo & virgineo gutture resonet.

14. Casti cur lilia? Hi lilia sunt, & inter lilia cum Agno & apibus pascuntur.

Hi forte lilium in cælis pro insigni præferunt; elegantiùs & aptiùs quàm Galliarum Reges, qui delapsis è cælo liliis gloriantur, cùm ante in clypeis rubetas gestarent: (Vide Lorinum in Explicatione Tituli Psalmi 44, ubi pluscula de Lilio.) Rectiùs etiam quàm alii Reges, qui sceptrum liliatum, vel liliis coronatum ferunt, & in coronarum apicibus lilia. sequuntur enim vexillum Christi, qui Cant. 2, ℣. 1, dicitur *Lilium convallium, & pascitur inter lilia*: ibid. ℣. 16.

His in Psalmo nuptiali vel sacro hymenæo accinit Præcentor David, in Titulo Psalmi 44, ut legit S. Chrysost. τῷ νικοποιῷ ὑπὲρ τῶν κρίνων: *Victoriæ præsidi vel effectori propter lilia, vel pro liliis*: ubi nos legimus: *pro iis qui commutabuntur*: illis nimirum qui ex hominibus commutantur in Angelos (quorum, teste S. Hilario in Matthæum, præcipuum Hieroglyphicum est Lilium.) Transeunt, inquam, ab hyeme vitæ mortalis ad ver æternum, ubi florent non *Brevia Lilia*, sed immarcessibilia, ubi Victori Christo pæana ut Epinicium canunt.

15. Radix lilii cordis effigiem refert. Ajunt radicem lilii cordis referre effigiem, quo indicatur niveum, & lacteum castitatis colorem è corde mundo debere procedere, quo, inquam, corde Deus videtur.

Virginitatem Græci dixerunt παρθενίαν, eâ de causâ, ut quidam putant, quod per eam πρὸς θεὸν, proxime ad Deum accedamus, juxta illud quod supra ex Salomone attulimus: *Incorruptio proximum facit esse Deo.*

16. Lilium flos Regius. Nec hoc à scopo nostro alienum est, quod lilium Græcè κρίνον vel λείριον, Regius flos & sit & dicatur, non tam, inquit, Pierius lib. 55 Hieroglyphicôn, quod à Junone Regina denominationem sumpserit (unde & flos Junonius audit, nempe, ut Poetæ fabulantur, ex ejus lacte in terram decidio progenitum) quam à Regia, quâ præstat, celsitudine. tantâ enim proceritate super alios flores caput effert, ut ad trix interdum cubita erigatur. hinc flos ingratus Veneri, acceptus vero Nymphis Virginibus: sic Propertius de Tarpeja:

Sæpe tulit blandis argentea lilia Nymphis.

17. Lilium flos divinus & cælestis. Adde lilium etiam Dei vocari florem, nedum Regum. cùm de eo scribatur 4 Esdræ 5, ℣. 24, *Omnipotens ex omnibus floribus orbis unum sibi lilium delegit.*

An non regia virtus Castitas? non tantùm quòd in Rege Christo & Reginâ ejus Matre eximia fuit, vel in multis aliis Reginis, quæ post eam Regi adducuntur, enituit; sed quia Reges, Reginas, imò Angelos & Angelis superiores facit, dum carnis delicias vel spinas potius comprimunt, & ex illis glorioso certamine emergunt.

Præclarè Petrus Chrysologus sermone 143: *In carne præter carnem vivere non terrena vita est, sed cælestis; & si vultis scire, Angelicam gloriam acquirere majus est, quam habere; esse Angelum, felicitatis est, virginem esse, virtutis.*

Meritò itaque S. Bernardus virtutem illam in castis animis divinæ potentiæ adscribit: sic habet sermone 48 in Cantica, illa verba sacri Epithalamii cap. 22, 2, explicans. *Sicut lilium inter spinas sic amica mea inter filias. O candens*, inquit, *lilium! ô tener & delicate flos! incredule & subversores sunt tecum: vide quomodo ambules inter spinas: plenus est mundus spinis, in terra sunt, in aëre sunt, in carne tua sunt. versari in his & minimè lædi divinæ potentiæ est, non virtutis tuæ.*

Plura de lilio castitatis lector inveniet apud Auctorem Tractatus de passione Domini super illa Christi verba: *Ego sum vitis vera*: inter opera S. Bernardi à cap. 18, usque ad 32. Illius verò scriptorem non esse Bernardum stilus ipse declarat. Encomium castitatis vide apud Cassian. lib. 6 de Institutis Cœnobiorum, cap. 15, & 16, & 19; ubi ostendit Apostolum vocare eam, sanctificationem, sanctimoniam & honorem ad Thessalonic. 1, cap. 4, ad Hebræos 12. Addere potuit 2 ad Corinth. 7.

Allegoria Prima.

Susan Regni ejus exordium fuit.

Virgo Mater ob eximiam puritatem meritò Susan.

18. S. Maria ob puritatem Susan. SI lectissima illa Heroina Babylone ob continentiam conjugalem jure suo Susannæ, id est, lilii nomine & honore decorata fuit; quis neget decus illud potiùs deberi illi, quæ Virginitatis vexillum prima in terris erexit; cujus *Venter vallatus liliis*, Canticorum 7, vers. 2, Regni Christi exordium fuit; exinde enim *regnavit in domo Jacob in æternum & regni ejus non erit finis.*

Similitudinem filii Dei Matri Virgini bellè convenire alibi demonstravi, scribens in Ecclesiastici cap. 39, ℣. 19. & de eodem argumento Lectori multa suppeditant Maximilian. Sandæus, in flore Mystico, oratione 1. & Delrio oratione 1 inter florida Mariana. paucula solùm hîc addo, quæ jam occurrunt.

19. Perpetuata Dei Matris virginitatem triplex. Lilium sive Susan Dei Matrem fuisse ob integrum omni tempore servatum pudicitiæ florem, ostendit olim B. Ægidius, unus è primis S. Francisci

enatum è terra lilium miraculo ostendit.

cisci Seraphici sodalibus, apud Sur. Tomo 4, April. 23, vitæ ejus cap. 12. Venit aliquando ad Ægidium quidam ex ordine Prædicatorum Theologiæ Doctor, qui multis annis graviter vexatus fuerat hæsitatione quadam circa perpetuam Dei Matris virginitatem: videbatur enim ei fieri non posse, ut Maternitas cum Virginitate consisteret: quia tamen Catholicus erat, cupiebat ab aliquo viro divinitus illustrato circa hanc molestam, quam invictus patiebatur, dubitationem plenùs doceri. adiit ergo B. Ægidium, quem audiverat à Deo mirificè illuminatum, ut hâc fluctuatione eum eximeret. Cùm autem in viâ esset, Ægidius & adventum ejus & tentationem spiritu cognovit, procedensque ei obviam statim baculo terram percussit & ait: frater Prædicator: S. Maria Virgo est ante partum: móxque ibi exortum est elegantissimum Lilium: iterum humum cædens, frater Prædicator, inquit, S. Maria, Virgo est in partu, & confestim alterum erupit Lilium. Tertiò solum feriens, frater Prædicator, inquit, S. Maria, Virgo est post partum; simulque tertium enatum est Lilium. fugit verò statim Ægidius, & Doctor ille molestiâ omni liberatus est.

Scitum est Dei Matrem Lilio componi in Cantico Salomonis cap. 2. ℣. 2: *Sicut lilium inter spinas sic anima mea inter filias.*

20. *Dei Mater lilium quia immunis à peccato.*

Primò quidem, quia à spinâ peccati, puritate nitebat. Ita intellexit S. Petrus Damiani sermon. 3. de nativitate Virginis: *De spinosâ*, inquit, *progenie Judæorum nata, candescebat munditiâ virgineæ castitatis in corpore, flammescebat autem ardore geminæ caritatis in mente, fragrabat passim odore bonis operis, tendebat ad sublimia intentione continuâ cordis.*

S. Bernard. serm. in Nativitate ejusdem, de Aquæ ductu, sub finem, alludens ad illud Cantici: *Qui pascitur inter lilia: Curemus*, inquit, *habere lilia, exstirpare spinas & tribulos & inserere lilia festinemus: si quando forte & ad nos pascendos dignetur dilectus descendere, apud Mariam utique pascebatur, idque copiosius pro multitudine liliorum. An non lilia virginitatis decus, humilitatis insigne, supereminentia caritatis? erunt tamen & nobis lilia, quamvis inferiora valde, sed nec inter hæc quidem dedignabitur pasci sponsus.*

21. 2. *Quia suâ formâ repressit in aliis libidinem.*

Deinde, cum aliæ mulieres formâ suâ elegantiore intuentes se ut spinæ pungant, & frequenter etiam cruentent, Deimater, instar lilii compti & comoti, suâ specie exuberantissima neminem læsit, pupugit neminem. Ita explicat Carthusianus, artic. 8. in Cant. cap. 2. *Quamvis*, inquit, *multæ fuerint virgines sanctæ, tamen respectu Virginis beatissimæ, quasi spinæ fuisse videntur in quantum aliquid culpæ habebant: & quamvis in se fuerint mundæ, non tamen fuit in eis fomes extinctus: fuerunt & aliæ spinæ, quas ex earum intuitu concupiscentiâ pungebantur, porrò Deipara virgo ab omni culpâ fuit prorsus immunis, fuit fomes in ea plenè extinctus, & tam intensâ castitate erat repleta, quòd intuentium corda sic penetravit suâ inæstimabili castitate virginâ, quòd à nullo potuit concupisci, imò extinxit ad horum illorum libidinem.*

Quod autem ibi docet Dionys. Dei Matrem suo aspectu in aliis fœdas cogitationes repressisse, & castas inseruisse, plures restantur Theologi & in primis S. Thom. in 4. d. 3. q. 1. art. 2. Alensis, Bonavent. Gabriel & alii plures: & colligitur ex S. Ambros. lib. de Institutione Virginis, cap. 7. *Tanta*, inquit, *erat Mariæ gratia, ut non solum in se virginitatis gratiam servaret sed etiam his, quos inviseret, integritatis insigne conferret.*

Visitavit Joannem Baptistam, nec immersto marsit integer corpore, quem tribus mensibus oleo quodam suæ præsentiæ & integritatis unguento exercuit.

Quamvis autem hoc aliqui tribuant ejus honestati, modestiæ, sanctitati, corporis etiam macerationi &c. ad hæc omnia tamen accessisse singulare Dei donum non est dubitandum.

Non talis est species aliarum mulierum, de qua dicitur Ecclesiastici cap. 9, ℣. 9, *Propter speciem mulieris multi perierunt: & ex hoc* (ex conspectâ mulieris formâ) *concupiscentia quasi ignis exardescit.* Acute dixit S. Petrus Chrysologus serm. 79, *mulier est titulus sepulcri*: nempe quòd ad instar Epitaphii sepulcralis multorum virorum & juvenum ruinas mortesque repræsentet. Sed de his alias. 22. Mulier tutius sepulcralis.

Mirum etiam est, quod de Virgine Petrus Galatinus scribit lib. 7, de arcanis Catholicæ veritatis, cap. 5. *Tam singularis fuit Virginis pudor, ut si quid forte illicitum occurreret, prius quam objectum haurirent oculi aureſque, præcluderentur, itaque factum, ut nihil unquam, quod honestati repugnaret, sensus perceperint.* 23. Dei Mater nihil turpe vel vidit, vel audivit.

Nec hîc omittendum, quod Phytographi, qui de virtute herbarum scribunt, tradiderunt, lilii folia & radicem præstantissimum esse alexipharmacum contra serpentum virus. Ita Dioscorides, Andreas Matthiolus, & alii. Accipe verba Plinii lib. 21, c. 19. *Radices*, inquit, *lilii multis modis florem suum nobilitaverunt contra serpentum ictus ex vino & contra fungorum venena.* Addit Dioscor. lib. 3, cap. 9, folia cocta in aqua ignis adustionibus & cum aceto condita vulneribus mederi. 24. Lilium antidotum contra virus serpentum.

Ex hoc documentum sumo, non solùm virginem Mariam ab ictu vetemosi serpentis fuisse præservatam, sed etiam ejusdem merita & intercessionem nobis contra omnes antiqui draconis morsus & virus esse antidotum singulare, quod jam edisserere aggredior.

Allegoria Secunda.

Susan regni ejus exordium fuit.

Virgo Mater argenteis incincta liliis, Christianis arx, & præsidium contra fœdæ libidinis insultus.

25. S. Maria præsidium contra libidinis insultus.

Diximus Susan fuisse arcem simul, & civitatem amœnissimam, & munitissimam Assueri Regis: nunc verò addimus Virginem nostram liligeram, & verè Susannam, asylum simul & præsidium omnibus quidem Christianis constitutam, maxime tamen castitatis studiosis, & virginibus ad eam, cum carnis certamina insurgunt, confugientibus.

Ipsa lilium est, cujus folia, & radix contra serpentum Tartareorum ictus, & libidinis ignes sunt amuletum, & apotroparum.

26. Item Platanus.

Ipsa platanus est, ut ostendi Eccles. 24, ℣. 19, cujus umbra jucundissima, & latissime exporrecta, cujus etiam folia scutorum speciem referunt.

Igneis vos telis impetit Veneris puer ? ocyus ad hanc platanum ejusque umbram confugite. *Hæc umbra inebitur omnes*, &, adversus cupidineas sagittas scuto proteget adamantino.

Hinc est quod Regina nostra Psal. 44, ℣. 11, dicitur *circumamicta varietatibus*. quid autem sunt aliud illæ vestium varietates, quàm decori simul & firmi clypeorum ordines, quibus ornatur, ut milites suos sub vexillo castitatis certantes ornet, & muniat ? unde S. Hieron. illo loco reddit, *vestita scutulatis*, indumentis, inquam, quasi varia scutorum serie contextis. Igitur si ab impuro dæmone ardentes nobis libidinum faces admoveantur, quam prendimus arcem ? quam? nisi Susan Metropolim, Barida, & arcem Assueri, Virginis, inquam, auxilium prehensemus ?

27. Dei Mater scutum, vestita scutulatis.

28. Rationes, cur promptiùs adsit tentatis contra castitatem. Prima.

Causæ non desunt cur promptiùs adsit iis, qui importunis impuræ cupiditatis insultibus infestantur.

Prima est, quia novit omnes, quibus virginitas, vel sanctimonia mentis & corporis curæ est, sibi speciali titulo, à dilecto filio suo è cruce pendulo, in Ioanne commendatos, *Ecce filius tuus*.

Quantum verò castissimus Euangelista prædidii tum ad uberiores Sapientiæ fatus, tum ad pudicitiæ amorem ardentiorem excipiendum ex ejus contubernio hauserit (nam *accepit eam in sua, εἰς τὰ ἴδια* : quod non malè sic intellige, in propriam domum illam admisit : sic enim hic sumitur cap. 5, ℣. 10,) facilius est cogitare, quàm verbis exprimere.

Secunda ratio.

Accedit & altera ratio ejus nempe flagratissima erga nos undique Tartareis machinis oppugnatos, & quidem inermes, charitas, quâ etiam non evocata nostris gemitibus intervenit, si modò viriliter carni rebellanti restistamus.

29. B. Virgo Arca Noë.

Viles quidem & calamitosi sumus, (quis hoc ignorat?) scimus tamen in Arcam Noëticam, quæ prototypus Virginis fuit, etiam abjectas admissas pecudes, modo non ex putredine, vel cœno sumpsissent originem.

Flammescit Virgo, & ardet amore nostri. sic loquitur ejus virginitatis Hyperaspistes S. Ildefonsus, Oratione 1 de ejus assumptione : *Mariam velut ignis ferrum Spiritus Sanctus totam decoxit & ignivit, ita ut in ea tantum Spiritus Sancti flamma videatur, nec sentiatur nisi tantùm ignis amoris Dei, & hominum.*

Convenit & illud S. Bernardi dictum serm. 1 de Assumpt. *Dubitari non potest omnino in affectum charitatis trànsisse Mariæ viscera, in quibus ipsa, quæ ex Deo est, charitas novem mensibus corporaliter requievit.*

Tertia ratio.

Sed & tertia mihi succurrit ratio, quod & ipsa non solùm lilium sit, sed & inter lilia pascatur, & lilia pascat, id est, incredibili castimoniæ, & integritatis amore flagret, qui magis etiam in ejus præcordiis gliscit, cùm advertit puras animulas ardentibus tedis, quas ventilat, & succendit spurcissimus Asmodæus, infestatas, ad se supplices cum lachrymis manus tendere.

Scribit Magister Avila, tract. super illud Psal. 44, *Audi filia, & vide*, se multos cognovisse, qui ob peculiarem erga Dei castissimam Matrem devotionem maximum robur à Deo obtinuerunt ad profligandas carnis blandientis illecebras, penitusque comprimendas; quamvis brevem solùm orationem, & quasi jaculatoriam ad eam transmisissent. quin verò unica salutatio Angelica quotidie ad virginitatem Mariæ honorandam recitata pluribus subvenit; ut de blandissimâ dominâ voluptate triumpharent. Omnibus illud melle dulcius S. Bernardi celeusma incino fluctibus fœdæ libidinis agitatis, ex serm. 1. in Missus est, &c. *Si carnis illecebra naviculam concusserit mentis, respice ad Mariam.*

30. Dei Mater certantibus pro Castitate statim adest invocata.

Hæc stella, hæc tuta est medius in fluctibus ara.

Senserunt plures igne libidinis afflati Dei Matris subsidium, cum piis precibus ejus opem imploràssent, inter quos S. Iustina Antiochiæ pro fide martyrium passa jure numeratur, de qua extat S. Gregor. Nazianz. oratio 18.

31. Docent exempla.

Ad hos referri etiam debent S. Thomas Aquinas, de quo Surius in vita ejus Martii 7. Reginaldus, quem Dei Mater unguento inungens, & infirmum sanavit & fomitem libidinis repressit, teste S. Antonino 3. p. Histor. tit. 23, cap. 4, & alii.

Memorabilis hujus argumenti historia.

Sed memorabile est, quod scribit Vincent. Bellvacens. lib. 8 speculi histor. cap. 102, & 103, quod hîc paucis attexo. Miles quidam Veneris impuræ mancipium puellæ cuidam pudicissimæ vim inferre parabat; obluctari illa etiam lacrymis ubertim defluentibus. Et quid sibi, ait miles, illæ lacrymæ volunt ? Pater tuus pudicitiam tuâ mihi vendidit pretio persoluto. Ad quem illa mox: Hæc nox sabbati est Virginis Mariæ cultui dicata, quin & ego quoque Mariæ nomen fero. Insuper in Dei Matris honorem virginitatem meam Deo voto obstrinxi, & nisi patris egestas obstaret, jamdiu vitam in Parthenone agerem. Itaque frustra pudorem meum sollicitas. Res mira: his dictis impurus amor militis restinctus est, qui mox ad illam conversus: Non est, inquit, quod metuas, virgo. Quandoquidem nox ista sabbati est, &, ut dicis, Virgini Matri consecrata, & tibi Maria est nomen, te ab omni labe integram dimitto. Præterea in sacro aliquo Virginum cœnobio collocabo, & abundè quæ ad dotem ibidem necessaria sunt, ministrabo. Nec plura: abit miles & se confert ad ludum quendam Trojanum, sive certamen equestre (vulgo torneamentum vocant) quo plurimi undique acciti equites convenerant; & in eodem conflictu occumbit. Post illius mortem offert se puellæ, quæ jam habitum sacrum in monasterio Virginum assumpserat, videndam Dei Mater, dicitque militem illum salvum esse, eò quòd ab ejus violatione in honorem sabbati sibi consecrati abstinuisset, imperatque significari Antistitæ Cœnobii, ut cadaver occisi ad templum ejusdem transferatur, quo suffragiis Monialium juvetur. Ne autem, inquit, vana existimes quæ denuntio, signum hoc accipe: invenies recentem rosam ex ejus tumulo germinasse, cujus radix ex ore ejusdem consurgit. Hæc ibi.

Alia Similis.

Simile memorat Iustus Lipsius lib. 2 Monitorum Polit. c. 17, §, 12, de Francisco Sforcia vel Carolo octavo rege Galliarum. Igitur Carolus, inquit, in reditu à regno Neapolitano, cum oppidum aliquod Italiæ expugnasset, in militum direptione & discursu virginem perhonestà formâ ad pedes ejus accidisse ferunt, tutelam à vi militum & custodiam pudicitiæ suæ rogantem. Atque illum à militibus quidem servasse, sed ut

juve-

juvenem, statim oculos & cupiditatem ad eam adjecisse, & in cubiculum seduxisse. Ibi ea tota animo anxio videt tabulam in pariete suspensam, in qua Diva Virgo mundi Servatorem sinu gestabat: & eâ ostensâ: Per intactam hanc Virginem oro, adjuro, Virgini mihi parce. Movit ita Regem (non sine Divæ illius numine) ut libidinem suam coërceret, & lacrymis etiam profusis liberam dimiserit, cum dote quingentorum aureorũ, sed & propinquos aut affines captos ei donavit.

VERSVS III, & IV.

3. *Tertio igitur anno imperii sui fecit grande convivium cunctis Principibus & pueris suis, fortissimis Persarum & Medorum inclytis, & Præfectis provinciarum coram se,*

4. *ut ostenderet divitias gloriæ regni sui, ac magnitudinem atq; jactantiam potentiæ suæ, multo tempore, centum videlicet & octoginta diebus.*

Hebraicè: In anno tertio, quo regnavit, fecit convivium cunctis Principibus suis, & servis suis exercitui Paras & Madai, principibus Euphratæis & principibus provinciarum, qui erant ante se, ut ostenderet opulentiam gloriæ regni sui & honorem, decus magnitudinis suæ, diebus multis, octoginta & centum diebus.

Græcè: In istis diebus, quando sedit in throno Rex Artaxerxes in Susis civitate, in anno tertio regnante ipso, convivium fecit amicis & reliquis gentibus, & Persarum & Medorum glorioſis, & Principibus Satraparum. Et post hæc postquam ostendit eis divitias regni sui, & gloriam lætitiæ opulentiæ suæ, in diebus centum octoginta.

Iosephus breviter: Anno regni tertio amicos & duces gentium Susis excepit epulo sumptuosissimo, ut decebat regem opulentum, magnificos centum octoginta diebus apparatus ostentantem.

COMMENTARIVS.

EXhibetur ab Assuero magnificum epulum Principibus & Satrapis, mensibus sex, ut splendorem ac divitias regni sui omnibus publicè demonstraret.

Ante omnia mirari subit, quî vacaverit Assuero, tot mensibus solemne celebrare convivium, si potissimum ponamus eum fuisse Artaxerxem Longimanum, vel alium quempiam Persarum regem bellis æternis occupatum.

Respondet Salianus Longimanum non fuisse profectum ad bellum Ægyptiacum: neque necessariũ esse ut quis asserat omnes omnium Provinciarum Satrapas, vel Præfectos simul convivio adfuisse: verisimile enim est alios aliis abeuntibus successisse. Deinde valebat ista celebritas convivii ad conciliandos sibi, magisque demerendos recens electos Satrapas, sive quos in bellicam expeditionem destinabat, sive quos in suas Provincias remittebat. Præterea satis constat regem nostrum apprimè conviviorum fuisse appetentem, ut patet hîc cap. 3, ℣. 15. Vnde etiam Esther ipsius genii conscia semel iterumque eum convivio excepit.

Quæ causæ hujus epuli. Quæritur hîc 1, quæ causæ fuerint hujus magnifici convivii.

Diversi diversa suggerunt.

Feuardentius, qui hunc Assuerum putat fuisse Darium Hystaspidem, quatuor adfert, quas Lector apud ipsum inveniet.

Serar. quæst. 9. probabiliter ex textu maximè Græco hanc causam ponit, ut sui regni primordia non simpliciter quidem prima, sed prima in urbe Susanâ regni sui metropoli, quàm celeberrima redderet.

Nobis sufficiat unam attulisse, quam Hebræus & Latinus textus adferunt, scilicet ut ostenderet divitias gloriæ regni sui. Quis enim ignorat hoc regibus non solum profanis & impiis, sed sæpe etiam piis consuetum esse quâpiam in re supra modum eximiâ gloriam, potentiam, & divitias regni sui ostentare? Sed de hoc posteriùs.

Quæritur 2, quale fuerit hoc convivium, nuptiale, an natale, an aliud aliquod?

Nuptiale fuisse indicat Græcus ℣. 5. Quando, inquit, impleti sunt dies nuptiarum. Sed verisimile est accipi ibi τὰ *nuptiarum* Catachresticè, pro epulo splendido & magnifico, quale est nuptiarum.

Probabiliùs dicitur, non tamen certò, fuisse natalitium, si quidem natalem diem præ ceteris lætum & festum Persarum reges agebant, ut testantur Zosim. lib. 11, historiar. Xenophon lib. 1 Pædias. Vide hic Sanctium, & in Iob cap. 3, ℣. 2.

Epulum etiam quod eo die parabatur, quia numeris omnibus absolutum erat, Perticè vocabatur Tycta, Græcè τέλειον: id est perfectum. Ita Herodot. lib. 9, ubi addit regem eo die congiarium dare populo solitum, largiri dona; denique nihil petentibus, quamvis etiam maximum foret, denegare. Persis etiam natales regum festi erant. Præterea solebant teste Athenæo lib. 4, die suo natali integros boves, equos, camelos in fornace tostos, mensis apponere. Vide Brisson. lib. 1. de regio Persarum principatu, pag. 25. Epulum τέλειον, perfectum.

Quæritur 3, quamdiu hoc convivium celebratum fuit. Quamdiu hoc convivium celebratum.

Liranus censet tantùm duravisse 7 diebus, quia dicitur infrà ℣. 10: Die septimo convivii præcepisse regem, ut introducerentur regina Vasthi. Deinde addit non esse verisimile homines, præsertim qui à remotis regionibus venerant, 180 diebus vacasse. Ideo docet dies istos referendos ad tempus præparationis convivii, nec exhibuisse regem nisi convivũ 7 dierum. hinc subditur ℣. 5. *Cumque implerentur dies convivii*, &c. Quod sic ex-

explicat : Cum veniſſent dies in quibus debebat eſſe convivium, &c.

Sed pluribus illum benè refellit hîc Dionyſius quorum ſumma hæc eſt : 1. Non erat neceſſarium tam multis diebus præparari convivium, cum omnia ad manum copioſiſſimè haberentur ; adde, vel facillimè haberi poſſent, paratis ad nutum regis innumeris veredariis, & miniſtris, ut infrà dicetur.

Deinde textus apertè diſtinguit duo convivia quoad tempus, locum, convivas : dum dicit unum duraſſe 180 diebus, alterum diebus 7, primum factum cunctis principibus : ad ſecundum verò vocatum univerſum populum, qui Suſis inventus fuerat : locus prioris convivii hîc non deſcribitur ; ſed alterum exhibitum ponitur in veſtibulo, ſive atrio horti & regii nemoris. Hæc Dionyſ.

Licèt verò non exprimatur locus ubi principes & Satrapæ Perſarum diſcubuerint, ſimile tamen vero eſt ipſos convivium agitaſſe in cœnaculis interioribus regii palatii, vel certè in ipſis hortis, ubi inumbratæ pergulæ, limpidi fontes, & omnis generis deliciæ, oculorumque blandimenta.

Quòd autem Liran. opponebat non videri principes tanto tempore vacaſſe, refellitur in primis à Cajetan. hic, qui aſſerit non omnes ſimul conveniſſe ad epulum, ſed menſe uno aliquos, ſequentibus verò alios aliis viciſſim ſucceſſiſſe.

Præterea ſcribit Ioſeph. l. 11, Antiquit c. 6, regem dimiſiſſe per totam ditionem ſuam nuntios, qui populis ediceret, ut feriati ab operibus, feſtum pro incolumitate regni agerent : poterant ergo vacationum diebus Suſa ad epulum regium properare.

Putat tamen Serar. vel omnes, vel pæne omnes ſimul epulo adfuiſſe, idque factum ſine dubio ſaltem ultimo convivii die, quo omnibus ſimul principibus, & populo Rex Reginæ Vaſthi pulchritudinem oſtendere propoſuerat. Si quid interim turbarum in imperii finibus naſceretur, occurrere poterant magiſtratus inferiores in ſingulis Satrapiis.

An verò dies ſeptem popularis convivii comprehenſi ſint numero iſtorum 180 dierum epuli principalis, dubium eſt, de quo melius tractabitur infrà ℣. 5.

Quinam hujus epuli convivæ?

Quæritur 4, Quinam hujus ſplendidiſſimi epuli convivæ ?

Generatim duplices fuere hoſpites, ſcilicet aulici vel purpurati, & plebei, ſive vulgares, qui populi nomine cenſentur : ſed Ioſeph. faſtidio pauperis popelli, ut putat Salian. loco populi poſuit plurimas gentes, earumque legatos, qui per ſeptem continuos dies interfuerunt.

Ceterùm Purpurati ſubdividuntur in principes, fortè, ut vult Feuardent. qui antiquâ generis nobilitate clari erant, & dicebantur cognati regis, & videntur Græcè hîc vocari amici. Hinc cenſentur pueri, Hebraicè & Chaldaicè famuli, & aulicum miniſterium. Poſtea fortiſſimi Perſarum & Medorum inclyti, vel glorioſi, ut Græcè. Hebræus pro illis habet, virtutem Perſarum & Medorum, nempe duces copiarum Perſiæ & Mediæ, rebus fortiter tum bello, tum pace geſtis illuſtres. Hebraicè, pro ונדיבי Inclyti, vel Glorioſi, eſt פרתמי Parthemim, quod Pagninus reddit, Principes Euphrateos : פרת enim Hebræis Euphratem ſonat. Poſtremò Præfecti Provinciarum, Græcè Principes Satraparum : fortè tamen error eſt, quia Latinus videtur legiſſe σατραπιῶν pro σατραπῶν Provinciarum vel præfecturarum pro præfectis vel Satrapis.

Quæritur poſtremò, quo anni tempore ſymPoſium hoc exhibitum. Quo anni tempore datum epulum?

Ex iis, quæ diximus, nempe Perſarum Reges tempore verno Suſis ſedem figere ſolitos propter cœli, ſolique illius temperiem & amœnitatem, facilè colligimus veris tempeſtate celebratum epulum. eſt enim aura illa genialis ad epulas, ludos, equeſtria certamina, & hujuſmodi oblectamenta provocans. Denique, ut canit Poëta :

Omnia tunc frondent, tunc formoſiſſimus annus,

Parecbasis vel Digressio I.

Principes gloriam ex magnificis conviviis captant.

Reges in ſolenni ſuâ inauguratione, ut Aſſuerum feciſſe valde probabile eſt, inſtruunt epulum dignum Regiâ Majeſtate & magnificentiâ, ut Regni ſui opes & gloriam omnibus oſtentent.

Certè ſimile convivium apparavit Darius Hyſtaſpis Aulicis, & Satrapis ſuis 3 Eſdræ 3, verſ. 1, & 2. (unde non ſine magnâ ratione plures viri docti ex eo loco probant ipſum fuiſſe eundem cum noſtro Aſſuero.)

Sic ibi habes: *Rex Darius fecit cœnam magnam omnibus vernaculis ſuis* (hic *pueris*, id eſt famulis) *& omnibus magiſtratibus ſuis, Mediæ & Perſidis, & omnibus purpuratis, & prætoribus & Conſulibus, & Præfectis ſub illo ab India uſque ad Æthiopiam centum viginti ſeptem Provinciis.*

Et quidem exquiſitiſſimis epulis Perſicorum Regum menſas inſtructas fuiſſe paſſim tradunt hiſtorici, ita ut etiam ipſorum epulæ in proverbium iverint, opiparæ enim dapes paſſim vocantur Perſicæ, & Medicæ, ut Syraculanæ, Sibariticæ &c. unde canit Horat. l. 5, ode ultima: 32. Perſarum Regum in epulis deliciæ exquiſitiſſimæ.

Perſicos odi puer apparatus,

id eſt, nimis lautam & mundam menſam.

Memorat Athenæus l. 8, ex omnibus eſculentis, quæ regiones illius imperio ſubditæ ferebant, aliquid primitiarum inſtar in epulis apponi ſolitum : miniſtrantes menſæ decentiſſimè ornabantur : muſicorum etiam concentu hilarius epulum fiebat. Nulla erat voluptas, quâ non diffluebant Perſarum Reges.

Habebant autem artifices conquirendarum deliciarum, quibus præmium proponebatur, ut ſcribit Athenæus l. 12. Idem teſtatur de Xerxe Perſa Cicero 5. Tuſcul. & de eodem ſic Valerius l. 9, cap. 2: *Xerxes opum regiarum oſtentatione eximiâ, eo uſque luxuriâ gaudebat, ut edicto præmium ei proponeret, qui novum voluptatis genus reperiſſet. Quanta, dum deliciis mimis capitur, ampliſſimi Imperii ruina evaſit?*

Sed nolo hîc agere de luxu & deliciis circumfluentibus Perſarum conviviis, aut etiam Græcorum, vel Romanorum, quibus ipſorum imperium infamatum fuit : ſolùm propoſitum eſt oſten-

ostendere usitatum fuisse Regibus morem, dum coronâ Regni cingerentur, solenne suis Purpuratis exhibere epulum, in quo suam magnificentiam declarabant. De Assuero jam diximus, & Dario. De Davide, cùm constitueretur Rex in Hebron, habes 1 Paralip. 9, vers. 38, & sequent. Idem fecit Adonias 3 Reg. 1, ℣. 9, & 25, regnum pro Salomone occupare aggressus.

33. Magnificæ quorundam Regum convivia.

Apud Romanos quoque moris fuit, ut magistratus designati, & creati populo tum alia munera, tum Saltiares, & lautas epulas ministrarent: quod Cajum Iul. Cæsarem fecisse refert Plinius lib. 14, cap. 15, in quo etiam quatuor genera vini appositi fuere.

Testis est Julius Capitolin. Pertinacem Romanum Imperatorem eo die, quo Augustus appellatus est, & Flavia Titiana uxor ejus, Augusta, ad convivium Magistratus, & Proceres Senatus convocasse. Idem alii Imperatores fecitarunt.

Nec cessarunt his posteriores Imperatores Christiani, qui in suâ coronatione Cæsarum, hoc est permagnificum epulum celebrare consueverunt, quale fuit Maximiliani Austriaci secundi illius nominis Augusti, quod fusè describit Stuckius lib. 1, cap. 20, Antiquitat. convivial.

Non fuit hoc inferius alterum planè splendidum & Augustum in Caroli V, item Austrii inauguratione Aquisgrani permagnificè paratum, quod ex teste quodam oculato idem Stuckius supra refert. Aliud item in ejusdem coronatione Bononiæ præsente Clemente VII, Romano Pontifice, regifico luxu exstructum, cujus meminit inter alios Paulus Iovius lib. 37.

Cetcrum inter convivia quæ magnificentiâ suâ ceteris palmam præripuerunt, & in litteris sacris recensentur, est imprimis Assueri nostri. Deinde Herodis Tetrarchæ Galilææ Marci 6, ℣. 21, natalitium epulum, de quo ibi habes: *Herodes Natalis suis cœnâ fecit Principibus, & Tribunis, & Primis Galilææ:* Accedit convivium quod præparavit Absalom 3 Reg. 13, de quo inter alia dicitur ibi ℣. 27: *fecerat Absalom quasi convivium Regis.* Postremò Baltassaris Chaldæi Daniel. 5, ℣. 1: *Baltassar Rex fecit grande convivium optimatibus suis mille, & unusquisque secundum suam bibebat ætatem.*

34. Funesta Catastrophe quorundam conviviorum Regalium.

Verùm hæc omnia infaustâ Catastrophe sunt terminata: Assueri epulum tristi repudio Reginæ Vasthi: Herodis Natalitium detestandâ cæde viri innocentissimi Ioannis Baptistæ, Absalomi fraterno sanguine fœdatum sympositum, Baltassaris sacrilega cœna ipsius & totius Chaldaici Regni ruinâ funestata.

Parecbasis vel digressio Altera.

Principes ut regni sui potentiam ostentent, vel nominis sui gloriam ad posteros propagent, celebre aliquod monumentum post se relinquere curant.

HAnc vanitatem usque ad cœlos extulerunt, sed frustrà, Duce Nemrodo, filii Adam Genes. 11, qui ℣. 4 sic loquuntur: *Venite, faciamus nobis civitatem, & turrim, cujus culmen pertingat ad cœlum, & celebremus nomen nostrum antequam dividamur in universas terras.* Sed hanc insanam substructionem ad altitudinem mille passuum elatam, & æternandæ famæ excitatam, postmodum, ut docent Patres, ventorum impetu dissipavit Deus, & commixtione linguarum Nemrodianos illos gigantes confudit, & dissipavit.

35. Turris Babel ventis dissipata.

Gloriabatur quondam Danielis 4, ℣. 27, Rex ille Chaldæus, ad terram cum feris projectus, & cælestium manus: *Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi in domum Regni, in robore fortitudinis meæ?* Sed pœna oculos illi aperuit, quos superbia clauserat. Ita quæ nocent, docent, παθήματα μαθήματα.

Nabuchodonosoris fastus.

Nonnihil etiam venditatione hujus gloriolæ, & potentiæ elatus fuit Ezechias, Rex alioqui insigni sanctimoniâ, dum 4 Reg. 20, ℣. 13, Babyloniorum Regis Legatis thesaurorum suorum apotheeas, Seplasiam suam, cælatumque aurum & argentum ostentavit.

Ezechiæ vanitas & ostentatio.

Quid fuerint septem illa, quæ vulgò feruntur orbis miracula vel spectacula, θεάματα & θαύματα aliud, quàm insanæ vanitatis choragia, & apparatus?

Possunt multò etiam plura quàm septem memorari illis illustriora: & nobiles scriptores numerant quatuordecim.

Septem tamen paucis perstringit Cassiodorus lib. 7 variarum, hisce verbis: *Ferunt prisci sæculi narratores fabricarum septem tantùm terris attributa miracula, Ephesi Dianæ templum, Regis Mausoli pulcherrimum monumentum, à quo & Mausolea dicta sunt, Rhodi Solis æneum signum, quod Colossus vocatur, Iovis Olympici simulacrum, quod Phidias primus artificum summâ elegantiâ ebore auroque formavit; Cyri Mederum Regis Domus, quam Memnon arte prodigâ, illigatis auro lapidibus, fabricavit; Babylonii Muri, quos Semiramis Regina latere cocto, sulphure ferroque construxit; Pyramides in Ægypto, quarum in suo statu umbra consumens ultra constructionis spatia nullâ parte respicitur.* Hæc Cassiodorus. his tamen omnibus libro spectaculorum prætert Epigrammatarius Titianum Amphitheatrum his verbis:

36. Septem orbis miracula.

37. Amphitheatrum Titi, & alia.

Omnis Cæsareo cedat labor Amphitheatro:
Unum pro cunctis fama loquatur opus.

Addunt his aliqui Turrim Phariam, hortos Babylonis pensiles, Ammonem Cornutum, Apollinem in Delo, Alexandri Thronum.

Ego omnibus profanis præhabeo Labyrinthos, maximè verò Ægyptium, quem Plinius lib. 36, cap. 13, vocat portentosissimum humani ingenii opus. quia verò hoc mundi miraculum exactè ex Plinio, Pomponio Mela, Herodoto & aliis descripsit Georgius Stengelius in Labyrinthi cum mundo collatione, nos hic calamum figemus.

38. Labyrinthus.

Finis autem Regum, qui portentosos illos Labyrinthos fabricarunt, fuit magnificentiæ, id est, vanitatis ostentatio. sic ait Herodotus de illis loquens lib. 2: *Placuit eis aliquod relinquere sui commune monumentum, ut videlicet nomen eorum celebraretur.* Hæc eorum dementia, quam & miratur Plinius lib. 36, cap. 13: *Adeo*, inquit, *vesanâ dementiâ quæsisse gloriam impendio nulli profuturo.*

Sed hiſce profanis oſtentis ex litteris ſacris quædam ſubnectamus.

39. Templum Salomonis.

Non eſt ullo modo dubitandum quin Templum, quod Salomon ad Dei honorem ædificavit, elegantiâ & ſplendore omnia orbis miracula ſuperaverit: de quo nihil hîc attinet ſcribere, cum à Sacro Scriptore, & Ioſepho & aliis integris voluminibus depingatur.

Solùm hîc adferam pauca Davidis Regis verba qui omnes expenſas futuri Templi filio ſubminiſtravit, inſuper & formam ejuſdem, prout à Domino deſcriptam acceperat, eidem tradidit. Sic ergo loquitur de Templo David 1 Paral. 22, verſ. 5. *Domus quam ædificari volo Domino; talis eſſe debet, ut in cunctis regionibus nominetur: præparabo ergo ei neceſſaria.* ob hanc etiam cauſſam ante mortem ſuam omnes ſumptus præparavit. ſic ait verſ. 14, *Ecce ego in paupertate mea præparavi impenſis Domus Domini auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum, æris vero & ferri non eſt pondus; vincitur enim numerus magnitudine, &c.*

Hæc ſumma, ſi eam ad valorem & calculum pecuniæ vel monetæ noſtræ revocaris, pertinget ad bis mille ſexcentos ſeptuaginta duos milliones, centum & viginti quinque millia numûm aureorum. vide Salian. Tomo 3 Annal. anno mundi 3017, & Petrum Mathiæ de Paradiſo cæleſti, cap. 54, 55, 56, 57, 58. Rurſus idem Rex cap. 29, ſupra v. 1, de eodem templo agens: *Opus, ait, grande eſt, neque enim homini præparatur habitatio, ſed Deo.*

Ejus Thronus.

Inſuper *fecit Salomon* 3 Regum 10, verſ. 18, *Thronum de ebore grandem & veſtivit eum auro fulvo nimis:* de quo & dicitur verſ. 20: *Non eſt factum tale opus in univerſis regnis.*

Palatia ejuſdem.

Quid dicam de Regiis vel palatiis, quæ exſtruxit ad ſplendorem ſimul & voluptatem? Hujuſmodi triplicem aulam deſcribit lib. Regum 3, cap. 7, Vnam verſ. 1, quam ſibi ædificavit annis tredecim, Alteram filiæ Pharaonis v. 8, Tertiam dictam Domum ſaltus Libani ibidem verſ. 2. de qua ſcribit Ioſephus Antiquitat. lib. 8, cap. 2, quòd nihil magis mirata ſit Regina Saba quàm Aulam, cui cognomen ſaltus Libani. hanc autem ſic dictam volunt Interpretes, quod ſicut mons Libanus Cedris plantatis completus, ſic illa tota Cedrinis tabulis circumveſtita eſſet.

46. Domus ſaltus Libani unde dicta.

Horum Palatiorum elegantiam ad unguem delineatam habes 3 Regum 7, & apud Ioſephum lib. 8, cap. 2. Verùm hæc de operibus regiis dicta ſufficiant: ſupereſt ut breviter aliquid de Regum Perſicorum mirandis auguſtiſque fabricis & operibus in medium proferamus.

Parecbasis Tertia.

Perſarum Regum incredibilis magnificentia in Palatiis, Solis, Tentoriis, &c.

41. Perſarum Regum in Palatiis magnificentia.

QVia ſæpe ſæpius argumentum hoc verſandum occurrit, paucula tantùm hîc ſummatim perſtringam.

Perſarum Regiam deſcribit Ariſtot. lib. de mundo, & ex eo Apulejus in libro ejuſdem argumenti, & ex utroque Briſſonius lib. 1 de Regio Perſarum principatu, pag. 48.

De ipſorum palatio idem propemodum dici poteſt, quod Ovid. canit lib. 2 Transformat. de Regiâ ſolis, & ejus curru, quòd nimirum omnia auro conſtarent & gemmis.

Auream domum Rex inhabitabat, ſedebat ſellâ aureâ, aureo cubabat lecto, aurea erat platanus, vitis aurea. Sed de illis vide Briſſon. ſuprà.

Ad caput cubilis regii conclave unum erat pariete intermedio obſtructum, in quo ſemper condita erant talenta auri quinquies mille, appellabaturque conclave hoc cervical regium. E regione verò hujus aliud erat conclave ad parietem illum excitatum, ad quem cubilis pedes vergebant, in quo argenti talentorum tria millia ſervabantur, & dicebatur ſuppedaneum vel ſcabellum regium. In ipſo cubiculo regio vitis erat aurea, gemmis inſuper incluſis ornata eaque veluti pergula regio cubili obtendebatur, hanc vitem Amyntas prodidit racemos etiam penſiles habuiſſe ex lapillis ſummi pretii concinnatos. Nec procul ab eâ craterem aureum collocari ſolitum Theodori Samii opificio nobilem.

Athenæus lib. 12 *Solium*, ait, *in quo Rex ſedens jus dicebat reſponſaque dabat legationibus, aureum erat, quatuor aureis & gemmatis columellis circumpoſitis ſuſtinebatur, ſuper quibus variam purpureamque veſtem extendebant.* Sed de his divitiis & deliciis alibi plura.

Tu hinc aſſurge lector ad aureas & gemmeas cæli baſilicas, & ride hæc ludicra Regum barbarorum gurguſtia.

Parecbasis Quarta.

In mundi opificio Deus gloriam majeſtatemque ſuam oſtendit.

TErrarum principes claritatem nominis plerumque captant ex iis quæ terræ viſceribus conduntur, & abdita latent, nempe Pario lapide, variegatoque marmore, quibus palatia vel conſtruunt, vel parietes incruſtant: ex unionibus, quos mare eructat, lapillis qui in littore maris fluminumque oris leguntur. At quantula eſt hæc divinæ gloriæ portiuncula? Deus ſpecimen ſplendoris ſui in conſpicuo poſuit, omnibus gentibus gloriam ſuam manifeſtam eſſe voluit.

Audi Regium Choragum pſallentem 18 Pſal. verſ. 2, & ſeq. *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum:* quæ latiùs uſque ad verſ. 7, proſequitur. 41. Cœli recolunt Deigloriam.

Non marmora varii coloris aut alio ex orbe advecta ſaxa concinno ordine ſtructa, aut lateres auro fuſili illigati, vel trabes cedrinæ manu artificis politæ, flavoque metallo renidentia laquearia, magnificentiam Numinis nobis indicant, ſed ipſi cæli ſuo aſpectu, motu, ordinatiſſimaque ſucceſſione, dum diem noctemque peragunt, ejus potentiam, pulchritudinem, ſapientiam & gloriam omnibus populis etiam barbaris palàm loquuntur, & ſol ipſe luce purpureâ cæleſte tabernaculum inumans incredibili vectus celeritate, calore vitali omnia vegetans, majeſtatem ejus hominibus deprædicat. Et hæc quidem mortalibus, dum ſpiritus hos reget artus, ad aſpectum uſumque conceſſit: animis verò ſanctis, dum terrenâ mole fuerunt exoluti, ſeipſum contemplandum reſervavit.

Cælum

43. Ἀνθρωπος, quasi ἀναθρῶν ἃ ὄπωπε.

Cælum ergo suspice & ibi Numen in folio gloriæ intuere: sic nominis tui etymon implebis: dicteris enim Græce ἄνθρωπος, teste Platone in Cratylo, quasi ἀναθρῶν ἃ ὄπωπε, quia sursum oculos attollens, quæ videris, debeas contemplari.

44. Aureus globus cum cruce quid significet.

Scribit Baronius tomo II, anno Christi 1013, ex Glabro illius temporis historico, Benedictum Octavum Romanum Pontificem Henrico Germanorum Regi Romam venienti, ut ibidem Imperii diadema acciperet, hujusmodi insigne obtulisse. Præcepit confici aureum pomum illudque circumdari per quadrum pretiosissimis quibusque gemmis, quasi cœlum stellis ornatum, & desuper inseri auream crucem. Referebat autem speciem hujus mundanæ fabricæ, quæ rotundæ sphæræ similis perhibetur. Documentum verò hoc nobili emblemate dabatur Augusto, ut dum illud consideraret meminisset ita se debere in hoc mundo imperare ut dignus haberetur protegi vivificæ crucis vexillo: ipsa etiam diversarum gemmarum decora instillabant Imperatoris animum plurimarum virtutum speciminibus exornatum esse oportere, ut sicut cœlum sideribus, & aureum illud pomum unionibus, sic ipse illustrium operum splendore coruscaret. Accepit Henricus donum Pontificis, &, ut erat vir sagacissimi ingenii, intellexit quâ ratione Imperium deinde administraret. Hæc ex Glabro Baronius.

Sed non necesse est homini aureum illud pomum aut quodvis aliud mundi simulacrum considerare, ut mores suos ad illud componat: multò efficacius & salubrius ex facie cœli, sole sideribusque distincti, conspectâ, Dei cognitionem, bonitatem, sapientiam hauriet, mentemque suam omnis honestatis emblematis quasi stellis depingere discet, nisi instar talpæ vel mutæ pecudis oculos suos in terram declinare statuerit. S. Iuliana virgo ex contemplatione Mundi ad fidem Christi conversa, Surius 16 Februarii.

45. Creaturæ hominum liber, ut S. Antonii, Ignatii.

Certè S. Antonius, ut scribit Socrates lib. 4 histor. Eccles. cap. 8, naturam rerum à Deo conditarum pro libro habebat: quem etiam S. Patres librum Idiotarum vocant; nec modò illorum sed etiam sapientum: pleni enim sunt cœli & terra majestatis gloriæ ejus, & Sirachides cap. 42, vers. decimo sexto ait: *Sol illuminans per omnia respexit & gloriâ Domini plenum est opus ejus*, id est, ut sol Vniversi opem luce suâ detegit, ita Deus gloriæ suæ lumine omne opus suum perfundit.

Parens nostræ Societatis Sanctus Ignatius, ut scribit Petrus Ribadeneira lib. quinto de vitâ ejus, cap. 1, apertis hisce mundanis tabulis in singulis rebus conditis Deum legebat, singula solia Dei dilectionem illi afflabant. *Vidimus frequenter*, ait Auctor, *ex rebus tenuissimis ad Deum, qui in minimis etiam maximus est, ascendentem, ex plantulâ, frondis, floris, fructus unius aspectu, ex vermiculi alicujus aut bestiolæ consideratione supra cœlos attollentem se, & ad ea quæ à sensibus remota sunt, penetrantem capientemque è singulis utilissima documenta ad totius vitæ informationem.*

46. Vt Protogenes Apellem ex tenuissimâ lineâ, Ita nos Deum ex minima creaturâ agnoscimus.

Nimirum in qualibet re condità Dei summi opificis imago insculpta est, nec indiget Deus, ut nomen suum creaturis, inscribat; more quorundam vulgarium artificum. Vt enim auctore Plinio lib. 35, cap. 10, Protogenes primæ notæ pictor ex tenuissimâ lineâ penicillo in tabula ductâ Apellem nobilissimum & ipsum pictorem agnovit: ita etiam qui artificii divini in vilissimis etiam rebus lucentis haud ignari sunt, Dei sapientiam contemplantur.

Præclarè Sirachides cap. 9, 24: *In manu artificum opera laudabuntur*, id est, ars statuarium vel pictorem commendat; quantò magis Deum κοσμοδεσποτην mundi à se formati prædicabit opificium?

47. Vt effigies Phidiæ clypeo Minervæ, ita Dei imago creatis impressa

Quemadmodum olim Phidias, ut Cicero pluribus locis scribit, insignis statuarius Minervæ clypeo, quam ex ebore & auro efformavit, in gratiam Atheniensium, effigiem suam ita insculsit, ut avelli inde non posset, nisi tota operis colligatio solveretur: ita & Deus suæ imaginis lineamenta omnibus rebus à se creatis sic intexuit, & impressit, ut nullâ vi inde, nisi ipsis in nihilum redactis, & pereuntibus convelli aut separari possint.

Hoc Salomon egregiè effatus est Sapien. 13, vers. 5, *Ex magnitudine speciei, & creaturæ cognoscibiliter poterit Creator horum videri.* Ex Mundo pulchro, mundo & ornato licet conspicere Dei pulchritudinem, munditiem & ornatum, ex lumine solis lucem ejus inaccessibilem, ex cœli magnitudine ejus immensitatem. Sic de ceteris ratiocinandum. Sic Sanctus Iob cap. decimo, vers. 7: *Interroga jumenta & docebunt te, & volatilia cœli & indicabunt tibi. Loquere terræ & respondebit tibi & narrabunt pisces maris. Quis ignorat quod omnia hæc manus Domini fecerit?*

O cæcutientes oculos, qui in libri mundani characteribus plusquam semunciabilibus Deum non agnoscunt! prædicat tamen Apostolus ad Romanos primo, versu vigesimo, *Invisibilia Dei à creatura Mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus & Divinitas.*

S. Prosper lib. secundo de vocatione Gentium, cap. 4, explicans illud S. Pauli pronuntiatum Actorum 14, vers. 16, *Non sine testimonio semetipsum reliquit Deus*, &c. *Quod est*, ait, *hoc testimonium nisi ipsa totius Mundi inenarrabilis pulchritudo, & inenarrabilium beneficiorum ejus dotes & ordinata largitio, per quæ humanis cordibus quædam æternæ legis tabulæ præbebuntur, ut in paginis elementorum ac voluminibus temporum communis & publica divinæ institutionis doctrina legeretur?*

VERSVS V.

Cumque implerentur dies convivii, invitavit omnem populum, qui inventus est in Susan, à maximo usque ad minimum: & jussit septem diebus convivium præparari in vestibulo horti, & nemoris, quod regio cultu & manu consitum erat.

Hebraicè: Et cum impleti fuissent dies ipsi, fecit Rex omni populo, qui inventus est in Susan Metropoli à maximo & usque ad minimum convivium septem dierum in atrio horti Palatii regis.

Græcè: Quando autem impleti sunt dies nuptiarum, fecit Rex πότον (symposium) gentibus inventis in civitate per dies sex in aulâ domus Regis.

Iosephus: Epulo plurimæ gentes & earum Legati per continuos septem dies interfuerunt.

COMMENTARIVS.

SI Latinum textum inspicimus, colligimus ultimâ tantum hebdomade sexti mensis propositum universo populo convivium, non tamen exclusis purpuratis & regni proceribus. Græca tamen & Hebræa, quæ habent (*Cùm impleti essent dies illi*, scilicet centum & octoginta convivii Magnatum) indicant adhuc sex vel septem dies superadditos, quibus Rex etiam populum splendido epulo excepit: quod etiam insinuat nostra Latina lectio, cum superaddit utrique textui: *& jussit septem diebus convivium præparari*: quasi dicat: in fine sexti mensis convivii principalis invitavit quidem omnem populum, sed jussit septem diebus convivium præparari, id est, exhiberi, ut rectè explicat Sa. antea enim paratum, jam exhubebatur. Porrò Liran. qui censet universum convivium tantùm obtinuisse septem dies, & præparatum fuisse 180 diebus, ut antea dixi, explicat (*Cum implerentur dies convivii*) cum venissent dies convivii, vel in quibus debebat esse convivium: verùm juxta communem sententiam Interpretum, qui ponunt duo convivia, debent hæc verba sic intelligi: Cùm dies primi convivii, quod præparatum erat principibus, & Satrapis, jam ad finem tenderent, Rex etiam populum Susianum septem diebus magnifico convivio excepit: unde redarguuntur illi, qui putant regem consumptisse illos 180 dies cum suis aulicis in ostentatione regiæ opulentiæ: postea verò septem tantum diebus, idq; uno eodemque convivio & principes suos, & populum excepisse.

Adagium; A maximo usque ad minimum.

Nota verò (*a maximo usque ad minimum*) quæ verba etiam ita Hebraicè habentur, inter adagia numerari, quibus omnis ætas indicatur, vel etiam conditio. Multa hujusmodi occurrunt in Scripturâ: ut Genes. 19, 4. *A puero usque ad senem*: quod mox exponit: *Omnis populus simul*, ibidem, vers. 11. *A minimo usque ad maximum*, quod hic habetur ordine inverso. Numer. 5, 3. *Tam masculum, quam fœminam.* 1 Regum 30, 19. *A parvo usque ad magnum*, hîc v. 20, *tam minorum quàm majorum. Affine etiam & illud* 3 Regum 4, 33. *A cedro usque ad hyssopum.*

Nota 2. pro omnibus illis verbis in textu Latino (*in vestibulo horti & nemoris quod regio cultu & manu consitum erat*) nihil aliud esse in Hebræo, quam, *In Atrio horti palatii regii*: in Græco autem: *In aula domus regiæ*, id est, in atrio vel vestibulo hortorum regiorum. Putat autem Serarius hîc, hortos illos regios fuisse duplices, interiores & exteriores, & convivium populo apparatum in hortis interioribus, qui proximè adhærerent aulæ regiæ & ejus triclinîis: quia verò populum maximum locus aliquis clausus non capiebat, porticibus apertis recubuerunt.

ANIMADVERSIO PRIMA.

Horti Regum Persicorum.

EX libro hoc hîc, & cap. 7, v. 7, & 8, ubi dicitur Rex Assuerus ingressus esse hortum arboribus consitum, colligimus palatiis regum Persarum adjunctos fuisse hortos amœnissimos, fontibus è rupibus arte factis scaturientibus irriguos, umbraculis & pergulis opere topiario intertextis opacatos, floribus suaveolentibus, & omnigenis plantis, arboribusque distinctos, regificis deliciis refertissimos, principum & reginarum oblectationibus destinatos. Herodotus l. 7, illos vocat ἄλσεα, id est, nemora vel lucos, Persæ sin lingua dixere παράδεισους, in quos animi laxandi causâ secedebant: ita Xenophon in Oeconomico. Nec solùm in his paradisis arbores pulcherrimæ nascebantur, sed & feræ includebantur, erantque quasi Romanorum vivaria, de quibus multa Brisson. lib. 1, pag. 53, usque ad 57. Pentidem etiam hortum Susis fuisse scribit Dio Chrysostom. extremo Orationis περὶ πλούτου. non deerant ergo deliciosissimis regibus vel Thessala Tempe, vel horti Hesperidum, Alcinoi, Adonidis. 48. Horti Persarum Regum.

ANIMADVERSIO SECUNDA.

Studium Regium in hortis colendis.

QVia fecer auctor hortum vel nemus illud regio cultu & manu consitum fuisse ait, fit simile vero, non solùm magnifico ornatu & artificio raro lucum illum fuisse cultum & plantatum, ut regiis deliciis serviret, sed etiam ejusdem Regis vel majorum ejus manu & operâ præparatum. Non enim insolens principibus fuit olim solum subigere, arbores inserere, plantare frutices, &c.

Certè nil tam regale olim visum Persarum regibus quam studium agri colendi probat illud quod ex Xenophontis Oeconomico refert Cice- 49. Studium Regum Persarum & aliorum

49. Io colendis hortis & agris.

49. Vt Cyri.

to Catone maiore, *Cyrum munerem Persarum Regem præstanti ingenio atque imperii gloriâ, cum Lysander Lacedæmonius venisset ad eum Sardis, eique dona à sociis attulisset, & ceteris in rebus comem erga Lysandrum atque humanum fuisse, & ei quemdam consertum agrum diligenter consitum ostendisse: cum autem admiraretur Lysander & proceritates arborum & directos in quincuncem ordines, & humum subactam atque puram, & suavitatem odorum, qui afflarentur è floribus, tum eum dixisse; mirari se non modo diligentiam, sed etiam solertiam ejus, à quo essent illa dimensa atque descripta: & ei Cyrum respondisse, Atqui ego sum omnia illa dimensus, mei sunt ordines, mea descriptio: multæ etiam istarum arborum meâ manu sunt satæ. tum Lysandrum intuentem purpuram ejus & nitorem corporis ornatumque Persicum multo auro multisque gemmis, dixisse: Recte vero te, Cyre, beatum ferunt, quoniam virtutis tuæ fortuna conjuncta est.* Hæc Cicero. Vide Ælian. lib. 1. De animalib. cap. 59.

Scribunt plures auctores, ut Plutarchus, Diodorus Siculus, Iustinus, & Curtius lib. 4, cap. 2. Abdalonymum regiâ stirpe ortum à culturâ suburbani horti ad purpuram & sceptrum ab Alexandro Magno assumptum. Testes fide dignissimi affirmant S. Paulinum Nolanum Antistitem hortis colendis Guntharii Regis Wandalorum generi præfectum fuisse. Nota est historia.

49. Sinensis Imperatoris,

Memorant litteræ Sinenses Imperatorem Sinarum solitum alquam agri portionem suis manibus exercere, & conserere; cujus messis ei pro mercede offerretur.

49. Romanorum,

Olim, ut scribit Plinius lib. 18, cap. 3, *gaudebat Romanorum terra vomere laureato & triumphali aratore*; cùm videlicet Imperatorum Fabricii, Curii, & aliorum curâ & manu agri colerentur.

49. Diocletiani.

Refert Eutropius lib. 9, Diocletianum Imperatorem depositâ purpurâ (verisimiliter pertæsum Christiani sanguinis effusi) in primatum ordinem se redegisse, hortoque colendo operam dedisse, & lactucis, quas ipse severat, comedendis delectatum.

49. Ioannæ Lusitanæ,

Sed nimis antiqua commemoro: Narrat Anton. Vasconcellius in Anacephalæosibus Regum Lusitaniæ 17, in vita Ioannæ Lusitaniæ Principis Virginis sacræ & virtutibus illustris, quòd ipsa intra cœnobii septa, quod incolebat, hortum sibi ipsi confici jusserit, in quo & ipsa quasdam arbusculas sua manu plantaverat, quæ post mortem illius sponte arserunt.

49. Caroli Quinti Imperat.

In S. Iusti cœnobio secessu suo Carolus partiebatur arcolas in horto, culturæque & arborum insitionibus triumphales commodabat manus, id quod olim Diocletianus depositio quoque imperio Salonis agebat. Ita Famianus Strada lib. 1 de bello Belgico, decade primâ.

Monitvm Morale.

Non rejiciendi à conviviis principum pauperes.

PRædicanda in his etiam verbis nobis Assueri munificentia, qui postremis septem convivii diebus omnes Susianos cives ad festivum epulum invitavit à minimo usque ad maximum: quæ verba etiam in Hebræo leguntur. Unde meritò Salianus Iosephum reprehendit, qui pro illis verbis: *A minimo usque ad maximum*; substituit, plurimas gentes earumque legatos. *Homo*, inquit Salianus, *fastidiosus pauperes convivio excludit, ut eorum locum Legatis daret. Hic nimirum erat spiritus Pharisæorum, quibus suadebat Dominus*, Lucæ 14, vers. 12, *ne cum facerent prandium, vocarent divites, qui retribuere possent, sed pauperes & debiles, ut à Deo retributionem acciperent.*

Affluerus certè etiam populi quisquilias regius dapibus accipiens, ostendit se esse Patriæ Patrem, & pastorem populorum. Noverat non esse alienum à viris principibus, etiam regiâ humanitate vilissimos homines accipere: cujus benignitatis exemplis plena est tum sacra tum profanâ historia.

50. Gilliæ insignis liberalitas.

Valerius lib. 4, cap. 8, refert de Gillia Agrigentino, quem propemodum ipsius liberalitatis præcordia constat habuisse, hoc quod sequitur: *Erat opibus excellens, sed multò etiam animo quàm divitiis locupletior, adeò ut domus ejus quasi quædam munificentiæ officina crederetur, illinc epularum magnifici apparatus labentique annonæ subsidia oriebantur, & cum hæc universis, privatim alimenta inopiâ laborantibus, dotes virginibus paupertate oppressis, detrimentorum incursu quassatis solatia erogabantur. Hospites quoque tum urbanis penatibus, tum etiam rusticis tectis benignissimè excepit, variis muneribus ornatis dimittebantur. quodam vero tempore quingentos simul Gelensium equites vi tempestatis in possessiones suas compulsos, aluit ac vestivit. quid multa? non mortalem aliquem, sed fortunæ propitiæ benignum esse diceres sinum*, &c.

Heliogabalus ad ludibrium pauperes invitabat.

Auctor est Petrus Crinitus lib. 19, de honestate, cap. 10, monstrum illud Imperatorum Heliogabalum mensæ suæ etiam adhibuisse mendicos, paupertate oppressos, infirmos, debiles, membris mutilos, cæcos & claudos; sed non tam, ut instar Gilliæ, benignitatis sinu eos foveret, quam ut ex eorum deformitate & calamitate risum ludosque sibi faceret.

50. Davidis beneficentia.

Alia longè fuit mens regis Davidis, qui, ut habet 2 Regum cap. 6, cùm introduxisset arcam Domini in civitatem suam obtulisseque holocausta coram Domino, populoque qui cum illo erat benedixisset, subdit Scriptura vers. 19, *Et partitus est universæ multitudini Israel tam viro quam mulieri singulis collyridam panis unam & assaturam bubulæ carnis unam, & similam frixam oleo*, &c.

50. Item Amadei Ducis Sabaudiæ.

Nec prætereunda hîc B. Amadei, Ducis Sabaudiæ tertii, in vulgus inopum effusa liberalitas, qui, ut narrat in ejus rebus gestis Petrus Franciscus Milerus, & ex eo alii, quamplurimos mendicos & alios egestate laborantes ad aulam suam invitabat, iisque oblongam mensam sterni jubebat omnigenis epulis refertissimam, quibus ipsorum fames expleretur: hujusmodi autem calamitosos appellabat canes suos venaticos, per quos alimenta sibi compararet, & venaretur, quibus in æternâ vitâ vesceretur, & reficeretur.

50. Et Ludovici Galliæ Regis.

Enituit verò inprimis S. Ludovici Francorum Regis in eo genere insignis liberalitas, de qua hæc pauca ex ejus vitâ deprompta, cap. 6, apud Surium, Augusti 25. *Quolibet Sabbato aliquot pauperum suis manibus abluebat pedes, lotos tergebat, tersos osculabatur: deinde lavabat illorum manus, & singulis certam portionem pecuniæ largiebatur. Crebrò etiam 120 pauperibus, qui in ejus aula quotidie*

abundè reficiebantur, atque certis quibusdam diebus, & solemnibus vigiliis, ducentis, priusquam ipse cibum sumeret, suis manibus fercula anteponebat. Omitto reliqua. Altius collimabat Rex ille sanctissimus, quam principes profani, Christum enim pauperem in suis membris se excipere contemplabatur.

Philippi quarti Hispaniæ Regis Christiana humanitas.

51. Iugonis Carinthiæ principis factum memorabile.

Memorabile quiddam narrat Sabellicus lib. 3, Enneade 10, de Iugone Carinthiæ Principe: *Hic cum splendidis dapibus quosdam ex infima plebe, jam Christianis sacris imbutos exciperet, aulicos qui nondum salutari lavacro tincti erant, tenui mensâ reficiebat: quibus indignantibus: pro animarum, inquit, conditione epulas paravi; neque enim tam puri illi, qui palatia superba incolunt, & cultu simulacrorum se inquinant, quàm hi qui humiles casas habitantes sacro baptismo sunt expiati. Re, verbisque castigati curiales Christi fidem amplexi undis salutaribus ablus se curarunt.* Ita ille, anno 790.

Est hæc virtus propriè magnificentia, genus quoddam eximiæ liberalitatis, quæ omnium amorem Principibus conciliat; qua re Deus vel maximè in litteris sacris commendatur; & digna est heroibus, qui divinam munificentiam propius studeant æmulari: unde Regi quondam Ægyptio sacris operanti præsente purpuratorum omnium cœtu, Antistes sacrorum hanc laudem tribuebat hisce verbis: μεγαδοτικὸς τ ἀγαθῶν quòd nimirum esset suorum bonorum profusus distributor.

Regi Ægyptio dicebatur à sacerdote: μεγαδοτικὸς τ ἀγαθῶν.

Eluxit seculo nostro similis, sed in alio genere sublimiore comitas & humanitas Philippi quarti Hispaniarum Regis; de quo sic Madrito scripsit vir quidam religiosus 27 Maji anni 1632.

Cum Rex nuper visisset monasterium Carthusianorum, quod leucâ unâ Barcinone distat, in reditu miræ cujusdam pietatis præbuit exemplum. Cùm rhedarius ex equo lapsus in angusto itinere, rotâque implicitus, graviter sauciaretur, illico rex cum fratribus ex curru desiluit, & quasi in Theologiâ nutritus esset, verbis quàm aptissimis moribundum juvit, formulamque actus Contritionis proposuit. Turbabat læsum Regis præsentia; quod cum rex percepisset: Ne, inquit, moveat te meus conspectus: hoc enim in articulo omnes pares sumus, tantùm res tuas cum Deo compone, & monentem me audi. Iussu regis accersitus è monasterio sacerdos, qui cum venisset, & fossâ interjectâ circuire tantillùm vellet, Rex, Da manum, inquit, Pater, jam ceremoniarum, aulæque rituum tempus non est, eumque porrectâ dexterâ excepit, ut fossam transiliret, cumque æger confessione animum expiasset, voluit Rex sacerdotem pedes comitari, ut rhedarium saucium viatico sanctissimo muniret. Sed sacerdoti commodius visum, ut in urbem veheretur. Iussit itaque Rex rhedæ impositum Barcinonem transferri, & pio huic operi sesquihorâ impensâ sero in urbem ipse rediit. En humanissimi principis in minimum famulum collata caritas, Regibus & magnatibus imitanda, palàm proposita.

VERSVS VI.

Et pendebant ex omni parte tentoria aërii coloris, & carbasini ac hyacinthini, sustentata funibus byssinis, atque purpureis, qui eburneis circulis inserti erant, & columnis marmoreis fulciebantur. Lectuli quoque aurei & argentei, super pavimentum smaragdino & Pario stratum lapide, dispositi erant: quod mirâ varietate pictura decorabat.

Hebræa mutila sunt, ut notavit etiam Cajetanus: tantùm enim habent: candidum, viride, hyacinthinum (intellige aulæum, vel aliquid simile) tentum in funibus byssinis & purpureis super circulis argenteis, & super columnas marmoreas: lecti aurei, & argentei super pavimentum crystalli, & marmoris, & Parii, & lapilli Mercatorum.

Significantur autem, ait Cajetanus, aulæa talium colorum, scilicet albi, viridis, & aërii extensa fuisse funibus byssinis. In pavimento quoque quatuor genera lapidum numerantur, quartum tamen genus incertum est, à mercatura nominatum.

Nec Græca clariora sunt, quæ sic leguntur: In aulâ domus Regis ornatâ byssinis, & carpacinis, extentis super funibus byssinis, & purpureis, super cubos aureos, & argenteos, super columnas Parias & argenteas, lecti aurei, & argentei super pavimentum smaragdini lapidis, & pinnuli, & Parii lapidis, & strata pellucida variè ornata coloribus: quibus addunt Septuaginta: In circuitu sparsæ rosæ.

Iosephus sic extulit: Id erat instructum in hunc modum: Tabernaculum fixit suffultum aureis & argenteis columellis, prætextum telis linteis & purpureis, multorum millium capax.

COMMENTARIVS.

VIdentur peripetasmata in atrio horti fuisse extensa varii coloris, utpote albi vel byssini, viridis, sive sapphirini, hyacinthini vel rubri. Sustentabantur autem hæc tapetia byssinis, sive ex tenuissimo lino plexis funibus, qui eburneis circulis erant inserti, vel ut habent Chaldæus, & Hebræus, argenteis rotis, vel fibulis: quia dicit Lyranus non potuisse ex ebore fieri circulos tantæ magnitudinis; Græcus verò pro circulis habet cubos aureos, vel argenteos.

Sensus ergo erit, ut bene Salianus suprà n. 5, Totum atrium certo intervallo columnis marmoreis erat distinctum, quæ in summo habebant vir-

virgas fortè argenteas, per quas circuli argentei, vel eburnei volverentur, in quibus aulæa illa, vel peristromata Babylonia & belluata funiculis candidis atque purpureis erant alligata. Videntur autem hæc aulæa fuisse loco parietum, & protexisse convivas à vento, pulvere, æstu, pluvia, &c. Iuxta & intra hæc tentoria, vel tapetia erant dispositi lectuli discubitorii, more orientalium istius ævi, in quibus convivantes accumberent: & quidem aurei, & argentei: quod de sponda & pedibus accipe: & probabile est mensas ipsas nequaquam cessisse toris, vel materiæ pretio, vel operis elegantiâ. Pavimentum quoque atrii smaragdino & Pario lapide stratum erat. Rabbi David ait, per smaragdum accipi hîc duri lapidis genus, simile marmori, quod Chaldæus crystallinum vocat, quia pellucidum, alii viride putant, simile smaragdo in colore, quem lapidem vocant Amycleum, vel Lacedæmonium, de quo Plin. lib. 36, cap. 7. Parius autem lapis erat candidissimus, quale est marmor ex Insula Græciæ Paro allatum.

Pavimentum ergo erat tessellatum marmore candido, & Porphyretico diversicolore: exprimit S. Hieron. *quod mirâ varietate picturæ decoratur.* Intelligo ego pavimentum fuisse varii coloris laterculis, aut tessellis fabrè constructum, Emblemate vermiculato, ut dixere antiqui Romani, jam opus Musivum, vel Mosaicum vocant, quod suâ præstantiâ, etiam sæpe picturam, vel refert, vel superat, & varias rerum exprimit imagines. Porrò de pavimentis versicolore marmore lucentibus, & distinctis consule Plin. l. 35, cap. 25. & Sanctium hîc.

Villalpandus tomo 2 in Ezechiel. lib. 3, cap. 27, per pavimentum mensam accipit: verum hîc postea v. 8. mensarum fit mentio.

Addunt Græca toros, sive lectulos instratos fuisse veste stragulâ pellucidâ variè floribus depictâ, opere videlicet plumario, & Septuaginta hîc adjiciunt, sparsas undiq; rosas; quæ verba indicant convivium hoc verno tempore agitatum, quo rosarum flores leguntur.

Notat hîc Serar. Græcum vocare cubos, taxillos Vitruvio, qui pyramidibus, pilis, & ingentibus molibus, ut firmiùs subsistant, substernuntur. Quòd si hujusmodi fuerunt aurei vel argentei, fuerit procul dubio apparatus regificus & superbus.

Notat 2 Feuardent. ex Rabbinis, lapidem Parium, ut vertit S. Hieron. significare apud Hebræos lapidem pretiosum, qui in convivium adductus, lucet instar meridiei, & nomine illo appellari ajunt, quòd ex eo mercatoribus proveniat libertas, dum divites eos facit.

Observa præterea Latinum vocare tentoria, aut vela aërii coloris, id est, candidi, quem colorem habet aër luce profusus & splendens. Deinde coloris carbasini, qui qualis sit, ignotum est: unde quidam existimant S. Hieronymum vertisse carpasini, pro carbasini, literâ mutatâ, ut & Septuaginta, ex Hebræo כרפס Carpas, quem colorem esse ajunt viridem. hyacinthinus idem est cum violaceo vel purpureo. Videntur autem non solùm aulæa tincta fuisse hujusmodi coloribus sed etiam floribus similis coloris intertexta. De byssо hîc videndus Sanctius, qui rectè tradit byssum genus esse lini nobilioris, ex quo fila ducuntur subtilia, & ab illius excellentia alia omnia fila pretiosa dicuntur byssina, qualia sunt serica. De colore verò quem naturâ byssus acceperit, nolim disputare, v. g. an candidum, an subflavum. Verisimile est cùm Scriptura hîc vocet funes byssinos atq; purpureos, videri distinctionem poni in colore.

Digressiuncula de lectulis discubitoriis.

Antiquissimi mortales mensæ assidebant, ut modò.

SCitum est antiquissimos mortales tam nobiles, quàm ignobiles mensæ assedisse more, qui nunc est in usu, ut patet Genes. 43, vers. 33, ubi dicuntur in convivio Iosephi Fratres sedisse. Idem dicendum de priscis Heroibus apud Homer. in Odysseâ passim, ad mensam non accumbentibus, sed assidentibus. Postea tamen omnes ferè gentes cultæ & barbaræ uti cœperunt accubitu, seu accubatione ad mensam. Ita Græci, Romani, Iudæi, Persæ, & ceteri Orientales, luxu scilicet, deliciis, & mollitie inter eos dominantibus.

52. Descriptio lectulorum.

Igitur in cœnaculo mensa collocabatur rotunda & humilis, viliorum hominum tripes, & ex ligno vulgari; nobiliorum & lautiorum aerea, citrea, aut laminis argenteis tecta, quam pes eboreus fabrè factus, putà in modum Pardi aut Leonis, sustentabat. circa mensam tres, ut plurimum, lecti erant, ex quo triclinii nomen, vel duo etiam, quod biclinium, & sigma vocabatur, à formâ videlicet hemicycli, uno latere libero relicto, ut cibi inferri possent. Hi porrò lecti insternebantur aulæis, purpurâ, aut aliâ veste stragulâ elegante: quod patet hîc ex Septuaginta qui habent: *Et strata pellucida variè ornata floribus,* opere nempe Phrygionico acu picta, aureis filis, vel argenteis in modum Mæandri intercurrentibus, & floribus intertextis.

Porrò priusquam accumberent, vestes mutabant, & cœnatoriam assumebant. Ne verò lectum superbè & lautè instratum conspurcarent, soleas demebant. Terni autem, vel quaterni unum lectum occupabant, & aliquando plures inter plebeios. Accumbebant autem reclinatâ superâ parte corporis in cubitum sinistrum, inferâ in longum porrectâ & jacente, capite leviter erecto, dorso à pulvillis modicè suffulto, sic ut primus vel summus decumberet ad caput lecti, cujus pedes porrigebantur ponè dorsum secundi, & secundi ponè tertium, & sic de ceteris. Secundus autem occiput obvertebat ad umbilicum primi, pulvillo interjecto, pedes verò jacebant ad tergum tertii, & sic deinceps tertius & quartus. Sic potuit S. Ioannes in sinu Christi recumbere: sic Magdalena Christi accumbentis pedes lavare & tergere: Christus similiter Apostolorum pedes abluere.

Loco digniore discumbebat qui primus, & ad caput lecti erat, qui ad pedes, imus, qui inter istos, medius.

52. Rosis tori conspersi. & quo fine.

Videntur & rosis lectuli sive tori conspersi, ut indicant hîc Septuaginta, idque, ut dum venter cibo vinoque reficitur, honestam etiam oblectationem oculi nareſque haurirent; fortè etiam, ut ebrietatem arceret rosarum fragrantia, de quâ re alibi dixi.

Non malè tamen observavit hîc Serar. quæst. 12, voluisse Septuaginta, dum ajunt in circuitu rosas sparsas, evolvere quæ in Hebræo erant involu-

voluta, ut & fecit S. Hieron. dum ita vertit: *Quod mirâ varietate pictura decorabas*: quia scilicet ἀσσάρωτον, sive pavimentum ita fabrè erat constructum, ut flosculos & rosulas vario intersecto marmore repræsentaret.

Observa tantum, non omnes lectulos fuisse à terra sublevatos, vel tuleris subnixos, sed multos sæpe humi stratos, præsertim, si Rex vel Princeps aliquis accumberet. Pertinet huc illud Virg. 2 Æneid.

Inde toro pater Æneas sic orsus ab alto.

Plura de lectulis & toris discubitoriis habet Manutius libello de Accubitu, Stuckius in Antiquitatib. convivial. Lipsius lib. 3 Antiquar. lect. cap. 1, & alii.

Anagoge & manuductio ad palatium cœleste.

ADlubescit ex aulâ Assueri Regis subvolare animi pennis ad cœlestis Regis Augustale. Næ regia Assueri præ cœlesti palatio vilescit. Exclamabat olim Sanctus P. N. Ignatius, *Quomodo sordet terra cum cœlum aspicio!*

Legimus in vita S. Fulgentii, Ianuarii 1, c. 13 ejus vitæ, & Baronio tomo 6, anno 500, quod cum aliquando Romæ Theodoricum Italiæ Regem circumdatum Romanâ Curiâ, Senatu & nobilissimâ pompâ conspexisset, non se continuerit, sed ad supernam civitatem exardescens, in hæc verba proruperit: *Quàm speciosa esse potest Ierusalem cœlestis, si sic fulget Roma terrestris? & si in hoc sæculo datur tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem, qualis honor & gloria præstabitur Sanctis contemplantibus veritatem?* Sic ille.

51. S. Fulgentii aspiratio ad cœleste palatium.

Fertur Demades vir industrius & famâ celebris, qui insuper artis pingendi peritus erat, missus quondam ad Philippum Macedonem ab Athenis caduceator & legatus. Inter cœnandum Rex Philippus varia ab eo petiit multis sermonibus de Athenarum civitate, de ejus amplitudine, situ, frequentiâ, munitione, pulchritudine; & num illa, urbe suâ Regia, major & insignior esset. Demades non ignarus penicillo terrarum imagines in tabulâ delineare, non solùm eleganti oratione, sed calamo, ita graphicè Athenarum magnitudinem & decorem descripsit, ut Rex Macedo ingenti urbis illius capiendæ cupiditate inflammatus in hæc verba proruperit: Ut civitas Athenensis meam in potestatem cedat, armis vel auro perficiam.

54. Philippus Macedo visâ in tabulâ Athenarum delineatione, desiderio illis potiundi inardescit.

Si rudis adumbratio Athenarum ita Macedonem incendit, ut quiescere non potuerit, nec se Regem putarit, nisi iis potiretur; quo ardore succendi nos convenit, ut non adumbratâ cœlestis palatii imagine, sed ipso æterni Regis Augustali fruamur?

Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei. Quis illa gloriosa dixit, nisi qui vidit, Ioannes, inquam, cœli explorator, qui ita enarrat Apocalypsis 21, ℣. 2, *Et ego Ioannes vidi sanctam civitatem Ierusalem novam descendentem de cœlo à Deo, paratam, sicut sponsam ornatam viro suo.*

55. Pulchritudo cœli.

Assueri Regia sus in ruinis & ruderibus sepulta jam est, & obsoleta; cœlestis vero illa semper nova, vetustatem ignorat, semperque perennat, ejus ornatus comparatur sponsæ, quæ innumeris monilibus, & mundo pretiosissimo circumdata ad thalamum sponsi ducitur. Vt cœlum splendescit stellis, ut Thessala Tempe floribus, ut horti Hesperidum aureis malis, sic illa,

Clara micante auro flammasque imitante pyropo.

Describitur hæc civitas à Ioanne suprà c. 21, ubi inter alia sic dicitur vers. 18: *Et erat structura ejus ex lapide iaspide: ipsa verò civitas auro mundo simile vitro mundo, & fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata, &c.* Rursus agens de portis sic habet ℣. 21, *Et duodecim portæ duodecim margaritæ sunt per singulas, & singulæ portæ erant ex singulis margaritis, & platea civitatis aurum mundum tanquam vitrum perlucidum.*

Quæ tecta porphyretica, quæ aurea, aut gemmea palatia, quæ columnis Pariis innixæ porticus, quæ Babyloniis peripetasmatis, & acu pictis aulæis circumvestita triclinia præ cœlesti civitate non sordeant? omnia in cœlesti Regiâ auro crystallino pellucent, omnia unionibus radiant, ut non sit opus pyropo, carbunculo, aut phengite lapide, qui à splendore nomen invênit, de quo Plin. lib. 36, cap. 22.

56. In cœlo lapides pretiosi & gemmæ.

Nec dubitandum videtur, quin margaritæ, uniones, sapphiri, & smaragdi in supernâ regione reperiantur, sed hisce nostris longe præstantiores. Cùm enim omnes Beatorum sensus resumptis corporibus, suis oblectamentis reficiendi sint, ut Patres passim docent, & in his S. Anselmus lib. de Similitudinibus, c. 57, & oculi mirè gemmarum, & præcipuè smaragdorum nitore, & virore capiantur; non videntur honestæ illæ deliciæ Sanctorum luminibus denegandæ.

Ita canit S. Augustinus tomo 9, cap. 26 suarum meditationum:

Ibi vivis margaritis surgunt ædificia,
Auro celsa micant tecta, radiant triclinia,
Solis gemmis pretiosis hæc structura nectitur, &c.

Colligere licet hæc ex Isaiæ 6, ℣. 6, ubi pro calculo quem Seraphim tulerat de altari alii transtulerunt carbunculum, quæ gemma omnes alias pretio superat. Non enim in cœlo sunt primæ lignæ, sed gemmeæ. Vide Corn. & Tirinum ibi.

Antè etiam de hac civitate vaticinatus erat Tobias cap. 13, vers. 21: *Porta Ierusalem ex sapphiro, & smaragdo ædificabuntur, & ex lapide pretioso omnis circuitus murorum ejus, ex lapide candido & mundo omnes plateæ ejus sternentur, &c.*

Accedunt plurima spectacula per visum in somnis vel aliter objecta, quibus monstrabantur in cœlis magnificentissima palatia humana specie augustiora. Lege vitam S. Ioannis Eleemonis cap. 36, apud Surium, Ianuarii 23, ubi Troilo Episcopo avaro ostenditur per quietem in cœlo domus augustissima, & pulcherrima incomparabili elegantiâ, cum hâc inscriptione: *Mansio & requies æterna Ioannis Archiepiscopi Alexandrini.* Vide Paradisum cœlestem Petri Mathiæ cap. 37, & 38, & cap. 12, 42, 43.

57. Objecta sanctis viris per visum in cœlis aurea & gemmea palatia.

Palatia Regũ mundi hujus si cum cœlestis Regis aulâ conferantur, lutea sunt & brevi ruitura; similiâ domui aureæ, quam dæmon promiserat se daturum Radbodo Regi Frisonum in suâ infidelitate persistenti. Illudens enim oculis auream finxerat domum miræ pulcritudinis; sed Diacono S. Wulfranni dicente, *Si à Deo hæc est, perpetuò maneat; si a diabolo, citò dispareat*; & se signante, domus illa in lutum conversa est. Ita Baron. Tom. 9, Anno Christi 709, & Surius in vita S. Wulfranni, Martii 20.

58. Palatia Mundi similia Radbodi aureæ domui.

De-

59. Coronæ è cœlo allatæ aureæ, gemmeæ, floridæ. ut vidit Celsus puer.

Demde allatæ sunt sæpius Martyribus & Virginibus è cœlo coronæ auro radiantes, intertextæ gemmis, liliis & rosis floridæ. Consule inter alia res gestas S. Iuliani & Basilissæ cap. 27, apud Surium Ian. 9, ubi Celsus puer Præsidis Martiani filius vidit coronam ex lapidibus pretiosis & auro, super caput S. Iuliani Martyris, cujus fulgor aëris hujus lumen obscurabat, &c.

Ornatus cœlestis S. Agnetis.

S. Agnes, teste D. Ambros. serm. 90, visa est parentibus ad tumulum ejus pernoctantibus aurea veste fulgens in medio exercitus Virginum simili apparatu splendentium.

60. S. Dorothea rosas & poma promissa è cœlo mittit.

B. Dorothea, ut habet ejus vita, apud Surium, Feb. 6, *non dubitans sponsi sui in cœlo Paradisum floribus & pomis refertissimum, cum in equuleo suspensa torqueretur, Sapritium Tyrannum sic alloquebatur: Sponsus meus me invitat. En per breves has & exiguas pœnas ad Paradisum ejus contendo, ubi poma germinant mirè decora, rosæ, lilia, & omne florum genus, qui nunquam marcescunt, &c.* Cum interim Theophilus Prætidis assessor per jocum illam interpellaret: *Eja sponsa Christi, mitte mihi è Paradiso sponsi tui mala vel rosas. Faciam omnino, inquit: nec fidem fefellit. Siquidem misit ad Theophilum Angelum puellis formosissimis specie, qui calathum recentibus pomis & rosis confertum deferebat: quo prodigio admonitus Theophilus & ipse lauream martyrii donatus est.*

61. Sedes gemmea in cœlo parata S. Francisco.

Scribit S. Bonavent. in vita S. Francisci cap. 6, religiosum quempiam virum extra se raptum vidisse in cœlo sedem pretiosissimis unionibus vestitam & mire refulgentem, cui admirabundo dictum est: *Hæc sedes unius de Angelis qui corruerunt, fuit, & nunc humili debetur Francisco.*

62. Item lectus pretiosis stragulis Thaisi.

Vidit S. Paulus Abbas S. Antonii discipulus orans, in cœlo lectum pretiosis stragulis adornatum: cui dictum est illum esse paratum Thaisi meretrici, quam ad meliorem vitam S. Paphnutius revocaverat, ut habet Herbertus lib. 1, in vitis Patrum, ex actis Thaisis.

Quorsum, quæso, toties ostensæ gemmæ, coronæ aureæ, lecti aulæis constrati, flores, rosæ, poma, nisi simulia, sed longè augustiora Sanctis in cœlo essent parata?

Certè mundus hic inferior nihil in bonis, quæ fortunæ vel caduca vocamus, præstabilius aut gignit aut continet auro, margaritis, versicoloribus lapillis, &c. adeò ut lucentia astra non inconcinnè cœli uniones & gemmæ appellari possint; & contra gemmæ terrarum stellæ, quia earum lucem, levitatem, occultas etiam vires, & arcanam efficaciam referunt: unde & apud veteres gemmæ rerum cœlestium sacra symbola fuerunt.

63. Gemmæ terrarum stellæ, cœli guttulæ, &c.

Quidam etiam putant margaritas esse quasi cœli elegantiores guttulas, & quasdam imagines eorum cimeliorum, quæ superna patria sinu suo continet: quin & Plato in Phædone asserit, iaspidem, sapphirum, & ceteras nostrates gemmas esse ramenta quædam montium ac gemmarum terræ superioris.

64. Doctores tenent omnia honestia sensuum oblectamenta fore in Beatis.

Nec desunt testimonia Interpretum sacrorum & Theologorum, inter quos Suares 3 p. tom. 2, disp. 47, sect. ultima, docet omnes honestas sensuum voluptates fore in corporibus gloriosis, idque valde esse rationi consentaneum, quia non propter se expetentur, sed ut omnibus modis magis Deus glorificetur: idque probat ex Laurent. Iustiniano, Anselmo, Augustino & aliis, & confirmat ex contrario: si enim in damnatis omnes sensus pœna torquentur, cur non magis in Beatis voluptate perfundentur? vide etiam Ioan. Salas 1, 2, q. 5, art. 5, tract. 2, disp. 14, sect. 14.

Inter Scripturæ Interpretes maximè consulendus Barradius tomo 3 in Euang. l. 10, c. 3. Vbi ex professo docet in cœlo fore magnificentissima palatia, hortos, nemora, prata amœnissima, quæ & ornamento sint cœlesti civitati & oblectamento sensibus Iustorum. Addit, Martyres gestare manibus palmas, virgines lilia, Doctores ramos virides: denique; ostendit ex Domm. Soto, in quarto, dist. 49, quæst. 5, art. 2, etiam aureolam gestare Sanctos in suis corporibus, ita ut in capite Martyris corona cernatur rubea, in capite Virginis candida, in capite Doctoris viridis. Idem docet Cornelius a Lapide in Apoc. 21, v. 19, & 22, vers. 2, sub finem.

65. Cur beatitudo vocetur hereditas inconcussa & immarcescibilis apud S. Petrum.

S. Petrus supernam illam promissionis terram adumbrans, 1 Epist. cap. 1, vers. 4, dixit *Hereditatem inconcussam & immarcescibilem*, id est, florentem, &, nullâ ariditate deformatam, jugi decore germinantem, vivisque coloribus depictam: quæ verba symbolum nobis sunt semper exuberantis & virentis æternitatis. Græca sunt; κληρονομίαν ἀμίαντον, καὶ ἀμαράντινον q. d. hereditatem Amianti & Amaranti.

66. Amiantus, est symbolum divinitatis.

Est autem Amiantus lapis friabilis, è quo in fila extenuato fit linei panni textura, qui flammis injectus non consumitur, sed purgatur, de quo Plin. l. 19, cap. 1. qui & inde Græcis vocatur ἄσβεστος, vel Asbestinus, id est, inextinctus, ut calx viva: quæ res similitudinem quandam sempiternæ refert divinitatis, quam cùm Brachmanes Indiæ sapientes affectarent, ex eo lino indumenta sibi conficiebant, ut specimen quoddam præferrent victricis & perpetuæ divinitatis.

67. Amarantus etiam beatitudinis æternæ symbolum.

Amarantus vero flos est purpureus, inde nomen fortitus, quod nunquam marcescat, quem ait Plin. l. 21, cap. 8, gaudere decerpi, & lætius renasci. quin etiam decerpus, cùm aruisse putes, si madefiat aquâ, reviviscit, quæ imago est semper efflorescentis æternæque beatitatis.

Assurge anime, & ex his luteis gurgustiis subvola ad smaragdina, sapphirina, gemmea cœlorum palatia, ex his suburbanis tricubitalibus ad

amœna vireta
Fortunatorum nemorum, Elysiumque beatum,
Hortos Hesperidum, cœli ridentia Tempe.

Sume vires ad fortiter dimicandum pro æternæ vitæ coronâ, ex hac quam subjicio historiolâ, quam describit in speculo historiali l. 12, c. 133, Vincen. Bellucensis.

68. Fidei virginis mira in tormentis constantia coronâ cœlesti propositâ accenditur.

Fides virgo ob fidem Christianam & vitæ sanctitatem ad Dacianum præsidem rapta, cùm neque minis abstèrreri posset ut Christum negaret, neque blanditiis pellici, ut Iovem coleret, distractis in diversa membris in crate ferreâ diristimè est extensa, subjectisque prunis lento igne cruciata. cùm autem tormentum illud ferret incredibili constantiâ, multi ad Christum ejus exemplo traducti sunt. Erat ipso tempore Caprasius metu Daciani non procul ab urbe in excisæ cujusdam rupis spelæo occultus, qui divinitus docebatur universa quæ circa virginem gerebantur. Cum ergo animo conspiceret defluente per nimios ignis ardores corpore fidem in Fidei pectore non defluere, Deum obnixè rogavit, ut

paratum tantæ constantiæ præmium sibi ostenderet, vix vocem vel votum ad cœlum emiserat, & ecce protinus vidit nivis instar argenteam columbam e cœlo delabi, unàque candidum ephebum alis per aëra se vibrantem. Angelus pueri specie cycladem miræ pulchritudinis aliaque ornamenta deferebat, quibus in igne triumphantem veriùs quam æstuantem virginem contegeret. Columba autem coronam prehenderat auro gemmisque coruscantem, ut etiam Ariadneam illam inter sidera spectabilem specie anteiret; hanc coronam virgineo vertici imposuit digno vel stellis coronari. quin etiam ita circa cratriculam flammasque circumvolavit ut unam ex antiqui moris columbis balsama in convivas jactantibus crederes. nam alarum quatiatione balsamitas guttas imò cælestis roris tantam copiam in candentes prunas effudit, ut incendium in refrigerium versum videretur. Quod cùm spectasset e caverna sua Capratius, divino lumine perfusus, ocyus, tam præstantis coronæ potiundæ ardore succensus e latebris suis prosilit, & se tyranno intrepidè obtulit; qui etiam Daciani lanienam ob Christi fidem tam insigni animi robore sustinuit, ut ejus exemplo nobile par fratrum Primus & Felicianus, ad Christianam religionem transierint, itaque quatuor hostiæ, plaudente cælo ab Angelo receptæ sunt. O gemmis cœlestibus capita incingenda!

Similem historiam habes Aprilis 12, apud Surium, de S. Saba.

VERSVS VII, & VIII.

Bibebant autem, qui invitati erant, aureis poculis, & aliis atque aliis vasis cibi inferebantur. Vinum quoque ut magnificentiâ regia dignum erat, abundans, & præcipuum ponebatur:

Nec erat qui nolentes cogeret ad bibendum; sed sicut rex statuerat, præponens mensis singulos de principibus suis, ut sumeret unusquisque quod vellet.

Hebræa sic sonant: Et propinabant in vasis aureis, & vasa vasis mutabant, & vinum regium multum juxta potentiam regiam & potus erat secundùm legem. Non erat qui cogeret; quia sic disposuerat Rex cum omni magistro suo, ut facerent secundùm uniuscujusq; voluntatem: quasi dicat: Hæc erat lex potandi, neminem cogere ad bibendum.

Cajetanus rectè sic exponit; Non solùm porrigebant potum in vasis aureis, sed etiam illa mutabant, ut non oporteret exspectare alios bibentes.

Fortè accedebant ad morem quorundam religiosorum, ubi quisq; accumbentium proprium habet scyphum. Deinde potus dabatur secundum consuetudinem sive legem, quia ordinatè juxta cujusque morem potabant, quòd Rex sic statuerat, ne infimis injuria fieret.

Græca sic legunt: Pocula aurea & argentea: gemmeus calix propositus è talentis triginta millibus. Vinum multum & suave, quod rex ipse bibebat, potus autem hic non secundùm propositam legem fiebat: sic enim voluit Rex, & præcepit Oeconomis facere voluntatem ipsius & hominum.

Iosephus hæc ita expressit: Eo in epulo ministrabatur aureis & gemmeis poculis ad delectationem simul & miraculum factis. mandavit etiam ministris ne quem more Persarum ad bibendum cogerent, sed arbitratu suo quemque appositis frui sinerent.

Addit, dimissos fuisse in omnes ditiones regis nuntios, qui edicerent, ut omnes ab operibus feriati per dies aliquot festum pro regni incolumitate agerent.

COMMENTARIVS.

DE tribus hîc sermo est. Primò, de aureis poculis & cyathis ad bibendum præparatis, & ejusdem materiæ & artis, ut videtur, patinis, lancibus & orbibus, sive vasculis escariis, quæ sæpe mutabantur; quo indicatur supellectilis mensariæ copia.

Deinde, de potu vini primæ notæ, & copiosi & suavis, quo etiam ipse Rex utebatur. hinc intellige etiam dapes & epulas fuisse opiparas & lautas, regiâ magnificentiâ dignas, Perticas & Medicas.

Tertiò, de lege conviviali à rege latâ, tamquam arbitro & magistro convivii, quam executus est per suos œconomos & Principes, ut quisque pro voluntate, genio & more suo sumeret, nec quisquam ad edendum vel bibendum cogeretur.

Nota primò, Quamvis, ut jam legimus in Græco & Hebræo, non fiat apertè mentio dapum appositionis; prudenter tamen & verè in Latino expressit S. Hieronymus, cibos mutatis vasis fuisse in mensam illatos. Quis enim dicat regium Assueri convivium, in quo inaudita spectabatur opulentia & magnificentia, epulis exquisitissimis caruisse? Si vinum præcipuum & copiosum, cur non etiam lectissima & maximè eximia cibaria? denique cur vasa varia & mutata sæpius convivis apponuntur, si quæ orexis appetit, desint esculenta? Conjicit etiam Serar. quæst. 13 מגלים Miccelim fortè significare vasa, quæ cibos continerent.

Nota secundo, Septuaginta addidisse inter pocula fuisse unum eximium & splendidissimum, quod

quod vocant ἀνθρακινὸν κυλίκιον, id est, è carbunculo caliculum, pretio triginta millium talentorum, ad quod videtur respexisse Iosephus suprà, cùm ait, in epulo ministratum fuisse etiam gemmeis poculis ad delectationem & miraculum factis.

69. Calices potorii olim ex gemmis.

Vbi Salianus hìc, num. 7 observat ex variis Plinii locis olim sæpe ex singulis gemmis calices fuisse confectos. Aliquos locos indico. Plinius itaque in proœmio lib. 33, loquens de insatiabili quorundam luxu, sic scribit: *Turbâ gemmarum potamus & smaragdis teximus calices, ac temulentiæ causam tenere Indiam juvat, & aurum jam accessio est.* Idem lib. 37, cap. 1: *Tradunt Pyrrhum habuisse Achaten, in qua novem Musæ & Apollo citharam tenens spectarentur, non arte, sed sponte naturæ, ita discurrentibus maculis, ut Musis quoque singulis sua vederentur insignia.* Idem cap. 2, ibidem, scribit Pompejum in tertio suo triumpho, transtulisse alveum cum tesseris lusorium è gemmis duabus, latum pedes tres, longum pedes quatuor. Rursum cap. 5, ibidem, *Theophrastus tradit in Ægyptiorum commentariis reperiri Regi eorum à Rege Babylonio missum smaragdum munere, quatuor cubitorum longitudine & trium latitudine; & fuisse apud eos in Iovis delubro obeliscum è quatuor smaragdis, 40 cubitorum longitudine, latitudine verò in parte 4. in parte duorum, se autem scribente esse in Tyro Herculis templo stantem pilam ex smaragdo*, &c. Rursus eodem cap. 7 tradit ex Carchedonio & ex Lychnite, qui est ex genere ardentium gemmarum, potoria vasa factitata, similiter ex Indicis carbunculis in sextarii unius mensuram cavari. Quæ omnia indicant verisimile esse, quod ajunt Septuaginta, caliculum ex carbunculo in Assueri convivio circumlatum.

70. Achates Pyrrhi admirabilis, & alia.

71. Quali aqua, & quali vino uterentur Persarum Monarchæ.

Nota tertiò, Persarum reges aquâ in potu quondam usos, sed solâ ferè hausta ex flumine Choaspe, qui Susa præterfluit; erat enim ea aqua & levissima, & suavissima, quæ etiam, cùm in itinere essent, in cadis deferebatur. Vide Solinum in Polyhistore.

Vt verò non quælibet aqua, ita nec quodlibet vinum illis in potu offerebatur, sed tantum Chalybonium è Syriâ advectum, ut habent Athenæus lib. 1. Strabo lib. 15.

Observat Serar. quæst. 14, hoc nomen acceptum è sui præstantiâ: nam Hebræis Cheleb est pinguedo, & lac, & ita hoc vinum pingue & quasi lacteum dictum est, & sic docet S. Hieron. in Ezechiel. 27, ubi Septuaginta vinum de Chelbon: hìc verò videntur idem vocasse suave ἡδὺ. solent enim pinguiora plusculum dulcitudinis habere. Ita Serarius.

Adverte etiam quatuor titulis hoc vinum commendari: Primò dicitur vinum dignum regiâ magnificentiâ, Hebraicè, juxta manum, id est, potentiam Regis, quod idem est. Secundò dicitur abundans, sive multum. Tertiò præcipuum, Hebraicè, vinum regni, sive regium, dignum quod à rege biberetur: Septuaginta, quod rex ipse bibebat: per quod intellige vinum præstantissimum. Sanctius tamen negat convivas eodem cum rege vino usos fuisse. solent enim reges, etiam qui modò regnant, certum quoddam vini genus tum sanitatis, tum delicturum gratiâ usurpare: sic dicitur Daniel. 1, vers. 5, *Constituit eis rex de vino, unde bibebat ipse;* & vers. 8, *Proposuit Daniel ne pollueretur de mensâ regis, neque de vino potus ejus.* Quartò Græcè dicitur vinum illud fuisse suave, tale scilicet quod gustatum afficeret, & dulcedine deliniret.

De appositis dapibus nihil attinet dicere, cum Persicarum mensarum apparatus pro regificis, exquisitissimis, & maximè opiparis accipiantur, etiam Proverbio.

Tradit Athen. l. 8, ex omnibus esculentis, quæ regiones imperio regis subditæ ferebant, aliquid primitiarii instar in epulis apponi solitum.

Quamdiu viguit prisca Persarum disciplina, optimisque legibus & institutis temperata, de quâ Xenophon lib. 1 Pædiæ, pane & nasturtio famem sedabant, sitim levabant è proximo flumine hausta frigidâ; unde commodâ utebantur valetudine. Postquam verò Medicus Lydiusque luxus invaluit, eversa est paulatim prisca Persarum frugalitas: sine arte mensis subiere lauta & splendida convivia, ita ut qui ante abstemii, vino postea se ingurgitarint. Vnde Herodot. lib. 1 vocat Persas vinosos. Vide Xenoph. sup. l. 8.

72. Frugalitas Persarum in luxum degenerat.

Nota quartò, regem Assuerum in hoc convivio fuisse quasi Rectorem, ut loquitur Sirachides Ecclesiastici 32, vers. 1, ut Romani, Magistrum, vel Modumperatorem; ut Horat. bibendi arbitrum; ut Græci, sympostarchum, regem, &c. qui videlicet leges ferret in sympostio à convivis servandas. Apud Iudæos etiam erat Architriclinus, de quo Gaudent. tract. 9 in Ioan. & Baron. Tom. I. *Traditio*, inquit, *est: cùm fierent nuptiæ apud Iudæos, dabatur unus è sacerdotibus, qui disciplinam moderaretur, convivarum apparatum, ministros & ordinem dirigeret & curam pueris conjugalis ageret, qui inde Architriclinus*, id est, *præses triclinii dicebatur.*

73. Rector convivii & Architriclinus quis?

Tulit ergo rex duas in suo epulo leges.

Prima erat: *Neminem ad bibendum cogito.*

Altera: *Vnusquisque quod vult, & quantum vult ex esculentis & poculentis sumito.*

74. Leges conviviales à Rege latæ.

Deinde Persarum legem pravam & illiberalem aliquando observatam abrogat, quâ ad æquales haustus se mutuò perurgebant.

Hæc omnia ex collatis inter se textibus colliguntur: unde rectè Chaldæus: *Potatio erat juxta assuetam corporis consuetudinem* (pro cujusque scilicet genio, ut rex sanxerat) *& nemo erat qui cogeret. Nam sic posuerat rex decretum super omnem domus suæ procuratorem, ut faceret juxta voluntatem singulorum.* Hæc ille.

Vt autem edictum hoc summi Dictatoris ratum fixumque esset, præposuit rex mensis singulos de principibus suis, ut habet Latina lectio, qui advigilarent ne quid secus fieret, volebatque rex ne vel ipsi principes quemquam ad bibendum importunè moverent, vel verbis incitando, vel assiduè vinum offerendo per famulos (quæ videtur esse quædam coactio, saltem tacita) aut cogi ab aliis sinerent, vel ipsi etiam invicem se convivæ ad idem provocarent.

Hæc itaque illæsa servata sunt in isto publico & regali epulo, ut biberent omnes secundùm decreta ab Assuero lata, non verò secundùm depravatum, & tunc receptum Persarum morem.

Nota postremò, Præsides mensarum, hìc diversis vocabulis indigetari: nam Iosephus vocat Diaconos, id est, ministros, Septuag. Oeconomos, Hebræus Magistros, noster Principes

mensis præpositos. Illi autem idem omnes sunt, videlicet Oeconomi, qui nomine regis & convivas exciperent, & suo quemque loco sessum reciperent, & cum hospitibus explicitâ omni suâ curâ, ut loquitur sup. Sirachid. vers. 2, recumberent, fungerenturque eo munere quo olim Rectores & Magistri convivii, idque nomine regis. De quo munere cum plurima à nobis dicta sint in cap. 32 Ecclesiastici, lectorem eò remittimus.

Præter eos Magistros & sympositarchas fuere & alii imi subsellii viri, qui inferiora obirent ministeria, v. g. Prægustatores, Pocillatores, quos vulgò mensæ ministros vocamus, de quibus hîc Serar. quæst. 17. Adde, viros illos principes curasse, ut omnia ordinatè & moderatè tempore sympotii peragerentur, ne quid turbarum oriretur, ne quid alicui deesset, &c.

Digressio Prima.

An celebrare vel frequentare convivia licitum?

COnvivia tum privata inter consanguineos & familiares, tum publica & solemnia in nuptiis, & aliis cœtibus non esse per se illicita & improbanda, ostendunt tum alia, tum exempla Sanctorum, & ipsius Christi Domini, qui illa frequentarunt, & alios invitarunt. De quâ re hîc Feuardent. & alii passim.

75. Sancti convivia adire detrectarunt.

Quia tamen voluptatem conviviorum tanquam blanditissimam dominam plura vitia veluti pedissequæ comitantur, hinc sancti viri convivia adire plerumque detrectarunt.

S. Ambrosius.

Certè S. Ambrosius, ut scribit Possid. in vitâ S. August. cap. 27, hæc tria in vitâ servabat (quæ & idem Augustinus probat) ut uxorem cuiquam nunquam posceret, neque militare volentem ad hoc commendaret, neque in suâ patriâ petitus iret ad convivium. qui & hujus hanc causam dabat, ne per frequentiam in patriæ conviviis, constitutus temperantiæ amitteretur modus.

S. Chrysostomus.

Idem servavit S. Chrysost. authore Metaphraste in ejus vitâ: plus enim oratione, quàm epulis recreabatur.

Æqualis operæ instruere aciem, & convivium.

Non insicitè olim dixit Paul. Æmil. *Paris laboris industriæque esse aciem bene instruere, & convivium exhibere:* addere poterat, & ibi præsentem non peccare. Sicut enim duci curandum, ut acies hostibus sit formidabilis; ita hospiti providendum, ut convivium sit amicis jucundum; convivis verò observandum, ut ita corpus reficiant, ne tamen animo noxa inferatur.

Digressio Secunda.

Quis conviviorum finis?

AVdi Catonem Majorem apud Ciceron. de conviviis, quæ inter familiares agitantur, disserentem: *Non ipsorum conviviorum delectationem voluptatibus corporis magis quam cœtu amicorum & sermonibus metiebar. Bene enim majores accubationem epularem amicorum, quia vitæ conjunctionem haberet, convivium nominarunt, melius quam Græci, qui hoc idem tum compotationem, tum concœnationem vocant; ut quod in eo genere minimum est, id maximè probare videantur. Ego verò propter sermonis delectationem tempestivis quoque conviviis delector, habeoque senectuti magnam gratiam quæ mihi sermonis aviditatem auxit, potionis & cibi sustulit.* Hæc ille & plura in libello de Senectute. Idem lib. 9 Epistol. familiar. ad Pætum: *Sapientius nostri quàm Græci: illi Symposia*, id est, *compotationes, nos convivia; quod tum maximè simul vivitur.*

76. Convivium dictum à vitæ conjunctione.

77. Cœna etiam vocata à communione sive societate.

Plutarchus etiam à Græcis dictam vult cœnam ἀπὸ τοῦ κοινοῦ, quasi communem, à communione non modò cibi & potionis, sed societatis, quam illa conservat: qui etiam in problem. dicit *convivium benevolentiæ templum*, quia ibi humanissima amicorum commercia. Idem quoque septimo symposiac. refert *Romanum quemdam, cùm solus cœnasset, dixisse, se eo die non cœnasse sed edisse tantùm, eò quòd cœnæ defuisset condimentum, societas.*

Si igitur, ut nomen convivii sonat, ita epulum ineatur, ut amici antiqui foveantur & novi parentur, & non tam, ut dapibus & poculis, quàm sermonibus utiliter jucundis mensæ condiantur, omnino convivia probanda sunt.

78. Panis & vinum amicitiæ symbola.

Et certè panis & vinum apponi solita, apud sacros & profanos Auctores caritatis & amicitiæ symbola sunt, cum ille ex pluribus granis conficiatur, hoc ex plurimis acinis confluat.

Præclare Plutarchus 4 symposiac. *Non ante convivio discedendum, quàm unà accumbentium alicujus benevolentiam & amicitiam fuerimus nacti.* In convivium enim venîmus amicorum parandorum causâ.

79. Achitophel perfidiâ suâ convivium Davidis amarum reddidit.

Hinc meritò queritur Psaltes de Achitophele & aliis perfidis amicis, mensæ suavis communionem in felleam amaritudinem, odium, simultatemque convertentibus, Psalmo 54, vers. 15, & 16: *Tu verò homo unanimis, dux meus & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos*, &c. Quæ postrema verba ex Hebræo sic reddi possunt; qui dulces magnâ familiaritate inter nos miscebamus sermones; quasi indicare vellet, hunc primarium esse conviviorum fructum, non solùm communicare invicem cibum & potionem, sed multò magis consilia, colloquia, &c.

80. Amicus optimum convivii condimentum.

Plutarchus symposiac. 7 ait, ortâ aliquando contentione inter sapientes, quod mensæ esset suavissimum condimentum, unum quidem affirmasse ignem, alium vero salem, tertium tandem multo sapientius respondisse, *optimum convivii condimentum esse amicum.*

81. Sal amicitiæ signum.

Ajunt etiam salem notam esse conjunctionis & amicitiæ: sic dicunt hostes Iudæorum 1 Esd. 4, vers. 14: *Nos memores salis quod in palatio comedimus*, vel, ut habetur Chaldaicè, quia sale palatii saliti sumus, id est, educati.

Solet autem etiam nunc mensis inferri sal ante alios cibos, etiam panem.

Videtur Christus huc respexisse cùm Apostolos hoc modo alloquitur Marci 9, ℣. 49, *Habete in vobis sal & pacem habete inter vos.*

82. Profana mensa, in quâ deest sal.

Profana mensa habebatur etiam apud Ethnicos, ubi deerat salinum, de quâ re Lipsius consulendus lib. 2 Saturnal. cap. 2. An igitur ideo in nocturnis Strigum & maleficarum orgiis & sacrilegis mensis sal deficit, & sæpe etiam panis? Incertum.

Quidquid sit de Orgiis maleficarum, (de quibus Delrio tomo I, lib. 2 Disquisitionum Magicarum

carum, q. 12, n. 6.) certum eſt, ſalem ſymbolum eſſe familiaritatis. Hinc adagium: *Salis modius abſumendus, antequam fidas*: & illud Græcum ἅλα καὶ ξενίαν μὴ παραβαίνειν: *ſalem & menſam non prætereunda*, id eſt, amicitiæ jura non violanda.

83. Quid ſal fœderis Dei. Huc etiam trahunt aliqui illud Levitici 2, v. 13; *ſal fœderis Dei tui, & pactum ſalis.* Num. 18, v. 19. & 2 Paral. 15, v. 5. quia per legem à Deo latam & homines ſibi invicem, & ipſi Deo, Deusque hominibus arctiſſimo amicitiæ vinculo conjunguntur. Vide Barrad. t. 2 concord. Euangel. l. 7, c. 5, & Interpretes in loca citata.

Notat Pierius l. 32 hieroglyph. ſalem hoſpitibus ante alios cibos apponi ſolitum, quia eo amicitiæ firmitas & diuturnitas ſignificetur.

84. Sal nota firmæ amicitiæ. Quare plerique ominoſum habent, ſi ſalem in menſam profundi contigerit, contra vero fauſtum, ſi vinum atque id merum effuſum fuerit.

Vt hunc animorum nexum & ſignificarent, & verò etiam arctiorem efficerent primi Chriſtiani, dixerunt cœnas ſuas ἀγάπας, teſte Tertull. Apologet. adverſus gentes, cap. 39. *Cœna*, inquit, *noſtra de nomine rationem ſui oſtendit: vocatur enim ἀγάπη, id quod dilectio apud Græcos eſt, quantiscumque ſumptibus conſtet. Lucrum eſt pietatis nomine facere ſumptum, ſiquidem inopes quoque refrigerio iſto juvamus.* Et poſt pauca: Religioſam ſub menſam honeſtatem Chriſtianorum demonſtrans, hæc ſubjicit: *Non prius discumbitur quam oratio ad Deum præguſtetur. Editur quantum eſurientes capiunt. Bibitur quantum pudicis eſt utile. Ita ſaturantur ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum ſibi eſſe. Ita fabulantur ut qui ſciant Dominum audire. Poſt aquam manualem & lumina, ut quisque de Scripturis Sanctis vel de proprio ingenio poteſt, provocatur in medium Deo canere. Hinc probatur quemodo biberit. Æquè oratio convivium dirimit. Inde diſceditur non in catervas cæſionum neque in claſſes diſcurſationum, nec in eruptiones laſciviarum, ſed ad eandem curam modeſtiæ & pudicitiæ, ut qui non tam cœnam cenaverint, quam diſciplinam.* Hæc Tertullianus.

85. Cœna primorum Chriſtianorum cur dicta Ἀγάπη, dilectio.

86. Cœna illorum qualis?

Fuit etiam convivii apparatus via commodiſſima ad graves ſimultates, & inimicitias extinguendas. Vnde eà de cauſſà hodieque exhibentur, & ſemper exhibita fuerunt convivia, ut conſtat ex omnibus hiſtoriis. Exemplum habes apud Livium lib. 8 belli ſecundi Punici, de Scipione & Haſdrubale ad menſam à Syphace Rege invitatis.

87. Convivia exhibita, ut ſimultas extingueretur.

Inſuper, ut eandem amicitiæ conjunctionem obſervarent firmarentque, convivium coronarium, de quo dixi in Eccleſiaſtico, celebrabant filii Iob cap. 1, 4. *Et ibant*, inquit, *filii ejus & faciebant convivium per domos uniuſquiſque in die ſuo, & mittentes vocabant ſorores ſuas, ut comederent & biberent cum eis.*

88. Convivium coronarium filiorum Iob.

Obſervat hoc S. Gregorius 1 moral. cap. 4. *Et pater*, inquit, *dives dicitur & filii concordes aſſeruntur. Et dum dividenda inter eos ſubſtantia aderat, corda tamen omnium indiviſa charitas replebat.* Qui tamen Gregor. verba, quæ ibidem ſequuntur ℣. 5, explicans, *cumque in orbem tranſiſſent dies, mittebat ad eos Iob & ſanctificabat illos, conſurgensque deluculo offerebat holocauſta pro ſingulis, &c.* hæc addit: *Vir quippe ſanctus noverat, quia celebrari convivia ſine culpa vix poſſunt, noverat quia magnâ purgatione ſacrificiorum diluendæ ſunt epulæ convivantium; & quidquid in ſemetipſis convivantes filii inquinaverant, pater ſacrificium immolando tergebat. Nonnulla quippe ſunt vitia, quæ à conviviis vix ſeparari poſſunt, aut certè nequaquam poſſunt. Penè enim ſemper epulas comitatur voluptas. Nam cùm corpus in refectionis delectatione reſolvitur, cor ad inane gaudium relaxatur. Penè ſemper epulas loquacitas ſequitur, cumque venter reficitur, lingua refrenatur.* (id eſt, laxatur) *Hi*, inquit, *qui chordarum harmoniam temperant, tantâ hanc arte diſpenſant, ut plerumque cùm una tangitur, longe alia ac multis interjacentibus poſita chorda quatiatur; cumque illa ſonitum reddit, alia quæ in eodem cantu temperata eſt, aliis impercuſſis tremit. Sic ergo in Scripturâ plerumque de virtutibus, ſic de vitiis agitur, ut dum loquendo aliud inſinuat, aliud tacendo innoteſcat.* Ac mox ſubjicit initio cap. 6, *Nihil enim contra Divitem* (de Epulone Euangelico dicit) *de loquacitate memoratur: ſed dum pœna in linguâ dicitur, quæ in convivio inter alias gravior fuerit culpa, monſtratur.* Hæc Sanctus Gregorius.

89. Convivia ſine culpa vix habentur.

Digreſſio Tertia.

Quæ in conviviis reprehenſioni obnoxia, quæ commendatione digna.

QVemadmodum ſanctum & venerabile amicitiæ nomen multis fraudibus, & noxis contaminatur, & dehoneſtatur; ita convivia, quæ charitatis alendæ gratia inſtituta ſunt, multis maculis ſæpe deformantur, & fœdantur. Fit enim, ut inter ſacra menſæ regnum obtineant Bromius, Comus, Eris, Venus, Nymphis, Gratiis, Muſis excluſis. Nimirum exſulat ſobrietas per Nymphas & Lymphas (ἀδιαφόρως enim dixere veteres Nymphas & Lymphas) ſignificata, benevolentia & amor, quem Gratiæ & Charites copulant, & Muſæ, quæ caſtitatis & ſapientiæ præſides: & revocantur ab exilio ebrietas, comeſſatio, luxuria, & quæ hæc comitantur, contentiones, rixæ, ſtultiloquia, convitia, & innumeræ aliæ peſtes, vel Furiæ potiùs ex imo barathro in convivia emiſſæ.

90. A conviviis plerumque exulant Nymphæ, Gratiæ, Muſæ & veniunt Bacchus, Eris, Venus, &c.

Nihil hîc dico de effuſo, & ſumptuoſo conviviorum apparatu; de ferculorum ſplendore, varietate, luxu, condimentis exoticis, convivarum turbâ, intempeſtivis ſive nocturnis epulis.

Quàm multi hodie non Reges, ſed plebeji & negotiatores ſuæ magnificentiæ & opulentiæ oſtentandæ exquiſitiſſimas apparant dapes, ipſum Aſſuerum, quantum poſſunt, adæquare conantes? & quid aliud ambitioſo illo choragio lucrantur, quàm aliorum offenſionem, invidiam, odia? dum verò ſuas venditant opes, ſimul illas profundunt, quibus diminutis vel amiſſis, vulgi cachinnis excipiuntur. Vide à nobis dicta Eccleſiaſtici 13, v. 5, 6, & ſequent.

Certatur paſſim ferculorum luxu, & palma datur lautiùs & ſplendidius exſtruenti. Videntur ab inferis revixiſſe M. Antonius & Regina meretrix: de quibus Macrobius lib. 3 Saturnal. cap. 17. & Plin. lib. 9, cap. 35. Item Antoninus Geta, quem refert Spartianus ita convivium inſtruxiſſe, ut & tot miſſus, & in ſingulis miſſibus tot fercula inferrentur, quot Alphabetum habet literas

91. Luxus in conviviis M. Antonii, Cleopatræ, Antonini Getæ, Iulii Cæſaris, &c.

contineret. Iulius item Cæsar, qui domito Pompejo victor Vrbem ingressus epulum publicum dedit, in quo mensarum viginti millia lectissimis ferculis instructa.

92. Luxus Persicus.

Ne autem apparatum Persicum pertranseam, scribit Herodotus lib. 9, Pausaniam Spartanorum ducem jussisse coquos eo modo sibi cœnam parare, quo Mardonio Persæ priùs parare consuevissent; quod cum illi fecissent, Paulaniam lectos intuentem aureos, argenteosque aulæis magnificè instratos, mensas etiam aureas, & argenteas, superbamque cœnæ pompam, propositis epulis stupefactum imperasse servis suis, ut Laconicam, id est, vulgarem sibi cœnam apponerent.

93. Civitates ob convivlorum sumptus ad inopiam redactæ.

Tradit item Athenæus lib. 4, cap. 6, ex eodem Herodoto, civitates integras, à quarum incolis Persici Reges essent excepti convivio, ad extremam inopiam esse redactas, & compulsas fuisse solum mutare. Quamobrem si bis Persarum Reges in eâdem urbe epulati fuissent, continuò illam alias sedes quærere coactam. Apage intolerabilem illum luxû maximè à populis Christianis.

Certè consultissimum jam foret sumpturias aliquot leges ferre, quibus comessationes illæ exoticæ, & detestandæ coërcerentur.

Martialis inter ea, quæ vitam faciunt beatiorem, recensèt *convictum facilem, sine arte mensam.*

94. Frugalis primorum mortalium mensa.

Hanc veteres vocarunt cœnam Deorum, quod primi illi Heroes & Semidei vilibus & facile parabilibus vescerentur cibis.

Rogatus ab hospite Cyrus, quid ad prandium parari juberet, nihil aliud inquit, quàm panem; *nam spero me prope rerum cœnaturum.* Ita Ammianus lib. 21.

Quondam inducebantur in mensas, lepores, & argutè dicta, salesque opportuni cibarius inspergebantur, juxta illud:

Accedunt cum melle sales, sine felle sodales.

Verùm jam sermones symposiaci, vel nimis acres, & mordicantes inferciuntur, quibus convivæ exacerbantur, & irritantur, vel insulsi, minimè astricti, fœtidi, obscœni, quibus sacra mensæ profanantur, contaminantur, violantur.

95. Sal symbolum prudentiæ, gratiæ, &c.

Dixi suprà salem symbolum esse concordiæ, hospitalitatis &c. addo jam etiam, præcipuè quidem notam esse gratiæ, sapientiæ, prudentiæ, quæ virtutes vel maximè primas tenere debent in concœnationibus, & epulis.

96. Inspergendus sal sermonibus convivialibus non obscœnitas.

Hoc admonuit Apostolus Ephes. cap. 4, v. 29: *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat:* Vbi Græcè est σαπρὸς; id est, corruptus, putris, qui videlicet sale cœlestis sapientiæ non est conditus, sed exhalat Mephitim obscœnitatis, nauteam spurcitiæ, scurrilitatem & meras nugas redolet, infectus est sordibus, quæ corruptam & vitiatam radicem, nempe cor veneno mortifero imbutum indicent. Contrà subjicit ibidem Apostolus: *Sed si quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus*, id est, hujusmodi sermo ex ore vestro procedat, quo audito præsentes ad omne opus virtutis proficiant, & jucundè simul, & gratiosè proferatur.

Illud ipsum breviùs idem Apostolus inculcat ad Colos. 4, v. 6, *Sermo vester semper in gratiâ sale sit condîtus*: ut nimirum colloquia sint audientibus grata, & accepta, non tamen dissoluta, sed sale sapientiæ astricta.

Audiamus S. Anselmum. *Sicut cibus*, inquit, *cui sal immiscetur, fit sapidus, & caro benè salita non putrescit, nec fœtet: ita sit & sermo vester, ut quasi cibus sapidus recipiatur ab ore cordis audientium: non sit insipidus per insipientiam, nec putridus per admonitionem carnalis delectationis, nec corruptus per admixtionem falsitatis, sed semper sale spiritualis sapientiæ conditus & integritate veritatis incorruptus, atque odorem cœlestis & incorruptibilis delectationis spirans; & ita condimentum divini salis habeat sermo vester.*

Hujusmodi mensâ, parcâ scilicet, gravitatis ac sapientiæ sale instructâ usi sunt tum alii viri sancti tum S. Augustinus: de quo hæc in ejus vitâ Possidius. *Mensa*, inquit, *usus est frugalis & parcâ, quæ quidem inter olera, & legumina etiam carnes aliquando propter hospites, vel quosque infirmiores continebat. semper autem vinum habebat, quia noverat & docebat, ut Apostolus dicit, quòd omnis creatura Dei bona sit & nihil abjiciendum quod cum gratiarum actione percipitur: sanctificatur enim per verbum Dei & orationem. Cochlearibus tantùm argenteis utens, cetera vasa, quibus mensæ inferebantur cibi, vel testea, vel lignea, vel marmorea erant, non tamen necessitatis inopiâ, sed proposito voluntatis: semper etiam hospitalitatem exhibuit. & in ipsâ mensâ magis lectionem, vel disputationem, quam epulationem potationemque diligebat. & contra pestilentiam humanæ consuetudinis in eâ ita scriptum habebat:*

97. S. Augustini mensa frugalis, hospitalis, eruditionis & sanctitatis plena.

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc mensam indignam noverit esse sibi.

Et ideo omnè convivam à superfluis & noxiis fabulis & detractionibus sese abstinere debere admonebat: nam & quosdam suos familiarissimos Episcopos illius scripturæ oblitos, & contra eam loquentes, tam asperè aliquando reprehendit commotus, ut diceret, aut delendos illos de mensâ versus, aut se de mediâ refectione ad suum cubiculum surrecturum: quod & ego & alii, qui illi mensæ interfuimus, experti fuimus. pauperum verò semper memor erat, &c.

98. Cœna Caroli Magni modicis constabat ferculis.

Carolus Magnus cibi, potusque parcissimus erat, in potu tamen temperantior, ut qui ebrietatem in quolibet infimæ etiam conditionis homine, nedum in suis abhorreret. cœna quotidiana quaternis tantùm ferculis præter assam, quâ maximè delectabatur, & quam venatores verubus inferre solebant, constabat. In cœnâ non ampliùs ter ferè, neque interdiu temerè bibit, æstate pro potione sumebat aliquid pomorum, inter cœnandum admodum frequenter lectorem audiebat: legebantur ei historiæ, & antiquorum res præclaræ: delectabatur autem inprimis libris B. Augustini, præcipuè de Civitate Dei. Ita Albert. Crantzius lib. 2 Saxoniæ, cap. 8, & Aventinus lib. 4 Annalium Bojorum.

99. Quinam libri sub mensam legendi, & qui utilitate.

Hinc Ægidius Romanus lib. 2 de vitâ & regimine Principum, cap. 15, suadet Regibus ac principibus, ut ad mensam curent sibi legi laudabiles regni consuetudines, res à majoribus egregiè & cum laude gestas, clarissimorum Imperatorum vitas, & libros de rectâ gubernandi ratione.

Et causæ hujus moris inducendi non desunt: hoc enim modo otiosorum & noxiorum sermonum fluxus, qui temerè inter epulas & pocula labuntur, cohibetur, & mens intenta lectioni insignium facinorum à delectationibus eduliorum & potationum retrahitur, & ab iis vitiis, quæ

quæ mensarum lautarum voluptas procreare solet, refrenatur.

Quis autem est, qui deliciis vini & epularum una cum alimenti necessitate, vel utilitate blando lenocinio influentibus non capiatur? quisquis ille est, magnus est. Vide de hac fraude S. Augustinum lib. 10 Confessionum, cap. 31, & S. Gregor. lib. 35 moral. cap. ultimo.

100. Olim virtutum doctorum mensa condebatur problematum & ænigmatum propositione.

Id causæ fuit cur quondam Philosophorum & virorum eruditorum, tam apud Græcos quàm Latinos, mensa problematis argutis, symposiacis de moribus quæstionibus, griphis, & ænigmatis acutis inspergeretur, ut tum ex Plutarchoin sympotiacis sermonibus, Athenæo in Dipnosophistis, tum ex Macrobio lib. 7 Saturnalium, cap. 1, Quintil. lib. 1 Institut. Orator. Ciceron. lib. 1 Tuscul. quæstion. constat. Vt enim aptè & sapienter ad propolita problemata responderent, parcius edebant, & magis sobriè bibebant. Idem priscos Persas tactitasse scribit Xenophon lib. 4 Paediæ. Est enim ingenuo & liberali homine dignissima illa oblectatio, quæ ex jucundo & docto sermone hauritur.

Narrat Aristæas in libello de Septuaginta Interpretibus, ex iis quendam à Ptolemæo Philadelpho Ægypti Rege rogatum, quid in convivio regali conferendum esset, vel quâ de re potissimum agendum, respondisse, recensendas esse principum magnorum res gestas: nihil enim earum commemoratione gratius accidere posse.

De sancto Laurentio Iustiniano Protopatriarcha Veneto sic memorat in ejus vitâ cap. 5, apud Surium, 8 Ianuarii, ejus consanguineus Bernardus Iustinianus: *Mensa ejus non sordida, sed summâ mundities, ad quam de more monastico legebatur, nihil omnino in ea argenti. Vescebatur in vitreis & fictilibus, cibo vulgaris semper usus, amavit ova; quod & stomacho amica essent & voluptatem non irritarent. nihil appetere aut damnare, quidquid apponeres, sumere.*

101. Mensa S. Laurentii Iustiniani munda sed facilè parata.

Augustus Cæsar (ut auctor est Philo Iudæus lib. de legatione ad Cajum Caligulam) plerumque in conviviis, quæ ferè quotidiana erant, memoria retractabat, quæ à Philosophis didicerat, aut ex doctorum virorum, quos domi alebat, consuetudine; nam cœnæ tempus, ut plurimum, tribuebat eruditis fabulis, ut non solùm corpus, verum & anima suis reficeretur deliciis.

102. Augustus Cæsar de rebus sermonibus in mensa utebatur.

103. Veteres Gentiles Iovem & Deos mensis parcis adesse credebant.

Persuadebant sibi veteres moderatis conviviis Deos & ipsum Iovem præsentem se sistere: unde est illud Ovidii in Fastis:

Ante focos olim scamnis considere longis,
Mos erat, & mensæ credere adesse Deos.

Ex quibus versibus etiam colligimus, id quod antè docebamus, eosdem veteres non accubuisse mensis, sed assedisse.

Digressio Quarta.

Christus verbo & exemplo frugalitatem in mensa servandam docuit, simulque salutares epulis permiscete sermones.

VT postremam illius cœnam præteream, in qua & Apostolorum pedes abluit, divinissimum corporis sui ferculum proposuit, vinum misceri in sanguinem suum mox convertendum, prolixum & sapientiæ plenum de mutuâ dilectione convivialem sermonem interposuit (unde Christianorum Agape exordium sumsit;) tantum commemorabo Pharisæi epulum quod S. Lucas describit cap. 10, initio.

Ad hoc invitatus Christus manducare panem, cùm Pharisæi illum observarent ut carperent, & ferculum livore & felle malevolentiæ intoxicatum apponerent, saluberrimas tamen ipse & suavissimas intulit dapes, miraculo hydropicum præsentem sanavit, ipsisque fastu tumidis, avaritiâ intercute suffusis præstantissimum medicamentum & alexipharmacum propinavit, id est, parabolam instituit de modestiâ & animi demissione in nuptiis & publicis congratulationibus servandâ, de primis accubitibus non affectandis. Insuper salutari monito convivatorem suum remuneravit, suadens illi, ut ad prandium vel cœnam non vocaret amicos aut cognatos divites, sed potius paupetes & debiles, qui cum non habeant quod retribuant, ipsorum vice Deus in resurrectione justorum mercedem amplissimam rependet. *Vides*, ait ibi Theophylactus, *cœnas Christi quales sint, nempe in utilitatem animæ & non in satietatem ventris vertuntur.*

104. Christus Pharisæi convivium pulcherrimis & factis & sermonibus instruit.

Adeò hoc verum, ut quidam de discumbentibus prolectus dulcissimis Christi Domini colloquiis, Nectare & Ambrosiâ mellitioribus, in hoc acroama prorumpere: *Beatus qui manducabit panem in regno Dei!* Aspirabat scilicet ad cœlestes epulas & toto pectore inhiabat: sordebant illi Pharisaicæ dapes invidiæ veneno infectæ, præ dulcedine, quam primoribus tantùm labris præbarat in cœlis parati convivii.

S. Hieron. lib. 1 Commentar. in Matth. 9, *Ibat Dominus ad convivia peccatorum, ut occasionem haberet docendi, & spirituales invitatoribus suis præberet cibos.*

Quàm frugi verò & parco victu Christus uteretur, satis indicant verba illa, quibus Martham hospitam suam diversis apparandis dapibus intentam redarguit Lucæ 10, vers. 41, *Martha, Martha sollicita es, & turbaris erga plurima*: ut varia obsonia nobis apponas, & illa scitè condias, plumbis in diversum ageris curis, & occuparis ministeriis. *Porrò unum est necessarium. Græcè*: ἑνὸς δέ ἐστι χρεία, id est, uno est opus, unius usus & necessitas, unum ferculum sufficit, solus panis satis est, cetera quæ te turbant & distringunt, non sunt necessaria. Ita Theophylact. ibi, & addit, Dominum docuisse discipulos frugalitatem in hospitio servandam: sic etiam intellexit S. Basil. in Regulis fusiùs disputatis, Interrogat. 20, & alii Interpretes. Estque hic sensus primò obvius, & optimè cum præcedentibus cohæret, licet alius de uni Deo inhærendo primariò à Christo videatur intentus.

105. Christo unicum sufficiebat ferculum.

Eamdem continentiam insinuat omnibus amplectendam in Oratione, quam nobis dignatus est præscribere, ut brevem eorum, quæ petere debeamus à Deo, Epitomen; ubi dicitur Mat. 6, vers. 11, *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie*, vel, ut habet Interpres noster Lucæ 11, vers. 3, *Panem nostrum quotidianum*. Vtrobique verò Græcè est ἄρτον ἐπιούσιον, quod recte transferas substantialem, congruum nempe substantiæ nostræ alimentum, panem pertinentem ad nostram naturam alendam, qui, quoniam eo quotidie indigemus, rectè dicitur quotidianus: nec malè

106. Frugalitatem docet nos petitio. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*

abundè reficiebantur, atque certis quibusdam diebus, & solemnibus vigiliis, ducentis, prinsquam ipse cibum sumeret, suis manibus fercula anteponebat. Omitto reliqua. Altius collimabat Rex ille sanctissimus, quàm principes profani, Christum enim pauperem in suis membris se excipere contemplabatur.

Philippi quarti Hispaniæ Regis Christiana humanitas.

Memorabile quiddam narrat Sabellicus lib. 3, Enneade 10, de Iugone Carinthiæ Principe: *Hic cùm splendidis dapibus quosdam ex infimâ plebe, jam Christianis sacris imbutos exciperet, aulicos qui nondum salutaris lavacro tincti erant, tenui mensâ reficiebat: quibus indignantibus: pro animarum, inquit, conditione epulas paravi; neque enim tam puri illi, qui palatia superba incolunt, & cultu simulacrorum se inquinant, quàm hi qui humiles casas habitantes sacro baptismo sunt expiati. Re, verbisque castigati curiales Christi fidem amplexi undis salutaribus ablui se curarunt.* Ita ille, anno 790.

51. Iugonis Carinthiæ principis factum memorabile.

Est hæc virtus propriè magnificentia, genus quoddam eximiæ liberalitatis, quæ omnium amorem Principibus conciliat; qua re Deus vel maximè in litteris sacris commendatur; & digna est heroibus, qui divinam munificentiam propiùs studeant æmulari: unde Regi quondam Ægyptio sacris operanti præsente purpuratorum omnium coetu, Antistes sacrorum hanc laudem tribuebat hisce verbis: μεγαδόλυος ἀγαθῶν quod nimirum esset suorum bonorum profusus distributor.

Regi Ægyptio dicebatur à sacerdote μεγαδόλυος ἀγαθῶν.

Eluxit seculo nostro similis, sed in alio genere sublimiore comitas & humanitas Philippi quarti Hispaniarum Regis, de quo sic Madrito scripsit vir quidam religiosus 27 Maji anni 1632.

Philippi quarti Hispaniæ Regis Christiana humanitas.

Cùm Rex nuper visisset monasterium Carthusianorum, quod leucâ unâ Barcinone distat, in reditu miræ cujusdam pietatis præbuit exemplum. Cùm rhedarius ex equo lapsus in angusto itinere, rotâque implicitus, graviter sauciaretur, illico rex cum fratribus ex curru desiliit, & quasi in Theologiâ nutritus esset, verbis quàm aptissimis moribundum juvit, formulamque actus Contritionis proposuit. Turbabat læsum Regis præsentia; quod cum rex percepisset: Ne, inquit, moveat te meus conspectus: hoc enim in articulo omnes pares sumus, tantùm res tuas cum Deo compone, & monentem me audi. Iussu regis accersitus è monasterio sacerdos, qui cùm veniisset, & fossâ interjectâ circuire tantillùm vellet, Rex, Da manum, inquit, Pater, jam ceremoniarum, aulæque rituum tempus non est, eumque porrectâ dexterâ excepit, ut fossam transiliret, cumque æger confessione animum expiasset, voluit Rex sacerdotem pedes comitari, ut rhedarium saucium viatico sanctissimo muniret. Sed sacerdoti commodius visum, ut in urbem veheretur. Iussit itaque Rex rhedæ impositum Barcinonem transferri, & pio huic operi sesquihorâ impensâ ferò in urbem ipse rediit. En humanissimi principis in minimum famulum collata caritas, Regibus & magnatibus imitanda, palàm proposita.

VERSVS VI.

Et pendebant ex omni parte tentoria aërii coloris, & carbasini ac hyacinthini, sustentata funibus byssinis, atque purpureis, qui eburneis circulis inserti erant, & columnis marmoreis fulciebantur. Lectuli quoque aurei & argentei, super pavimentum smaragdino & Pario stratum lapide, dispositi erant: quod mirâ varietate pictura decorabat.

Hebræa mutila sunt, ut notavit etiam Cajetanus: tantùm enim habent: candidum, viride, hyacinthinum (intellige aulæum, vel aliquid simile) tentum in funibus byssinis & purpureis super circulis argenteis, & super columnas marmoreas: lecti aurei, & argentei super pavimentum crystalli, & marmoris, & Parii, & lapilli Mercatorum.

Significantur autem, ait Cajetanus, aulæa talium colorum, scilicet albi, viridis, & aërii extensa fuisse funibus byssinis. In pavimento quoque quatuor genera lapidum numerantur, quartum tamen genus incertum est, à mercatura nominatum.

Nec Græca clariora sunt, quæ sic leguntur: In aulâ domus Regis ornatâ byssinis, & carpacinis, extentis super funibus byssinis, & purpureis, super cubos aureos, & argenteos, super columnas Parias & argenteas, lecti aurei, & argentei super pavimentum smaragdini lapidis, & pinnuli, & Parii lapidis, & strata pellucida variè ornata coloribus: quibus addunt Septuaginta: In circuitu sparsæ rosæ.

Iosephus sic extulit: Id erat instructum in hunc modum: Tabernaculum fixit suffultum aureis & argenteis columellis, prætextum telis linteis & purpureis, multorum millium capax.

COMMENTARIVS.

VIdentur peripetasmata in atrio horti fuisse extensa varii coloris, utpote albi vel byssini, viridis, sive sapphirini, hyacinthini vel rubri. Sustentabantur autem hæc tapetia byssinis, sive ex tenuissimo lino plexis funibus, qui eburneis circulis erant inserti, vel ut habent Chaldæus, & Hebræus, argenteis rotis, vel fibulis: quia dicit Lyranus non potuisse ex ebore fieri circulos tantæ magnitudinis; Græcus verò pro circulis habet cubos aureos, vel argenteos.

Sensus ergo erit, ut bene Salianus suprà n. 5, Totum atrium certo intervallo columnis marmoreis erat distinctum, quæ in summo habebant vir-

virgas fortè argenteas, per quas circuli argentei, vel eburnei volverentur, in quibus aulæa illa, vel peristromata Babylonia & bellvata funiculis candidis atque purpureis erant alligata. Videntur autem hæc aulæa fuisse loco panetum, & protexisse convivas à vento, pulvere, æstu, pluvia, &c. Iuxta & intra hæc tentoria, vel tapetia erant dispositi lectuli discubitorii, more orientalium istius ævi, in quibus convivantes accumberent: & quidem aurei, & argentei: quod de sponda & pedibus accipe: & probabile est mensas ipsas nequaquam cessisse toris, vel materiæ pretio, vel operis elegantiâ. Pavimentum quoque atru smaragdino & Pario lapide stratum erat. Rabbi David ait, per smaragdum accipi hic duri lapidis genus, simile marmori, quod Chaldæus crystallinum vocat, quia pellucidum, alii viride putant, simile smaragdo in colore, quem lapidem vocant Amycleum, vel Lacedæmonium, de quo Plin. lib. 36, cap. 7. Parius autem lapis erat candidissimus, quale est marmor ex Insula Græciæ Paro allatum.

Pavimentum ergo erat tessellatum marmore candido, & Porphyretico diverticolore: exprimit S. Hieron. *quod murâ varietate picturæ decoraret.* Intelligo ego pavimentum fuisse varii coloris laterculis, aut tessellis fabrè constructum, Emblemate vermiculato, ut dixere antiqui Romani, jam opus Mutivum, vel Mosaicum vocant, quod suâ præstantiâ, etiam sæpe picturam, vel refert, vel superat, & varias rerum exprimit imagines. Porrò de pavimentis versicolore marmore lucentibus, & distinctis consule Plin. l. 35, cap. 25. & Sanctium hîc.

Villalpandus tomo 2 in Ezechiel. lib. 3, cap. 27, per pavimentum mensam accipit: verùm hîc postea v. 8. mensarum fit mentio.

Addunt Græca toros, sive lectulos instratos fuisse veste stragulâ pellucidâ variè floribus depictâ, opere videlicet plumario, & Septuaginta hîc adjiciunt, sparsas undiq; rosas; quæ verba indicant convivium hoc vernо tempore agitatum, quo rosarum flores leguntur.

Notat hîc Serar. Græcum vocare cubos, taxillos Vitruvio, qui pyramidibus, pilis, & ingentibus molibus, ut firmiùs subsistant, substernuntur. Quòd si hujusmodi fuerunt aurei vel argentei, fuerit procul dubio apparatus regificus & superbus.

Notat 2 Feuardent. ex Rabbinis, lapidem Parium, ut vertit S. Hieron. significare apud Hebræos lapidem pretiosum, qui in convivium adductus, lucet instar meridiei, & nomine illo appellari ajunt, quòd ex eo mercatoribus proveniat libertas, dum divites eos facit.

Observa præterea Latinum vocare tentoria, aut vela ærii coloris, id est, candidi, quem colorem habet ær luce profusus & splendens. Deinde coloris carbasini, qui qualis sit, ignotum est: unde quidam existimant S. Hieronymum vertisse carpasini, pro carbasini, literâ mutatâ, ut & Septuaginta, ex Hebræo כרפס Carpas, quem colorem esse ajunt viridem. hyacinthinus idem est cum violaceo vel purpureo. Videntur autem non solùm aulæa tincta fuisse hujusmodi coloribus sed etiam floribus similis coloris intertexta. De byssо hîc videndus Sanctius, qui rectè tradit byssum genus esse lini nobilioris, ex quo fila ducuntur fubrilia, & ab illius excellentia alia omnia fila pretiosa dicuntur byssina, qualia sunt serica. De colore verò quem, naturâ byssus acceperit, nolim disputare, v. g. an candidum, an subflavum. Verisimile est cùm Scriptura hîc vocet funes byssinos atq; purpureos, videri distinctionem poni in colore.

Digressiuncula de lectulis discubitoriis.

Antiquissimi mortales mensæ assidebant, ut modò.

SCitum est antiquissimos mortales tam nobiles, quàm ignobiles mensæ assedisse more, qui nunc est in usu, ut patet Genes. 43, vers. 33, ubi dicuntur in convivio Iosephi Fratres sedisse. Idem dicendum de priscis Heroibus apud Homer. in Odysseâ passim, ad mensam non accumbentibus, sed assidentibus. Postea tamen omnes fere gentes cultæ & barbaræ uti cœperunt accubitu, seu accubatione ad mensam. Ita Græci, Romani, Iudæi, Persæ, & ceteri Orientales, luxu scilicet, delicis, & mollitie inter eos dominantibus.

52. Descriptio lectulorum.

Igitur in cœnaculo mensa collocabatur rotunda & humilis, viliorum hominum tripes, & ex ligno vulgari; nobiliorum & lautiorum acerna, citrea, aut laminis argenteis tecta, quam pes eboreus fabrè factus, putà in modum Pardi aut Leonis, sustentabat. circa mensam tres, ut plurimum, lecti erant, ex quo triclinii nomen, vel duo etiam, quod biclinium, & sigma vocabatur, à formâ videlicet hemicycli, uno latere libero relicto, ut cibi inferri possent. Hi porrò lecti insternebantur aulæis, purpurâ, aut aliâ veste stragulâ elegante: quod patet hîc ex Septuaginta qui habent: *Et strata pellucida varie ornata floribus*, opere nempe Phrygionico acu picta, aureis filis, vel argenteis in modum Mæandri intercurrentibus, & floribus intertextis.

Porrò priusquam accumberent, vestes mutabant, & cœnatoriam assumebant. Ne verò lectum superbè & lautè instratum conspurcarent, soleas demebant. Terni autem, vel quaterni unum lectum occupabant, & aliquando plures inter plebeios. Accumbebant autem reclinatâ superâ parte corporis in cubitum sinistrum, inferâ in longum porrectâ & jacente, capite leviter erecto, dorso à pulvillis modicè suffulto, sic ut primus vel summus decumberet ad caput lecti, cujus pedes porrigebantur ponè dorsum secundi, & secundi ponè tertium, & sic de ceteris. Secundus autem occiput obvertebat ad umbilicum primi, pulvillo interjecto, pedes verò jacebant ad tergum tertii, & sic deinceps tertius & quartus. Sic potuit S. Ioannes in sinu Christi recumbere: sic Magdalena Christi accumbentis pedes lavare & tergere: Christus similiter Apostolorum pedes abluere.

Loco digniore discumbebat qui primus, & ad caput lecti erat, qui ad pedes, imus, qui inter istos, medius.

52. Rosis tori conspersi, & quo fine.

Videntur & rosis lectuli sive tori conspersi, ut indicant hîc Septuaginta, idque, ut dum venter cibo vinoque reficitur, honestam etiam oblectationem oculi nareſque haurirent; fortè etiam, ut ebrietatem arceret rosarum fragrantia, de quâ re alibi dixi.

Non malè tamen observavit hîc Serar. quæst. 12, voluisse Septuaginta, dum ajunt in circuitu rosas sparsas, evolvere quæ in Hebræo erant involu-

voluta, ut & fecit S. Hieron. dum ita vertit: *Quod mirâ varietate picturæ decorabat*: quia scilicet λιθόστρωτον, sive pavimentum ita fabrè erat constructum, ut flosculos & rosulas vario intersecto marmore repræsentaret.

Observa tantum, non omnes lectulos fuisse à terra sublevatos, vel fulcris subnixos, sed multos sæpe humi stratos, præsertim, si Rex vel Princeps aliquis accumberet. Pertinet huc illud Virg. 2 Æneid.

Inde toro pater Æneas sic orsus ab alto.

Plura de lectulis & toris discubitoriis habet Manutius libello de Accubitu, Stuckius in Antiquitatib. convivial. Lipsius lib. 3 Antiquar. lect. cap. 1, & alii.

Anagoge & manuductio ad palatium cœleste.

ADubescit ex aulâ Assueri Regis subvolare animi pennis ad cœlestis Regis Augustale. Næ regia Assueri præ cœlesti palatio vilescit. Exclamabat olim Sanctus P. N. Ignatius, *Quomodo sordet terra cum cœlum aspicio!*

53. S. Fulgentii aspiratio ad cœleste palatium.

Legimus in vita S. Fulgentii, Ianuarii 1, c. 13 ejus vitæ, & Baronio tomo 6, anno 500, quod cum aliquando Romæ Theodoricum Italiæ Regem circumdatum Romanâ Curiâ, Senatu & nobilissimâ pompa conspexisset, non se continuerit, sed ad supernam civitatem exardescens, in hæc verba proruperit: *Quàm speciosa esse potest Ierusalem cœlestis, si sic fulget Roma terrestris? & si in hoc sæculo datur tanti honoris dignitas diligentibus vanitatem, qualis honor & gloria præstabitur Sanctis contemplantibus veritatem?* Sic ille.

54. Philippus Macedo visâ in tabulâ Athenarum delineatione, desiderio illius potiundi inardescit.

Fertur Demades vir industrius & famâ celebris, qui insuper artis pingendi peritus erat, missus quondam ad Philippum Macedonem ab Athenis caduceator & legatus. Inter cœnandum Rex Philippus varia ab eo petit multis sermonibus de Athenarum civitate, de ejus amplitudine, situ, frequentiâ, munitione, pulchritudine; & num illa, urbe suâ Regiâ, major & insignior esset. Demades non ignarus penicillo terrarum imagines in tabulâ delineare, non solùm eleganti oratione, sed calamo, ita graphicè Athenarum magnitudinem & decorem descripsit, ut Rex Macedo ingenti urbis illius capiendæ cupiditate inflammatus ut hæc verba proruperit: Vt civitas Athenienſis meam in potestatem cedat, armis vel auro perficiam.

Si rudis adumbratio Athenarum ita Macedonem incendit, ut quiescere non potuerit, nec se Regem putarit, nisi ius potiretur; quo ardore succendi nos convenit, ut non adumbratâ cœlestis palatii imagine, sed ipso æterni Regis Augustali fruamur?

Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei. Quis illa gloriosa dixit, nisi qui vidit, Ioannes, inquam, cœli explorator, qui ita enarrat Apocalypsis 21, ℣. 2, *Et ego Ioannes vidi sanctam civitatem Ierusalem novam descendentem de cœlo à Deo, paratam, sicut sponsam ornatam viro suo.*

55. Pulchritudo cœli.

Assueri Regia sius in ruinis & ruderibus sepulta jam est, & obsoleta; cœlestis vero illa semper nova, vetustatem ignorat, semperque perennat, ejus ornatus comparatur sponsæ, quæ innumeris monilibus, & mundo pretiosissimo circumdata ad thalamum sponsi ducitur. Vt cœlum splendescit stellis, ut Thessala Tempe floribus, ut horti Hesperidum aureis malis, sic illa,

Clara micante auro flammasque imitante pyropo.

Describitur hæc civitas à Ioanne supra c. 21, ubi inter alia sic dicitur vers. 18: *Et erat structura ejus ex lapide iaspide: ipsa verò civitas aurum mundum simile vitro mundo, & fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata, &c.* Rursus agens de portis sic habet ℣. 21, *Et duodecim portæ duodecim margaritæ sunt per singulas, & singulæ portæ erant ex singulis margaritis, & platea civitatis aurum mundum tanquam vitrum perlucidum.*

Quæ tecta porphyretica, quæ aurea, aut gemmea palatia, quæ columnis Pariis innixæ porticus, quæ Babyloniis peripetasmatis, & acu pictis aulæis circumvestita triclinia præ cœlesti civitate non sordeant? omnia in cœlesti Regiâ auro crystallino pellucent, omnia unionibus radiant, ut non sit opus pyropo, carbunculo, aut phengite lapide, qui à splendore nomen invênit, de quo Plin. lib. 36, cap. 22.

56. In cœlo lapides pretiosi & gemmæ.

Nec dubitandum videtur, quin margaritæ, uniones, sapphiri, & smaragdi in superna regione reperiantur, sed hisce nostris longe præstantiores. Cùm enim omnes Beatorum sensus resumptis corporibus, suis oblectamentis reficiendi sint, ut Patres passim docent, & in his S. Anselmus lib. de Similitudinibus, c. 57, & oculi mirè gemmarum, & præcipuè smaragdorum nitore, & virore capiantur; non videntur honestæ illæ deliciæ Sanctorum luminibus denegandæ.

Ita canit S. Augustinus tomo 9, cap. 26 suarum meditationum:

Ibi vivis margaritis surgunt ædificia,
Auro celsa micant tecta, radiant triclinia,
Solis gemmis pretiosis hæc structura nectitur, &c.

Colligere licet hæc ex Isaiæ 6, ℣. 6, ubi pro calculo quem Seraphim tulerat de altari alii transtulerunt carbunculum, quæ gemma omnes alias pretio superat. Non enim in cœlo sunt prunæ ligneæ, sed gemmeæ. Vide Corn. & Tirinum ibi.

Antè etiam de hac civitate vaticinatus erat Tobias cap. 13, vers. 21: *Portæ Ierusalem ex sapphiro, & smaragdo ædificabuntur, & ex lapide pretioso omnis circuitus murorum ejus, ex lapide candido & mundo omnes plateæ ejus sternentur, &c.*

57. Objecta sanctis viris per visum in cœlis aurea & gemmea palatia.

Accedunt plurima spectacula per visum in somnis vel aliter objecta, quibus monstrabantur in cœlis magnificentissima palatia humana specie augustiora. Lege vitam S. Ioannis Eleemonis cap. 36, apud Surium, Ianuarii 23, ubi Troilo Episcopo avaro ostenditur per quietem in cœlo domus augustissima, & pulcherrima incomparabili elegantiâ, cum hâc inscriptione: *Mansio & requies æterna Ioannis Archiepiscopi Alexandrini.* Vide Paradisum cœlestem Petri Mathiæ cap. 37, & 38, & cap. 12, 42, 43.

58. Palatia Mundi similia Radbodi aurea domui.

Palatia Regũ mundi hujus si cum cœlestis Regis aulâ conferantur, lutea sunt & brevi ruitura; similia domui aureæ, quam dæmon promiserat se daturum Radbodo Regi Frisonum in suâ infidelitate perstistenti. Illudens enim oculis auream finxerat domum miræ pulcritudinis; sed Diacono S. Wulfranni dicente, *Si à Deo hæc est, perpetuò maneat; si a diabolo, cito disparcat*; & se ignante, domus illa in lutum conversa est. Ita Baron. Tom. 9, Anno Christi 709, & Surius in vita S. Wulfranni, Martii 20.

De-

59. Coronæ è cœlo allatæ aureæ, gemmeæ, floridæ, ut vidit Celsus puer.

Deinde allatæ sunt sæpius Martyribus & Virginibus è cœlo coronæ auro radiantes, intertextæ gemmis, liliis & rosis floridæ. Consule inter alia res gestas S. Iuliani & Basilissæ cap. 27, apud Surium Ian. 9, ubi Celsus puer Præsidis Martiani filius vidit coronam ex lapidibus pretiosis & auro, super caput S. Iuliani Martyris, cujus fulgor aëris hujus lumen obscurabat, &c.

Ornatus cœlestis S. Agnetis.

S. Agnes, teste D. Ambros. serm. 90, vitâ est parentibus ad tumulum ejus pernoctantibus aurea veste fulgens in medio exercitus Virginum simili apparatu splendentium.

60. S. Dorothea rosas & poma promissa è cœlo mittit.

B. Dorothea, ut habet ejus vita, apud Surium, Feb. 6, *non dubitans sponsi sui in cœlo Paradisum floribus & pomis refertissimum, cùm in equuleo suspensa torqueretur, Sapritium Tyrannum sic alloquebatur: Sponsus meus me invitat. En per breves has & exiguas pœnas ad Paradisum ejus contendo, ubi poma germinant miri decoris, rosæ, lilia, & omne florum genus, qui nunquam marcescunt, &c.* Cum interim Theophilus Præsidis assessor per jocum illam interpellaret: *Ejà sponsa Christi, mitte mihi è Paradiso sponsi tui mala vel rosas. Faciam omnino, inquit: nec fidem fefellit. Siquidem misit ad Theophilum Angelum puellis formosissimis specie, qui calathum recentibus pomis & rosis confertum deferebat: quo prodigio admonitus Theophilus & ipse lauream martyrii donatus est.*

61. Sedes gemmea in cœlo parata S. Francisco.

Scribit S. Bonavent. in vita S. Francisci cap. 6, religiosum quempiam virum extra se raptum vidisse in cœlo sedem pretiosissimis uniobibus vestitam & mirè refulgentem, cui admirabundo dictum est: *Hæc sedes unius de Angelis qui corruerunt, fuit, & nunc humili debetur Francisco.*

62. Stemma lectus pretiosis stragulis Thaïsi.

Vidit S. Paulus Abbas S. Antonii discipulus orans, in cœlo lectum pretiosis stragulis adornatum: cui dictum est illum esse paratum Thaïsi meretrici, quam ad meliorem vitam S. Paphnutius revocaverat, ut habet Herbertus lib. 1, in vitis Patrum, ex actis Thaïsis.

Quorsum, quæso, toties ostensæ gemmæ, coronæ aureæ, lecti aulæis constrati, flores, rosæ, poma, nisi simulia, sed longè augustiora Sanctis in cœlo essent parata?

Certè mundus hic inferior nihil in bonis, quæ fortunæ vel caduca vocamus, præstabilius aut gignit aut continet auro, margaritis, versicoloribus lapillis, &c. adeò ut lucentia astra non inconcinnè cœli uniones & gemmæ appellari possint; & contra gemmæ terrarum stellæ, quia earum lucem, levitatem, occultas etiam vires, & arcanam efficaciam referunt: unde & apud veteres gemmæ rerum cœlestium sacra symbola fuerunt.

63. Gemmæ terrarum stellæ, cœli guttulæ, &c.

Quidam etiam putant margaritas esse quasi cœli elegantiores guttulas, & quasdam imagines eorum cimeliorum, quæ superna patria sinu suo continet: quin & Plato in Phædone asserit, iaspidem, sapphirum, & ceteras nostrates gemmas esse ramenta quædam montium ac gemmarum terræ superioris.

64. Doctores tenent omnia honestas sensuum objecta menta fore in Beatis.

Nec desunt testimonia Interpretum sacrorum & Theologorum, inter quos Suares 3 p. tom. 2, disp. 47, sect. ultima, docet omnes honestas sensuum voluptates fore in corporibus gloriosis, idque valdè esse rationi consentaneum, quia non propter se expetentur, sed ut omnibus modis magis Deus glorificetur: idque probat ex Laurent. Iustiniano, Anselmo, Augustino & aliis, & confirmat ex contrario: si enim in damnatis omnes sensûs pœna torquentur, cur non magis in Beatis voluptate perfundentur? vide etiam Ioan. Salas 1, 2, q. 5, art. 5, tract. 2, disp. 14, sect. 14.

Inter Scripturæ Interpretes maximè consulendus Barradius tomo 3 in Euang. l. 10, c. 3. Vbi ex professo docet in cœlo fore magnificentissima palatia, hortos, nemora, prata amœnissima, quæ & ornamento sint cœlesti civitati & oblectamento sentibus Iustorum. Addit. Martyres gestare manibus palmas, virgines lilia, Doctores ramos virides: deinq; ostendit ex Domin. Soto, in quarto, dist. 49, quæst. 5, art. 2, etiam aureolam gestare Sanctos in suis corporibus, ita ut in capite Martyris corona cernatur rubea, in capite Virginis candida, in capite Doctoris viridis. Idem docet Cornelius a Lapide in Apoc. 21, v. 19, & 22, vers. 2, sub finem.

65. Cur beatitudo vocetur hereditas incontaminata & immarcescibilis apud S. Petrum.

S. Petrus supernam illam promissionis terram adumbrans, 1 Epist. cap. 1, vers. 4, dixit *Hereditatem incontaminatam & immarcescibilem*, id est, florentem, &, nullâ ariditate deformatam, jugi decore germinantem, vivisque coloribus depictam: quæ verba symbolum nobis sunt semper exuberantis & virentis æternitatis. Græca sunt; κληρονομίαν ἀμίαντον, καὶ ἀμαράντινον q. d. hereditatem Amianti & Amaranti.

66. Amiantus, est symbolum divinitatis.

Est autem Amiantus lapis friabilis, è quo in filia extenuato fit linei panni textura, qui flammis injectus non consumitur, sed purgatur, de quo Plin. l. 19, cap. 1. qui & inde Græcis vocatur ἄσβεστος, vel Asbestinus, id est, inextinctus, ut calx viva: quæ res similitudinem quandam sempiternæ refert divinitatis, quam cùm Brachmanes Indiæ sapientes affectarent, ex eo lino indumenta sibi conficiebant, ut specimen quoddam præferrent victricis & perpetuæ divinitatis.

67. Amarantus etiam beatitudinis æternæ symbolum

Amarantus verò flos est purpureus, inde nomen fortitus, quod nunquam marcescat, quem ait Plin. l. 21, cap. 8, gaudere decerpi, & lætius renasci. quin etiam decerptus, cùm aruisse putes, si madefiat aquâ, reviviscit, quæ imago est semper efflorescentis æternæque beatitatis.

Assurge anime, & ex his luteis gurgustiis subvola ad smaragdina, sapphirina, gemmea cœlorum palatia, ex his suburbanis tricubitalibus ad

amœna virecta

Fortunatorum nemorum, Elysiumque beatum,
Hortos Hesperidum, cæli ridentia Tempe.

Sume vires ad fortiter dimicandum pro æternæ vitæ coronâ, ex hac quam subjicio historiolâ, quam describit in speculo historiali l. 12, c. 133, Vincen. Bellouacensis.

68. Fides virginis mira in tormentis constantia coronæ cœlesti propositæ accenditur.

Fides virgo ob fidem Christianam & vitæ sanctitatem ad Dacianum præsidem rapta, cùm neque minis absterreri posset ut Christum negaret, neque blanditiis pellici, ut Iovem coleret, distractis in diversa membris in crate ferreâ diristimè est extensa, subjectusque prunis lento igne cruciata. cùm autem tormentum illud ferret incredibili constantiâ, multi ad Christum ejus exemplo traducti sunt. Erat ipso tempore Caprasius metu Daciani non procul ab urbe in excelsæ cujusdam rupis spelæo occultus, qui divinitus docebatur universa quæ circa virginem gerebantur. Cum ergo animo conspiceret defluente per membra ignis ardores corpore fidem in Fidei pectore non defluere, Deum obnixè rogavit, ut

paratum tantæ constantiæ præmium sibi ostenderet, vix vocem vel votum ad cœlum emiserat, & ecce protinus vidit nivis instar argenteam columbam è cœlo delabi, unàque candidum ephebum alis per aëra se vibrantem. Angelus pueri specie cycladem miræ pulchritudinis aliaque ornamenta deferebat, quibus in igne triumphantem veriùs quam æstuantem virginem contegeret. Columba autem coronam prehenderat auro gemmisque coruscantem, ut etiam Ariadneam illam inter sidera spectabilem specie anteiret; hanc coronam virgineo vertici imposuit digno vel stellis coronari. quin etiam ita circa craticulam tlammasque circumvolavit ut unam ex antiqui moris columbis balsama in convivas jactantibus crederes. nam alarum quassatione balsamitas guttas imò cœlestis roris tantam copiam incandentes prunas effudit, ut incendium in refrigerium versum videretur. Quod cùm spectasset e cavernâ suâ Capratius, divino lumine perfusus, ocyus, tam præstantis coronæ potiundæ ardore succensus e latebris suis prosilit, & se tyranno intrepidè obtulit; qui etiam Daciani lanienam ob Christi fidem tam insigni animi robore sustinuit, ut ejus exemplo nobile par fratrum Primus & Felicianus, ad Christianam religionem transierint, itaque quatuor hostiæ, plaudente cælo ab Angelo receptæ sunt. O gemmis cœlestibus capita incingenda!

Similem historiam habes Aprilis 12, apud Surium, de S. Saba.

VERSVS VII, & VIII.

Bibebant autem, qui invitati erant, aureis poculis, & aliis atque aliis vasis cibi inferebantur. Vinum quoque ut magnificentiâ regia dignum erat, abundans, & præcipuum ponebatur:

Nec erat qui nolentes cogeret ad bibendum; sed sicut rex statuerat, præponens mensis singulos de principibus suis, ut sumeret unusquisque quod vellet.

Hebræa sic sonant: Et propinabant in vasis aureis, & vasa vasis mutabant, & vinum regium multum juxta potentiam regiam & potus erat secundùm legem. Non erat qui cogeret; quia sic disposuerat Rex cum omni magistro suo, ut facerent secundùm uniuscujusq; voluntatem: quasi dicat; Hæc erat lex potandi, neminem cogere ad bibendum.

Cajetanus rectè sic exponit; Non solùm porrigebant potum in vasis aureis, sed etiam illa mutabant, ut non oporteret exspectare alios bibentes.

Fortè accedebant ad morem quorundam religiosorum, ubi quisq; accumbentium proprium habet scyphum. Deinde potus dabatur secundum consuetudinem sive legem, quia ordinatè juxta cujusque morem potabant, quòd Rex sic statuerat, ne infimis injuria fieret.

Græca sic legunt: Pocula aurea & argentea: gemmeus calix propositus è talentis triginta millibus. Vinum multum & suave, quod rex ipse bibebat, potus autem hic non secundùm propositam legem fiebat: sic enim voluit Rex, & præcepit Oeconomis facere voluntatem ipsius & hominum.

Iosephus hæc ita expressit: Eo in epulo ministrabatur aureis & gemmeis poculis ad delectationem simul & miraculum factis. mandavit etiam ministris ne quem more Persarum ad bibendum cogerent, sed arbitratu suo quemque appositis frui sinerent.

Addit, dimissos fuisse in omnes ditiones regis nuntios, qui edicerent, ut omnes ab operibus feriati per dies aliquot festum pro regni incolumitate agerent.

COMMENTARIVS.

DE tribus hîc sermo est. Primò, de aureis poculis & cyathis ad bibendum præparatis, & ejusdem materiæ & artis, ut videntur, patinis, lancibus & orbibus, sive vasculis escariis, quæ sæpe mutabantur; quo indicatur supellectilis mensariæ copia.

Deinde, de potu vini primæ notæ, & copiosi & suavis, quo etiam ipse Rex utebatur. hinc intellige etiam dapes & epulas fuisse opiparas & lautas, regiâ magnificentiâ dignas, Persicas & Medicas.

Tertiò, de lege conviviali à rege latâ, tamquam arbitro & magistro convivii, quam executus est per suos œconomos & Principes, ut quisque pro voluntate, genio & more suo sumeret, nec quisquam ad edendum vel bibendum cogeretur.

Nota primò, Quamvis, ut jam legimus in Græco & Hebræo, non fiat apertè mentio dapum appositionis; prudenter tamen & verè in Latino expressit S. Hieronymus, cibos mutatis vasis fuisse in mensam illatos. Quis enim dicat regium Assueri convivium, in quo inaudita spectabatur opulentia & magnificentia, epulis exquisitissimis caruisse? Si vinum præcipuum & copiosum, cur non etiam lectissima & maximè eximia cibaria? denique cur vasa varia & mutata sæpius convivis apponuntur, si quæ orexis appetit, desint esculenta? Conjicit etiam Serar. quæst. 13 כלים Miccelim fortè significare vasa, quæ cibos continerent.

Nota secundò, Septuaginta addidisse inter pocula fuisse unum eximium & splendidissimum, quod

quod vocant ἀνθρακοειδὲς κυλικίον, id est, e carbunculo caliculum, pretio triginta millium talentorum, ad quod videtur respexisse Iosephus suprà, cum ait, in epulo ministratum fuisse etiam gemmeis poculis ad delectationem & miraculum factis.

69. Calices potorii olim ex gemmis.

Vbi Salianus hîc, num. 7 observat ex variis Plinii locis olim sæpe ex singulis gemmis calices fuisse confectos. Aliquos locos indico. Plinius itaque in proœmio lib. 33, loquens de insatiabili quorundam luxu, sic scribit: *Turbâ gemmarum potamus & smaragdis teximus calices, ac temulentiæ caussam tenere Indiam juvat, & autumamus jam accessio est.* Idem lib. 37, cap. 1: *Traditur Pyrrhus habuisse Achaten, in qua novem Musæ & Apollo citharam tenens spectarentur, non arte, sed sponte naturæ, ita discurrentibus maculis, ut Musis quoque singulis sua redderentur insignia.* Idem cap. 2, ibidem, scribit Pompejum in tertio suo triumpho, transtulisse alveum cum tesseris lusorium e gemmis duabus, latum pedes tres, longum pedes quatuor. Rursum cap. 5, ibidem, *Theophrastus tradit in Ægyptiorum commentariis reperiri Regi eorum à Rege Babylonio missum smaragdum monstro, quatuor cubitorum longitudine & trium latitudine; & fuisse apud eos in Iovis delubro obeliscum è quatuor smaragdis, 40 cubitorum longitudine, latitudine verò in parte 4. in parte duorum, se autem scribente esse in Tyro Herculis templo stantem pilam ex smaragdo*, &c. Rursus eodem cap. 7 tradit ex Carchedonio & ex Lychnite, qui est ex genere ardentium gemmarum, potoria vasa factitata, similiter ex Indicis carbunculis in sextarii unius mensuram cavari. Quæ omnia indicant verisimile esse, quod ajunt Septuaginta, caliculum ex carbunculo in Assueri convivio circumlatum.

Nec. Achates Pyrrhi admirabilis. & alia.

71. Quali aqua. & quali vino uterentur Persarum Monarchæ.

Nota tertio, Persarum reges aqua in potu quondam usos, sed solâ fere hausta ex flumine Choaspe, qui Susa præterfluit; erat enim ea aqua & levissima, & suavissima, quæ etiam, cùm in itinere essent, in cadis deferebatur. Vide Solinum in Polyhistore.

Vt verò non quælibet aqua, ita nec quodlibet vinum illis in potu offerebatur, sed tantum Chalybonium e Syriâ advectum, ut habent Athenæus lib. 1. Strabo lib. 15.

Observat Serar. quæst. 14, hoc nomen acceptum e sui præstantia: nam Hebræis Cheleb est pinguedo, & lac, & ita hoc vinum pingue & quasi lacteum dictum est, & sic docet S. Hieron. in Ezechiel. 27, ubi Septuaginta vinum de Chelbon: hîc verò videntur idem vocasse suave ἡδύ. solent enim pinguiora plusculum dulcitudinis habere. Ita Serarius.

Adverte etiam quatuor titulis hoc vinum commendari: Primò dicitur vinum dignum regiâ magnificentiâ, Hebraicè, juxta manum, id est, potentiam Regis, quod idem est. Secundò dicitur abundans, sive multum. Tertiò præcipuum, Hebraicè, vinum regni, sive regium, dignum quod à rege biberetur: Septuaginta, quod rex ipse bibebat: per quod intellige vinum præstantissimum. Sanctius tamen negat convivas eodem cum rege vino usos fuisse. solent enim reges, etiam qui modò regnant, certum quoddam vini genus tum sanitatis, tum deliciarum gratiâ usurpare: sic dicitur Daniel. 1, vers. 5, *Constituit eis rex de vino, unde bibebat ipse;* & vers. 8, *Proposuit Daniel ne pollueretur de mensâ regis, neque de vino potus ejus.* Quartò Græcè dicitur vinum illud fuisse suave, tale scilicet quod gustatum afficeret, & dulcedine deliniret.

De appositis dapibus nihil attinet dicere, cùm Persicarum mensarum apparatus pro regiis, exquisitissimis, & maximè opiparis accipiantur, etiam Proverbio.

Tradit Athen. l. 8, ex omnibus esculentis, quæ regiones imperio regis subditæ ferebant, aliquid primitiarũ instar in epulis apponi solitum.

Quamdiu viguit prisca Persarum disciplina, optimisque legibus & institutis temperata, de quâ Xenophon lib. 1 Pædiæ, pane & nasturtio famem sedabant, sitim levabant è proximo flumine haustâ frigidâ; unde commodè utebantur valetudine. Postquam verò Medicus Lydiusque luxus invaluit, eversa est paulatim prisca Persarum frugalitas: sine arte mensis subiere lauta & splendida convivia, ita ut qui ante abstemii, vino postea se ingurgitarint. Vnde Herodot. lib. 1 vocat Persas vinosos. Vide Xenoph. sup. l. 8.

72. Frugalitas Persarum in luxum degenerat.

Nota quartò, regem Assuerum in hoc convivio fuisse quasi Rectorem, ut loquitur Sirachides Ecclesiastici 32, vers. 1, ut Romani, Magistrum, vel Modimperatorem; ut Horat. bibendi arbitrum; ut Græci, sympostarchum, regem, &c. qui videlicet leges ferret in sympostio à convivis servandas. Apud Iudæos etiam erat Architriclinus, de quo Gaudent. tract. 9 in Ioan. & Baron. Tom. I. *Traditio*, inquit, *est: cùm fierent nuptiæ apud Iudæos, dabatur unus è sacerdotibus, qui disciplinam moderaretur, convivierum apparatum, ministros & ordinem dirigeret & curam pudoris conjugalis ageret, qui inde Architriclinus*, id est, *præses triclinii dicebatur.*

73. Rector convivii & Architriclinus quis?

Tulit ergo rex duas in suo epulo leges.
Prima erat: *Neminem ad bibendum cogito.*
Altera: *Vnusquisque quod vult, & quantum vult ex esculentis & poculentis sumito.*

74. Leges conviviales à Rege latæ.

Deinde Persarum legem pravam & illiberalem aliquando observatam abrogat, quâ ad æquales haustus se mutuo perurgebant.

Hæc omnia ex collatis inter se textibus colliguntur: unde rectè Chaldæus: *Potatio erat juxta assuetam corporis consuetudinem* (pro cujusque scilicet genio, ut rex fanxerat) *& nemo erat qui cogeret. Namsic posuerat rex decretum super omnem domus suæ procuratorem, ut faceret juxta voluntatem singulorum.* Hæc ille.

Vt autem edictum hoc summi Dictatoris ratum fixumque esset, præposuit rex mensis singulos de principibus suis, ut habet Latina lectio, qui advigilarent ne quid secus fieret, volebatque rex ne vel ipsi principes quemquam ad bibendum importunè moverent, vel verbis incitando, vel assiduè vinum offerendo per famulos (quæ videtur esse quædam coactio, saltem tacita) aut cogi ab aliis sinerent, vel ipsi etiam invicem se convivæ ad idem provocarent.

Hæc itaque illæsa servata sunt in isto publico & regali epulo, ut biberent omnes secundùm decreta ab Assuero lata, non verò secundùm depravatum, & tunc receptum Persarum morem.

Nota postremò, Præsides mensarum, hîc diversis vocabulis indigetari: nam Iosephus vocat Diaconos, id est, ministros, Septuag. Oeconomos, Hebræus Magistros, noster Principes

mensis præpositos. Illi autem idem omnes sunt, videlicet Oeconomi, qui nomine regis & convivas excíperent, & suo quemque loco sessum reciperent, & cum hospitibus explicitâ omni suâ curâ, ut loquitur sup. Sirachid. vers. 2, recumberent, fungerenturque eo munere quo olim Rectores & Magistri convivii, idque nomine regis. De quo munere cum plurima à nobis dicta sint in cap. 32 Ecclesiastici, lectorem eò remittimus.

Præter eos Magistros & sympositarchas fuere & alii imi subsellii viri, qui inferiora obirent ministeria, v. g. Prægustatores, Pocillatores, quos vulgò mensæ ministros vocamus, de quibus hîc Serar. quæst. 17. Adde, viros illos principes curasse, ut omnia ordinatè & moderatè tempore sympotii peragerentur, ne quid turbarum oriretur, ne quid alicui deesset, &c.

Digressio Prima.

An celebrare vel frequentare convivia licitum?

COnvivia tum privata inter consanguineos & familiares, tum publica & solennia in nuptiis, & aliis cœtibus non esse per se illicita & improbanda, ostendunt tum alia, tum exempla Sanctorum, & ipsius Christi Domini, qui illa frequentarunt, & alios invitarunt. De quâ re hîc Feuardent. & alii passim.

75. Sancti convivia adire detrectarunt.

Quia tamen voluptatem conviviorum tanquam blandissimam dominam plura vitia veluti pedissequæ comitantur, hinc sancti viri convivia adire plerumque detrectarunt.

S. Ambrosius.

Certè S. Ambrosius, ut scribit Possid. in vitâ S. August. cap. 27, hæc tria in vitâ servabat (quæ & idem Augustinus probat) ut uxorem cuiquam nunquam posceret, neque militare volentem ad hoc commendaret, neque in suâ patriâ petitus iret ad convivium. qui & hujus hanc causam dabat, ne per frequentiam in patriæ conviviis, constitutus temperantiæ amitteretur modus.

S. Chrysostomus.

Idem servavit S. Chrysost. authore Metaphraste in ejus vitâ: plus enim oratione, quàm epulis recreabatur.

Æqualis operæ instruere aciem, & convivium.

Non insciè olim dixit Paul. Æmil. *Paris laboris industriæque esse aciem bene instruere, & convivium exhibere:* addere poterat, & ibi præsentem non peccare. Sicut enim duci curandum, ut acies hostibus sit formidabilis; ita hospiti providendum, ut convivium sit amicis jucundum; convivis verò observandum, ut ita corpus reficiant, ne tamen animo noxa inferatur.

Digressio Secvnda.

Quis conviviorum finis?

AVdi Catonem Majorem apud Ciceron. de conviviis, quæ inter familiares agitantur, dissérentem: *Non ipsorum conviviorum delectationem voluptatibus corporis magis quàm cœtu amicorum & sermonibus metiebar. Bene enim majores accubationem epularem amicorum, quia vitæ conjunctionem haberet, convivium nominarunt, melius quàm Græci, qui hoc idem tum compotationem, tum concœnationem vocant; ut quod in eo genere minimum est, id maximè probare videantur. Ego verò propter sermonis delectationem tempestivis quoque conviviis delector, habeoque senectuti magnam gratiam quæ mihi sermonis aviditatem auxit, potionis & cibi sustulit.* Hæc ille & plura in libello de Senectute. Idem lib. 9 Epistol. familiar. ad Pætum: *Sapientius nostri quàm Græci: illi Symposia*, id est, *compotationes, nos convivia; quod tum maximè simul vivitur.*

76. Convivium dictum à vitæ conjunctione.

77. Cœna etiam vocata à communione sive societate.

Plutarchus etiam à Græcis dictam vult cœnam κοινὴν, quasi communem, à communione non modò cibi & potionis, sed societatis, quam illa conservat: qui etiam in problem. dicit *convivium benevolentiæ templum*, quia ibi humanissima amicorum commercia. Idem quoque septimo sympositac. refert *Romanum quemdam, cùm solus cœnasset, dixisse, se eo die non cœnasse sed edisse tantùm, eò quòd cœnæ defuisset condimentum, societas.*

Si igitur, ut nomen convivii sonat, ita epulum ineatur, ut amici antiqui foveantur & novi parentur, & non tam, ut dapibus & poculis, quàm sermonibus utiliter jucundis mensæ condiantur, omnino convivia probanda sunt.

78. Panis & vinum amicitiæ symbola.

Et certè panis & vinum apponi solita, apud sacros & profanos Auctores caritatis & amicitiæ symbola sunt, cum ille ex pluribus granis conficiatur, hoc ex plurimis acinis confluat.

Præclarè Plutarchus 4 sympositac. *Non ante convivio discedendum, quam unà accumbentium alicujus benevolentiam & amicitiam fuerimus nacti.* In convivium enim venîmus amicorum parandorum causâ.

79. Achitophel perfidiâ fall convivium Davidis amarum reddidit.

Hinc meritò queritur Psaltes de Achitophele & aliis perfidis amicis, mensæ suavis communionem in felleam amaritudinem, odium, simultatemque convertentibus, Psalmo 54, vers. 15, & 16: *Tu verò homo unanimis, dux meus & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos*, &c. Quæ postrema verba ex Hebræo sic reddi possunt; qui dulces magnâ familiaritate inter nos miscebamus sermones; quasi indicare vellet, hunc primarium esse conviviorum fructum, non solùm communicare invicem cibum & potionem, sed multò magis consilia, colloquia, &c.

80. Amicus optimum convivii condimentum.

Plutarchus sympositac. 7 ait, ortâ aliquando contentione inter sapientes, quod mensæ esset suavissimum condimentum, unum quidem affirmasse ignem, alium verò salem, tertium tandem multò sapientiùs respondisse, *optimum convivii condimentum esse amicum.*

81. Sal amicitiæ signum.

Ajunt etiam salem notam esse conjunctionis & amicitiæ: sic dicunt hostes Iudæorum 1 Esd. 4, vers. 14: *Nos memores salis quod in palatio comedimus*, vel, ut habetur Chaldaicè, quia sale palatii saliti sumus, id est, educati.

Solet autem etiam nunc mensis inferri sal ante alios cibos, etiam panem.

Videtur Christus huc respexisse cùm Apostolos hoc modo alloquitur Marci 9, ℣. 49, *Habete in vobis sal & pacem habete inter vos.*

82. Profana mensa, in quâ deest sal.

Profana mensa habebatur etiam apud Ethnicos, ubi deerat salinum, de quâ re Lipsius consulendus lib. 2 Saturnal. cap. 2. An igitur ideo in nocturnis Strigum & maleficarum orgiis & sacrilegis mensis sal deficit, & sæpe etiam panis? Incertum.

Quidquid sit de Orgiis maleficarum, (de quibus Delrio tomo I, lib. 2 Disquisitionum Magicarum

carum, q. 12, n. 6.) certum est, salem symbolum esse familiaritatis. Hinc adagium: *Salis modius absumendus, antequam fidas*: & illud Græcum ἅλα καὶ ἡδέσματα μὴ παραβαίνειν: *salem & mensam non prætervenda*, id est, amicitiæ jura non violanda.

83. Quid sal fœderis Dei.

Huc etiam trahunt aliqui illud Levitici 2, v. 13; *sal fœderis Dei tui, & pactum sidis.* Num. 18, v. 19. & 2 Paral. 15, v. 5. quia per legem à Deo latam & homines sibi invicem, & ipsi Deo, Deusque hominibus arctissimo amicitiæ vinculo conjunguntur. Vide Barrad. t. 2 concord. Euangel. l. 7, c. 5, & Interpretes in loca citata.

84. Sal nota firmæ amicitiæ.

Notat Pierius l. 32 hieroglyph. salem hospitibus ante alios cibos apponi solitum, quia eo amicitiæ firmitas & diuturnitas significetur. Quare plerique ominosum habent, si salem in mensam profundi contigerit, contra vero faustum, si vinum atque id merum effusum fuerit.

85. Cœnæ primorum Christianorum cur dicta Ἀγάπαι, dilectio.

Vt hunc animorum nexum & significarent, & verò etiam arctiorem efficerent primi Christiani, dixerunt cœnas suas ἀγάπας, teste Tertull. Apologet. adversus gentes, cap. 39. *Cœna*, inquit, *nostra de nomine rationem sui ostendit: vocatur enim ἀγάπη, id quod dilectio apud Græcos est, quantiscumque sumptibus constet. Lucrum est pietatis nomine facere sumptum, siquidem inopes quoque refrigerio isto juvamus.* Et post pauca: Religiosam sub mensam honestatem Christianorum demonstrans, hæc subjicit: *Non prius discumbitur quam oratio ad Deum prægustetur. Editur quantum esurientes capiunt. Bibitur quantum pudicis est utile. Ita saturantur ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum sibi esse. Ita fabulantur ut qui sciant Dominum audire. Post aquam manualem & lumina, ut quisque de Scripturis Sanctis vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium Deo canere. Hinc probatur quemodo biberit. Æquè oratio convivium dirimit. Inde discedituri non in catervas cæsionum neque in classes discursationum, nec in eruptiones lasciviarum, sed ad eandem curam modestiæ & pudicitiæ, ut qui non tam cœnam cœnaverint, quam disciplinam.* Hæc Tertullianus.

86. Cœna illorum qualis?

Fuit etiam convivii apparatus via commodissima ad graves simultates, & inimicitias extinguendas. Vnde eâ de caussâ hodieque exhibentur, & semper exhibita fuerunt convivia, ut constat ex omnibus historiis. Exemplum habes apud Livium lib. 8 belli secundi Punici, de Scipione & Hasdrubale ad mensam à Syphace Rege invitatis.

87. Convivia exhibita, ut simultas extingueretur.

Insuper, ut eandem amicitiæ conjunctionem observarent firmarentque, convivium coronarium, de quo dixi in Ecclesiastico, celebrabant filii Iob cap. 1, 4. *Et ibant*, inquit, *filii ejus & faciebant convivium per domos unusquisque in die suo, & mittentes vocabant sorores suas, ut comederent & biberent cum eis.*

88. Convivium coronarium filiorum Iob.

Observat hoc S. Gregorius 1 moral. cap. 4. *Et pater*, inquit, *dives dicitur & filii concordes asseruntur. Et dum dividenda inter eos substantia adcrat, corda tamen omnium indivisa charitas replebat.* Qui tamen Gregor. verba, quæ ibidem sequuntur ℣. 5, explicans, *cumque in orbem transissent dies, mittebat ad eos Iob & sanctificabat illos, consurgensque diluculo offerebat holocausta pro singulis*, &c. hæc addit: *Vir quippe sanctus noverat, quia celebrari convivia sine culpa vix possent, noverat quia magnâ purgatione sacrificiorum diluendæ sunt epulæ conviviorum; & quidquid in semetipsis convivantes filii inquinaverant, pater sacrificium immolando tergebat. Nonnulla quippe sunt vitia, quæ à conviviis vix separari possunt, aut certè nequaquam possunt. Penè enim semper epulas comitatur voluptas. Nam cùm corpus in refectionis delectatione resolvitur, cor ad inane gaudium relaxatur. Pene semper epulas loquacitas sequitur, cumque venter reficitur, lingua refrenatur.* (id est, laxatur) *His*, inquit, *qui chordarum harmoniam temperant, tantâ hanc arte dispensant, ut plerumque cùm una tangitur, longe alia ac multis interjacentibus posita chorda quatiatur; cumque illa sonitum reddit, alia quæ in eodem cantu temperata est, aliis impercussis tremit. Sic ergo in Scripturâ plerumque de virtutibus, sic de vitiis agitur, ut dum loquendo aliud insinuat, aliud tacendo immoteſcat.* Ac mox subjicit initio cap. 6, *Nihil enim contra Divitem* (de Epulone Euangelico dicit) *de loquacitate memoratur: sed dum pœna in linguâ dicitur, quæ in convivio inter alias gravior fuerit culpa, monstratur.* Hæc Sanctus Gregorius.

89. Convivia sine culpa vix habentur.

Digressio Tertia.

Quæ in conviviis reprehensioni obnoxia, quæ commendatione digna.

QVemadmodum sanctum & venerabile amicitiæ nomen multis fraudibus, & noxis contaminatur, & dehonestatur; ita convivia, quæ charitatis alendæ gratiâ instituta sunt, multis maculis sæpe deformantur, & fœdantur. Fit enim, ut inter sacra mensæ regnum obtineant Bromius, Comus, Eris, Venus, Nymphis, Gratiis, Musis exclusis. Nimirum exsulat sobrietas per Nymphas & Lymphas (διαφόρως enim dixere veteres Nymphas & Lymphas) significata, benevolentia & amor, quem Gratiæ & Charites copulant, & Musæ, quæ cathitatis & sapientiæ præsides: & revocantur ab exilio ebrietas, comessatio, luxuria, & quæ hæc comitantur, contentiones, rixæ, stultiloquia, convitia, & innumeræ aliæ pestes, vel Furiæ potiùs ex imo barathro in convivia emissæ.

90. A conviviis plerumque exulant Nymphæ, Gratiæ, Musæ & veniunt Bacchus, Eris, Venus, &c.

Nihil hic dico de effuso, & sumptuoso conviviorum apparatu; de ferculorum splendore, varietate, luxu, condimentis exoticis, convivarum turbâ, intempestivis sive nocturnis epulis.

Quam multi hodie non Reges, sed plebeji & negotiatores suæ magnificentiæ & opulentiæ ostentandæ exquisitissimas apparant dapes, ipsum Affluerum, quantum possunt, adæquare conantes? & quid aliud ambitioso illo choragio lucrantur, quam aliorum offensionem, invidiam, odia? dum verò suas venditant opes, simul illas profundunt, quibus diminutis vel amissis, vulgi cachinnis excipiuntur. Vide à nobis dicta Ecclesiastici 13, v. 5, 6, & sequent.

Certatur passim ferculorum luxu, & palma datur lautiùs & splendidiùs exstruenti. Videntur ab inferis revixisse M. Antonius & Regina meretrix: de quibus Macrobius lib. 3 Saturnal. cap. 17. & Plin. lib. 9, cap. 35. Item Antonius Geta, quem refert Spartianus ita convivium instruxisse, ut & tot missus, & in singulis missibus tot ferculi inferrentur, quot Alphabetum literas

91. Luxus in conviviis M. Antonii, Cleopatræ, Antonii Getæ, Iulii Cæsaris, &c.

contineret. Iulius item Cæsar, qui domito Pompejo victor Vrbem ingressus epulum publicum dedit, in quo mensarum viginti millia lectissimis ferculis instructa.

92. Luxus Persicus.

Ne autem apparatum Persicum pertranseam, scribit Herodotus lib. 9, Pausaniam Spartanorum ducem jussisse coquos eo modo sibi cœnam parare, quo Mardonio Persæ priùs parare consuevissent; quod cùm illi fecissent, Pausaniam lectos untuentem aureos, argenteosque aulæis magnificè instratos, mensas etiam aureas, & argenteas, superbamque cœnæ pompam, propositis epulis stupefactum imperasse servis suis, ut Laconicam, id est, vulgarem sibi cœnam apponerent.

93. Civitates ob conviviorum sumptus ad inopiam redactæ.

Tradit item Athenæus lib. 4, cap. 6, ex eodem Herodoto, civitates integras, à quarum incolis Persici Reges essent excepti convivio, ad extremam inopiam esse redactas, & compulsas fuisse solum mutare. Quamobrem si bis Persarum Reges in eâdem urbe epulati fuissent, continuò illam alias sedes quærere coactam. Apage intolerabilem illum luxū maxime à populis Christianis.

Certè consultissimum jam foret sumpturias aliquot leges ferre, quibus comessationes illæ exoticæ, & detestandæ coercerentur.

Martialis inter ea, quæ vitam faciunt beatiorem, recensct *convictum facilem, sine arte mensam.*

94. Frugalis primorum mortalium mensa.

Hanc veteres vocarunt cœnam Deorum, quod primi illi Heroes & Semidei vilibus & facile parabilibus vescerentur cibis.

Rogatus ab hospite Cyrus, quid ad prandium parari juberet, nihil aliud inquit, quàm panem; *nam spero me prope vesum cœnaturum.* Ita Ammianus lib. 21.

Quondam inducebantur in mensas, lepores, & argutè dicta, salesque opportuni cibariis inspergebantur, juxta illud:

Accedunt cum melle sales, sine felle sodales.

Verùm jam sermones sympotiaci, vel nimis acres, & mordicantes inferciuntur, quibus convivæ exacerbantur, & irritantur, vel insulsi, minimè astricti, fœtidi, obscœni, quibus sacra mensæ profanantur, contaminantur, violantur.

95. Sal symbolum prudentiæ, gratiæ, &c.

Dixi suprà salem symbolum esse concordiæ, hospitalitatis &c. addo jam etiam, præcipuè quidem notam esse gratiæ, sapientiæ, prudentiæ, quæ virtutes vel maximè primas tenere debent in concœnationibus, & epulis.

96. Inspergendus sal sermonibus convivialibus non obscœnitas.

Hoc admonuit Apostolus Ephes. cap. 4, v. 29: *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat:* Vbi Græcè est σαπρὸς; id est, corruptus, putris, qui videlicet sale cœlestis sapientiæ non est conditus, sed exhalat Mephitim obscœnitatis, nauteam spurcitiæ, scurrilitatem & meras nugas redolet, infectus est sordibus, quæ corruptam & vitiatam radicem, nempe cor veneno mortifero imbutum indicent. Contrà subjicit ibidem Apostolus: *Sed si quis bonus ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus,* id est, hujusmodi sermo ex ore vestro procedat, quo audito præsentes ad omne opus virtutis proficiant, & jucundè simul, & gratiosè proferatur.

Illud ipsum brevius idem Apostolus inculcat ad Colost. 4, v. 6, *Sermo vester semper in gratiâ sale sit conditus*: ut nimirum colloquia sint audientibus grata, & accepta, non tamen dissoluta, sed sale sapientiæ astricta.

Audiamus S. Anselmum. *Sicut cibus*, inquit, *cui sal immiscetur, fit sapidus, & caro benè salita non putrescit, nec fœtet: ita fit & sermo vester, ut quasi cibus sapidus recipiatur ab ore cordis audientium: non sit insipidus per insipientiam, nec putridus per admonitionem carnalis delectationis, nec corruptus per admixtionem falsitatis, sed semper sale spiritualis sapientiæ conditus & integritate veritatis incorruptus, atque odorem cœlestis & incorruptibilis delectationis spirans; & ita condimentum divini salis habeat sermo vester.*

Hujusmodi mensâ, parcâ scilicet, gravitatis ac sapientiæ sale instructâ usi sunt tum alii viri sancti tum S. Augustinus: de quo hæc in ejus vitâ Possidius. *Mensâ*, inquit, *usus est frugali & parcâ, quæ quidem inter olera, & legumina etiam carnes aliquando propter hospites, vel quosque infirmiores contimebat, semper autem vinum habebat, quia noverat & docebat, ut Apostolus dicit, quod omnis creatura Dei bona sit & nihil abjiciendum quod cum gratiarum actione percipitur: sanctificatur enim per verbum Dei & orationem. Cochlearibus tantùm argenteis utens, cetera vasa, quibus mensæ inferebantur cibi, vel testea, vel lignea, vel marmorea erant, non tamen necessitatis inopiâ, sed proposito voluntatis: semper etiam hospitalitatem exhibuit. & in ipsâ mensâ magis lectionem, vel disputationem, quam epulationem potationemque diligebat. & contra pestilentiam humanæ consuetudinis in eâ ita scriptum habebat:*

97. S. Augustini mensa frugalis, hospitalis, eruditionis & sanctitatis plena.

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc mensam indignam noverit esse sibi.

Et ideo omnē convivam à superfluis & noxiis fabulis & detractionibus sese abstinere debere admonebat: nam & quosdam suos familiarissimos Episcopos illius scripturæ oblitos, & contra eam loquentes, tam asperè aliquando reprehendit commotus, ut diceret, aut delendos illos de mensâ versus, aut se de mediâ refectione ad suum cubiculum surrecturum: quod & ego & alii, qui illi mensæ interfuimus, experti fuimus. pauperum verò semper memor erat, &c.

98. Cœna Caroli Magni modicis constabat ferculis.

Carolus Magnus cibi, potusque parcissimus erat, in potu tamen temperantior, ut qui ebrietatem in quolibet infimæ etiam conditionis homine, nedum in suis abhorreret. cœna quotidiana quaternis tantùm ferculis præter assam, quâ maximè delectabatur, & quam venatores verubus inferre solebant, constabat. In cœnâ non ampliùs ter ferè, neque interdiu temerè bibit, æstate pro potione sumebat aliquid pomorum. inter cœnandum admodum frequenter lectorem audiebat: legebantur ei historiæ, & antiquorum res præclaræ: delectabatur autem inprimis libris B. Augustini, præcipuè de Civitate Dei. Ita Albert. Crantzius lib. 2 Saxoniæ, cap. 8, & Aventinus lib. 4 Annalium Bojorum.

99. Quinam libri sub mensam legendi, & qui utilitate.

Hinc Ægidius Romanus lib. 2 de vitâ & regimine Principum, cap. 15, suadet Regibus ac principibus, ut ad mensam curent sibi legi laudabiles regni consuetudines, res à majoribus egregiè & cum laude gestas, clarissimorum Imperatorum vitas, & libros de rectâ gubernandi ratione.

Et causæ hujus moris inducendi non desunt: hoc enim modo otiosorum & noxiorum sermonum fluxus, qui temerè inter epulas & pocula labuntur, cohibetur, & mens intenta lectioni insignium facinorum à delectationibus eduliorum & potationum retrahitur, & ab iis vitiis, quæ

quæ mensarum lautarum voluptas procreare solet, retrenatur.

Quis autem est, qui deliciis vini & epularum una cum alimenti necessitate, vel utilitate blando lenocinio influentibus non capiatur? quisquis ille est, magnus est. Vide de hac fraude S. Augustinum lib. 10 Confessionum, cap. 31, & S. Gregor. lib. 35 moral. cap. ultimo.

100. Olim virorum doctorum mensa condiebatur problematum & ænigmatum propositione.

Id causæ fuit cur quondam Philosophorum & virorum eruditorum, tam apud Græcos quam Latinos, mensa problematis argutis, symposiacis de morbus quæstionibus, griphis, & ænigmatis acutis inspergeretur, ut tum ex Plutarchoin symposiacis sermonibus, Athenæo in Dipnosophistis, tum ex Macrobio lib. 7 Saturnalium, cap. 1, Quintil. lib. 1 Institut. Orator. Ciceron. lib. 2 Tusc. quæstion. constat. Vt enim aptè & sapienter ad proposita problemata responderent, parcius edebant, & magis sobriè bibebant. Idem priscos Persas factitasse scribit Xenophon lib. 4 Paediæ. Est enim ingenuo & liberali homine dignissima illa oblectatio, quæ ex jucundo & docto sermone hauritur.

Narrat Aristæas in libello de Septuaginta Interpretibus, ex iis quendam à Ptolemæo Philadelpho Ægypti Rege rogatum, quid in convivio regali conferendum esset, vel qua de re potissimum agendum, respondisse, recensendas esse principum magnorum res gestas: nihil enim earum commemoratione gratius accidere posse.

De sancto Laurentio Justiniano Protopatriarcha Venero sic memorat in ejus vitâ cap. 5, apud Surium, 8 Ianuarii, ejus consanguineus Bernardus Justinianus: *Mensa ejus non sordida, sed summâ munditie, ad quam de more monastico legebatur, nihil omnino in ea argenti. Vescebatur in vitreis & fictilibus, cibo vulgari semper usus, amavit ova; quod & stomacho amica essent & voluptatem non irritarent. nihil appetere aut damnare, quodquod apponeres, sumere.*

101. Mensa S. Laurentii Justiniani munda sed facile parata.

Augustus Cæsar (ut auctor est Philo Iudæus lib. de legatione ad Cajum Caligulam) plerumque in conviviis, quæ ferè quotidiana erant, memoria retractabat, quæ à Philosophis didicerat, aut ex doctorum virorum, quos domi alebat, consuetudine; nam cœnæ tempus, ut plurimum, tribuebat eruditis fabulis, ut non solum corpus, verum & anima suis reficeretur deliciis.

102. Augustus Cæsar doctis sermonibus in mensa utebatur.

103. Veteres Gentiles Iovem & Deos mensis parcis adesse credebant.

Persuadebant sibi veteres moderatis conviviis Deos & ipsum Iovem præsentem se sistere: unde est illud Ovidii in Fastis:

Ante focos olim scamnis considere longis,
Mos erat, & mensæ credere adesse Deos.

Ex quibus versibus etiam colligimus, id quod ante docebamus, eosdem veteres non accubuisse mensis, sed assedisse.

Digressio Quarta.

Christus verbo & exemplo frugalitatem in mensa servandam docuit, simulque salutares epulis permiscere sermones.

VT postremam illius cœnam præteream, in qua & Apostolorum pedes ablut, divinissimum corporis sui ferculum proposuit, vinum miscuit in sanguinem suum mox convertendum, prolixum & sapientiæ plenum de mutua dilectione convivialem sermonem interposuit (unde Christianorum Agape exordium sumsit;) tantum commemorabo Pharisæi epulum quod S. Lucas describit cap. 10, initio.

Ad hoc invitatus Christus manducare panem, cùm Pharisæi illum observarent ut carperent, & ferculum livore & felle malevolentiæ intoxicatum apponerent, saluberrimas tamen ipse & suavissimas intulit dapes, miraculo hydropicum præsentem sanavit, ipsisque fasto tumidis, avaritiâ intercute suffusis præstantissimum medicamentum & alexipharmacum propinavit, id est, parabolam instituit de modestia & animi demissione in nuptiis & publicis congratulationibus servandâ, de primis accubitibus non affectandis. Insuper salutari monito convivatorem suum remuneravit, suadens illi, ut ad prandium vel cœnam non vocaret amicos aut cognatos divites, sed potiùs paupetes & debiles, qui cùm non habeant quod retribuant, ipsorum vice Deus in resurrectione justorum mercedem amplissimam rependet. *Vides*, ait ibi Theophylactus, *cœnæ Christi quales sint, nempe in utilitatem animæ & non in satietatem ventris vertuntur.*

104. Christus Pharisæi convivium pulcherrimis & factis & sermonibus instruit.

Adeò hoc verum, ut quidam de discumbentibus prolectus dulcissimis Christi Domini colloquiis, Nectare & Ambrosiâ mellitioribus, in hoc acroama proruperit: *Beatus qui manducabit panem in regno Dei!* Aspirabat scilicet ad cœlestes epulas & toto pectore inhiabat: sordebant illi Pharisaicæ dapes invidiæ veneno infectæ, præ dulcedine, quam primoribus tantùm labris præliabarat in cœlis parati convivii.

S. Hieron. lib. 1 Commentar. in Matth. 9, *Ibat Dominus ad convivia peccatorum, ut occasionem haberet docendi, & spirituales invitatoribus suis præberet cibos.*

Quàm frugi verò & parco victu Christus uteretur, satis indicant verba illa, quibus Martham hospitam suam diversis apparandis dapibus intentam redarguit Lucæ 10, vers. 41, *Martha, Martha sollicita es, & turbaris erga plurima*: ut varia obsonia nobis apponas, & illa scitè condias, pluribus in diversum ageris curis, & occuparis ministeriis. *Porrò unum est necessarium. Græcè*: ἑνὸς δέ ἐστι χρεία, id est, uno est opus, unius usûs & necessitas, unum ferculum sufficit, solus panis satis est, cetera quæ te turbant & distringunt, non sunt necessaria. Ita Theophylact. ibi, & addit, Dominum docuisse discipulos frugalitatem in hospitio servandam: sic etiam intellexit S. Basil. in Regulis fusius disputatis, Interrogat. 20, & alii Interpretes. Estque hic sensus primò obvius, & optimè cum præcedentibus cohæret, licet alius de uni Deo inhærendo primariò à Christo videatur intentus.

105. Christo unicum sufficiebat ferculum.

Eamdem continentiam insinuat omnibus amplectendam in Oratione, quam nobis dignatus est præscribere, ut brevem eorum, quæ petere debeamus à Deo, Epitomen; ubi dicitur Mat. 6, vers. 11, *Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie*, vel, ut habet Interpres noster Lucæ 11, vers. 3, *Panem nostrum quotidianum*. Vtrobique verò Græcè est ἄρτον ἐπιούσιον, quod rectè transferas substantialem, congruum nempe substantiæ nostræ alimentum, panem pertinentem ad nostram naturam alendam, qui, quoniam eo quotidie indigemus, rectè dicitur quotidianus: nec malè

106. Frugalitatem docet nos petitio. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*

malè supersubstantialis, quia super vel ad substantiam nostram sustentandam datur.

Quamvis verò Scriptura Idiotismo Hebraico panis nomine omnem cibum, sive omnia ad vitam necessaria comprehendere soleat, hâc tamen petitione (quatenus eam restringimus ad cibum corporeum) indicatur, postulare nos panem vulgarem, qui cibarius est, frugalis, communis, non delicatus. Ita hîc Interpretes, inter quos Chrysost. *Non propter divitias*, inquit, *atque delicias, non ob pretiosæ vestis ornatum, sed pro cibo duntaxat quotidiano jussit orare.* Denique docent Patres, Cyprian. serm. 6, qui est de oratione Dominica, & alii, his verbis significari, non esse quærenda supervacanea & curiosa; sed simplicia & necessaria, sine quibus nullo die vivere possumus.

Digressio Quinta.

Quomodo priscorum Persarum parsimonia & frugalitas in luxum & ebrietatem degenerarint.

107. Persarum frugalitas antiqua.

PAuca accipe ex Xenophontis Cyropædiâ: sic ille scribit lib. 1. *Docent pueros*, inquit, *Temperantiam, ad quam discendam eis plurimum conducit, quòd videant senes ipsos toto die temperanter vitam agere, quodque non apud matrem vescuntur pueri, sed apud magistrum, quando præsides significarint, ferunique domo pro cibo panem, pro obsonio nasturtium; ad potum verò, si quis sitiat, capedinem, ut ex flumine aquam hauriant.*

Et paullo post: *Iam puberes effecti, exeuntes in venationem, prandium habent, & id quidem largius, ut par est, quàm pueri, sed alioqui simile: obsonium autem hoc habent, quodcumque venati fuerint: sin minus, nasturtio vescuntur. Quod si quis eos existimat aut vesci injucundè, cum aliud nihil præter nasturtium addant ad panem, aut potu minus suaviuti, cum aquam bibunt, reminiscatur quantâ cum voluptate, mazâ* (genus est panis confecti ex farinâ & oleo) *paneque quis in fame vescatur, quamque suave sit bibere aquam in siti.*

108. Eorumdem edacitas & luxus.

Audi jam eundem enarrantem sub finem l. 8, quomodo à pristinis institutis defecerint. *Antea*, inquit, *erat Persis lege cautùm comedere semel, quo toto die utcrentur, & circa res gerendas, & circa labores: hâc verò tempestate semel cibum capere adhuc permanet, sed vesci incipientes ab eo tempore, quo illis qui summo mane prandent, ad illorum usque tempus comedere, potareque pergunt, qui lectum sardissimè petunt. Erat præterea lege cautum apud eos, ne amphoræ importarentur in sympoſia, quippe qui putarent, si non nimis potarent, minùs corpora mentesque labefactari: Hâc verò tempestate urceos non importari adhuc permanet; at tantum bibunt ut non importent, sed ipsi exportentur, cùm nequeant amplius recto corpore egredi. Iam verò & ille mos patrius iis erat, ut dum iter facerent, neque comederent, neque biberent, neque quidquam eorum, quæ propter hæc necessaria sunt, palam facerent: nunc autem ab iis abstinere adhuc perdurat, sed itinera faciunt adeò brevia, ut minimè sit mirandum, quòd rebus necessariis abstineant. Quin & ad venationem quoque totos antea exibant; ut pro exercitatione venationes satis essent & ipsis & equis; at ubi Artaxerxes rex, & qui eram ei familiares, ita vino dediti sunt, ut eo succumberent, non amplius eodem modo uos; ipsi egrediebantur, neque alios educebant ad venationes, &c.*

Et paullò inferiùs: *Quin etiam multò magis indulgent mollibus & delicatis voluptatibus, quàm Cyri temporibus; tum enim adhuc disciplinâ Persicâ, & continentiâ utebantur, Medorum verò stolâ, atque mollitie; sed hoc tempore Persicam constantiam æquo animo vident extingui, at Medorum mollitiem diligenter servant. Declarare autem volo eorum quoque mollem & delicatam vitam. Illis enim non satis est, si lecti strata mollia habeant, verùm etiam lectorum pedes tapetibus superponunt, ne pavimentum veniatur, sed ut tapetes cedant. Insuper opere pistorio quæ conficiebantur ad mensam & quæcumque reperta sunt antea, eorum nihil ablatum est, sed & nova semper excogitant, & obsonia idem. Etenim sibi comparavunt homines, qui nova utriusque horum rerum artificia inveniant. Insuper hieme non satis est illis caput, & corpus, atque pedes tegere, sed in extremis manibus chirotbecas villosas habent, & digitalia: at verò æstate contenti non sunt neque arborum, neque rupium umbris, sed illis præsto sunt homines, qui in his umbris alas moliantur. Iam verò & pocula si quam plurima habeant, hoc ornamento gloriantur, &c. plura etiam super equos habent strata, quàm super cubilibus, non enim ita equitandi eorum habent, ut molliter sedendi.*

Idem Oratione dè Agesilao, sic scribit de rege Persarum: *Habet rex Persarum, qui totum orbem circumeant quærentes potum, qui suavis illi sit futurus, & innumeris cibos excogitant, quibus suaviter vescatur.*

Strabo lib. 15 Geograph. *Persæ lautè cœnant, integra, & multa, & varia apponentes: vestis & poculorum ornatus splendidissimus, auro & argento refulgens. de rebus maximis in vino consultant, eaque decreta ipsi firmiora censent, quam quæ sobrii faciunt.*

Athenæus lib. 12 Dipnosophist. *Primi omnium mortalium Persæ celebres luxu fuerunt, quorum & reges Susis hiemabant, Ecbatanis æstatem agebant. Insigne quod suis capitibus imponebant, ne quidem ipsum voluptate carebat, conficiebatur enim è myrrhâ, & ex eo quod labyzus vocatur; suaviter autem labyzus olet & multo quàm myrrha est pretiosior. Cum autem & è curru descenderet rex nec ille desiliebat, quamvis exigua esset altitudo à terrâ, neque manibus eorum, qui ipsum circumstabant, fulciebatur; sed ei semper aurea sella admovebatur, & huic pedes imponens descendebat, ac regis sellæ gestator hujus rei gratiâ sequebatur.*

Herod. etiam l. 1 describit asperum antiquorum Persarum victum hisce verbis: *Persis, antequam Lydos subigerent, nihil erat neque lautum, neque opiparum.* Postremo verò libro refert invidendas ipsorum divitias, etiam in castris lectos auro argentoque constratos, tentoria ingentibus opibus referta, crateres & vasa potoria aurea, armillas, torques, & acinaces aureos, quos Græci ex cæsorum cadaveribus exuebant. Adfert in medium Mardonii, qui exercitum Xerxis ducebat, magnificum cœnæ apparatum, &c.

Denique Brissonius lib. 2 de regio Persarum principatu, ostendit, quomodo Medicus Lydusque luxus everterit paulatim priscam Persarum frugalitatem. Præibant reges suo exemplo, Cambyses, Darius, Artaxerxes, Vide Senecam lib. 3 de Irâ, & Herodotum lib. 3. Vnde & depulsâ fame majoribus poscebant poculis, ut

Æli-

Ælianus lib. 12 Variarum, cap. 1, & convivas ad potandum compellebant. quod tamen, ut vidimus, Assuerus noster hîc fieri vetuit.

Digressio Sexta.

Vini modicè poti commoda, immoderatè verò hausti damna.

Sirachides Ecclesiastici 31, pauca, eaque præclara habet in vini parce sumpti commendationem. Versu. 22, ita infit: *Quàm sufficiens est homini erudito vinum exiguum, & in dormiendo non laborabis ab illo, & non senties dolorem.* Rursùs ℣. 32: *Æqua vita hominibus vinum in sobrietate:* ubi dicitur vinum adferre homini vitam æquam, commodam, salubrem, jucundam, si sobrie bibatur, ita ut vita vino privata, vix vita habenda sit, ut ibi ostendi vers. 33. Vide eundem vers. 24, 35, 36, 37.

Ibidem plura incommoda vini immodicè potati subjicit: vers. 23: *Vigilia, cholera & tortura viro infrunito.* Lege quæ sequuntur ℣. 30, 31, 38, 39, 40. Vbi lector lucem petet ex nostris Commentariis, & plures sobrietatis fructus, ebrietatis verò pessima germina eruet.

Nec verò his obstat ℣. 7 hujus capitis: *Vinum quoque ut magnificentiâ regiâ dignum erat, abundans & præcipuum ponebatur:* tum quia dignitatem & opulentiam Regis decebat proponere vinum generosum & copiosum: tum quia, ut sequitur ℣. 8, *nec erat qui nolentes cogeret ad bibendum.* Mensura enim cuique libera erat bibendi.

Christus in nuptiis copiosum & generosum vinum præpinavit, & cur.

Sic nec Christus reprehendendus, qui Ioan. 2, nuptiis in Cana Galilææ vinum abundantissimum & præstantissimum produxit, & convivis proposuit, cùm aquam sex hydriarum in vinum convertit, *quarum singulæ capiebant metretas binas vel ternas.* Metreta autem, ut more Belgico loquamur, continebat pocula duodecim; unde hydria una, quæ habebat metretas binas, erat poculorum nostrorum 24. Exigebat ergo hoc Christi liberalitas & benignitas, sicut & Assueri Regis Majestas & munificentia: utrobique vero hospitum multitudo.

In laudem vini multa alibi diximus, si sobriè potetur. Non enim dubium est, nobilissimum & pulcherrimum Dei munus maximam vim habere ut homini prosit: unde & Varro vinum à vi dictum arbitratur, quamvis hominum vitio etiam vi polleat, ut noxam maximam adferat animo & corpori.

109. Vinum dictum à vi, & temetum à tentando.

Fertur hic versus de vino:

Do vires, adimoque, & origo nominis à vi.

Quocirca & temeti nomen accepit, quòd mentem corpusque tentet & labefactet.

110. Vini sobriè sumpti commoda.

Vinum est homini præcipuum alimentum, medicamentum, oblectamentum: probè enim & citò nutrit, humectat, & fovet solidas partes corporis, bonum succum procreat, concoctionem distributionemque cibi adjuvat: unde & dicitur alimenti vehiculum. Senectutem contra frigus communit, somnum conciliat, spiritus & sanguinem fovet, nativum calorem roborat & conservat, membris virtutem tribuit, contra virus est præstans antipharmacum, infirmum stomachum reficit, vulneribus medetur, ut assimiletur, mutationem minimam requirit, teste Galeno lib. 3 de Temper. & hæc quidem commoda corpori vinum progenerat. Menti verò docilitatem, sapientiam, prudentiam procreat; ideo, ut ante dixi, Persæ & etiam aliæ gentes vino priùs se infundebant quàm consilium in medium darent: animum exhilarat, curis liberat; hinc Bacchus vocatus à Græcis quidem λυαῖος, ἀπὸ τοῦ λύειν & à Latinis Liber à liberando, quòd nimirum, ut ait Seneca lib. de Tranquil. mentem à servitio curarum liberet: unde Homerus passim vinum laudans vocat *οἰνοφλυγα κηρὸν ἀχέων exhilarantem terræ fructum.*

111. Vinum dicitur λυαῖος, & Liber, & quare.

Porrò non pauciora damna adfert hominis & corpori & animo immodicus vini potus, quàm emolumenta pariat ejusdem usus sobrius & moderatus. Vt enim vinum parcè sumptum convivii decus est & deliciæ: ita contra ejusdem nimia ingurgitatio labes est fœdissima & pestis teterrima, quæ convivium, quod antè diximus societatis esse conciliationem & renovationem, evertit, penitusque pessumdat, dum contentionibus & rixis, & aliquando sanguinis effusione permiscet: sitque vinum temulentorum non nepenthes aut nectar, sed *fel draconum & venenum aspidum insanabile*, Deuteronomii 32, vers. 33. non vinum sed virus, non medicamentum sed venenum, Proverbior. 23, colubro toxicum in dente gerenti & basilisco virus diffundenti componitur. Seneca epist. 84 comparat opio, elleboro, alii igni celerrimè plurima devastanti, quidam pyxidi Pandoræ, ex quâ malorum omnium erupit cohors. Corruptio enim est judicii, virtutumque omnium, perditio sanitatis, roboris & formæ corporis, devastatio authoritatis, dignitatis, & opum. Origo est garrulitatis vanæ & noxiæ, arcanorumque prodigæ.

112. Vini immodicè sumpti incommoda.

Eleganter dixit Clemens Alexandr. lib. 2 Pædagogi, cap. 2, *Vt Elpenor fregit calcaneum, cùm ob ebrietatem cecidisset; ita ebriosorum cerebrum caligine effusum in hepar & in cor*, id est, *in voluptatem & iram majori casu decidit, quàm fingunt Vulcanum poetæ à Iove in terram præcipitatum fuisse.* Hinc Græci dixerunt ebrietatem μέθην ἀπὸ τοῦ μεθίστασθαι, quòd mentem de statione sua dejiciat: illi verò contraria virtus dicta εὐφροσύνη, quasi εὐέζωον τὴν φρόνησιν, quod prudentiam conservet sobrietas.

113. Ebrius similis Elpenori.

114. Vnde dicitur ebrietas à Græcis.

Constat homo quatuor humoribus, phlegmate, cholera, sanguine, atra bile, hi quasi fides sunt in humani corporis citharâ, quas vinum, si temperatè bibatur, componit & intendit ad symphoniam suavissimam & divinum melos pangendum: excitat enim & evibrat omnes animi & corporis vires ad Deo hymnum decantandum, ut possit dicere cum Psalmodo: *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum*, Psalmo 83, vers. 3. quod si mens mero obruatur & corpus planè madeat, in humoribus summa turbatio existit, solvitur omnis symmetria qualitatum, accenditur sanguis, effervescit bilis, balbutit os, flammescunt oculi, vel natant, tremunt manus, ad soporem potiùs quàm ad Deum laudandum animus provocatur.

115. Sobrietas humani corporis citharam componit, ebrietas solvit.

Digressio Septima.

Barbarus mos incessitur ad æquales haustus convivas compellandi vel poculis certandi.

Sirachides contra hunc sic monet c. 31 Ecclesiastici, v. 30, *Dilegentes in vino noli provocare*, ne incites propensos satis per se ad vinolentiam, ad exhauriendos pares cyathos.

Iterum ibidem v. 42, *Ne premas illum* (proximum) *in repetendo*, id est, ne cogas illum crebrò postulando ut ad æquales haustus tecum potet & respondeat.

Hoc præceptum in suo convivio magnificentissimo observari voluit Assuerus, nolens quemquam ad bibendum cogi, sed suæ libertati convivas relinqui: ut hoc autem seriò observaretur, constituit sympotiarchas & Modimperatores.

Idem fecit Agesilaus cùm esset electus Sympotiarcha, ut auctor est Plutarch. in Laconicis Apophthegmatis. Vtinam Reges & Magnates hoc Assueri edictum & ipsi in suis sympotiis custodirent, & à populis, quibus præsunt accuratè tenendum statuerent! Citat hîc Serarius, & quæst. quartâ in cap. Iudith 15, Beatum Rhenanum l. 2 Rerum Germanicarum, afferentem legem Salicam, à Gallis videlicet usurpatam: *Nemo militiæ socium aut quemlibet aliũ ad potandum invitato: quod si quis ebrius repertus fuerit, ejectus, quoad culpam agnoscat, aquam bibat.* producit & leges Germanicas in Augustanis Comitiis latas anno 1548 & 1551 & 1559, quibus propinationes & æqualium poculorum certamina interdicuntur, non solùm patribusfamilias, sed etiam principibus. Verùm tantum abest, ut præclara illa instituta in conviviis locum habeant: quin potiùs leges rectæ rationi vel maximè repugnantes, Thracibus, Scythis, aut Bratilis congruæ ferantur, quibus præmium proponitur bibonibus, qui plus vini exhauserint.

116. Leges antiquæ, quibus prohibetur provocatio ad haustus æquales.

Hujusmodi barbarum certamen, in quo victoria & turpissima, & luctuosissima est, quod Philo vocat πότου νίκην, sive ἀκροκωμίας contentionem, olim Alexander Macedo in Indiâ instituisse dicitur in funere Calani, ut auctor est Ælianus l. 2. variar. histor. in quâ primum præmium erat talentum, secundum minæ triginta, tertium verò decem. sic amphoris illis tricongiis vel cadis potiùs, tanquam rem egregiam præstitissent, merces & honos tribuebatur.

117. Alexander primus instituit certamen potandi ad æquales haustus, potu obrutus.

Athenæus etiam l. 12 de eodem sic scribit: *Merum animose propinans etiam alios coëgit.* Nec mirum hoc fecisse Alexandrum, qui, ut scribit Curtius l. 5, cap. 15, *Ingentia animi bona haud tolerabili vini cupiditate fœdavit*: ut quem violentia Martis non vicerat, Bacchi vinolentia victum prostratumque necarit. Vnde Seneca Epist. 84, *Alexander*, inquit, *Magnus scypho Herculano victus est antea invictus.*

118. Hunc secutus Dionysius Iunior Athenis.

Athenæus l. 10, c. 12, scribit Dionysium Iuniorem, Siciliæ tyrannum, Athenis eundem poculis depugnandi conflictum exhibuisse, plus meri epotanti aureâ coronâ propositâ.

119. Potatores insignes.

Sed nec hoc quidem insolens homini pergræcari assueto, quippe quem tradit Aristoteles in Politicis, aliquando per tres continuos menses temulentiæ indulsisse.

Auctor etiam est Plutarch. Mithridatem, qui & Bacchus cognominatus est, bibacitatis & voracitatis contentiones instituisse, & laureas appendisse. Vide illum l. 1 Symposiac. problemate primo.

120. Cogentes ad potandum.

Fuerunt qui convivas totum quod propinabatur, ebibere nolentes occiderent, vinumque, more Lapitharum, cum sanguine confunderent.

Leguntur aliqui, Honoris, sic appellant, cyathum, vel immanem craterem, evacuare recusantes in singulare certamen provocasse.

121. Cogens ad bibendum morte multatur.

Refert Laertius lib. 8 in Empedocle, in ejus caput, qui immodicum vini haustum acceptare noluerat, vinum effusum; sed postridie in jus vocatus convivator morte mulctatus est.

122. Non minus laudantur insignes bibones quã strenui bellatores.

Ita quidam Poëta apud Stobæum; Agedum hospes quin bibis? hoc enim etiam virtutis; si quis virorum plurimum in epulo vini ebiberit, docteque alium simul ad potandum provocaverit, æquè inter epulas vir fortis esse potest, quàm in bello. Sic ille morem suorum temporum describens.

Vnum ego in ejusmodi monstra Isaiæ vaticinium amentatum intorqueo. sic ille cap. 5. v. 11: *Væ qui consurgitis mane ad ebrietatem sectandam & potandum usque ad vesperam, ut vino æstuetis.* & iterum v. 22: *Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem.*

123. Scriptura potatores incessit.

Subjicio effatum B. Ambrosii, qui lib. de Elia, & jejunio, à cap. 12, usque ad finem hoc argumentum persequitur, totusque est in demonstrandâ ebrietatis turpitudine. *Cernas*, ait cap. 13, *poculorum diversorum ordines, aciem ordinatam putes; vasa exposita aurea, & argentea, pompam arbitreris: eorum in medio vini plenum, non epularis, sed præliaris instrumentum buccinæ, quod discumbentes in certamen accendat. Primò minoribus poculis velut velitari pugna præluditur. Verùm hæc non sobrietatis est species, sed bibendi est disciplina: præluforiis in principio se exercent poculis, ut irritent sitim, ne forte restinguant eam & sitiant postea bibere non possint. ergo ubi res calere cœperit, poscunt majoribus poculis: fervor inardescit. deinde procedente potu longiùs, contentiones diversæ & magna certamina, quis bibendo præcellat. nota gravis, si quis se excusset, si quis temperandum forte vinum putet, & hæc donec perveniatur ad mensas secundas. at ubi consummatæ fuerunt epulæ, & putes jam esse surgendum, tunc de integro potum instaurant sitim, & cùm consummaverint, tunc incipere se dicunt, tunc deferuntur phialæ, tunc maximi crateres quasi instrumenta bellorum. ac ne immoderatum hoc arbitreris, mensura proponitur, certatur sub judice, sub lege decernitur. agonotheta illic furor est, stipendium debilitas, victoriæ præmium culpa, pendet anceps dies & dubius belli eventus: furor enim illic est præliaris: omnes inebriantur, victores victique, omnes ebrii jacent, plerique sopiti, spectaculum triste Christianorum oculis & miserabilis species. quos manè insignes armis spectaveras, vultu minaces, eosdem vesperi cernas etiam à pueralis videri: sine ferro vulnerates, sine pugna interfectos, sine hoste turbatos, sine senectute tremulos, in ipso juventutis flore aresures.* Cap. 14, convivatores incessit, qui talia convivia præparant; quem consule.

Et Sancti Patres, ut Ambrosius.

His paria etiam habent alii Patres, inter quos legendus S. Basilius homil. in ebrietatem. S. Augustin. Serm. 231 & 232, de Tempore, qui sunt contra ebrietatem. In priore sic inter cætera,

Item S. Augustinus.

qui

qui alterum cogit, ut se, plusquam opus est, bibendo inebriet, minus malum ei erat, si carnem ejus vulnerare gladio, quam animam ejus per ebrietatem necare. &c. Serm. posteriore, *Solent*, inquit, *ebriosi ita se excusare: ut dicant: Persona potens me coegit, ut amplius bibam & in convivio Regis non potui aliud facere.* Inter alia sic respondet August. *Etiamsi ad hoc veniretur: Aut bibas, aut morieris: melius erat, ut caro tua sobria occideretur, quàm ut anima per ebrietatem moreretur.* Ita & alii PP. Vnde nec illud Græcorum proverbium in symposiis eorum jactari solitum, nobis arridet: ἢ πῖθι, ἢ ἄπιθι: aut bibe, aut abi.

Suggerit Serarius Commentario suo in cap. 15 Iudith. quæst. quartà, varia argumenta, quæ opponi possunt iis, qui ad largiorem vini potum nos provocant, & urgent ut ad æquales haustus respondeamus, ad quem Lectorem remitto.

Plura etiam honesta & pia remedia ad has importunitates propinationum evadendas adferunt SS. Patres, in quibus S. Hieron. ad Titum 1. S. Ambros. suprà c. 17. & S. Augustin. citatus.

Quàm vehementer verò Scriptura vinolentiam detestetur, notum est. Pauca solùm indico, ut Proverb. 20, ℣. 1. Ibidem cap. 23, ℣. 29, usque ad finem. Ecclesiastici 19, ℣. 2. & cap. 31, ℣. 35. & pluribus ibidem. Iohelis 1. ℣. 5. Osee 4, ℣. 11. Nahum. 1. ℣. 10. Lucæ 21, ℣. 34, & cap. 12, ℣. 45. ad Ephes. 5, ℣. 18, & alibi.

ALLEGORIA

De Convivio Eucharistico.

ASsueri convivium adumbrasse divinissimum Eucharistiæ epulum credo dubitare neminem. sunt enim inter utrumque Analogiæ & similitudines nec paucæ nec parvæ.

124. Convenientiæ convivii Eucharistici cum Assueri epulo.

In convivio Assueri eximia fuerunt hæc: Convivator Magnus Princeps, qui latè dominabatur in centum viginti septem provincias, convivæ viri nobiles, satrapæ & præfecti regionum: nec modo hi, sed etiam omnis populus Susianus à maximo usque ad minimum, nemine excluso.

Finis Principi propositus fuit ostendere hoc pacto opulentiam, gloriam & potentiam regni sui; diuturnitas regitici epuli; protractum enim per centù & octoginta dies: triclinium seu convivii locus fuit amplissimus, amœnissimus, ornatissimus, auro & argento splendidissimus; supellex & vasa tam escaria quam potoria pretiosissima: dapes lautissimæ & delicatissimæ, uno verbo Persicæ; vinum quoque, ut magnificentiâ regiâ dignum erat, abundans & præcipuum ponebatur.

Non magnæ autem operæ fuerit hæc ad sacrũ convivium, in quo Christus sumitur, traducere:

In primis, is qui grande hoc epulum adornavit, Rex magnus est, qui etiam Rex regum & Dominus Dominantium, in cujus ditione cuncta sunt posita.

Convivæ sunt Principes nobilissimi juxta ac fortissimi; unde vocatur panis hîc expositus, Angelorum, Psal. 77, v. 25, ubi S. Hieron. vertit, fortium: conficitur enim Angelorum, id est, Sacerdotum, ministerio, ut olim Manna, spirituum cœlestium operâ, à quibus & hic panis in Liturgiâ adoratur, & sæpius ministratus legitur, & ab

125. Panis Angelorum & Colliphium est V. Eucharistia.

iisdem etiam spiritualiter sumitur: est & esca fortium ut olim Coliphium panis athletarum erat, sic vocatus, παρὰ τὸ κόλον κρὶ ἴφι, quod ipsorum membris ad luctandum robur adderet de quo Iuvenal. Satyra 2:

Luctantur paucæ, comedunt Coliphia paucæ.

Cœlestis hic panis animos nostros confirmat ad omnia circumlatrantium Dæmonum jacula retundenda. est & cibus grandium, de quo dictum S. Augustino 7 Confess. cap. 10: *Cibus sum grandium: cresce & manducabis me.*

Auctor est Plinius lib. 8, c. 32, corvorum carnes arcere febres. *Febrium* ait *morbos hoc animal non sentit, & huic timori medetur. Vnde factum est, ut principes feminæ, quæ omnibus diebus matutinis carnem eam gustare solitæ erant, longo ævo carnerius febribus.*

Scribunt Mithridatem Ponti regem famosissimum, ita se antidotis & præcipuè Mithridatico a se invento & confecto, à quo & nomen accepit (ut Plinius lib. 25, c. 2,) præmunivisse, ut omne venenum illi innoxium fieret: itaque cum à Romanis victus esset & potu veneno sibi mortem pararet, ne in hostium manus triumphumque vivus veniret, frustra omne toxicum adhibuit; ita medicamenta sumpta eum corroboraverant. Si ea remediorum virtus in corpore Mithridatis fuit, quantam vim inesse dicemus præstantissimæ Eucharistiæ medicinæ (quam S. Ignat. Martyr appellat Epistola ad Ephesios *Pharmacum immortalitatis & amuletum*) ad Circæa pocula & philtra, ad mundi illecebras & tartarea toxica enervanda & evincenda?

126. V. Eucharistia spirituale Mithridaticum.

Bibere, inquit Clemens Alexandrin. Pædagogi libro 2, cap. 2, *Iesu sanguinem est incorruptionis Domini participem fieri.*

Psalm: 22, ℣. 5, *Calix meus inebrians quàm præclarus est!* Vbi sanctus Ambros. legit, quàm validus est! Septuaginta enim habent κραταιὸς, id est, potens, ad omne hostium robur elidendum: qua de re etiam ibidem præcessit: *Parasti in conspectu meo mensam adversus eos qui tribulant me.*

126. Calix spiritualis roborans & lætificans.

Est ergo hæc mensa plena non solùm terroris & venerationis, sed etiam jucunditatis, cùm hominem ejus ferculis pastum & dæmonibus terribilem, & Angelis venerabilem reddat, simulque cœlesti poculo inebrians, præteritarum molestiarum oblivionem inducat & incredibili voluptate perfundat.

Pretiosus Christi sanguinis liquor efficacior est sanguine uvæ & mori, quem ostenderunt milites 1 Machab. 6, v. 34, Elephantis *ad acuendos eos in prælium*: eo enim epoto *efficimur diabolo terribiles tamquam leones ignem spirantes*, inquit S. Chrysost. homilia ad populum Antiochen.

127. Est sanguis uvæ & mori, Pellicani, hirci, medicamentum panchrestum, &c.

Præstantior est hic latex, hoc poculum sanguine Pellicani, quo fœtus suos animat; ut quidam volunt occisos à serpente, vel ut alii, eosdem esurientes, satiat, & alit cruore, quem è latere suo prolicit; validior cruore hirci ad pectoris rigidi adamantem conterendum.

Est V. Eucharistia libum vel potiùs medicamentum Panchrestum (verbo utar Tulliano) id est, in omnem partem utile, in quo nihil desideres ad benè beateque vivendum.

Vocarunt antiqui Archiatri escas quasdam πολυχρήστους, non modò quòd multis essent in usu, sed potiùs ob singularem & eximiam earum

128. Est esca πολύχρηστος.

vim, omnium mortalium saluti accommodatam, quis neget illis similem cœlestem nostram escam?

Offertur nobis in V. Eucharistiâ τὸ ὑγιαίνειν, valete, salus, vita, &c.

Pythagoræi cum in Delphico Propylæo inscriptum accepissent λῶστον ὑγιαίνειν, id est, *optimum esse valere*, vel, *sanitas optima*; in litteris suis, quas ad amicos scribebant, posuerunt, τὸ ὑγιαίνειν salvere vel valere, quasi nihil amicis salute melius optare potuissent: quotquot Christianæ fidei mysteriis initiati ad sacra Deo templa properant, statum illis offertur τὸ salvere vel valere, nempe panis salutaris & salvificus, vivus & vitalis, ipsa salus, ipse salutis fons: de quo scriptum est Isaiæ 12, ℣. 3, *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.* Sed de hoc plus satis.

Ad hanc cœnam vocantur pauperes, debiles &c.

Cæterum non solum ad hoc eximium epulum evocantur viri principes, inclyti & fortes; sed etiam omnis populus, qui inventus est in Susan, a maximo usque ad minimum. Refert Arrianus lib. 7 de rebus Alexandri, ipsius convivio interfuisse novem virorum millia. est enim cœna magna Luc. 14, ad quam introducuntur etiam pauperes & debiles, id est, homines presti egestate, infirmitate, pluribus vitæ hujus miseriis, qui tamen cœlestibus hisce deliciis pasti, robusti & fortes evadunt. Tertull. lib. de Resurrectione, cap. 8. *Caro corpore & sanguine Christi vescitur, ut & anima de Deo saginetur.* S. Ambros. in Psal. 118

129. Pinguescit anima & inebriatur Christi sanguine.

vocat Eucharistiam *poculum, quo fidelium inebriatur affectus. Hac ebrietate*, inquit, *corpus non tristabis sed resurgit, animus non confunditur sed consecratur.*

Cæterum mens evacuanda priùs iis vitiis & venenis, quæ hujus convivii excellentiæ & puritati repugnât. Recte proinde idem Antistes serm. 33: *Serpens*, inquit, *ad fontem accedens priusquam bibat, extra fontem evomit venenum suum & postea bibit: ita & nos antequam ad Domini altare accedamus, deponamus venenum pessimum, odium, iracundiam &c.*

130. Animus, instar serpentis venenū peccati evomat antequam ad V. Eucharistiam accedat.

Præclarè S. Augustin. serm. 1 de Tempore: *Mutet vitam qui vult accipere vitam* (id est Eucharistiam) *nam si non mutet vitam, ad judicium accipiet vitam, &c.*

131. Est V. Eucharistia casti tatis amuletum.

Iure autem dicitur populus ad Convivium Assueri evocatus habitare in Susan, civitate scilicet Liliorum copia & amœnitate insigni, quia purissima hæc & spiritualis esca fugandæ est castitatis præsidium & amuletum.

Est Manna.

Exodi 16, ℣. 13 & 14, describens Moyses alibilem, decidium de nubibus imbrem, sive admiratione plenum Manna, ait: *Mane ros jacuit per circuitum castrorum, cumque operuisset superficiem terræ, apparuit in solitudine minutum & quasi pilo tusum in similitudinem pruinæ super terram.* Quæ verba exponens S. Thomas Opusculo 48, c. 6, *Panis*, inquit, *cœlestis in similitudinem roris pruinæque apparebat, quia corpus Domini a fervore pravæ concupiscentiæ refrigerat.* Vide eundem 3. p. q. 79. art. 6. ad 3.

Scopus, quem sibi divina Majestas præfixit in hujus convivii exhibitione, ut Assueri suprà, fuit demonstratio divitiarum, gloriæ & potentiæ suæ, Psal. 110, ℣. 4: *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se.* S. Thomas Opusculo 57, *O pretiosum*, inquit, *& admirandum convivium!* & quæ sequuntur.

S. Dionys. de Ecclesiasticâ Hierarchiâ c. 2, venerabilem Eucharistiam vocat ἱεροτελεστικωτάτην, quia in se continet omnia dona, quæ divinitus ad nos perveniunt, maximam sacrorum perficiendorum vim complectitur, plurimum valet ad sanctimoniam animis nostris inducendam, ipsa est pars præcipua Pontificii muneris, & sacrorum: omnes enim Ecclesiasticæ functiones ad eam, ut augustissimum sacrificium referuntur, omnis sacerdotum religio eo contendit, per eam maximè Deus colitur & honoratur, ad eam revocantur omnes ritus, orationes, ceremoniæ, quæ in Liturgia præcedunt & sequuntur.

132. Est ἱεροτελεστικωτάτη.

133. Compendium Mirabilium Dei.

Adde hoc sanctissimum Sacramentum esse compendium quoddam perfectissimum omnium mirabilium operum Dei, in quo maximè relucet ejus potentia, bonitas & sapientia, quod ostendere non est hujus loci.

Protendebatur Assueri convivium per annum dimidium: at Eucharistiæ nobilissimum epulum ab eo die, quo à Rege Christo est institutum, integrum semper & recens hactenus perseverat, nec ante finem mundi desinet. Præparatur autem septem diebus, id est totius seculi hujus tempore, cujus duratio per hebdomadas decurrit, & omnibus puris animis fide verâ imbutis sumendum proponitur.

134. Numquam V. Eucharistia consumitur.

In hoc verò præcipuè Persici regis convivium Synaxis sacra supereminet, quod illius epulæ, quantumvis splendidæ, & opiparæ, tandem consumptæ defecerunt: hujus autem ferculū, quamvis ab infinitis hominum millibus, 1600 annis & amplius sumptum fuerit, semperque sumendum sit, numquam tamen absumptum fuit, vel absumendum; semper mensa integra & recens offertur.

Testatus est hoc S. Andreas.

Præclarè hoc intellexit Sanctus Andreas Apostolus, ut nobis Presbyteri Achajæ in ejus Actis tradiderunt; *Ego*, inquit, *omnipotenti Deo immolo quotidie non taurorum carnes nec hircorum sanguinem sed immaculatum Agnum in altari, cujus carnem postquam omnis populus credentium manducaverit, Agnus, qui sacrificatus est, integer perseverat & vivus.*

Nihil hîc attinet dicere de templorum, altariumque apparatu & ornatu; in quibus hoc epulum consecratur; nihil de vasis & sacris calicibus in quibus conficitur.

Trahunt nos ad se cœlestia Mattya, deliciis Medicis & Persicis per omnem modum suaviora, dyvinâ suâ dulcedine, etiam cibum ab admiratione dictum excedentia; quamvis hic panis cœli, & Angelorum esca vocetur & omne saporis delectamentum in se haberet.

Meritò decantet is, cui has delicias libare conceditur, illud Psalmographi Psal. 102, ℣. 5, *Benedic anima mea Domino, qui replet in bonis desiderium tuum:* vel, ut alii reddunt: *qui satiat bono os tuum*, vel, ut ex Hebræo B. Hieronym. *qui replet in bonis ornamentum tuum*, id est, abunde suppeditat quidquid ad splendorem, fructum, voluptatem pertinet, quidquid à quopiam optari potest.

Lege S. Hieron. & alios interpretes in illud Zachariæ 9, v. 17, *Quid enim bonum ejus est & quid pulchrum ejus, nisi frumentum electorum & vinum germinans virgines?* Copiose locum illustrat Cornelius noster.

Caledoni populi in Britannia, ut auctor est Zona-

Zonaras in Severo, parabant quoddam epuli genus, de quo si magnitudine fabæ gustaverint, neque esuriunt neque sitiunt. Missas fabulas faciamus. Veritas de se Ioan. 6, loquitur: *Ego sum panis vitæ: qui venit ad me, non esuriet, & qui credit in me, non sitiet unquam.* Quid mirum? ipsè enim est fons vitæ, &c.

117. Tollit omnem famem V. Eucharistia ut Caldonium edulium.

S. Dionys. lib. de cœlesti Hierarchiâ, cap. 3, dicit, hoc convivium nos ducere ἐν καθαρότητι, ἀγαθοειδεῖ ἕξεσι, in puritatem divini status, ita ut is, qui illi communicat, quodammodò vitam & mores Dei induat. & ibidem, cap. 1, Liturgiam appellat ἱερὰν πίστεως νοητὸς καὶ θεώσεως convivium, quod mentem alat & quasi Deum efficiat. Vnde & S. Thom. in 4. d. 2. quæst. 2, ait proprium hujus Sacramenti effectum esse transformare hominem in Deum.

136. V. Eucharistia homines quasi Deos efficit.

B. Hilarius in Psal. 64, *Per illum cibum & in præsens salvamur, & ad Dei consortium præparamur.*

Fulbertus Epistola 1 hanc escam appellat *Incarnatæ Deitatis vitale pulmentum.*

S. Chrysost. homil. 45 in Ioan. *Si quis*, ait, *auro liquefacto manum vel linguam injiciat, quam primum inaurabit: ita anima immersa sanguine Christi aurea redditur.*

Porrò, ut suprà dictum est, sicut convivium quo corpora pascuntur, tessera est conciliandæ inter homines societatis: ita multo amplius asserendum est V. Eucharistiæ sumptionem symbolum esse conjunctionis tum Dei ad homines, tum hominum inter se, sicut constat 1 ad Corint. 10, ℣. 16 & 17, unde Synaxis & communio, & etiam pax vocatur, & signum unitatis, vinculum charitatis, sacramentum pietatis. Lege, si lubet Franciscum de Mendoça lib. 6 Viridarii, Oratione 10, ubi egregiè docet Eucharisticum epulum simul esse & pretiosum & vulgare, pretiosum quidem, quia cum nullo pretio exæquari potest, vulgare tamen, quia sine pretio omnibus confertur.

Anagoge ad convivium cœleste.

ATtollamus & nos mentes ab Assiseri temporario epulo ad æternas nobis in cœlo paratas delicias, cum illo, qui discumbens cùm Christo in mensâ Pharisæi, exclamabat Lucæ 14, vers. 15: *Beatus, qui manducabit panem in regno Dei.*

Imaginem vel umbram potiùs prætulisse cœnæ nuptiarum Agni, Regis Assiseri convivium, quilibet facilè advertet, qui illius magnificentiam secum pervolverit.

117. Vmbra Assiseri convivium cœlestis epuli.

Si mentem figit in ea, quæ mundi hujus admiratores & amatores magni æstimant, Persici Regis epulum, grande, splendidum, magnificum dixerit. Viri enim principes, illustres, potentes ad illud evocati fuerunt. Vt autem apud vulgus etiam magni nominis auram & umbram Rex aucuparetur, totum populum Susianum postremis diebus invitavit. Tempus convivii centum octoginta dies tenuit. Cœnaculum fuit amplissimum, amœnissimum. Lecti discubitorii aurei, pavimentum ipsum raro emblemate, & marmoreis diversi coloris tessellis vermiculatum; mensæ apparatus & vasa superbissima, dapes regificæ, vinum abundans & eximium. Quæ omnia eò pertinebant, ut opes & gloriam regni sui omnibus ostentaret.

Quod si mente assurgat ad instructas Beatis in cœlis epulas, ut porcorum siliquas, & quisquilias, Assueri dapes reputaverit.

Qui ad cœlestes mensas admittuntur, & ipsi Reges sunt, domestici, palatini, amici, imò filii Dei, coheredes Christi, numero verò plures quàm amplissimum Assueri imperium capere posset. Hujus convivii duratio æternitati coæquatur, cujus nullus terminus.

De loco nihil attinet dicere, cùm cœnaculum Persicum huic collatum puncti instar sit. Quia verò de cœlestis palatii specie & splendore, antè plusculà dicta sunt, illa missa faciemus. Pauculà hic solùm inferemus de dignitate, & multitudine convivarum, qui ad supernæ regiæ triclinium admittuntur, & incredibili voluptate, quâ in omne ævum perfruentur.

Nobilitas convivarum ex multis quidem elucet, præcipuè tamen ex eo, quòd omnes sint similes Angelis: Matth. 22, ℣. 30, *Erunt sicut Angeli Dei in cœlo*: similes enim Christo in corpore glorioso: Ad Philippens. 3, 20, *Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ*, &c. 138. Nobilitas cœlestium convivarum.

Similes Deo: quæ similitudo oritur ex claræ ejusdem visione, qui mens quasi deificatur. Sicut res quæ perspicue animo videtur, eidem perfectissimam sui speciem imprimit, ut quodammodo mens intelligens fiat ipsa res, quæ intelligitur; juxta illud, *Intelligens in actu fit intelligibile in actu.* Est enim cognitio rei fulgentissima imago & pictura sui in mente cognoscentis. 139. Similitudo Dei in Beatis quid sit, & unde oriatur.

De hac loquitur S. Ioannes, Epist. 1, cap. 3, 2, *Nunc filii Dei sumus, & nondum apparuit, quid erimus. Scimus, quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.*

Sunt quidem hîc homines omnes Deo similes quoad naturam intellectualem & arbitrii libertatem, quæ vocari potest similitudo naturæ: justi etiâ similes Deo in sanctitatè, quæ est similitudo gratiæ, quâ adoptantur in filios Dei; sed nondum est perfecta similitudo, donec videatur Deus sicuti est; quando mens Deum quasi manu apprehendet, & intra se sibi penitissimè conjunctum inseparabili & indissolubili nexu detinebit, ita ut totâ Dei claritate irradietur, multò splendidiùs, quàm jubar solis si crystallo includeretur.

Est ergo Dei visio expressa & fulgentissima divinæ naturæ, ejus perfectionum, trium Personarum, earum gloriæ & beatitudinis figura, & imago, quâ Beati fiunt quasi dii, in quantum capaces sunt, & hîc promeriti fuerint, Dei luce illustrantur, beatitudine beatificantur, in illius naturam quodammodo transformantur. Sic S. Augustin. lib. 14 de Trinit. cap. 17, *In animâ tunc perfecta erit Dei similitudo, quando perfecta erit Dei visio.*

Quantum ex hoc divinitatis fulgore animam intimè pervadente excitandum sit amoris ergo Deum incendium, quanta promanatura voluptas, nec mente concipi, nec verbis exprimi potest. Nemo novit, nisi qui jam possidet. 142. Voluptas quanta ex visione Dei.

Tale hoc gaudium erit, inquit, S. Bernard. Epist. 114, *ut illi comparata omnis alia jucunditas mœror sit, omnis suavitas dolor, omne dulce amarum, omne decorum fœdum, omne postremò quod delectare possit, molestum esse merito æstimetur.*

Multitudo convivarum ad cœleſte epulum invitatorum, quod Chriſtus Lucæ 14 cœnam magnam vocat, ex variis cognoſci poteſt, quorum pauca tantùm attingam.

141. Multitudo Beatorum unde colligatur.

Vt enim omittam diverſa nomina, quibus divina oracula Beatorum domicilium nobilitant, ut regnum cœlorum, civitatem Dei, in quam per duodecim portas ingreſſus patet, magnam domum, in qua manſiones multæ, &c. quæ omnia indicant plurimos ibi eſſe incolas, cives, domeſticos; ſcribit S. Ioannes de numero adſcriptorum extremis mundi temporibus in tabulis electorum Apocalyp. 7, 9, *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, & tribubus & populis, & linguis, ſtantes ante thronum Dei, & in conſpectu Agni, amicti ſtolis albis & palmæ in manibus eorum.*

Sapienter pronuntiat ſuis in Proverbiis Salomon cap. 16, 28: *In multitudine populi dignitas Regis, & in paucitate plebis ignominia principis.* Quò Monarcha major eſt & potentior, eò plures latera ejus ſtipant palatini, plures obſequuntur miniſtri. Et de ſupremo monarcha fatetur Daniel 7, 10: *Millia millium miniſtrabant ei, & decies millies centena millia aſſiſtebant ei.*

Si tot naturæ ſpirituales, cur non & corporales? Hoc enim pacto gloria Chriſti magis inclareſcit, dum plures fratres ſecum diſcumbere conſpicit, qui ſtolas ſuas in roſeo ejus ſanguine dealbarunt, & de Tartareo hoſte triumpharunt.

Aptè dixit Sirachides Eccleſiaſtici 10, 24, *In medio fratrum Rector illorum in honore; & qui timent Dominum, erunt in oculis illius.*

Quò igitur plures futuri ſunt fratres, quorum Rector Chriſtus, *qui eſt primogenitus in multis fratibus*, ad Roman. 8, 19, eò etiam ampliorem honorem ab ipſis conſequetur, & quia ipſum in hac mortalitate, ut Dominum ſunt reveriti, ita etiam in regno ejus erunt in oculis ejus, id eſt, erunt cariſſimi, cum illo edent & bibent ὁμότροφοι, καὶ συντράπεζοι, convictores & commenſales.

Æterni Patris de filio decretum extat Iſaiæ 53, 11, 12, *In ſcientiâ ſuâ juſtificabit ipſe ſervus meus multos, & iniquitates eorum ipſe portabit. Ideo diſpertiam ei plurimos, & fortium dividet ſpolia.*

142. In cœlo ſummum bonum omnibus communicatur.

In hoc mundo & ſeculo præterfluente, ubi & bona exigua ſunt, quæ dum à multis percipiuntur, uſu minuuntur, & ubi invidiâ ringuntur mortales, ſocios, conſorteſque plures habere, ſæpe permoleſtum eſt: at verò in æternâ illâ & beatiſſimâ patriâ, ubi ſummum & omne omnibus perfruendum communicatur bonum, ubi livor exulat, & caritas in proprio ſuo domicilio regnat, quæ juxtà alieno atque ſuo emolumento gaudet, & præ omnibus majore Dei glorià delectatur, jucundiſſimum eſt, quàm plurimos videre contubernales, qui communis boni compotes ſint, & indeficientibus deliciis potiantur.

Si ergo mente perpendimus, & quid Dei Opt. Max. majeſtas requirat & Sanctorum gloria poſtulet, facilè colligemus convivarum cœleſtibus menſis accumbentium numerum maximum eſſe.

Iam verò res ipſa dubitare nos non ſinit, cùm ſciamus infinitos fuiſſe pugiles, qui pro fide & glorià Chriſti uſque ad ſanguinis profuſionem decertarunt, & laureati ad Olympi Capitolia conſcenderunt.

143. Innumerabiles ſub Diocletiano Martyres.

Solius Diocletiani barbara crudelitas decem annis ita in Chriſtianos deſæviit, ut eorum ſanguine orbis totus inundarit. Vnde ſcribit Euſebius lib. 8 Hiſtor. Eccleſ. cap. 6, id temporis adeò omnia Chriſti martyribus ergaſtula & cuſtodias fuiſſe refertas, ut capitalium criminum reis locus deeſſet, & quidem intra biennium tot generoſo cruore purpuratos ut eorum ſubducere numerum nemo poſſit.

Nec tantùm hi ad cœnam nuptiarum Agni admittuntur, qui pro Domino, ejuſque honore morti ſe tradiderint, ſed etiam illi, qui in Domino moriuntur, ut pii & juſti omnes adulti, & plurimi infantes, quos ab ubere raptos baptiſmatis innocentia acerbo quidem, ſed candido funere ad Superos tranſmiſit. Aſpiremus cum S. Auguſt. lib. Meditation. cap. 25, ad hoc felix conſortium. Vide illum.

144. Socrates moriturus ſe ad Semideos proficiſci gaudebat.

Socrates moriturus gaudio tripudiabat, cùm animo agitaret, & verò etiam verbis diceret, ſe pergere ad Heroas, ad Semideos, ad viros optimos & antiqui officii, cum quibus ſe in æternum ævum ducturum ajebat.

Quòd ſi jucundum erit & perhonorificum, teſte S. Ambroſio libro de Bono mortis, cap. 11, cum ſimilibus converſari, quanto jucundius & honoratius, melioribus aſſociari, & cum iis agere, quorum illuſtria facta miramur?

145. Cœlestes epulæ.

Ceterum non defore in cœlo exquiſitas epularum & potionum delicias, multa ſacrarum litterarum teſtimonia inſinuant.

Chriſtus certe Lucæ 22, 16, in cœna noviſſimâ ſic inſit: *Dico vobis, quia ex hoc* (tempore, Græcè, ἀπ' ἄρτι, non ampliùs) *non manducabo illud* (Paſcha) *donec impleatur in regno Dei.* Vbi typus veteris Paſchatis mutabitur in verum, eximium & delicatiſſimum convivium.

Ibidem ℣. 18: *Dico vobis, quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat.*

Clariùs Matth. 26, 29: *Dico vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis, uſque in diem illum, cùm illud bibam vobiſcum novum in regno Patris mei.*

Iterum Lucæ 22, 29: *Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, ut edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo.*

Tobiæ 12, ℣. 19, loquitur Raphaël: *Ego cibo inviſibili, & potu, qui ab hominibus videri non poteſt, utor.*

Apocal. 22, principio: *Et oſtendit mihi fluvium aquæ vivæ, ſplendidum tamquam cryſtallum, procedentem de ſede Dei & Agni. In medio plateæ ejus, & ex utraque parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim, per menſes ſingulos reddens fructum ſuum*, &c.

Pſal. 35, 9: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis potabis eos.*

Eccleſiaſtici 15, 3: *Cibabit illum pane vitæ & intellectus, & aquâ ſapientiæ ſalutaris potabit illum*, &c.

Sed hæc omnia Symbolicè ſunt accipienda: quâ de re videndus Bellarm. lib. 2 de æterna Sanctorum felicitate, cap. 8, & Interpretes in cap. 22 Apocalyp. Sermo autem hîc eſt de animæ beatitudine. Non tamen negamus etiam corpori ſuas delicias fore.

Cibus

145. Quales Helicæ Beatorum.

Cibus & potus Beatorum non corporeus est, sed spiritualis, cui sumendo parare debet homo non ventrem sed mentem. Ipse Deus, panis vitæ est, & aqua sapientiæ, qui animum satiat, juxta illud Psal. 16, 15, *Satiabor cum apparuerit gloria tua.* Satietas tamen hæc non extinguit, sed magis etiam exacuit appetentiam; juxta illud Sirachidæ cap. 34, 27, *Spiritus meus super mel dulcem* & ℣. 29, *Qui edunt me, adhuc esurient; & qui bibunt me adhuc sitient.* Ita enim explet mentis cupiditatem, ut nullum tamen sui pariat fastidium, nec alterius rei appetitum.

146. Deus summa votorum.

Præclarè S. Nazianzen. Oratione de laudibus S. Athanasii: *Deus intelligibilium omnium summus est vertex, in quo desiderium omne consistit, ac defigitur, nec super eum usquam fertur. Nec enim quidquam sublimius habet, aut habebit mens ulla, quantumvis Philosophica, & altissimè tendens, ac summè curiosa. Hoc enim rerum omnium expetendarum extremum est, quò cùm pervenerimus, conquiescit omnis speculatio. Cuicumque igitur corporis crassitie perruptâ cum Deo commercium habere, ac purissimæ luci, quantum humanæ naturæ datum est, commiscere licuerit, is duplici nomine beatus est censendus, tum quòd hinc seipsum extulerit, tum quod illinc vitæ divinitatem sit consecutus.* Hactenus sanctus ille Theologus.

Quicumque ergo mentis brachiis Deum intra se apprehenderit, & complexus fuerit, is summa votorum attigit, quia illo solo beatus est, nec quidquam aliud desiderat: juxta illud Philosophi lib. 1. de cœlo, cap. 9, *Universa cessant, desinuntque moveri, cùm venerint in summum locum.* Cùm ergo Deus sit animæ centrum boni, & ipsius intuitiva comprehensio sit status omnium bonorum aggregatione perfectus, qui plenè illum tenet, & degustat, nihil est, cujus cupiditate capiatur.

146. Deus animæ centrum quem adepta quiescit.

Intellexit hoc Entheus ille Lyricen Psal. 72, ℣. 25, & 26: *Quid mihi est in cœlo, & a te quid volui super terram? Defecit cor meum & caro mea. Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.*

Cetenùm sicut cibaria etiam lectissima, & suavissima nec reficiunt, nec pascunt, nec satiant, nisi per vitalem comestionem & gustum homini uniantur: ita summum mentis nostræ bonum, ut repleat in bonis desiderium nostrum tamquam æternæ vitæ pabulum, necesse est ut nobis intimè conjungatur. Consistit enim hominis beatitudo in vitali operatione supremæ facultatis animæ, quæ est intellectus, sive visione, quâ perfectissimo objecto suo, quod Deus est, agglutinatur, consequenter verò in dulcissimo quodam sensu cordis sive voluntatis, quo incredibili amore in eumdem rapitur, & de tanto bono adepto gaudet, & in æternum perfruitur.

Beatitudo hominis consistit in vitali mentis functione.

Est hoc excellentissimum suavissimumque humani animi convivium, quod numquam fastidit, quamvis semper ita eo expleatur, ut præter illud, nullum aliud optet, vel optare possit; præ quo Deorum Nepenthes, dictum ἀ-νη-πενθὲς (quod particula est privativa) & πένθος, id est, luctus; eò quòd herba illa tristitiam depellat, & voluptatem conciliet; Nectar etiam & Ambrosia desipiant & puteant.

147. Nepenthes quid?

148. Quid Lotos?

Quærant alii Lotos Lybicam vel Ægyptiam, quam Homerus primam nominat inter herbas, subnascentem Deorum voluptati, quæ oblivionem ærumnarum, & antè malorum inducat. Lotos hîc nobis longe præstantior & amœnior plantata juxta fluvium aquæ vivæ, lignum vitæ Apocalyps. 22, ℣. 2, quod non solùm laborum hac in vitâ exhaustorum, sed etiam omnium rerum terrenarum oblivia procreat, & ubertate domus Dei inebriat.

149. Pyctes coronâ sua premit vulnera.

Tertull. in Scorpiaco cap. 6: *Pyctes ipse* (pugil) *post difficilia certamina consecutus victoriam, sævi doloris, injuriarumque non meminit; sed coronâ premit vulnera, palmâ sanguinem obscurat.* Sic Africæ decus loquitur. Quimmo gravia & dura, quæ in virtutũ gymnade & palæstra exantlavit, perpetuæ jucunditatis segetem illi ministrabunt.

Eleganter Philosophus primo Rhetoricõrum ἡδὺ σωζοντι μεμνῆσθαι πόνων. Reddo versu:

Dulce est servato veterum meminisse laborum.

150. Uva Parnassia quænam.

Euripides Tragicorum Alpha in Phœnissis, uvæ Parnassiæ mentionem facit: quam vocat βότρυν καθημερινὸν πολύκαρπον, botrum quotidianum, fructuosum, quia in dies singulos proferebat racemum unum Libero Patri offerendum, ut ait ibi Scholiastes. Uva illa si fuit, ubertate & fructu suo vitam proferre mortalium non potuit, aut veri boni succos influere, vel divinitatis vino animum inebriare, & perpetuo gaudio consopire.

Deus lignum vitæ.

Debebantur hæc ligno vitæ, quod est in paradiso Dei nostri, non in Parnasso bicipite, quod etiam *adfert fructus duodecim* (universitatem nempe deliciarum) *per menses singulos reddens fructum suum*, Apocal. 22, suprà, ita ut nunquam deficiat gaudiorum copia, semper præsentium, semper recentium. Lignum vitæ Deus est, quem præsentem spiritualibus tenent brachiis, stringunt amplexibus, cujus fructibus inexplebiliter & inexplicabiliter perfruuntur.

Suaviter S. Anselmus insonat in Prosologio cap. 25, *Qui hoc bono fruitur, quid illi erit? & quid illi non erit? Certè quidquid volet, erit, & quod nolet, non erit. Ibi quippe erunt bona corporis & animæ, qualia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec cor hominis cogitavit. Cur ergo per multa vagaris homuncio, quærendo bona animæ tuæ, & corporis tui? Ama unum bonum, in quo sunt omnia bona, & sufficit.* Hæc ille, & plura.

151. Plures mortales similes Neriti, de quo extat fabula.

Sed ad hæc plures mortales cæcutiunt, tamquam capti oculis talpæ, humi demersi, & cœlestium inanes. Similes hi mihi videntur Neriti Semideo, de quo hanc fabulam texit Ælian. l. 14, de Animal. cap. 28: Erat hic eximiâ formâ in mari degens, quem etiam Venus ejus specie delectata summo prosequebatur amore. Cùm verò jam tempus adveniret, quo Iovis imperio Venus diis cœlestibus esset adscribenda, voluit quoque & Neritem delicias suas secum assumere. Verùm renuit ille demens, quod inter parentes, fratres ac sorores ævum degere, quàm cœlo inseri & potiri mallet. Insuper cùm alas etiam, quandocumque placuisset, ad volandum sibi producere posset, hoc quoque beneficium à Venere sibi oblatum nihil pensi habuit, & neglexit. Igitur indignata Venus illum in cochleam vel concham ejusdem nominis commutavit: comitem verò illius loco Cupidinem juvenem venustulum sibi adscivit, & alis, quas Nerites contempserat, induit.

Quàm multæ reperiuntur viles & in terram ab-

abjectæ animæ, imò in profundum depressæ, quibus Deus remigium alarum muneris gratiâ offert, quibus è terrâ, è malis mundi emergere & evolare possint, & cœlestia bona sibi parata penetrare? Sed illi inter parentes & fratres vivere, quàm cœlo frui malunt. Meritò igitur in cochleas vertuntur, quæ testudineo gradu adrepentes eò nunquam pervenient, vel non nisi clausâ januâ.

Simile infortunium evênit & domiportæ, quæ, ut finxit Phryx fabulator, ad Iovis nuptias tardiùs venit. Causam rogata hujus segnitiei à Iove, respondit: οἶκος φίλος, οἶκος ἄριστος. *Domus amica, domus optima.* 152. Testudo excluditur Iovis nuptiis.

O cæca mortalium pectora, quibus præsentia tantum attendentibus divina præmia sorduerunt.

VERSVS IX.

Vasthi quoque regina fecit convivium feminarum in palatio, ubi Rex Assuerus manere consueverat.

convivium feminarum in domo regni, quæ erat regis Achasueros.

Hebraicè: Etiam Vasthi regina fecit

Græca hanc Reginam vocant Astin vel Asti.

COMMENTARIVS.

DVbium est, quæ qualisve fuerit hæc Regina. Serarius hîc, quæstiunculâ tertiâ, existimat fuisse forsan alicujus priorum regum vel etiam optimatum filiam, vel etiam Assueri sororem vel filiam. Talia enim conjugia barbari non repudiabant.

Sed illæ conjecturæ sunt, nec satis probabiliter dici videtur, Vasthi fuisse sororem vel filiam ipsius Regis. Quomodo enim Assuerus tam infami repudio illam dehonestasset, aut quomodo consanguinei & Satrapæ illud permisissent?

Observat Salian. in Annalib. & Menochius in Commentar. convivium feminarum instructum fuisse non in publico, sed in palatio, & loco à viris remoto: sic enim consulebatur honestati & pudori matronali.

Præterea certum est, hoc Reginæ epulum non multùm cessisse splendori & magnificentiæ convivii ipsius Regis, cupediis etiam, delicijs, tragematis, mensis secundis, & exquisitâ mollitie & ornatu longè superasse. Novit enim omnis ætas sexum illum lautitiarum, munditiarum, & hujusmodi choragii esse appetentissimum & studiosissimum.

Dissertatio Prima.

An apud Persas ad convivia virorum etiam feminæ admittebantur?

EX hoc loco manifestum est, Persarum Regem cum viris principibus & Satrapis seorsum convivium inivisse.

Non fuisse tamen hoc perpetuum constat ex hoc libro Esther, cap. 5, v. 5, ubi Rex Assuerus confert se ad convivium cum Aman, quod eis Regina Esther paraverat. Idem habetur c. 7, v. 1, & v. 8, ubi reperit Rex Amanum corruisse super lectum (triclinarem) in quo jacebat Esther.

Rursus clarum est ex Nehemiæ 2, 6, eidem mensæ accubuisse Artaxerxem & Reginam conjugem ejus. Sic enim ibi legimus: *Dixitque mihi Rex, & Regina, quæ sedebat juxta eum.* Et hæc quidem de regibus.

Iam de more vulgi Persici differendum, an nimirum virorum epulis uxores & mulieres adfuerint.

Itaque Plutarchus lib. primo Symposiacōn, quæst. prima, & Macrobius in Saturn. cap. 1, scribunt solas vocatas pellices, licet hic loquatur de Parthis (sed verisimile est eum Parthos cum Persis confundere) *Parthi*, inquit Macrobius, *solent cum concubinis, non cum conjugibus inire convivia, tamquam has & in vulgus produci & laseivire quoque, illas non nisi domi abditas tueri deceat tectum pudorem.*

Herodotus contrà lib. 5, & Iustin. lib. 7, videntur dicere etiam uxores ad epulas virorum admissas. Omisso verò Herodoto, qui prolixior est, quæ Iustinus habet, hic referam. *Legati Persarum missi ad Amyntam Macedonum regem, & benignè excepti, inter epulas ebrietate crescente, rogant Amyntam, ut apparatui epularum adjicias jus familiaritatis, adhibitis in convivium suum filiis & uxoribus: Id apud Persas haberi pignus ac fœdus hospitii. Quæ ut venerunt, petulantius Persis eas contrectantibus, filius Amyntæ Alexander rogat patrem, respectu ætatis ac gravitatis suæ abiret convivio, pollicetus se hospitum temperaturum jocos. Quo digresso mulieres quoque paululum è convivio evocat, cultius exornaturus, gratioresque reducturus. In quarum locum matronali habitu exornatos juvenes supponit, eosque petulantiam legatorum ferro, quod sub veste gerebant, compescere jubet. Sic omnes fuerunt obtruncati.* 153. Petulantia Persarum tempore convivii à Macedonibus coercita ferro.

Videntur auctores de hoc diversa sentientes sic posse conciliari: nempe Regem, ut plurimùm, solum cœnare solitum, aliquando tamen cum Reginâ & præcipuis principibus, maximè familiaribus, & quasi domesticis. *Rex Persarum*, ait Athenæus lib. 4, *plerumque solas cœnat, aliquando uxor cum illo & nonnulli liberorum.*

Persarum autem vulgus etiam hanc servasse consuetudinem, ut uxores suas ad lasciviora sympoſia non admitterent, sed solùm pellices, verisimile. Favet his Iosephus, qui l. 11 Antiquitat. cap. 6, sic scribit de Vasthi Reginâ, recusante ad publicum venire epulum, etiam ab Assuero vocatâ: *Regina volens Persarum leges servare, quæ uxores vetant ab aliis præter domesticos aspici, non ivit ad Regem.* 154. Persæ uxores ad sympoſia ordinariè non admittebant.

Vnde & colligis Amanum fuisse in aulâ regis quasi domesticum, cùm ab Esther Reginâ ad privatas epulas invitaretur.

Subscribit his Iustinus lib. 41, ubi de institutis & legibus Parthorum (qui in mores Persarum iverant) scribit. *Parthi*, inquit, *feminis* (uxoribus)

bus) *non convivia tantùm virorum, sed etiam conspectum interdicunt.* Sed de his plura, ubi de Zelotypiâ Persarum agemus.

Dissertatio Altera.

Laudabile institutum multarum gentium, apud quas sejunctæ à viris feminæ convivantur.

NOn idem apud omnes nationes mos obtinuit. De Persis jam actum. Dicere jam aliqua sat erit de Hebræis, & illis vicinis populis, Græcis item & Romanis. Nam barbararum & & ab humanitate alienarum gentium percensere ritus non est mihi in animo, de quibus Stuckius lib. 2 Antiquitat. Convival. cap. 1, videri potest.

155. Judæi nunc ad convivia admittebant mulieres, nùc non admittebant, ut alii Orientales.

Inprimis Iudæi videntur nunc admisisse in convivia mulieres, nunc verò secrevisse (sermo autem est præcipuè de publicis & celebrioribus epulis) Philo auctor est apud illos moris fuisse, ut mulieres grandævæ in convivis festivis una cum viris epularentur. Discubitus autem ita distribuitur, ut seorsim viri dexterum latus, mulieres sinistrum teneant.

Sic Rutha cap. 2, 14, in prandio Booz, *sedit ad messorum latus.* Quamvis, ut rectè ibi Sanctius, & Serarius, nihil vetet ibi messorum nomine etiam comprehendi puellas metentes, & falce etiam utentes.

Iob cap. primo, 4: *Ibant filii ejus & faciebant convivium per domos, unusquisque in die suo. Et mittentes vocabant tres sorores suas, ut comederent, & biberent cum eis.*

Denique Dei matrem in nuptiis habitis in Cana Galilææ accubuisse cum filio & Apostolis Iohann. 2, est verisimile.

Contrà verò in splendidâ & natalitiâ Herodis Tetrarchæ cœnâ nullæ videntur fuisse fœminæ, sed Herodias cùm matronis in Gynæconitide vel mulierum conclavi separatim epulata fuit. Nam apud S. Marcum cap. 6, 22, dicitur filia ipsius introisse triclinium regium & ibi saltasse, & postea ℣. 24, exisse & dixisse matri: *Quid petam?*

Iuditha autem, ut colligo ex cap. 12, videtur primis diebus comedisse sola de cibis quos secum attulerat; postea verò die quarto, quo cœnam opiparam instrui curaverat Holofernes servis suis, videtur eodem loco vel triclinio Iudith cum ipso convivata fuisse: nam scriptum est ibidem ℣. 19, *Et accepit Iudith, & manducavit & bibit coram ipso ea quæ paraverat illi ancilla ejus.*

Porrò Rex Chaldæus Baltassar Danielis 5, in grandi illo convivio, quod fecerat optimatibus suis mille, coram se habuit assidentes & bibentes uxores & concubinas suas, ℣. 3.

Sic filiæ Moab vocaverunt Israelitas ad sacrificia sua, qui comederunt, & adoraverunt Deos earum, Numer. 25, 2.

6. ci ad ivia emi- non ite-

Cetenùm, certum est, apud Græcos, gentem ad omnem honestatem & modestiam compositam, numquam mulieres cum viris accubuisse in epulis; quod tum ex iis, quæ antè diximus de Persis, tum ex dicendis, luce meridianâ clarius est.

Apud Ciceronem Actione tertiâ in Verrem, Philodamus hospes Rubrio petenti, ut filiam suam ad se in convivium intrò vocari juberet, negavit moris esse Græcorum, ut in convivio virorum accumberent mulieres.

Sic etiam apud Herodotum lib. 4 Amyntas Macedoniæ Rex Persis cupientibus uxores adolescentulas introduci, ut mensæ cum ipsis assiderent: *Nobis*, inquit, *Persæ, ista consuetudo non est, sed viros à feminis semovendi.*

157. Diversa mulierum & virorum apud Græcos cœnacula.

Hinc factum, ut Græci cœnacula, ubi viri cœnitabant, nominaverint ἀνδρῶνας, vel ἄνως, teste Vitruvio & aliis: imò docet Philosophus in Politicis, convivia dicta fuisse Andria, quasi viris propria. Adde etiam in ditiorum ædibus viros sedes diversas à mulieribus tenere solitos; hæ Gynæceum vel Gynæconitis, illæ verò Andronitis vocabantur. Consule Tiraquellum L. Connubiali 10, n. 21 & sequent.

158. Romani convivia mulieres adhibebant non tamen virgines.

Romani contrà feminas conviviis adhibebant, ut colligitur ex Valerio lib. 2, cap. 1, ubi dicit feminas cum viris cubantibus sedentes cœnitasse.

Videntur tamen virgines ab illis relegatæ, ut observavit Anton. Muretus in Variis Lectionib. *Romani*, inquit, *innuptas modò virgines, quod fecisse, a conviviis amovebant, quod hæc Varronis verba ostendunt: Virgo de convivio abdicatur, ideo, quod majores nostri virginis acerbæ aures Veneris vocabulis imbui noluerunt.*

159. Mos Græcorum & Assueri institutum sequendum.

Probanda nobis Græcorum consuetudo, cujus idem Muretus hanc rationem dat. *In conviviis*, ait, *liberius & hilarius fere homines loqui solent: neque quisquam ita severus est, qui non inter vina & epulas tum jocetur interdum ipse, tum libenter jocantes audias. Fieri autem vix potest, quin vacuo & soluto animo jocantibus nonnumquam parum verecundum aliquod excidat. Unde Græci honestatis cultores muliebrem sexum à conviviis amoverunt, ne matronalem, virginalemque pudorem liberius jocantium offenderet. Quapropter L. Consensu C. de repudio, mulier quæ marito nolente vel ignorante extraneorum convivia petierat, repudiari poterat. Convivia enim Veneris præludia sunt.*

Institutum ergo & Assueri & Vasthi sequendum; quia non solùm virginibus & matronis in promiscuis conviviis pudoris periculum vel potiùs naufragium imminet, sed etiam viris, sive illi adolescentes & cælibes sint, sive conjugio copulati.

160. Periculum castitatis ex consortio mulierum in conviviis.

Argutè apud Herodotum lib. 4 dicebant Persæ Amyntæ regi, qui ipsis ita petentibus, Græcas mulierculas in mensâ è regione ipsorum considere fecerat; *Hoc factum in oculorum dolorem.*

Sed fortius jaculum intorquet Sirachides in eos, qui in sympositis, ubi furit Lyæus & Cupido, consortio speciosarum, comptarum, lascivarum oblectantur, cap. 9, ℣. 12 & 13: *Cum alienâ muliere ne sedeas omnino, nec accumbas cum eâ super cubitum: & non alterceris cum illa in vino; ne fortè declines cor tuum in illam, & sanguine tuo labaris in perditionem.* Vbi apertè dissuadet in epulis assidere alienæ uxori, latus ei associare, gremio ejus inniti, presso super mensam cubito oculos in illam intensiùs figere vel poculis cum illâ certare, & propinando jocari. Quâ de re consule Commentar. nostrum, ubi plura.

161. Separationem virorum à feminis plurima exempla suadent.

Divina oracula, Sancti Patres, exempla prudentium, sejunctionem virorum à mulieribus semper & ubique probarunt & commendarunt.

Salomon 3 Regum 7, ℣. 8, pro uxore, ejusque honorariis pedissequis domum construxit separatam.

Cum Hebræi peregrinarentur, habebant eorum conjuges tabernacula à viris sejuncta, ut constat Genes. 24, 67, de Rebeccâ introductâ ab Isaaco in tabernaculum Saræ; & ibidem cap. 31, ℣. 33 & 34, Rachel & Lia diversa à Iacobo tentoria tenent.

S. Epiphan. hæresi 80, quæ est Messalianorum, notat locum Exodi 15, ubi Moses ad Deum celebrandũ duplicem chorum instituit, hinc virorum, inde mulierum. Quid? ut Deo carmen Epinicium decantetur, pudoris habetur ratio, & inter epulas, ubi frena laxantur licentiæ, hic ordo, hæc eutaxia non servabitur?

161. In Arcâ distincta habitatio virorum à mulieribus.

Ioan. Damascen. lib. 4 de fide Orthodoxâ, cap. 25, & Hieron. in cap. 12 Zachariæ idem institutum coluisse Noachum affirmant in universali mundi eluvione, cùm Arcam ingrederetur: distinctam enim viri à mulieribus habitationem occupavere; ut ibi etiam honestus locũ haberet.

162. Item in templis intimo Ecclesiæ separatæ feminæ à viris.

Olim principio nascentis Ecclesiæ (quod etjam modò viget in locis, ubi delicatior mulierum pudicitia) in sacris ædibus parte unâ versabantur viri, alterâ mulieres, velis quibusdam, aut etiam septo ligneo utrumque sexum discriminante; ut hujus moris testis est Clemens Roman. lib. 7 Constitutionum Apostolic. cap. 17.

Vetitum etiam fuit, ne sacri mystæ cum mulieribus ederent, quantumvis propinquis. Vide Canon. 22 Synodi septimæ.

Rationem suggerit Chrysost. lib. 6 de Sacerdotio, quòd non solùm inverecundæ, sed etiam pudicæ oculus, vultus, decor, vestitus, motuum mollities viri fortis animum commoveant.

163. S. Paula vidua numquam cum viro comedit.

Hinc S. Hieron. in Epitaphio Paulæ, eam miratur & dilaudat, quòd numquam post viri mortem usque ad diem dormitionis suæ cum ullo comedit viro, quamvis cum sanctum & in Pontificali fecret culmine constitutum.

Sciant viri etiam sanctas mulieres ut sorores quidem diligendas, sed ut hostes cavendas. Sic loquitur S. Gregor. lib. 4 Dialog. cap. 21, agens de Vrsino castitatis notæ Presbytero, de quo alibi egimus.

164. Stella Helenæ nautis formidanda, & viris mulier formosa.

Ajunt Helenæ sidus mare sulcantibus etiam peritissimis nauarchis fœda parare naufragia, decumanos ciere fluctus, quibus naves obruantur. Tibi quoque quamvis tuta videatur pudicitia, si tamen flavum vel Erythræum Bacchi pelagus naviganti malignum formosæ Helenæ astrum suâ luce affulserit, non expectanda animi placidi malacia, sed mentis castæ naufragium. *Tranquillitas ista tempestas est.* Sis Tiphy experientior, navem pectoris libidinis fluctus concutient, ni non demergant.

165. Mulier vi. lcum toxicatum.

S. Cyprian. lib. de singularitate Clericor. *Quantos*, inquit, *leones domuit una muliebris infirmitas delicata?* Quo etiam loco mulierum familiaritatem vocat viscum toxicatum, quo dæmon aucupatur. Multi Cilicum setis horrentes, vel loricâ ferreâ super nudo armati chamuniâ, id est, humicubatione, & inedià confecti, cavernis terræ abditi, flammea Cupidinis spicula vix evaserunt: & tu inter femineos choros, inter virginum blanditias, inter pocula, risus & jocos sine vulnere te exiturum putas?

S. Ambros. Apologiâ David 1, cap. 4, *Validissimus omnium Samson legitur, qui leonem etiam suis manibus strangulavit, sed utinam amorem summ suffocare potuisset. Messes incendit Allophylorum, & ipse mulieris unius arsit igniculo.*

166. Noxia quercus olcæ, & colus viri, ita & mulier viro.

Testatur Varro de re rusticâ oleam si quercto inseratur, sterilescere, & noxiæ ilicis vicinitatem refugere: idem ajunt locum habere in vite, si prope olera plantetur. Illa est vis Antipathiæ. Si Christianus desiderat esse oliva fructifera in domo Domini, & vitis abundans in lateribus ejus, heu! fugiat noxiam mulierum societatem.

Fabula de Marte & Venere ligatis à Vulcano.

Ætnæus Vulcanus est & faberrimus, Dæmon, qui blandam Venerem cum Marte incauto & nimis securo ferreis vinculis novit quandoque constringere, & ita utrumque divis & hominibus ludibrium objicere, ut est in fabulis. Vnde commemorabilis fuit ævo nostro integritas & castimonia Ernesti Austriaci, Belgicæ nostræ gubernatoris, qui aulâ suâ omnes mulieres excludi jussit; quo nomine illum deprædicavit elegans quidam poëta suis versibus, in quibus hæc canuntur:

Fama sono labente meas pervenit ad aures,
Aulam quod subeat femina nulla tuam.
O arbor felix! ubi nidum, artisque cubile
Feminei generis nulla reponit avis!
Femina ne mala mala ferat, ne texat Adamo
Vulnificas frandes, pellitur Eva foras.

167. Ernesti Principis continentia.

VERSVS X & XI.

Itaque die septimo, cùm rex esset hilarior, & post nimiam potationem incaluisset mero, præcepit Mauman & Bazatha, & Harbona, & Bagatha, & Abgatha & Zethar, & Charchas septem eunuchis, qui in conspectu ejus ministrabant,

Vt introducerent reginam Vasthi coram rege, posito super capite ejus diademate, ut ostenderet cunctis populis & principibus pulchritudinem illius: erat enim pulchra valde.

Hebraicè: In die septimo cum bonum cor regis in vino, dixit ad Mehuman, Biztha, Charbona, Bigtha, & Abagtha, Zethar, & Charchas septem eunuchos ministrantes faciebus regis Achasueros, ut adducerent Vasthi reginam ad facies regis, in coronâ regni, ad ostendendam populis & principibus pulchritudinem ejus, quia bona aspectu ipsa erat.

Iosephus paucis hæc perstrinxit, Reginam, ait, rex ostendere convivis cupiens ad se accersivit pulchritudine omnes mulieres superantem.

Græca habet Lector omnia simul in fine Commentarii.

COM-

COMMENTARIVS.

PRolusio hîc fit ad reginæ Vasthi repudium; cujus variæ causæ, ut Regis temulentia, & jactantia vana, præceptique iracundia, Reginæ Vasthi fastus & pervicacia, denique Mamuchan, qui Regi à consiliis erat, assentatoris ad nutum ejus facti parùm sana sententia.

Quæritur hîc, an Rex planè ebrietate obrutus fuerit, & emotæ mentis. Rectè respondet Mariana, verba textus nos non cogere, ut hoc dicamus. Siquidem 1 Regum 25, 36, similiter dicitur cor Nabalis bonum in vino, id est, lætum & jucundum, ut hîc est Hebraicè; cum verò illa verba ebrietatem non exprimerent, mox de Nabale additur: Et *erat ebrius nimis*; quod hic non dicitur de Assuero. Quidquid sit, parum fuisse sobrium ipsius facta ostendunt.

Porrò notanda est phrasiologia Hebræa, quæ dicit, *& cor regis fuisse bonum in vino*, id est, exhilaratum, & mox vocat reginam *bonam aspectu*, id est, visu delectabilem & gratam; pulchritudo autem oculos intuentium oblectat, tanquam proprium visus objectum.

168. Pulchra mulier oculorum dolor, apud Persas.

Scribunt autem Xenophon, & Ammian. Marcellinus lib. 23, Persicas mulieres ceteris omnibus tum formâ, tum corporis altitudine præstitisse. Hinc est, quod Alexander, auctore Plutarcho, uxores Persarum vocaret τῶν ὀφθαλμῶν ἀλγηδόνας, *oculorum dolores*, ut suprà dixi, Persas appellasse adolescentiores Macedonum conjuges, ex Herodoto.

Igitur die septimo, qui postremus convivio fuit, cùm jam rex mero incaluisset, & plures cum illo, non satis illi fuit magnificentiam suam ostentare principibus & populo, eosque exquisitissimis epulis & largo vino recreare, voluit etjam, ut auctario quodam, oculos ipsorum oblectare spectaculo reginæ conjugis eximiâ formâ, & cultu regali splendidissimæ feminæ. Sed fuit hæc præclarissimi alioqui convivii luctuosa Catastrophe.

Putat verò Cajetan. hîc postremo hoc die omnes omnino totius regni proceres & Satrapas adfuisse, quamvis non omnes simul ad convivium venerint. Sed hoc dubium est.

Discrimen etiam quod est inter nomina eunuchorum in Hebræo (cui consentit Latinus textus versionis S. Hieronymi) & Græco, quia parvi momenti est, hîc omittimus.

Quærendum potiùs est, an qui hîc dicuntur eunuchi, verè fuerint tales, id est, excisi & evirati.

169. Origo eunuchorum à Persis, & an omnes evirati.

Refert Barnabas Brissonius lib. 2 de regio Persarum principatu, sæpius à nobis citandus, Persas pueris virilitatem exsecuisse; & plures spadones fecisse, quin imo originem eunuchorum ab illis promanasse. Ait Plinius l. 13, cap. 4, apud Babylonem & Persas spadones vocari Bagoüs, qui etiam in Persida regnaverunt. Reges Orientales his tanquam fidissimis curam corporis sui committebant, & alia intima ministeria credebant, qui ideirco hîc dicuntur ministrasse in conspectu regis. Præterea iidem præerant mulieribus in Gynæconitide vel conclavi, & id sine suspicione; erant etiam puerorum magistri, ut constat ex Danielis primo.

169. Quod Eunuchorum officium.

Non est autem necesse dicere, hos omnes fuisse verè castratos vel spadones. nam in Scripturâ sæpius vocantur per Catachresin eunuchi omnes regis & reginæ cubicularii, & qui hîc in Latino appellantur eunuchi, Chaldaicè dicuntur Satrapæ, id est, principes. Quia ergo plerumque hujusmodi aulici eunuchi erant, factum fuit ut etjam alii viri non castrati, qui ipsorum partes obibant, abusivè eodem nomine notarentur. Sed hac de re infra cap. 2, v. 9, dissertatiunculâ primâ commodiùs agendum. Vide interim Interpretes in Gen. 37, v. 36, sive ultimo, & quæ à me dicta Ecclesiastici 20, ℣. 2.

His ergo ministris, (qui rarâ specie præstantes tempore convivii Regi astabant, nec unquam oculos ab illo deflectebant, ejusque nutum observabant, alioqui grave subituri supplicium, ut alibi dicetur) præcepit Rex temulentus, ut Vasthi introducerent, posito super capite ejus diademate.

Putant verò aliqui diadema hîc poni pro cidari. Sed verisimile est utroque ornamento reginæ caput fuisse incinctum. Ceterùm de utriusque formâ & discrimine aptiùs infrà tractandum erit.

DISSERTATIO PRIMA.

Persicorum Regum vinolentia.

COnsulendus Brissonius lib. 1, pag. 62, & Petrus Crinitus lib. 6, c. 2, & de Darii temulentiâ Athenæus lib. 10, cap. 11.

Certè Assuerum nostrum, quotuscumque tandem in ordine Persarum regum Monarcha fuerit, supra modum sympotius & vino deditum, variis locis docet nostra historia. Hîc dicitur post nimiam potationem incaluisse mero. Rursus cap. 5, 6, vinum bibisse abundanter. Iterum cap. 7, vino incaluisse.

170. Cambysis temulentia & crudelitas.

Omissâ verò aliorum ebrietate, solùm commemorabo Cambysis temulentiam ex Herodoto lib. 3, ubi Præxaspes ab eo interrogatus, qualem ipsum Persæ esse censerent, respondit, Persas cetera quidem in ipso laudibus efferre, sed dicere nimis cum vino deditum esse. Quomodo autem ipse Persarum de se conceptam opinionem diluerit, pergit ipse postea narrare, quod etiam scribit Seneca l. 3 de Ira, c. 14, hisce verbis: *Cambysen regem nimis deditum vino Præxaspes unus ex carissimis monebat, ut parciùs biberet. Turpem esse dicens ebrietatem in Rege, quem oculi omnium aureique sequerentur. Ad hoc ille: Vt scias, ait, quemadmodum unquam excidam mihi, approbabo jam, & oculos post vinum in officio esse & manus. Bibit deinde liberaliùs quàm alias, capacioribus scyphis: & jam gravis & temulentus, objurgatoris sui filium procedere ultra limen jubet, allevatâque super caput sinistrâ manu stare. Tunc intendit arcum, & ipsum cor adolescentis (id enim se petere dixerat) figit, reciscque pectore hærens in ipso corde spiculum ostendit: ac respiciens patrem, An satis certam haberet manum, interrogavit. At ille negavit Apollinem potuisse certiùs dimittere.* Sic ibi. O Regem dignum, in quem omnium arcus verterentur!

Quando licita ebrietas Persarum Regibus.

Olim quidem apud Persas uno tantùm die quotannis, quo Soli sacra faciebat, & inebriari, & Persico more tripudiare Regi concessum erat, ut testatur Athenæus lib. 10, c. 21. & Eustathius in quintum Odysseæ. Sed, si legibus vigentibus hoc semel in anno licitum erat, quis illis jacentibus & pene antiquatis nefas hoc fuisse credat Regibus, quoties id liberet?

Ante sympolia quidem, auctore Stobæo & aliis, de temperantia disputabant Persæ, sed hoc nihil obstabat, quin in iisdem copioso mero se perfunderent. Sed de hoc alibi.

Dissertatio Secunda.

Noxia & indecora magnis principibus vinolentia & ebrietas.

QVamvis temulentia omnibus cujuscumque sexus, ætatis, ordinis, simul & ignominiosa & periculosa sit, maximum tamen Regibus, principibusque, & iis qui Reipub. clavum tenent, dedecus parit, & in gravissimum discrimen tum ipsos, tum universum populum præcipitat.

171. Exitus infelices ebriorum ex sacris litteris.

Multorum hoc exempla, luctuosique eventus docent. Tertii Regum 16, 9: *Erat Ela* (filius Baasa, Rex Israel) *in Thersa bibens & temulentus, in domo Arsa præfecti Thersa, & irruit Zambri, percussit & occidit eum.*

Holofernes ductor exercitus Assyriorum vino depositus, sepultusque ab Hebræa Heroina proprio mucrone obtruncatus, & se, & copias suas perdidit, Iudith. 13.

Baltassar ultimus Chaldæorum rex sacrilegio, crapulâ & ebrietate contaminatissimus, horrendo manus scribentis in pariete spectro exterritus, Babylonem Medis & Persis invadentibus, eadem, quâ festivam egerat epulationem, nocte interfectus est, ut narrat Daniel cap. 5.

172. Ex profanis.

A sacris ad profana descendamus. Audiamus Senecam contra ebrietatem differentem Epistola 83, ubi de Alexandro. *Refer*, inquit, *Alexandri Macedonis exemplum, qui Clitum carissimum sibi ac fidelissimum inter epulas transfodit; & intellecto facinore, mori voluit, cerre debuit* (aliàs, meruit.) Et paulò pòst: *Alexandrum tot itinera, tot prælia, tot hiemes, per quas, vitiâ temporum, locorumque difficultate, transierat, tot flumina ex ignoto cadentia, tot maria tutum dimiserunt: intemperantia bibendi & ille Herculaneus ac fatalis scyphus condidit. Quæ gloria est capere multum? Cum penes te palma fuerit, & propinationes tuas strati somno ac vomitantes recusaverint, cum superstes tot convivio fueris, cum omnes viceris virtute magnificâ, & nemo tam vini capax fuerit, vincêris à dolio.*

Alexandri Macedonis.

173. Quis Herculanus scyphus?

Sed iste gradum Lector, & ex Athenæo accipe, quis fuerit Herculanus scyphus. Sic ille lib. 11: *Bœotios ajunt primum magnos quosdam argenteos scyphos fecisse, quos Herculaneos vocant, quia Hercules ille Bœotius sit usus.* ubi etiam scribit illos in extremâ mensâ usurpatos. Porrò Plutarchus in Alexandro similiter ait quosdam tradere cum scypho Herculis epoto statim in morbum incidisse.

M. Antonii.

Sed juvat Romanum Philosophum ulteriùs audire de M. Antonio Triumviro paria scribentem: *M. Antonium, magnum virum & ingenii nobilis, quæ alia res perdidit & in externos mores ac vitia non Romana trajecit, quam ebrietas, nec minor Cleopatræ amor? Hæc illum res hostem Reipublicæ, hæc hostibus suis imparem reddidit, hæc crudelem fecit, cùm capita principum civitatis* (nominatim M. Tullii) *cœnanti referrentur; cùm inter apparatissimas epulas, luxusque regales ora ac manus proscriptorum recognosceret; cùm vino gravis, sitiret tamen sanguinem. Intolerabile erat, quod ebrius faciebat, etiam si sobrius faceret; quantò intolerabilius, quòd hæc in ipsâ ebrietate faciebat.* Hactenus Seneca.

Philippi Macedonis.

Nec Alexandri pater Philippus ab eo vitio immunis fuit, qui, auctore Athenæo lib. 11, cap. 10, per vinolentiam multa indecora & regiâ dignitate indigna gessit. Unde scitè mulier illa, quæ injustè à Philippo temulento damnata fuerat: *provocarem*, inquit, *ad Philippum, sed sobrium.* Nec enim Philippum virum vel Regem arbitrabatur, qui intemperantiâ vini à mente dejectus pro tribunali sedebat.

Cùm Athenienſium legati ad Philippum, apud Demosthenem eum laudarent, quod strenuè bibisset, respondit Demosthenes: *Habet hanc virtutem cum spongia communem.* Ita Plutarch. in Demosthene.

Antiochi.

Antiochus rex ab Arsace in Mediâ victus & occisus fuit; in cujus funere Arsaces illi exprobravit: *Fefellit te, Antioche, audacia & ebrietas: speraveras enim te in magnis poculis regna ebibiturũ.*

Finis non sit, si principum vinolentorum miserandos casus, qui se & imperia sua intemperantiâ perdiderunt, recensère velim.

Fliolmi Gothi exitus miserandus.

Ex Barbariâ unicum depromo. Fliolmus Gothorum rex, ut scribit Ioan. Magnus lib. 7, c. 17, milites suos non solùm commilitones, sed etiam combibones fecerat, id longam noctem cum eis potare solitus. Cùm ergo de more noctem cum illis pergræcando duceret, ab iisdem ebrietate victis in dolium ingens repletum cerevisiâ (quæ dicta est quasi Cereris vis, vel quod visat cerebrum, & pertentet) quod pro explendâ bibacium cupiditate in mediâ aulâ collocatum fuerat, per ludibrium præcipitatus interiit. Exitus dignus rege ebrioso acino ebriosiore.

174. Ebrietas vetita apud Carthaginienses, Lacones, Indos, Regibus.

Proinde passim à Platone, Aristotele, Galeno & aliis, commendatur Carthaginiensium lex, quâ militibus, & eorum ducibus bello occupatis, magistratibus item & gubernatoribus vini usus interdicebatur.

Columella lib. 12, cap. 11, patremfamilias jubet vini somnique esse abstinentissimum. Quid de Rege dicturum putamus?

Leontychidas olim rogatus, cur vino adeò modicè Lacones uterentur, respondit, *Ne pro nobis consulerent alii, sed nos pro aliis.* Plutarch. in Laconicis.

Scribit Alexander Neapolitan. lib. 3 Genial. dierum, cap. 11, Indos lege sanxisse, ut concubina, vel alia mulier Regem ebrium obtruncans, hoc donaretur munere, ut successori nuberet. Ita severè etiam Regibus apud illos ebrietas vembatur.

174. Apophthegma Alphonsi contra regem ebrium.

Alphonsus magnus ille & sapiens Aragonum Rex, ut auctor est Anton. Panormita lib. 2 factorum ejus, cùm quæsitus fuisset, cur præter Magnatum morem vini expers viveret, subjecit: *Vino sapientia obscuratur: quare non decet regem, ut hujus immodicâ potatione in animo extinguat illud,*

lud, sine quo regis nomen tueri non posset. Colligis hinc Lector, vel maximè ebrietate regium fastigium inquinari.

Scriptura vinum Regibus vetat.

Prudenter ergo Bethsabea filium Lamuelem (Salomonem) admonuit, Proverb. 31, 4: *Noli Regibus, ô Lamuel, nolis regibus dare vinum.* Vbi Hebræus habet, *Non Regum, ô Lamuel, non Regum bibere vinum, & gubernatorum non est sicera* (potus inebrians.) Subjicit verò vers. 5 & hanc rationem, *Et ne fortè bibant, & obliviscantur judiciorum, & mutent causam filiorum pauperis.*

175. Ebrius Rex auriga imperitus, & gubernator navis clavo amisso.

Basilius Orientis Imperator inter monita, quæ dedit Leoni filio suo, dicto Philosopho, hoc Caput 25 posuit: *Refuge comessationes, in quibus indulgetur poculis. Ebrietas enim inimica est prudentiæ. Vbi enim mens à vino opprimitur, contingit principi, quod imperitis aurigis, qui cum regere currum nesciant, & se & suos equos huc atque illuc circumagunt, & spectatoribus magnos risus excitant, ac denique in præcipitia feruntur.*

Consentit huic aureo monito Plato dialogo tertio de Republ. ubi ait Gubernatorem ebriosum omnia subvertere, sive navigium, sive currum, sive exercitum, sive aliud quodcumque sibi commissum. Ideo cuivis potius concedendam ebrietatem quàm Reipublicæ custodi, qui ebrius alio indigeat custode; & quem vigilare oporteat, temulentus debeat crapulam edormire, & vinum exhalare.

Illustrat hæc omnia Sapientiæ suæ luce Salomon Proverbior. 23, ubi damna vinositatis recensens tandem hæc subdit v. 34: *Et eris* (ebrius) *sicut dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator amisso clavo.* (temone vel gubernaculo, quo navis regitur.) Magna pericula subit navis, & ejus nauarchus inter fluctus, vada & syrtes, quando gubernaculo destituitur, rimisque fatiscit carina. Sed majoribus Respub. malis exponitur (quæ navigio conferri solet) in qua sedet Rex, magistratus, princeps, vino, somnoque obrutus, quem decumani Bacchi fluctus in voluntariæ insaniæ barathrum demerserunt, qui rationis & prudentiæ clavo destiturus est.

Sed hæc plus etiam lucis accipient ex sequente dissertatione. Videat interim Lector Alexandrum ab Alexandro lib. 3 Genial. dierum c. 11, & à nobis dicta Ecclesiastici cap. 19, v. 2. *Vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes, & arguent sensatos.*

Dissertatio Tertia.

Ebrietas lumen mentis obnubilat, & quod in homine hominis est, extinguit.

RAtio, cur populi moderatorem & principem maxime dedeceat vinolentia, jam uberiùs explicanda.

Tantum plebis Rector sibi subjectos præcellere debet, quantum pastor oves, quas pascit & regit. Hinc enim apud sacræ & profanæ sapientiæ scriptores passim Pastoris vocabulo indigetatur.

Quis autem nescit populum rationis freno in gyrum virtutis & recti duci, & prudentiæ habenis contineri? Quòd si hoc Sapientiæ munere, & mentis lumine princeps orbatus sit, in quas non malorum voragines, in quas non calamitatum syrtes, in quæ naufragia lacerata turbinibus Respub. puppis non præcipitabitur?

Obfuscari verò & etiam sepeliri immoderato vini potu lumen mentis, præter magistram rerum experientiam, docent Poëtæ, Philosophi, sancti & veteres Patres & doctores. Pauca seligo è plurimis.

176. Fabula de Polyphemo ab Vlysse exoculato figuratè ebrietate lumen rationis hebetari.

Finxere Poëtæ, & qui inter eos chorum ducit Homerus Odysseias decimo, fuisse quondam ex stirpe Cyclopum Polyphemum quemdam, virum, ut vocabulum notat, magni nominis, longè latéque famâ celebratum, qui unum tantùm in fronte lumen, sed fulgentissimum, Phœbeæ lampadis instar, gerebat. Hunc Vlysses versutissimus, dulcifluo nectare, vino, inquam, generoso & nigricante ita delinivit, ac permulsit, ut nimio potu gravem, & à mente jam abalienatum consopiret: quem somno obrutum intuitus, mox adusto stipite aggressus est, & splendidissimum frontis jubar eruit, procerumque gigantem exoculavit.

Affabulatio, & Παμύθιον, inquam, hoc est, Polyphemus vir fuit prudentiâ & ingenii acie præstantissimus, ut observavit Servius in tertium Æneidos, unde dicitur unicum in fronte habuisse oculum, juxta cerebrum; judicio enim animi præpoterat, & excellebat. Hunc tamen Vlysses πολύτροπος & πανοῦργος, arte & astutiâ dum Bacchi dulci nigroque liquore infundit, lumine rationis & prudentiæ spoliavit. *Est ergo ebrietas vivi hominis sepultura, blandus sapientiæ prædo, virium animi & corporis ruina.*

Plinii verba mihi placent, quibus insit lib. 23, cap. 1, *vino sapientiam obumbrari*, & lib. 14, c. 22, *quod sequitur posterâ die, rerum fere omnium oblivio, morsque memoriæ.*

Salomon Sapientiæ corculum inquit Ecclesiastæ cap. 2, 3: *Cogitavi in corde meo abstrahere à vino carnem meam, ut animum meum transferrem ad sapientiam.* Hic gradus erat ad Sophiæ domicilium.

177. Ebrius quidquid in animo latet eructat & vitia detegit sua.

Præclarè Romanus Philosophus Epist. 83: *Non est animus in suâ potestate ebrietate devinctus. Quemadmodum musto dolia ipsa rumpuntur, & omne quod in imo jacet, in summam partem vis caloris ejecta, sic vino exæstuante, quidquid in imo jacet abditum, effertur, & prodit in medium.* Ita Seneca.

Quamvis autem sermo illi sit de effusione secreti, generatim tamen sumi potest de quorumlibet sensuum, affectuumque animi eruptione. Quidquid enim intus latebat, hoc vinum eructat.

Sic Assuerus noster, cùm gloriæ esset avidissimus, vino æstuans, ex formæ uxoris ostentatione populi auram & plausum aucupabatur.

Sed pergit plura ad rem nostram suggerere Seneca: Cum enim dixisset nihil aliud esse ebrietatem, quàm *voluntariam insaniam*, subjungit: *Extende in plures dies illum ebrii habitum: numquid de furore dubitabis? nunc quoque non est minor; sed brevior.* Et pòst paulò: *Omne vitium ebrietas & incendit, & detegit, obstantem malis conatibus verecundiam removet. Plures enim pudore peccandi, quam bonâ voluntate prohibitis abstinent. Vbi possedit animum nimia vis vini, quidquid mali latebat, emergit: Non facit ebrietas vitia, sed protrahit. Crescit insolenti superbia, crudelitas sævo, maligni-*

tas livido : omne vitium detegitur & prodit. Adjice illam ignorationem sui, dubia & parùm explanata verba, incertos oculos, gradum errantem, vertiginem capitis, tecta ipsa mobilia, velut aliquo turbine circumagente totam domum. Vide reliqua.

178. Anima ficca sapientissima; ebria tota pinguis & carnea.

Acroama est Heraclìti Philosophi, *animam siccam*, id est, sobriam & temperantem, *esse sapientissimam*, videndi vi præditam, ad sublimia contuenda vigore mentis instructam.

S. Hieron. l. 2 adversus Iovinian. ait, helluonum animas nimio sanguine quasi luto involutas, nihil tenue, nihil cœleste, sed semper de carnibus, de ructu & ventris ingluvie cogitare. Vnde, ut rectè Cassian. lib. de spiritu Gastrimargiæ, *mens eorum cum carne impinguatur.*

178. Obtunditur vino nimio acies mentis & homo obbrutescit.

S. Leo sermone 8 de jejunio decimi mensis asserit potus satietate aciem mentis obtundi.

S. Basil. Homil. in ebrietatem : *Quâ in re, dic homo miser, a brutis differs? Nonne rationis munere, quam a Deo omnium conditore accepisti, reliquæ creaturæ factus dominus & imperator? hoc igitur te mentis lumine per ebrietatem privans, inter bestias ratione carentes numerari poteris, & illis simulus videri.* Ita Basilius.

Hinc inferunt Theologi, ebrietatem esse peccatum mortiferum, quia maximam injuriam adfert dignitati naturæ ratione præditæ.

S. Augustin. Sermone 231 : *Quomodo pluviâ, nimium grandis & diuturna si fuerit, terra infunditur, & in lutum resolvitur, ut nulla in ea cultura fieri possit : sic & caro nostra quando abundantiore potu fuerit inebriata, nec spiritualem culturam accipere, nec fructus animæ necessarios poterit exhibere.*

Finem imponat huic capiti miserabilis exitus Zenonis Imperatoris vinolenti, quem profert Zonaras Annalium tomo 3 : *Zeno Orientis Imperator gulæ & ebrietati deditus, errore mentis sic affici solebat, ut prolapsus à mortuo nihil differret. Cùm verò ipsi etiam conjugi Ariadnæ invisus esset, sic inebriatus pro mortuo in monumentorum Imperatorium ab illâ conjectus est, lapide maximo, qui pro operculo esset, imposito; factusque sobrius inter lamentationes & ejulatus miserâ & horrendâ morte extinctus est, cùm Ariadna prohiberet, ne quis monimentum aperiret.*

179. Zenonis Imperatoris ebrii adhuc vivi sepultura.

Dissertatio Quarta.

Periculosa & reprehensione digna Assueri ostentatio quâ reginæ conjugis formam omnibus exponit.

NOn satis fuit Assuero divitias & gloriam regni sui proceribus & subjectis sibi populis venditare, nisi etiam Reginæ eximiam venustatem tamquam spolium omnibus exponeret.

Si vinum immodicè haustum, ut antè dixi, viri arguit ingenium, liquet Assuerum gloriæ & inanis honoris fuisse cupidissimum, dum ex uxoriâ pulchritudine vanam auram imprudens captat, factus propòla, dum mercem non vendibilem omnibus offert.

Mirari subit Assuerum cautiorem factum non fuisse periculo Candaulis Lydorum Regis, qui ipsum præcesserat, & de quo Herodotus lib. 1. Cicero lib. Officiorum 3, Plato & alii. Iustinus lib. 1 rem gestam paucis refert.

Gravior quidem Candaulis culpa, quòd nudam conjugem libidini sibi familiaris prodidit, nec tamen excusanda Assueri temeritas, qui imprudenter uxorem rarâ formâ feminam, regio insuper cultu spectabilem, diademate fulgentem, auro & elenchis coruscantem, tamquam in theatro omnibus proposuit.

An ita, Assuere, judicii naufragium in vini fluctibus feceras, ut nescires, vel non adverteres mulierem formosissimam pluribus in symposio mero æstuantibus jucundam pœnam, & hilarem mortem allaturam?

Primus ad Venerem gradus ebrietas.

Scripsit postea Valerius Max. lib. 2, cap. primo, *Proximus à Libero patre intemperantiæ gradus ad inconcessam Venerem esse consuevit.*

Sed homo profanus hæc negligebat. Non capiebat sapientissimi Sirachidæ effatum Ecclesiastici 9, ℣. 9, *Propter speciem mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.* Est enim forma muliebris instar naphthæ proclive ignis alimentum, nimirum libidinis.

180. Oculus ansa amoris, &c.

Argutè Plutarch. oculos dixit λαβὴν, id est, *ansam amoris capiendi.* Vix Veneris mancipium oculum aperit, quin per illum Amor in animum irrepat. His oculis, ait Lactant. l. 6. Divinar. Institut. *objicit irritabiles formas.* Et clariùs S. Martyr Cyprian. de zelo & invidiâ; *Offers oculis formas illices, & faciles voluptates, ut visu destruas castitatem.*

Sed Assuerum profanum non moror : scribo Christianis & initiatis, ut oculos & ipsi suos in officio contineant & non facilè uxores vel virgines suas oculis lascivis objiciant.

181. Continentia veterum Romanorum.

Meminerint non jam esse veterum Romanorum illa aurea tempora, de quibus supra Valerius : *Nulli tunc*, ait, *subsessores alienorum matrimoniorum oculi metuebantur, sed pariter & videre sanctè & aspici mutuo pudore custodiebantur.* Hæc ille de suis Romanis, si tamen credendum est Romanos & Romanas tam vigiles fuisse luminum suorum custodes.

Quoties vidimus, audivimus, legimus, viros præstantes animi & corporis viribus, cum armis vincerent, oculis lapsos, hastâ & pilis superiores, femineæ formæ jaculis vulneratos?

Hebræi cùm bello fortissimè contra Madianitas certarent, Numer. 25, ab illius gentis mulierculis speciei illecebris invitati, turpiter voluptati, & idolorum cultui manus dederunt.

182. Mulier imbellis virum fortissimum etiam emunus visa prosternit.

Mulieris vultus flore venustatis vernans, oculis gratis blandiens, quamvis etiam procul absit, propè tamen, & cominus certo ictu animum Herculeum labefactat. Ita S. August. in Psal. 50 loquens de Davide leonum domitore, ursorum victore. *Mulier longè, libido prope.* Siquidem Bethsaben loco remota, proditore oculo, Regis non modò palatium, sed arcem mentis ejus occupavit & vexillum victoriæ in eâ fixit.

183. Modestia oculorum Pædagogus, & pudor.

Legant hæc, quibus oculus, ut Nazianzeni verbis utar Oratione 90, παιδαγωγούμενος, *quem modestia, ut Pædagogus in officio continet*, ne huc, illucque vago aspectu feratur, & non videnda intueatur, quibus pudor, virtutum custos, ad conspectum mulieris, vel viri genas purpurat, & exornat, de quibus Christianè & eleganter Tertull. lib. de velandis virginibus; *Tam sancti viri est suffundi si virginem viderit, quam sanctæ virginis, si à viro visa sit.*

Ve-

Verùm enim verò, si honestatis decus omne potandi amabilis insania Assuero è pectore exturbarit, nihil in illo potuit ardentissimus zelotypiæ ignis, quo vel maximè & ipse & tota Persarum gens flagrabat, de quo infra cap. 7, ℣. 8.

Vbi Assuere, Gynæceum, ejusque arctissima custodia, quo uxores & concubinæ quasi turri aheneâ includebantur, & singulæ separatæ à spadonibus asservabantur? An earum aliqua, & maximè Regina formâ pulcherrima alius quàm tuis oculis digna aspici?

Vbi rhedæ & carrucæ, quibus mulieres etiam pellices tectæ vehebantur, sic ut à nemine ne per viam quidem cerni possent? ubi Persarum æquissima lex, quâ sanciebatur, ne uxores ab aliis, quàm à domesticis conspicerentur, quam, si Iosepho fides habenda, pro se Vasthi attulit, ne se in publicũ virorum sympolium sisteret? Quamvis enim aliquando pellices à Persis in convivia virorum admitterentur, ut suprà diximus, certè Regina, quæ conjugalem torum castè colebat, in earum seriem non erat redigenda.

Sed inter pocula silent leges, earum memoriam temulentia Regis, & flagrantissima laudis cupiditas consopivit, & oblitteravit, & uxoris amorem, qui alias rivalem non patiebatur, tanquam clavus clavum expulit.

VERSVS XII.

Quæ renuit, & ad regis imperium, quod per eunuchos mandaverat, venire contempsit.

Hebraicè: Et renuit regina Vasthi venire ad verbum regis, quod fuerat *in manu eunuchorum.*

Est autem Hebraismus, idemque est cum Latino, *per eunuchos.* Vnde & Græcè habetur: Et non paruit ei Vasthi regina, ut veniret cum eunuchis.

Iosephus: Illa volens Persarum leges servare, quæ uxores vetant ab aliis præter domesticos conspici, non ivit ad regem: & cùm non semel ad eam eunuchos eâ de causâ misisset, nihilominus in negando fuit pervicax.

COMMENTARIVS.

IOsephus sacro textui duo supperaddidit; primum, dum ait, reginam voluisse Persarum leges servare, quibus vetabatur uxores ab aliis quàm domesticis conspici, quibus verbis ejus culpam attenuat, ut quæ patriis legibus obsecundarit, & pudori suo consuluerit. Deinde dicit illam sæpius à rege vocatam, & hoc modo ejus causam aggravat.

Observat etiam Salianus Interpretem Iosephi verba duriusculè reddidisse, cùm ait illam in negando fuisse pervicacem, cùm satis fuisset dicere, renuisse venire. Deinde si semel justâ de causâ non paruit, dum in proposito perstitit, non pervicax, sed constans fuit.

QVÆSTIO.

Rectène, an secùs fecit Vasthi, dum renuit, Assuero ad convivium vocante, venire?

PLeriq; illam omni culpâ liberant. Ita præter Iosephum, (dum ait illam patrias servasse leges) ex antiquioribus Severus Sulpit. l. 2. Hist. his verbis: *Vasthi stulto Rege consultior, pudens virorum oculis spectaculum præbere corporis jussa abnuit. Quâ contumeliâ barbarus animus permotus, uxorem matrimonio ac regiâ depellit.* Ita ille. Sequuntur recentiores, Serarius hic, quæst. 4, Salian. tom. 5, an. mundi 3592. Iacobus Gordonus, Caspar Sanctius in Commentar. Liran. etiam, qui asserit eam secutam honestatem & consuetudinem Persarum, quâ uxores, maximè nobilium, non se dabant aspectibus aliorum virorum. Favent illis hæ rationes.

Prima sententia Vasthi omni culpâ liberat.

Prima: Lex Persarum, quâ arcebantur honestæ Matronæ à publicis virorum conviviis, & etiam aspectibus, ut suprà dixi, & ostendi solas pellices ad illa admitti solitas: quibus jam addo S. Ambros. lib. de Elia, cap. 15, dum inquit, Persas in convivium duxisse mulieres dignas temulentorum consortio.

Accedit, capitale fuisse apud Persas, concubinæ alicujus regiæ lecticam propiùs accedere, ipsamque videre. Vnde scribit Diodorus Siculus lib. 11. *Mos*, inquit, *Persis erat, ut qui pellicem regi adduceret, in curru undique obtecto eam veheret, neque in viâ occurrentium quisque scrutari quod vehebatur, aut contemplari audebat; hacque commoditate usum Themistoclem ad Artaxerxem incognitum pervenisse*, ut etiam in Artaxerxe tradidit Plutarch. Quod si pellices ita obtectæ vehebantur, quas tamen lascivia reddit inverecundas, æquumne fuerit honestam matronam in regio fastigio locatam omnium oculis notari?

Secunda ratio sumi potest ex modestiâ & ingenuo pudore Reginæ, quo præpediebatur venire in publicum plurium temulentorum & libidinosorum epulum.

Tertia & hæc additur: Reginæ exploratum fuisse, Regem, à quo advocata fuerat, parum sobrium, vinoque gravatum etiam malè sanum & ebrium, jussum per palatinos protulisse, cui non parendum judicabat, ne majora incommoda sequerentur.

Altera eam contumaciæ arguit.

Contrà alii Reginæ contumaciæ & arrogantiæ notam inurunt; è Novatoribus Brentius, è nostris Carthusian. & Feuardentius hic. Argumenta ab hoc hæc ministrantur.

Primum: Regi marito etiam minus prudenter præcipienti ab uxore parendum erat, præsertim cùm res esset parvi momenti, nec molesta acquiescenti, quam etiam amicè per viros principes & palatinos ad hoc invitaverat.

Alte-

Alterum: Verba Scripturæ indicant illam non renuisse venire in publicum vicbam femineo pudore & honestate; sed potiùs inflatam fastu superbiæ, qui plerumque formosas comitatur: unde habet textus, *venire contempsit*, cum, teste Iosepho, sæpius fuisset vocata.

Tertium: mulier tumida cùm in convivio mulierum primum locum teneret, putavit fortè infra suam dignitatum esse, si Regi mandanti obtemperaret.

Quartum: Contumaciâ suâ omnibus aliis tam principum quam plebejorum uxoribus præivit, ut Reginæ ipsius exemplum secutæ & ipsæ maritis præcipientibus contumaciter repugnarent, & imperium excuterent.

Postremum: Regem insigni contumeliâ afficit, dum intolerabili pervicaciâ ei resistit, & regni Satrapas confundit; funestâ denique Catastrophe lætissimum epulum conturbat, hilaritatemque in mœrorem vertit. Quod si lex Persica obstabat, inquit Carthusian. potuit in eâ rex dispensare.

Vtrumque probabile.

Dicendum, hac in controversiâ utrimque probabili, mihi videri, Reginam, rem ipsam si spectemus, in Regem non peccasse, quandoquidem imperium ejus contra legem, moremque patrium erat, & à parum sobrio profectum: si verò modum, & animum ejus consideremus, videtur non leviter deliquisse, cum fastu & supercilio plusquam regio regis jussum, quod illi non semel significatum fuerat, nihil pensi habuit, & parere eidem contemptit.

Parecbasis Prima.

Mulierum corona & purpura pudor & verecundia.

Vidimus Reginam Vasthi notatam & insimulatam fastus & arrogantiæ ab his, commendatam verò & laudatam propter ingenium pudorem ab aliis. Placet itaque hujus quidem encomium proponere παρεκβατικῶς in brevi digressiuncula, illius verò vituperium perstringere, quandoquidem tantum superbia feminam commaculat, quantum forma exornat. Igitur non ita mulierem purpura exornat, ut rubor ingenuus illam purpuras.

144. Purpura quomodo primùm inventa.

Ajunt purpuram hoc pacto inventam, ut scribit Nonnus S. Nazianz. Scholiastes in primam Orationem ejus in Iulianum, Scholio 63. *In Tyro insulâ canis quidam pastoralis ad littus profectus inventam concham edit, ipsiusque cruore os suum infecit. Pastor itaque canem suum vulnere affectum esse existimans, accepta lanâ cruorem ex ipsius ore abstergebat. Ac canem quidem nullum vulnus accepisse reperit, ceterùm lanam purpureâ tinctura imbutam fuisse. Quare cùm pastor concham naturâ suâ tingendi faculcate valere perspexisset, eam rem pervulgavit. Atque hinc in modum collecta in mari conchylibus homines purpuram confecerunt.* Ita Scholiastes.

Canis symbolum impudentiæ, purpura pudoris.

Canis, qui symbolum est impudentiæ & inverecundiæ, purpuram primus prodidit: at purpuram pudoris castitas, quâ se veluti conchyliato velo protegeret, nobis ministravit. Est enim pudoris ostrum index & comes pudicitiæ. De hujus itaque præconio pauca delibemus. Primùm ex Nazianzeno, oratione adversus mulieres ambitiosius se ornantes, qui ita scribit allato Apologo: *Tanta olim, ut fama fert, inter homines erat perturbatio, ut optima sceleratissimis nullo modo internosci possent. Ac multis quidem præstantissimis hominibus injusti ac nefarii habebantur: multis contrà, cum stulti ac vecordes essent, probitatis tamen existimatione florebant. Infimos ac abjectissimos homuncciones gloria, excellentissimos quosque contemptus sequebatur, utrisque nimirum iniquam vitii virtutisque mercedem ferentibus. At Deus improbitatem meliori conditione esse, principatumque obtinere perspiciens, eamque rem ægre ferens, tandem aliquando his verbis usus est: Haud quaquam æquum est bonos ac malos eâdem gloriâ frui: sic enim vitium indies angeretur. Quocirca præclarum signum ipsis imponam, quo perspicuè cognosci queat, quis bonus, quis malus sit. Hac Oratione habitâ, bonorum quidem genas rubore tinxit, suffuso scilicet pelli sanguine, quoties turpitudo aliqua animum adoriri pararet. Quem etiam mulieribus quia & rariore cute, & molli pectore sunt, ubertus infudit. At verò malis sanguinem condensavit, immotumque intus retinuit eoque efficitur ut ad nullam turpitudinem erubescant. Quo in numero te pono, quæcumque variis coloribus tincta es* (Agit contra mulieres fuci medicamine faciem inficientes) *Non enim tuus iste rubor me movet, quamvis copiosius in superficie luceat. Ex impudentia enim oritur hic rubor, quem pristinus ille Sodomorum imber obruit. Proinde ne faciem tuam pingas, ô improba mulier, nec cutis tuæ impostura facias. Nullam enim ipse aliam pulchritudinem agnosco, quam eam quæ naturæ dono contingit.* Postquam verò in vanum, fucatum, & ambitiosum mulierum cultum plura contulisset eleganti suâ dictione, hæc tandem ad rem nostram subdit: *Vnicus color in mulieribus amabilis est, nimirum rubor ille, quem pudor gignit, qui quidem à pectore nostro* (Deo) *pingitur. Dabimus etiam, si ita lubet, & alterum: nempe ut pulchritudini tuæ pallorem adscisces, Christique laboribus inarescas, atque & precibus & lacrymis, & diurnis, nocturnisque pervigiliis teipsam macores. Colores verò parietibus relinquamus, iisque mulierculis, quæ cæno suo* (fuco) *juvenes in rabiem agunt.* Hæc Theologus.

185. Deus probis pudorem, improbis impudentiam attribuit.

186. Rubor pudoris, pallor abstinentiæ mulierem decet.

Idem ab hoc pudoris monili sororem suam S. Gorgoniam prædicat, Oratione de laudibus Gorgoniæ. *Cum*, inquit, *multos & varios mulierum externos nosset ornatus, nullum tamen moribus suis, splendoreque intus recondito præstantiorem cognoscebat: unus illi rubor placebat, quem gignit pudor: unus candor, quem parit abstinentia.*

187. Ab his coloribus commendatur S. Gorgonia.

Commendatur ab hoc virtutis colore, ab hoc pudicitiæ margarito Christi sponsa, Canticor. 4, vers. 3: *Sicut fragmen mali punici, ita gena tua.*

Hoc pudoris theatrum est, hoc gratiarum domicilium. Fabulantur Poëtæ Veneri fuisse baltheum (vocant Cestum) quo omnes illecebræ & gratiæ includebantur ad quoslibet in amorem pelliciendos, si semel illo contacti fuissent. Sic de illo Homerus Iliados 14, quem Romano ore loquentem produco:

188. Cestus Veneris amoris illecebra.

Sic ait, & lorum cesti de pectore solvit,
In quo blanditiæ plures mortalia corda
Mulcentes aderant, sermo jucundus, amores,
Gratia, quæ mentem falsâ dulcedine fucant.

Bilbilitanus Epigrammatarius scribens de statu

tuâ Iuliæ quæ Domitiano erat in deliciis, hæc inter alia :

Ludit Acidalio, sed non manus aspera, nodo,
Quem rapuit collo, parve Cupido, tuo.
Vt Martis revocetur amor, summique Tonantis,
A te Iuno petat cestos, & ipsa Venus.

Cestus nullus aut baltheus rapacior, & gratior quàm pudore suffusus vultus, rubore virgineo conchyliatæ genæ, quem meritò dixerim Charitum & Gratiarum thronum.

189. Lasi verecundia.

Sirachidès noster huic passim tribuit gratiam. Pauca noto. Ecclesiastici 32, 14, *Ante grandinem præibit coruscatio, & ante verecundiam præibit gratia, & pro reverentia accedet tibi bona gratia.* Rursus cap. 7, 21, *Gratia verecundiæ illius* (mulieris probæ) *super aurum.* Iterum c. 26, 19, *Gratia super gratiam mulier sancta & puderata.* Vide in loca ista Commentarios nostros.

Tertull. libro de velandis virginib. sic monet: *Vera & pura & tota virginitas nihil magis timet, quàm semetipsam : etiam feminarum oculos pati non vult : alios ipsa oculos habet : confugit ad velamentum capitis quasi ad galeam, quasi ad clypeum, qui bonum suum protegat adversus ictus tentationum, adversus jacula scandalorum, adversus suffusiones & susurros, & ipsum quoq; livorem. Hæc Magister.*

Discite Christi virgines vel à fictitiis deabus virginibus, rubore perfundi. Ovidius lib. 3 Transformat. agens de Dianâ ab Actæone visâ, cum se lavaret, sic canit:

190. Pudor Dianæ describitur.

Qui color infectis adversi solis ab ictu
Nubibus esse solet, aut purpureæ Auroræ;
Is fuit in vultu visæ sine veste Dianæ.
Quæ quamquã comitum turba est stipata suarum,
In latus obliquum tamen astitit, oraque retro
Flexit.

Confer cum virgine aliquâ, cui pudoris decor in oculis lucet, in genis radiat, in vultu floret, impudentem aliquam mulierculam, quæ fucata, & inverecundo aspectu, tota ad illicium composita suis philtris adolescentes ad interitum adhamet. Meritò illam Pandoram, hoc est, facem & exitium juventutis dixeris. De hujusmodi loquitur loco priore à me citatus Magnus Nazianzenus :

191. Mulier impudens altera Pandora.

Pandoram ajunt, cum ignis a Prometheo furtim sublatus fuisset, vindicandi hujus sceleris causâ mortalibus advenisse, pro bono videlicet atque utili igne, ignem alium malum atque pestilentem. Quoque ardentiùs hominum animos inflammaret, omni eam pulchritudinis genere à diis instructam & exornatam fuisse. Ita, cum summ quisque illecebræ ac fraudis genus in unum contulisset, tum verò confertam & cumulatam impostúram hominibus injectam esse, versutam mulierculam, impudentem, dicendi suavitate præditam, pernicioſum oblectamentum, facem perpetuò ardentem. Non quidem fabulis fidem adhibemus, sed si tamen ita jubes, etiam atque etiam vide, ne tu varia illa Pandora existas. Pandoræ quippe filiæ sunt procaces omnes mulierculæ, perfricta que frontis. At tu Christi imago, da operam ut pudicitiâ, prudentiâq; clareas. Hactenus Græciæ oraculum.

Parecbasis Altera.

Fastus pulchritudinem mulierum comitatur, & quo pacto hic comprimendus.

192. Sexus muliebris parvi pretii

SI quis penitiùs illius sexus naturam inspexerit, nihil magnopere in eo expetendum reperiet; neque ingenii vim neque judicii solertiam : non etiam altam indolem, vel aliquod insigne dignitatis. Vnde nec sapientia aut prudẽtia in eo eminet, nec animi, nec etiam corporis, aut nervorum fortitudo vel in rebus aggrediendis virtus, aut conficiendis perseverantia. Contrà verò magna in illo mentis imbellia, infirmitas animi, inconstantia, & quædam fatuitas. Si quid autem in eo emicat excellentiæ aut elegantiæ, mox illud degenerat in fastum & arrogantiam, vel in impudentiam & iracundiam implacabilem. Quâ de re cum sæpe sæpius Commentariis in Ecclesiasticum scripserimus, hic stilum premimus. & dignitatis. Multis virtus obnoxius.

Quâ ergo dote hoc tam ignobile, infirmumque animal virum sibi devinciet, quo philtro sibi conciliabit? Deus, cujus natura benignitas, mollem quamdam rapacitatem, & illecebram illi insevit, teneritudinem corporis, animi blanditias, quibus virum ad sui commercium & caritatem pelliceret, & quodam quasi lenocinio demereretur. Quemadmodum in lapide Magnetico arcana quædam vis cernitur, quâ ferrum sibi maritat, ita & mulier dicta quasi molier, auctore Lactantio lib. de Opificio Dei cap. 12 ex Varrone. propter mollitiem, occultâ quâdam pollet virtute ad animum virilem deliniendum, & velut Acidalio nodo sibi devinciendum. 193. Mulier indole illecebrosâ ob formam.

In hoc prædatrice indole, in hoc Pandoræ Amaltheo, in hoc Veneris prædivite cesto præcipuum philtrum & quasi fascinum est corporis decor, qui cum Dei donum sit, & naturæ benignioris, exigui tamen temporis, abstitur tamen eo mulier in superbiam, ut & aliis vel internis vel externis bonis, si vel minima scintilla præstantiæ in eâ eluceat. Notus est Ovidii Fastorum primo versus:

194. Pulchritudo mulieri superbiæ occasio.

Fastus ineſt pulchris, sequiturque superbia formam.

Et alibi, *Dat facies animos.* Et rursus,

Scilicet à speculo sumuntur imagine fastus.

Accedit S. Chrysostom. Homil. 20 in Epist. ad Ephes. *Externa corporis pulchritudo plena est multæ superbiæ & arrogantiæ.*

Certè si femina formam suam elegantem perspectam habeat, intumescit confestim. Quæ autem illam ignorat, quam domesticus gnomon sive index, vitreum videlicet horologium, quot horis repræsentat? *Mulieres*, inquit Tertull. *consilium formæ à speculo petunt.* Si virgo formâ præstet, procos fastidiosa respuit, sin conjugio copulata, marito pœna est suâ importunitate, dum contendit naturæ donum adventitiis ornamentis cultius reddere. Acutè Socrates apud Laërtium in vitâ, lib. 2, *formam modici temporis immedicum tyrannum dixit.*

Etsi, ait Tertull. lib. de cultu feminarum, *accusandus decor non est, ut felicitas corporis, ut divinæ plasticæ accessio, ut anima aliqua vestis urbana : timendum tamen est vel propter injuriam & violentiam spectatorum, quæ etiam pater fidei nostræ Abraham in uxoris suæ specie pertimuit, & sororem mentitus Saram, salutem suam contumeliâ redemit.* 195. Forma tyrannus. 196. Forma muliebris viris spectantibus periculosa.

Et hæc una est ex tribus causis, quas memoratum vado, cur mulier ob venustatem non debeat insolescere; quin verò liberale naturæ munus à more virtutis interdum vel inediâ attẽnare, vel pepli velamine abscondere, & sese summâ animi demissione continere.

Est enim immodica pulchritudo aureus gladiolus,

196. Est aureus gladius, purpureus laqueus.

diolus, qui certiùs viro sæpe nocet, quàm ferreus ensis. Splendet quidem, sed ferit & penetrat animum. Est laqueus purpureus, quo plures se induunt, quàm pennatæ volucres rete. Est viscus merus, ut alibi Plautus, à quo difficile est se expedire. Est dulce venenum, hilaris pœna, crudele gaudium; mors jucunda, sed tumul amara.

197. Quare pulchritudo καλὴ dicta Græcè.

Dicitur Græcis pulchritudo καλὴ, quòd teste S. Dionysio lib. de divinis nominib. *omnia ad se* καλεῖ, vocet, id est invitet, vel trahat potius. Est ignis, de quo Xenophon apud Stobæum. *Ignis solum tangentes adurit, pulchritudo vero etiam procul distantes inflammat.*

198. Fabula Medusæ explicata.

Fabulantur Poëtæ, Medusam incredibili suo decore amatores & procos suos partim in saxa, partim in bruta vertisse. Significat fabula femineæ formæ amœnitate captos, quasi ratione spoliatos vel lapidescere vel obbrutescere.

Rara forma & liberalis species olei instar habet quo ferrea virilis pectoris fortitudo mollitur.

S. Basil. in caput 3 Isaiæ loquens de illecebroso mulieris oculo, *Tactu*, inquit, *oculorum sagittam planè exitialem emittit quemadmodum basiliscum ferunt solo aspectu perimere suos spectatores.*

199. Unde dicitur Amor apud Græcos.

Græcæ linguæ periti derivant ἀπὸ ἰφᾶν, amare, ἀπὸ τῦ ὁρᾶν à videndo. Est enim pulchrum objectum visus, & per illum amoris. Plato tamen in Cratylo dicit amorem ita nuncupatum, quòd influat facillimè per oculum pulchritudine delinitum. Ἔρως παρὰ τὸ εἰσρεῖν. Amor ab influendo.

200. Mulier speciosa cur dolor oculorum.

Ante dicere memini formosas mulieres appellari dolores oculorum, quòd amor per illos irrepens animum gravi pœna sauciet, si maximè videat se amatâ re non posse frui. Ita Isæus orator celeberrimus apud Philostratum, de vitâ Sophistarum, rogatus de eximii decoris feminâ quæ præsens erat, num eam speciosam judicaret; *Desii*, ait, *laborare ex oculis*; vultumque statim ab eâ avertit. Legendus Alexandrinus Clemens pædagogi lib. 3, cap. 2.

201. Pulchritudo fugax & momentanea.

Altera causa, quæ suo pondere frenum immittere valeat supercilio & superbiæ mulieris de formâ vanè gloriantis est hujus momentanea felicitas, quam, cum præterierit, frustra defleat. Sic de Helenâ lib. 15 Metamorph. Poëta:

Flet quoque, ut in speculo rugas conspexit aniles
Tyndaris, & secum, cur sit bis capta, requirit.

Multa de hoc Seneca in Hippolyto, & inter alia:

Momento rapitur, nullaque non dies
Formosi spolium corporis abstulit.
Dos est forma fugax. Quis sapiens bono
Confidat fragili.

202. Fumus est, qui solet candida infuscare, & citò evanescit.

Proverbium Belgicum est: *Den roock loopt nâer de witte*: quæ significant fumum semper infuscare candidos, quod etiam video in usu esse apud Græcos. Ajunt enim, ὡς καλὸς ὁ καπνὸς πυρᾷ, id est, fumus pulchros tentat vel explorat. Ita habes apud Athenæum lib. 6. Forte paræmia hinc ortum habeat, quòd fumus deformibus & atris vix aliquid fuligmis adspergit, formosos vero & candidos infuscat.

Dixerim ego hoc symbolum esse formæ muliebris, quæ instar fumi deficit, & quidem quo eminentior est, eò citiùs evanescit, dum ætate marcescit, vel morbo defloresci.

Tertia causa occurrit, quòd gloriatio de bono formæ sit de re levissima, cùm vera hominis pulchritudo non in corpore, sed in animo recondita sit, quæ æternam illi gloriam & gloriationem parit. Sita est hæc in eleganti symmetriâ & proportione affectionum (quæ sunt quasi animi membra, μέλη Græci vocant, unde resultat suavissimum μέλος, concentus & harmonia) & in suavitate internâ colorum sive morum & virtutum, quæ cum oculis externis quomodocumque cernitur, mirabilem sui amorem in animis intuentium excitat.

203. Vera hominis pulchritudo in animo est.

Decor ille in mulieribus rutilantium oculorum & genarum ebur purpurâ mistum tectorium est picturatum, quod imbre & vento decutitur.

204. Similis externa pulchritudo templis Ægyptiorum.

Similes sunt mulieri cilæ foris venustæ, intus deformes templis Ægyptiorum, de quibus Alexandrin. Clemens lib. 3 Pædagogi, cap. 2. Horum vestibula, porticus, ædes electro, argento, auro, lapillis Indicis collucebant, conchyliatis aulæis adyta convestiebantur. Intus verò velo deducto apparebat Deus Ægyptiorum, crocodilus, serpens vel aliqua indigena bellua, indigna quidem templo; sed antro aut cœno congruens. Tales sunt feminæ illæ, quarum tota cura est in formâ externâ, quarum animus verâ sæpe pulchritudine vacuus; intus verò adultera residet bellua, mens putida & tetra.

205. Mulier sancta Tabernaculum inderis cū suis vasis.

Studeat mulier Christiana in se potiùs exprimere exemplar Tabernaculi fœderis, quod exteriùs quidem texto cilicino tegebatur, intus verò auro radiabat augustiùs, velo versicolore pretioso ornabatur, ubi Altare Thymiamatis & ipsum aureum, mensa panum propositionis & Candelabrum cum lucernis, omnia aurea. Et cum hoc quidem componitur mulier pudica & sancta, Ecclesiastici 26, 22. *Lucerna*, ait, *splendens super candelabrum sanctum, & species faciei super ætatem stabilem.*

Postremò videre licet puellas vel mulieres formæ flore & venustate ridentes frequenter vix micam salis in animæ salino habere; quibus illud merito attribuas Salomonis Adagium, Proverbiorum 11, 22, *Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra & fatua.*

Verùm quia hoc argumentum uberiùs explicui Commentar. in Ecclesiasticum, cap. undecimo, ℣. 2 & 3, eò Lectorem meum amando.

VERSUS XIII, XIV, & XV.

Unde iratus Rex, & nimio furore succensus, interrogavit sapientes, qui ex more regio semper ei aderant, & eorum faciebat cuncta consilio, scientium leges ac jura majorum. (*Erant autem primi & proximi, Charsena, & Sethar, & Admatha, & Tharsis & Mares, & Marsana, & Mamuchan, septem duces Persarum atque Medorum, qui videbant faciem regis, & primi post eum residere soliti erant.*)

cui sententia Vasthi regina subjaceret, quæ Assueri regis imperium, quod per eunuchos mandaverat, facere noluisset.

Hebraicè: Et iratus est rex valde, & ira ejus

ejus succensa est in eo. Dixitque rex sapientibus scientibus tempora, quia sic verbum regis ad facies omnium scientium legem (id est, quia sic erat consuetudo erga omnes scientes legem) & judicium. Et propinquius ad eum Carsena, Sethar, Admatha, Tharsis, Meres, Marsena, Memuchan, septem principes Paras & Madai videntes facies regis, sedentes primi in regno, secundùm legem (inquit) quid agendum cum reginâ Vasthi, eo quòd non fecit sermonem regis Achasueros in manu eunuchorum.

Iosephus sic. Quâ obstinatione mulieris offensus Rex dimisso convivio, septemviros illos, penes quos apud Persas legum est interpretatio, convocat, & apud eos uxorem contumaciæ ream peragit, quòd toties vocata ab ipso in convivium, ne semel quidem paruisset, juberque quid sit juris proferre sententiam.

COMMENTARIVS.

ASsuerus & naturâ suâ bilioſus, & more Persicorum regum facilè excandescere solitus Reginę graviter succensèt ob contumaciam, prout opinabatur, iræ verò acriores etiam stimulos addebat vinum quo æstuabat. facit tamen, quod irati & ebrii facere non assueverunt. Prjusquam enim quid severius in reginam quasi pervicaciæ ream statuat, virorum sapientium concilium advocat. Iam singula enodemus.

Manifestum est ex rerum Persicarum scriptoribus, Medos & Persas de rebus gravissimis inter pocula deliberare pro more habuisse. Testatur Herodotus lib. primo. *Poti*, inquit, *de rebus maximè seriis consultare consueverunt. Quod autem ipsis placuerit deliberantibus inter pocula, id postridie proponit dominus illius domus, in qua deliberaverint, & si quidem placuerit sobriis, etiam eo utuntur; sin minus, relinquunt.*

206. Persæ inter pocula de rebus maximis consultant.

Idem scribit Strabo lib. 15 Geographiæ, *De rebus maximis in vino consultant, eaque decreta ipsi firmiora censent, quàm quæ sobrii faciunt.*

Observat autem rectè Serarius, nòn velle Herodotum illos planè potos consultasse, vel aliquid statuisse, sed solum concilium advocasse inter pocula. Hoc enim solum indicant Græca Herodoti verba.

Ceterùm non est verisimile, consultationem hanc factam in ipso convivii loco, sed potius in vicino conclavi, ubi concilium regium haberi consueverat, ut significat etiam Iosephus, & sequuntur Salian. Stephan. Menochius & alii. Ibi ergo rogatæ & dictæ sententiæ.

Quales verò fuerint sapientes illi Consiliarii, quos Rex advocavit, variè refertur in Hebraicis & Latinis codicibus.

Dicuntur primò Hebraicè, scientes temporum; quod aliqui explicant, Astrologiæ fuisse peritos. Mariana verò cum aliis, gnaros veterum historiarum. Cajetan. pollentes notitiâ occasionum evenientium in temporibus, quod ego sic intelligo; quia valebant rerum agendarum scientiâ sive prudentiâ, quâ instructi poterant consulere quid in quolibet negotio faciendum. Quidam hac intelligentiâ comprehendi volunt rerum divinarum humanarumque scientiam. Rabbini denique exponunt temporum calculatores. Postremò accipiendum reor pro viris præstantibus antiquitatis cognitione, & rerum priscis Regum temporibus peractarum.

Dicuntur secundò Latinè scientes leges & jura majorum, vel, ut est Hebraicè, scientes legem & judicium, id est, Iuris Persici, & moris majorum callentissimi. Iosephus, penes quos apud Persas legum interpretatio.

Dicuntur tertiò Latinè tales fuisse, qui ex more regio semper ei aderant, & quorum faciebat cuncta consilio. Hebraicè: quia sic verbum regis solitum erat tractare coram scientibus legem &c. id est: Mos regis erat coram scientibus legem de rebus disserere, & eorum consilio cuncta moderari.

Dicuntur quartò proximi regi, videre faciem regis, primi post eum residere soliti: Hebraicè, sedentes primum in regno. Erant ergo è primâ amicorum cohorte, coram rege in regni comitiis primo loco sedentes.

Quintò, numerantur hujusmodi duces Medorum atque Persarum & primi principes septem, quorum & nomina recensentur.

Hos ergo sapientes assessores, autoritate, nobilitate, dignitate clarissimos interrogavit Assuerus, cui sententiæ subjaceret Vasthi, quæ ejus imperio non paruerat, vel, ut est in Hebræo, quid secundùm legem faciendum Vasthi.

Observa primo, numerari septem præcipuos Iudices regis Assueri, quot etiam censentur Esdræ primo cap. 7, 14, ubi dicitur Esdras à facie regis (Artaxerxis) & septem consiliariorum ejus missus, ut visitaret Iudæam & Ierusalem. Vnde conjicit non improbabiliter Salianus anno Artaxerxis Longimani 3, n. 13, Assuerum nostrum esse eumdem cum Artaxerxe Esdræ, qui fuit Longimanus. Quamvis dici possit, Regibus Persarum semper astitisse septem principes tamquam Septemviros, à quibus Rex in rebus gravioribus consilium peteret. Hoc enim fuit omnibus Regibus commmune, sicut modò Romani imperii septem sunt Electores. Et, ut notat Serarius hìc, qui tyrannos Magos occiderunt, fuerunt septem principes, & hoc capite ponuntur septem eunuchi, qui in conspectu regis ministrabant: & Megabyzus apud Herodotum lib. 5 misit ad Amyntam regem Macedonum septem legatos Persas, qui post eum erant in exercitu spectatissimi, petituros regi Dario terram & aquam. Et, si parva licet componere magnis, Tobiæ 12, 15, dicit Raphaël Angelus: *Ego sum Raphael Angelus, unus ex septem, qui stamus ante Dominum.*

207. Septemviri Persarum.

Plura de Septenarii dignitate vide apud Serarium tum hic, quæst. 5, tum fusiùs Tobiæ 12, quæst.

208. Septenarii usus & dignitas.

quæst. 7 & 8, & apud Sanctium breviter hîc, copiosè verò Tobiæ suprà ℣. 15, ubi ostendit numerum illum apud Assyrios, Chaldæos, Persas fuisse celebratissimum, & ex eorum consuetudine apud Tobiam, Zachariam, Ioannem in Apocalypti, vocari spiritus vel Angelos septem, qui astant proximi ante Deum, qui etiam ibidem vocantur oculi Dei, ut nobilissimi Principes Persarum & consiliarii etiam ejus dicebantur oculi, & fortè hi septemviri illi sunt, qui à Xenophonte libro 8 Pædias vocantur Regum oculi & aures, quòd per eos omnia quæ in regno gerebantur, disceret.

209. Hi erant oculi & aures Regis.

Observa tamen secundò, si veterum scriptis credimus, consiliarium, si à regis sententiâ discreparet, haud impunè id tulisse: quòd si placita regi respondebat, aureum laterem, cui insistebat, pro præmio auferebat, quemadmodum si contrarium regi pronuntiasset, flagris cædebatur. Ita Ælianus lib. 12 Variar. cap. 12. Sic Xerxes (ut auctores sunt Herod. lib. 7, Iustin. lib. 2, Valer. Max. lib. 9, cap. 5.) Asiæ principes alloquitur: *Ne viderer*, inquit, *meo tantùm usus consilio, vos contraxi. Cæterum mementote parendum magis vobis esse, quàm suadendum.* Ita ille. Dictum insolens & impudens, tali rege dignum.

210. Consiliarii Persarum ad placitum Regi respondere debebant.

Animadversio Prima Politica.

Principum sæpe gravis, implacabilisque ira, & quare.

Virgilianum omnibus notum est illud:

Iunonis gravis ira & inexsaturabile pectus.

Et illud Iasonis in Medeâ Senecæ, Actu 3, Scena 2,

Gravis ira regum est semper.

211. Ira gravis Regum Persarum, & aliorum.

Concinit & illud Plautinum: *Plumbeas iras gerunt.* Historia, quam interpretamur, Assuerum pronum in iram satis indicat & hîc, & cap. 7, ℣. 7 & 8, item cap. 15, ℣. 10. Vnde & Esthera cap. 14, 13, ipsum Leonem vocat.

Spiritum hunc sævum hauserat à majoribus suis Medorum & Persarum Regibus, de quorum præcipiti furore multa commemorat Seneca l. 3 de Ira: ut cap. 14 de Cambyse Persidis Monarchâ secundo, in quo ira totâ illius potestate usa est, ut supra retuli ℣. præcedente, Dissertatione primâ, ut cap. 15 de Astyage rege Medorum, qui offensus Harpago liberos illi suos epulandos apposuit: & subinde quæsiit: *An placeret conditura.* Refert rem gestam Herodot. lib. primo, sed paulò aliter. ut cap. 16, De Dario Hystaspide, qui iram quasi insigne regium exercuit. *Hic cùm bellum Scythis indixisset, Orientem cingentibus, rogatus ab Oebazo nobili seni, ut ex tribus liberis unum in solatium patri relinqueret, duorum opera uteretur: plus quam rogabatur, pollicitus, omnes se illi dixit remissurum: & occisos in conspectu parentis abjecit, crudelis futurus si omnes abduxisset.* Historiam habet Herodotus l. 4 eandem.

Vt Astyagis.

Ira Darii Hystaspis.

Rursus Xerxis.

Rursus Seneca cap. 17, *At quanto*, inquit, *Xerxes facilior?* (si Darium spectes, qui tres liberos occidit) *qui Pythio quinque filiorum patri, unius vacationem petenti, quem vellet eligere permisit: deinde quem elegerat, in partes duas distractum ab utroque viæ latere posuit, & hac victimâ lustravit exercitum. Habuit itaque quem debuit exitum, victus & longe lateque fusus, ac stratam ubique ruinam suam cernens, medius inter suorum cadavera incessit.* (Vide Herodotum lib. 7.) *Hac barbaris Regibus feritas in irâ fuit, quos nulla eruditio, nullus litterarum cultus imbuerat.*

Pergit dein recensere truculentum furorem Alexandri Macedonis in Clitum & Lysimachum, hujus vero in Telesphorum Rhodium. Ostendit & postea ne Romanos quidem ab hac iræ barbariâ immunes fuisse; ut Syllam & alios; ubi exempla Principum, qui vim iracundiæ sævitiâ incredibili expressêrunt, Lector reperiet varia.

Omitto huc producere furorem Chaldæi Regis Nabuchodonozoris, de quo Daniel cap. 2, ℣. 12, & cap. 3, vers. 19. Saulis, 1 Regum 21. Herodis Ascalonitæ, Matth. 2, & apud Iosephum.

Egregiè hoc expressit Medea Senecæ, ubi Actu 2 sic ait:

Difficile quàm sit animum ab irâ flectere
Iam concitatum, quamque regale hoc putet,
Sceptris superbas quisquis admovit manus,
Quâ cœpit ire, regiâ hoc didici meâ.

212. Regis ira similis Leonis.

Hinc elucet quàm jure dixerit Rex sapientissimus Proverb. 19, ℣. 12: *Sicut fremitus leonis, ita & regis ira.* Et cap. 20, ℣. 2, *Sicut rugitus leonis ita & terror regis.*

213. Rugitu leonis animalia contremiscunt.

S. Ephiphanius Hæresi 78 leonem pulchrè vocat *animal regalissimum super alia animalia*, cujus fremitu & rugitu omnes feræ contremiscunt & percelluntur.

Assentitur S. Ambros. lib. 6 Hexameron, cap. 3. *Quæ*, inquit, *se ei sociare fera audeat, cujus voci naturaliter tantus inest terror ut multa animantium, quæ per celeritatem possent impetum ejus evadere, rugientis ejus sonitu, veluti quâdam vi attonita atque icta deficiant?*

Hujusmodi leonem Poëta initio duodecimi Æneidos inducit Turnum, ubi cùm implacabilem ejus iram cum Punico leone, saucio, & ore cruento fremente contulisset, ita subdit:

Haud secus accenso gliscit violentia Turno.

214. Ex Leonis ossibus percussis ignis exsilit.

Nec hoc abs re fuerit, quod scribit, de hac ferâ Aristoteles lib. 2 de partibus animal. cap. 9, *Leonis ossa adeò dura sunt, ut ex iis percussis ignis quasi ex silice eliciatur.* Quid hoc aliud Symbolicè indicat, quàm durissimum & igneum regum furorem, qui nullâ exiguâ vindictâ expletur, nisi omnia miscuerint igne & sanguine, nisi instar ignis omnes, quos sibi obstare putant, consumserint?

Succinctè Parœmiastes sacer Proverb. 16, 14, ait: *Indignatio regis nuntii mortis.*

Huc pertinet similitudo Sirachidæ, Eccles. 28, 12, *Secundùm ligna silvæ sic ignis exardescit: & secundùm virtutem hominis sic iracundia illius erit, & secundùm substantiam suam exaltabit iram suam.* Sensus verò hic est. Quemadmodum, quò major est lignorum strues, & durior eorum vis, quæ ignem nutriunt, eò quoque major & acrior exurgit flamma, & vehementius oritur incendium: ita quò is, qui irascitur, est major, potentior, opulentior, sic quoque ejus violentia magis gliscit, sævior & implacabilior existit ira, altiùs

215. Quò quis potentior eò plerumque iracundior.

altiùs exclamat, fortiùs diras & maledicta evibrat.

Ratio hujus est; quia Magnates magni æstimant honorem & dignitatem suam, minimaque re illam lædi putant, ideoque celerrime & gravissime exardescunt; & quia nec tumore nec pudore frenantur arma corripiunt, enses stringunt, minas jactant, &c. Iudicant magni esse animi, promte ad vindictam prosilire.

216. Regium est iram comprimere.

Noverint interim & intelligant Principes, qui altos spiritus gerunt, esse potiùs mentis abjectæ & vilis vinci ab indomitâ belluâ, pectoris verò esse regii, illam comprimere, & rationis habenis coërcere, ut latiùs deduxi Commentar. in Ecclesiasticum, cap. 28, ab initio usque ad versum 15. Concinit Ovidius libro tertio Tristium:

Quò quisque est major, magis est placabilis iræ;
Et faciles motus mens generosa capit.

Et Seneca Actus 2 Choro, in Thyeste:

Rex est, qui posuit metus,
Et diri mala pectoris, & quæ sequuntur.

217. Nihil gratius subditis clementiâ Principis.

Quod autem majus pectoris malum, quàm excandescentia, & stomachus cedere nescius?

Præclarè Seneca Philosophus lib. 2 de Clementiâ, cap. 3: *Nihil pulchrius in fastigio collocatis, quàm multarum rerum veniam dare, nullius petere.*

Irâ sævum & ferocientem principem ut tyrannum oderunt populi. Nihil verò illis gratius benignitate & serenitate vultus regii, quem & Serenissimi vocabulo honorant. Effatum est magni Regis, Proverb. suprà, cap. 16, ℣. 15, *In hilaritate vultus regis vita, & clementia ejus quasi imber serotinus*, qui satis & frugibus lætissimus. Revolvant Christiani Principes, quæ liber Sapientiæ illis instillat cap. 6, vers. 2, & deinceps; ubi sic illos aggreditur: *Audite ergo reges & intelligite, discite Iudices finium terræ*, &c. ubi & hæc inter alia: *Horrende & citò apparebit vobis: quoniam judicium durissimum his, qui præsunt, fiet.*

Animadversio Altera Politica.

Principes gravibus & dubiis in rebus sapientum concilium jure advocant.

QVia ira malus est consiliarius, & vinum nihil sani aut moderati suadet, laude dignus Assuerus, qui in conclave judicii sapientes consulturus vocat.

218. Scriptura consilium adhibendum monet.

Ipsa divina Sapientia, ut hominibus ad æquitatem viam aperiret, antequam Sodomam cœlesti imbre deleret, amicum suum Abrahamum consulit Genes. 18, 17: *Num celare potero Abraham quæ gesturus sum*, &c. Sacrosancta tabularia passim nobis insinuant consilium à sapientibus requirendum. Pauca accipe è multis.

Tobias filio suo præcepit c. 4, 19, *Consilium semper à sapiente perquire.*

Proverb. 11, 14: *Salus, ubi multa consilia.* Et cap. 12, 15, *Qui sapiens est, audit consilia.* c. 15, ℣. 22, *Dissipantur cogitationes, ubi non est consilium: ubi verò plures sunt consiliarii, confirmantur.* Vide item cap. 13, ℣. 10 & 16. Eccles. 32, 24; *Fili sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis.* Cui simile illud Pythagoræum: *Consule ante opus, ne quid stulti committas.* Adi Comment. meum in locum Eccles. citatum.

S. Basilius secutus Platonem, in Caput primum Isaiæ: συμβουλὴ, ait, ἱερὸν χρῆμα. *Consilium res sacra.* Sapientes gentici Iovem suum dixêre βουλαῖον *Consiliarium*, & Minervam ejus filiam *Consilii Antistitam & præsidem.* 219. Sapientia Dei præses consiliorum.

Nos genus Dei electum, Dei ejusdem Sapientiam habemus *Consiliarium* Isaiæ 9, 6: Vbi etiam addunt Septuaginta Seniores: *Magni consilii Angelum*, quæ etiam, ut cœlestis curiæ præses, dicitur Proverb. 8, 12, *habitare in consilio*, cui tamquam assessores & paredri adsunt semper *Eunomia & Dice*, Iustitia & Iudicium.

Illa Propitiatorii solio olim, ut præses consilii & judicii insidens Moysi consultanti fundebat oracula: unde & idem ἱλαστήριον θρόνημα, id est, propitiatorium operculum nuncupabatur.

220. Periculosam proprio judicio cuncta definire.

Aureum Pythagoræ symbolum est: *In solitudine sine baculo non incedendum.* Indicabat hoc erudito, & arcano sermone, Rebus in obscuris & ambiguis propriæ prudentiæ non fidendum, sed eubuliâ excellentium consiliis innitendum.

221. Mens humana non sanis consiliis imbuta, est instar ignis fatui & noctuæ similis ad lumen incertæ Lunæ ambulanti & cujus oculi alieno colore suffusi.

Sæpe mens nostra dum paralogismis, & non rectis opinionibus acies ejus offunditur, & voluntas turbulentis affectionum motibus incitatur, est veluti ignis fatuus (ut loquuntur Meteorologi, qui de sublimibus impressionibus agunt) qui viatores rei ignaros in loca palustria & profunda, vel in avia & præcipitia illusos abducit.

Vt lumen noctuæ vel vespertilionis ad radios solis palpitat & connivet: sic plerumque animi nostri oculus ad clarissima etiam tremulis palpebris nictat.

Lux judicii nostri debilis est & ambigua, quam qui in negotiis magnis, tenebris circumfusus sequitur, nec viæ ducem adhibet, similis illi est, qui per loca incognita & solitaria noctu ad lumen incertæ Lunæ ambulat.

Quid si pupillæ interiores alieno sint colore imbutæ, rubicundo furoris, atro invidiæ, cæruleo arrogantiæ, an non omnia, prout affectæ sunt, agenda judicabunt?

Denique auctore Philosopho l. 3 Politicor. *In causa propria plures malo sunt judices.*

Nihil temere agendum.

Frequenti sermone usurpare solebat Antoninus, dictus Philosophus, Imperator: *Nihil* ἐξ ἀνδρομῆς *agendum*, id est, *properè & cursim*, *Imperatori*: q. d. Omnia facienda consultò, non temerè. Ita Xiphilinus in Compendio.

Probavi semper illud Horatianum:

Vis consili expers mole ruit suâ.

Exemplo sunt insani, viribus suis fidentes gigantes, de quibus ibi Poëta.

222. Consilium Reipub. fundamentum.

Consilium linguâ sacrâ nominatur סוד Sod. q. d. fundamentum, à radice יסד Iasad, fundare. Prudenter & sanè. Est enim rectum consilium firmissima basis, quâ summarum rerum negotia & civitatum felicitas stabilitur; quod non minùs necessarium est principibus & Reipub. moderatoribus, quàm ædificiis solidum fundamentum. Hoc subverso succumbat & subruatur res etiam communis, necesse est.

Respublica Sapientum consilio firmata imaginem præ se fert cœlestis Hierusalem, quæ Apocaly-

pocalyps. 21, 16, *in quadro est posita*, quo notatur stabilitas ejus inconcussa; cujus etiam fundamenta duodecim lapides pretiosi sunt ibidem ℣. 19, quo indicatur ejusdem dignitas & magnificentia.

Magni facienda dogmata Imperatorum C. de Repub. l. 3. *Dubium*, inquit lex, *non est, omnia omnino, quæ consilio fortè geruntur jure effectu firmitatisque niti.*

223. Consilium firmius armis.

Tacitus 13 Annalium: *Plura*, inquit, *In summâ fortunâ auspiciis & consiliis, quam telis & manibus geri.*

Placet illud Euripidis:

Σοφὸν γὰρ ἓν βούλευμα τὰς πολλὰς χερὰς Νικᾷ,
Mens una sapiens plurium vincit manus.

224. In omni cultâ gente Concilium sapientum fuit.

Viri omni ætate judicio, ingenioque nobiles nullam diu subsistere Rempub. posse probe edocti, quæ eubuliâ sive consilio non administraretur, semper in suis civitatibus cœtum consiliariorum maturitate animi gravium, prudentiâ senum, negotiorum, de quibus tractabatur, percallentium, instituerunt, ad quos causæ politiæ referebantur.

224. Nestor apud Trojam consilio valuit. Iethro apud Moysem, &c.

Hinc, ut ait Cato Major apud Tullium, *dux ille Græciæ* (Agamemnon apud Homerum) *nunquam optat, ut Ajacis similes habeat decem, at ut Nestoris. Quod si acciderit, non dubitat, quin brevi sit Troja peritura.* Non ergo leoninus Achillis animus, nec robur Ajacis, nec versuti Ulyssis pectus tantum valuit apud Pastorem populorum, quantum corculum Nestoris, *cujus ex ore melle dulcior fluebat oratio*, ut ex Homero Cicero reddit. Fuit in Dei populo Synedrion vel Sanedrin, seniorum, inquam, concilium, & Moyses soceri sui Iethro sapientem sententiam benevolè accepit, & secutus est Exodi 18, 19. Et David consultores admisit Achitophelem & Chusai 2 Regum 15, 12.

224. Sanedrin Judæorum.

224. γερουσίαι Lacedæmoniorum.

Prætermitto huc addicere γερουσίας Lacedæmoniorum, Romanorum senatum, aliarum gentium etiam, leviter excultarum curias, quibus semper homines judicio acri & magno animo præstantes præfuerunt, ut omnia consilio suo moderarentur.

Sic, ut rectè hîc Feuardentius, ne libido regum potestate armata vergat in tyrannidem, consultissimorum dicastarum & Judicum consiliis coërcetur.

224. Apud Germanos Electores, &c.

Apud Germanos principes Electores vel Septemviri sunt, & rursus Cameræ Imperialis Judices, qui etiam de Electoribus & Imperatoribus ipsis sententiam ferant.

Penes Gallos duodecim Pares sive optimates, sex Ecclesiastici & tot pari numero Laici, quibus adjuncta octo summorum Senatorum Collegia (Parlamenta vocant) qui jura non populis modò, sed & Regibus dant.

Apud Hispanos Aragoniæ Judicium habens supra Regem summum imperium, si quid adversus patrias leges commiserit.

Apud Anglos & Scotos Ordinum totius regni conventus, quem vulgo etiam Parlamentum dicunt. Inter Hungaros, Bohemos, Suecos, Danos, Polonos primi regni proceres, quos Palatinos nuncupant, Regum potentiam sub legibus continent, & eorum violentiam refrenant.

225. Apud Taprobanam Senatus.

Quin etiam apud Taprobanæ Insulæ priscos incolas pro more observatum scribit Plinius lib. 6, cap. 22, ut regi recens creato triginta Gubernatores adhiberent, quorum consilio regni negotia sustineret, nec potestate suâ abuteretur ad populi perniciem. Ita ferè Feuardent.

226. Fabula de Ganymede id docet.

Videntur Poëtæ fabulâ de Ganymede rapto à Iove adumbrasse, Principibus cordi esse debere viros judicii maturi, provehere in curiam, qui illis nectar sani consilii misceant. Notum est, Ganymeden vocatum παρὰ τὸ γάνυσθαι μήδεσι, id est, consilio & accuratâ deliberatione gaudere. Extat de hoc Emblema apud Alciatum, quod lege.

Malè audit Julius Cæsar, qui Senatum non advocabat. & quidam alii.

Hæc cùm ita sint, jure omnium suffragiis condemnatur C. Julius Cæsar, qui nec in Dictaturâ, nec in consulatu Senatus usus consilio, auctore Tranquillo; quo nomine etiam Nero malè audiit, qui, ut idem prodidit, Senatum odio capitali prosequebatur. Item Hieronymus Siciliæ Rex apud Livium lib. 42, qui nullâ de re unquam vel convocavit vel adhibuit publicum concilium. Scilicet ultra hominem illi soli sapiebant.

Animadversio Tertia Politica.

Cujusmodi Principum requirantur Consiliarii.

PRæclari quidem fuerunt Assueri regis assessores & consiliarii, sapientes è Magorum sanguine, legum, morisque Persici experientissimi, rerum in regno gestarum scientiâ instructissimi, antiquâ nobilitate inclyti, ex primâ Palatinorum cohorte, nec tamen illa decora omnibus numeris absolutos reddiderunt, ut regio Concilio præsiderent. Vbi enim reperies candidam fidem, & amore proprii commodi non permixtam erga regem benevolentiam? Vbi studium boni communis, ubi probitatem, ubi libertatem, quid sentias, infracto pectore & ore constanti expromendi? Quicumque his animi bonis cumulatus fuerit; næ illum consiliarii nomine dignum judico.

Dixi autem de virtutibus, quibus is præditus esse debet, apud Sirachidem Ecclesiastici cap. 6, ℣. 6, & cap. 37, ℣. 8, & sequent.

227. Zopyrus fidelis Consiliarius.

Fertur Darius Hystaspis, ut est apud Herod. sub extremum libri tertii, sæpenumero dicere solitus: *præoptaturum se Zopyrum* (virum gloriæ gentis Persicæ flagrantissimum, cujus causâ, nares, aures, labra sibi præciderat, ut Babylonem Dario restitueret) *nihil cladis esse passum, quam viginti sibi Babylones, ultra illam, quam habebat, acquiri.* Tot etiam Zopyros sibi concedi vovebat, quot grana cortice mali Punici concluderentur.

Enituit dubio procul in Zopyro ardens studium regni Persici amplificandi, conservandi, ornandi: sed nequaquam in eo fuerunt omnia.

Viris spectatissimis regni Aragonum optimum judicantibus, si regi Alfonso (sapientiâ postmodum, & rerum gestarum gloriâ illustri) adhuc adolescentulo Septemviri, ut Assuero nostro, ad gubernandam Rempub. adjungerentur, qui Deum timerent, justitiam colerent, cupiditates frenarent, muneribus non caperentur: Alphonsum eorum sententiam, utroque, quod ajunt, pollice probasse accepimus, atque hæc addidisse:

228. Ratus omnibus numeris absolutus Consiliarius.

dixisse: *Si hujusmodi non dico septem, sed unum aliquem mihi virum dederitis, continuò & regnum & regimen vtro illis obtulero.* Iudicabat scilicet Magnus ille princeps paucos reperiri integros, & bonos consiliarios. Vix enim septem omni ætate inventas, cum totâ Græcia, ubi tamen Sapientia proprium sibi delegerat domicilium, septem tantùm tot sæculis celebret Sapientes.

229. Mortui, id est, libri, sunt optimi consiliarii.

Vnde & idem Rex, ut Panormita lib. 3 de ejus gestis, quia multi regum consiliarii vel metu vel adulatione præpediuntur, ne verum quod sentiunt, aperiant, *mortuos dicebat esse consulendos, libros, inquam*, qui de Reipub. administratione conscripti sunt, qui sine fuco & timore quod regno conducibile est monent.

Illud ipsum suggessit, referente Plutarcho in Apophtheg. Ptolomæo Philadelpho Demetrius Phalareus ipsius Bibliothecarius, ut nempe libros pervolveret scriptos de regno, & rege dignis virtutibus, quod iis ea monita & præcepta continerentur, quæ nemo e regio Concilio Principi instillare auderet.

Hæc cum mecum mente pertracto, numquam satis prædicare possum Strachidæ prudens acroama suprà cap. 6, ℣. 6, ubi sic monet: *Multi pacifici sint tibi, & consiliarius sit tibi unus de mille.* Hoc autem vult: Benevolentiâ qui te complectantur, ut multi tibi sint, optandum est, è totâ tamen amicorum illâ cohorte, unum aliquem delige, qui tibi à consiliis sit. Hunc eximium cùm repereris, oculis tibi carior sit.

Talis, teste Catharinâ Angliæ Regina ab Henrico 8 repudiata, fuit Thomas Morus, de quo in vitâ ejus, cap. 7, Stapeltonus.

Cavendum à malis consultoribus.

Idem Sapiens cap. 37, ℣. 9, describens consiliarium assentatorem, qui tempori & commodis suis servit, & in principum discrimine ludit, opportunè ab illo cavendum docet hisce verbis: *A consiliario serva animam tuam: priùs scito, qua sit illius necessitas: & ipse enim animo suo cogitabit*; &c. ubi lucè quære à nostro Commentario.

230. Dum Consiliarii dotes prudentiæ & probitatis.

Philosophus passim suis in Politicis & Ethicis viros requirit usu peritos, negotii callentes, de quo statuendum est, qui possint judicii & prudentiæ clavo omnia moderari.

Hoc indicat Sapientiâ nobilis Rex Proverb. primo, ℣. 5, *Audiens sapiens sapientior erit*; Hebraicè, addet sapientiam non modò sibi, sed etiam aliis, rectum præbendo consilium: *& intelligens gubernacula possidebit*: ubi item ex Hebræo quidam transferunt: possidebit cogitationes & consilia, quibus & se & alios etiam, ut nauclerus remone navem, gubernabit.

Auctor ad Herennium apud Ciceronem lib. 4, *Vt verè contemnendus est gubernator, qui in navigando se mavult esse incolumem quàm navem: ita vituperandus est ille, qui in Reipub. discrimine suæ plus, quam communi saluti consulit.* Tale fuit consilium corniculæ apud Æsopum, suggerentis aquilæ, ut ad frangendam cochleam è sublimi illam in saxa dejiceret: quod cum fecisset aquila & fracta esset testa, inclusum piscem corvix surripuit & voravit.

Porrò, quia auctore Philosopho Ethicor lib. 6, cap. 13, fieri non potest, ut quis prudentiâ præditus sit, nisi etiam virtutem & honestatem sibi conjunxerit, consiliarius etiam vir bonus sit, oportet, & æquitatis servantissimus. Quis enim è lutoso lacu, inquinatissimo, inquam, flagitiorum cœno, pectore, limpidas sinceri consilii aquas hauriat? Quis lumen rebus suis dubiis accendat ab illius mente, quam densissima scelerum nox offundit? Sapientia scilicet, *quæ est candor lucis æternæ, & speculum sine maculâ Dei majestatis*, Sapient. 7, vers. 26: *& spiritus intelligentiæ sanctus, incoinquinatus*, vers. 22, purissima sua oracula fundet e putente turpitudinum cloaca? Cùm ibidem scriptum sit cap. primo, ℣. 4, *In malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Et ℣. 5, *Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum* (fictionem) *& auferet se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu, & corripietur à superveniente iniquitate.*

231. Deus in viris sanctis prudentiam sæpe supplet.

Igitur dotes, quas in consiliario & senatore regio requirimus, ad has duas revocare possumus, prudentiam & honestatem. & priorem quidem Deus aliquando in viris sanctis suâ bonitate & sapientiâ supplere solet. Vnde & à magni consilii viro Ecclesiastici 37, ℣. 18, dictum est: *Anima viri sancti enuntiat aliquando verba, quàm septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum.* q. d. Vir bonus sæpenumero, melius, certius, conducibilius consilium suggeret, quàm plures vigilantes & circumspecti consiliarii: ut multis in id loci ostendi.

232. Scientia cum virtute jungenda.

Scientia sine probitate gladius est in dexterâ furiosi: contrà probitas sine scientiâ gladius est in manu cæci vel paralytici. Vnde Deus in Paradiso arborem scientiæ boni & mali cum ligno vitæ conjunctam esse voluit, ut intelligentiam cum virtute, quâ spiritualiter vivimus, jungeremus. Nolo autem significare hominem gustando fructu vetito redditum fuisse acutiorem, ut quidam falsò existimarunt, sed solùm ad nomen alludo. Novi enim sic appellatam arborem, eò quod Adam ejus pomum edens, experientiâ didicerit discrimen inter bonum & malum, obedientiam & inobedientiam.

VERSVS XVI, XVII & XVIII.

Respondit que Mamuchan, audiente rege atque principibus: Non solùm regem læsit regina Vasthi, sed & omnes populos & principes, qui sunt in cunctis provinciis regis Assueri.

Egredietur enim sermo reginæ ad omnes mulieres, ut contemnant viros suos, & dicant: Rex Assuerus jussit ut regina Vasthi intraret ad eum, & illa noluit.

Atque hoc exemplo omnes principum conjuges Persarum atque Medorum, parvipendent imperia maritorum: unde regis justa est indignatio.

Hebraica: Dixitque Memuchan coram rege & principibus. Non contra regem tantùm inique egit Vasthi regina, sed contra omnes principes & omnes populos, qui in omnibus provinciis regis Assueri. Nam egredietur verbum Reginæ ad omnes

omnes mulieres ut contemnant maritos suos in oculis suis, dum dicent: Rex Assuerus dixit, ut ducerent Vasthi reginam ante se, & non venit. Et hâc die dicent dominæ Paras & Madai, quæ audierint verbum reginæ, ad omnes principes regis; & erit hujus rei gratiâ multus contemptus & indignatio.

Postrema autem verba rectè edisserunt Cajetan. & Mariana hîc: die hoc, quo audierint, dicent primariæ mulieres Persidis & Mediæ principibus regis, quod audierunt, & sic uxores abundè contemnent viros, & orietur in viris magna erga uxores indignatio.

Iosephus: Quorum unus Muchæus cùm pro sententiâ diceret, non ipsi soli factam injuriam, verùm etiam Persis omnibus, quibus periculum instet, ne despecti ab uxoribus inhonestam vitam agant in posterum: quando nulla posthac maritorum futura sit reverentia, dum ceteræ exemplum è reginæ superbiâ sumunt, nihil veritæ contra regem contumaciter agere: suaderetque tam contumacem erga ipsum multari gravissimè, idque decretum per omnes gentes promulgari; visum est repudiari Vasthi, & honorem transferri in aliam mulierem.

COMMENTARIVS.

Littera nostra aperta est; solùm occurrit in eâ Phrasis Hebraica ℣. 17, *Egredietur enim sermo reginæ ad omnes mulieres*, id est, factum hoc divulgabitur: accipitur autem verbum pro re.

Tribus hisce versibus Mamuchan, vel, quòd ipse animo ita sentiebat, vel regi irato assentiretur, qui se contemptum arbitrabatur, reginæ Vasthi factum multis verbis exaggerat.

Observa hîc primo, postremum in ordine Septemvirorum sive judicum primo tamen loco sententiam dicere, quem Hebræi fuisse Amanum existimant, qui fortè hac suâ sententiâ gratiam primùm Assueri consecutus est. Dubium autem est, utrum Mamuchan sicut novissimus fuit ordine, ita etiam fuerit dignitate, an verò primus, quandoquidem sententiam dixerit ante alios. Fieri potest morem hunc in conclavi regio obtinuisse, ut ultimus loco & gradu, primus tamen responderet: cujus moris plures rationes adferuntur. Hoc enim pacto major libertas datur dicendi quæ quisque sentiat, omni sublato metu, & aucupio gratiæ. Cùm enim is ignoret, quid priores ipso animo statuerint, nec ipsorum indignationem metuit, nec favore flectitur: quæ duo sæpe dicentes retardant, ne animi sui sensa aperiant. Deinde datur primis, qui auctoritate alios, ut loco, antecedunt, tempus aliorum sententias maturiore examine perpendendi, & siquid deterius prolatum fuerit, corrigendi.

Observa secundò, Interpretes hîc in diversas abire opiniones, cùm orationem Mamuchan considerant.

Feuardentius quidem, qui gravem in Reginâ culpam arguit, cùm imperium mariti procaciter contempsit, sententiam Mamuchan probat tamquam viri constantis, & boni publici amatoris, dum liberè contumaciam Vasthi increpsit.

Serarius verò & plerique omnes qui reginam vel ab omni culpâ, vel saltem à crimine absolvunt, ejusque factum elevant, turpis assentationis Mamuchan incusant, qui, ut regis gratiam captet, injustam pronuntiet sententiam. Sic itaque ratiocinatur Serarius: Assueri irati interrogatio tantùm fuerat, quid ex lege in reginam statuendum esset. Iste verò, si, quid majorum scita juberent, dicere voluisset, amplis præconiis Reginam extollere debuisset. At verò iræ regis obsecundavit, & orationem suam ad eam direxit, ut solent improbi consiliarii. Reginæ exiguam culpam maximo supplicio dignam exclamat, in regnum totum, quod amplissimum est, facti indignitatem redundare causatur, ita ut omnibus maritis, summis, infimis, detrimento sit; fore, ut eos uxores vilipendant, ipsi vicissim contempti in uxores stomachentur. Reginæ factum nullo modo impune esse debere. Hæc Serarius.

Documentum Ethicum.

Exemplum noxium à magnis principibus præbitum multorum imitatione vulgatur.

232. Cur Deus voluit mori puerum ex Davidis adulterio natum.

Quærit Theodoretus quæst. 26 in 2 Reg. 12, cur Deus post peccatum adulterii David remissum, nihilominus puerum ex illo natum occiderit, & respondet, hoc ideo fecisse Deum, ut pariter extingueretur malum exemplum, quod per illud populo sancto exhibuerat, ne testis supereesset paternæ libidinis, & execrandæ crudelitatis, sed omnes reliquiæ & vestigia abolerentur.

Principes siquidem non difficulter subditis effigiem suam imprimunt, ut qui sint omnibus, uti in theatro, spectaculum propositi: ipsi vero in suorum mores non abeunt, nisi fortè sint eximiâ sanctitate conspicui, quibus honorem deferant.

234. Vita principis similis carbunculo, & quare.

Tradit ex Aristotele Ruejus lib. de gemmis, Carbunculum, qui aliis gemmis fulgentiùs vibrat, & radiat, & quasi flammas emittit, ob quod & maximo Luminum sacer erat, illius esse genii, quòd reliquis quidem gemmis imaginem suam possit inurere, cùm tamen aliarum nulla hac vi prædita sit, ut vicissim speciem suam carbunculo inferat.

235. Populus fertur in mores principis.

Rapacissima est vita principis, ut populum ad se trahat. Merito dixit Herodianus in Commodo, φιλεῖ γὰρ τὸ ὑπήκοον ζῆλῳ τῶν ἄρχοντι & γνώμης βιῶν. Magno affectu & amore fertur subditus populus ad sensum Principis vitam instituere.

Sic-

236. Vitia principum conspectiora sunt.

Sicut nævus vel verruca in fronte cujusquam conspicua, magis dedecet, & amplius offendit, quàm in aliâ corporis parte cicatrix etiam luculenta, aut fœdissima macula, sic culpæ etiam exiguæ magis ad dedecus eminent, & deformiores sunt in populi moderatore, cujus vita omnibus objicitur, nec vitia celantur. Christi sapientissimum effatum est Matth. 6, 23, *Si lumen quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ erunt?*

237. Princeps vitiosus similis soli deficienti.

Experimur Solis deliquium, Eclipsin dicimus; terræ & frugibus calamitates, hominibus verò morbos & perniciem invehere. Princeps quali sol alter est, dum lucet, splendore suo, ad omnem honestatem & decus jubar attollens, facem accendens: quod si vitiorum tenebris infici & quasi deficere contigerit, cladem maximam Reip. adferet.

237. Lucernæ extinctæ.

Lucerna aut lampas extincta si fuerit, domum non solùm caligo occupat, sed etiam fumo & fœtore oculi & nares ibidem præsentium offenduntur. Ita vitiis offuscata principis vita, tenebris, fumo, fuligine, nidore subditos offundit, infuscat, fatigat, enecat. Ita scribit Plinius plerumque abortus causam fieri à lucernarum extinctu, lib. 7, cap. 7.

237. Sali evanido.

Res corrupta aut putrefacta non statim omni usu caret; videmus enim paleis, & corruptis frugibus agros impinguari. *Si verò sal*, quod, teste Christo Matth. 5, 13, Apostolorum symbolum est, & etiam principum, *evanuerit, ad nihil valet ultra, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.*

Cicero tertio de Legibus: *Non tantum malum est peccare principes (quanquam & hoc magnum per se malum) quantum illud, quod permulos etiam imitatores principum existunt.*

Plinius in Panegyrico ad Trajanum: *Vita principis censura est, eaque perpetua: ad hanc dirigamur, ad hanc convertimur, nec tam imperio nobis opus, quàm exemplo.*

238. Eryngion herba est princeps.

Plutarchus hoc demonstrat lib. de serâ Numinis vindictâ, similitudine herbæ, quam Græci Eryngion vel Eryngen vocant: hæc enim si in capræ alicujus os immissa fuerit, totus grex statim consistit. Sic ad Rectoris plebs se mores componit, & in vitam ejus abit. Quidquid ille fecerit, id omnes sibi licere putant, imo se fideles ministros existimant, si exempla ejus affectentur. Fabius declamat. 6, *Hæc conditio Principum, ut quidquid faciant, præcipere videantur.*

Plato lib. 2 de Repub. eam causam inter cetera adfert, cur poëtas nolit versari in suâ civitate, quòd, quæ de diis suis sunt commenti, pessimum sint legentibus exemplum, sicut bella, rapinæ, seditiones, adulteria, furta, & similia. Sic loquitur Menippus apud Lucianum in Necyomantia. *Ego*, inquit, *cùm puer adhuc essem, audiremque Homerum & Hesiodum seditiones ac bella canentes, non semideorum modò, sed ipsorum etiam Deorum, adulteria quoque, violentias, rapinas, patrum expulsiones, & fratrum ac sororum nuptias: hæc, me hercle, omnia bona, pulchraque putabam, & studiosè erga ea afficiebar. Neque enim Deos unquam putavi machaturos, aut seditiones invicem fuisse motures, nisi de his rebus perinde ac bonis judicassent.* Hæc ille profanus.

239. Deorum gentilium flagitia à poëtis conficta malo juventutis exemplo.

Quantum verò calcar flagitiis Deorum vel Heroum gentilium ad ea æmulanda juventuti admoverint, eorundem exemplo ostendit S. Augustin. lib. 2 de Civitate Dei, cap. 7, sub finem, ubi ita scribit: *Apud Terentium* (in Eunucho) *flagitiosus adolescens spectans tabulam quamdam pictam in pariete, ubi inerat picturæ hæc, Jovem quo pacto Danaæ misisse ajunt in gremium quondam imbrem aureum: atque ab hac tantâ auctoritate adhibet patrocinium turpitudini suæ, cùm in eâ se jactat imitari Deum. At quem Deum? inquit,*

Qui templa cœli summa sonitu concutis.
Ego homuncio id non facerem? Ego verò illud
Feci ac lubens.

Sic animæ viles, & palatina mancipia principum suorum flagitia & animi labes studiosè sectantur, non illa modò, sed etiam corporis vitia & deformitates affectant, vestibus etiam iisdem indui gaudent, quamvis insolentibus, quibus eos amictos vident.

240. Aulici cum rege suo claudo & luscо claudicant, & lusci sunt.

Refert Diodorus Siculus de fabulis antiquis cap. 4, apud Æthiopas moris fuisse, si eorum regem casus aliquis excæcasset, vel tibia claudum reddidisset, extemplo omnes ejus aulicos oculum sibi eruisse, & crus enervasse, turpe existimantes rege monophthalmo vel defioculo & claudicante, amicos omnes pariter non cæcutire & claudicare.

Vide Quintilian. declamat. 8, & Senecam Epist. 7 & 11. Lactant. lib. 4 divinar. Institut. *Mores, ait, ac vitia regis imitatur, genus obsequii judicatur: abjecerunt omnes pietatem ne exprobrasse scelus regi viderentur, si piè viverent.*

241. Principes putei publici.

Comparat Plutarchus Reip. moderatores cum publicis puteis, ad quos vulgò veniunt, ut aquam hauriant: quòd si hi veneno infecti fuerint, serpit hæc contages in populi commune malum.

Exempla hujus publicæ cladis suppeditant nobis libri Regum, ubi graviter arguuntur tum alii Reges Iuda & Israel, qui suâ impietate & auctoritate regiâ populum à veri Dei cultu abduxerunt, tum præcipue Ieroboamus 3 Regum 12, 28, dum constituit duos vitulos aureos, quos Israelitæ adorarent, qui propterea κατ' ἐξοχὴν dicitur, *peccare fecisse Israel.*

Quædam de hoc argumento dixi Comment. in Ecclesiastici 10, v. 2, ubi sic habemus: *Secundum judicem populi, sic & ministri ejus: & qualis rector est civitatis, tales & inhabitantes in ea.* Nazianz. Apologiâ primâ, *Neque*, ait, *vel pannus tinctorem ita facilè contrahit, vel is qui fœtido odori propinquus se adjungit, ejus particeps fit, vel vapor morbidus & noxius pari facilitate in aërem effunditur, ac per aërem animantibus impertitur* (quam nos pestem dicimus) *ut subditi Præfectorum vitio celerrimè imbui atque impleri solent.* Sic ille.

242. Vitiosus Princeps aër infectus.

Argutè dixit quondam Gothorum rex Theodoricus, *facilius naturæ opera decurrant a naturâ, quàm regni fortuna à fortunâ Regis separatur.* Insinuabat Princeps ille præstanti ingenio, in orbe facilius esse invenire monstra, & naturæ deficientis aborsus, quam regnum, aut populum ab institutis, moribus, conversatione moderatoris sui abludentem aut deerrantem.

243. Facilius monstra invenire, quam vulgus principis sui morem non æmulans.

Quocirca semper mihi placuit vetus illud: *Potior bonus Rex, quàm bona lex.* Siquidem Regis exemplum viva est lex, qui ad optimis legibus

244. Potior bonus Rex quam bona lex.

obtemperandum etiam mutus invitat & provocat. Leges quamvis sanctissimæ & prudentissimæ, si Rex illis nec obsequatur, nec ad obsequendum horretur; jacent, calcantur, à muribus & tineis roduntur, &, ut alibi lepidè Plautus, *ad parietem figuntur clavis ferreis, ubi malos mores affigi multò erat æquius.*

Proinde eruditè dixit Plato lib. 4 de Legibus, *interitum paratum esse illi urbi, in quâ non lex magistratibus, sed leges magistratus præsunt.*

VERSVS XIX.

Si tibi placet, egrediatur edictum à facie tuâ, & scribatur juxta legem Persarum atque Medorum, quam præteriri illicitum est, ut nequaquam ultra Vasthi ingrediatur ad regem, sed regnum illius altera, quæ melior est illâ, accipiat.

Hebraicè: Si regi bonum est, egrediatur verbum regium à facie ejus, & scribatur inter leges Persarum & Medorum, & non prætereatur; quòd non ingrediatur Vasthi coram rege Achasuero, & regnum ejus det rex alteri, quæ melior sit illâ.

COMMENTARIVS.

SOlùm verba illa (quam præteriri illicitù est) patiuntur diversam interpretationem. Siquidem Serarius sic exponit: Factum reginę ex contemptu regis profectum nullo modo prætereat impunitum, quia Hebraicè est: Non transeat, quòd non introeat Vasthi in conspectum regis. Explicat & alio modo: Vasthi exauctoratio in scriptum referatur, quæ transire seu præteriri non debeat, sed severissimè vindicari, vindictaque ipsâ toto regnò promulgetur.

Alii omnes interpretes, Sanctius, Menochius, Feuardent. cum Saliano verba illa accipiunt de edicto regio, quod nullâ ratione, ne quidem à principe, qui illud tulit, revocari possit, ut dicitur de lege Darii Daniel. 6, 15, *Lex Medorum atque Persarum est, ut omne decretum, quod constituerit rex, non liceat immutari.*

Constat etiam ex Diodoro Siculo lib. 17, ut notavit Salian. tom. 4, anno mundi 3516, n. 67, leges Persicas mutari non potuisse. Nam cum Darius Charidemum Athenienſem ducem præstantissimum ob loquendi libertatem apprehensum baltheo ex lege Persarum morti addixisset, irâ mox sedatâ eum eripere leto non potuit.

Sensus ergo est, juxta Latina & Græca: Si ita videatur regi, ab ipso feratur lex, quæ juxta morem regni Persici & Medici ne quidem ab ipso rege abrogari possit, qua Vasthi rea pronuntietur læsæ majestatis, utpote quæ gravissimè suâ contumaciâ peccaverit in personam ipsius regis, totumque regnum, ideoque & conjugio regio, & Reginæ dignitate privetur.

Ad hunc sensum Hebræa lectio facilè duci potest; quæ habet: *Scribatur in legibus, vel inter leges Persarum, quæ lex non prætereatur vel revocetur.*

Notat verò Mariana videri olim in Hebræo ב Caph, id est, juxta vel secundùm, pro ב Beth, id est, in vel inter, positum, quæ sunt litteræ affines.

Itaque sensus est juxta Hebræum, ut ea lex nova de punitione Vasthi ceteris earum gentium decretis adjungatur, & non prætereat.

Hoc versu Mamuchan malus consiliarius & judex affectui regis, non æquitati juris obsecutus, sententiam contra reginam injustam pronuntiat, & quidem eâ non auditâ, quæ si patronum habuisset, etiam apud Scythas, vel nullus, vel saltem exiguæ culpæ affinis judicata fuisset.

Quis enim Reginæ tergiversationem, vel aliqualem pervicaciam dignam dixerit repudio, & regni abdicatione?

Cur non patrocinetur illi mos patrius, quo matronæ Persicæ vetantur vel ad convivia virorum accedere, vel in publicum prodire, contentæ formam suam viris suis probari? An tenebatur se sistere regi temulento, & pudorem suum alienis oculis prostituere, & ad idem audendum omnibus Persicarum mulierum conjugibus viam aperire?

Scimus quidem Danielis 5, ℣. 10, Chaldæorum reginam, pro re, quæ regi (Baltassari temulento, & ad manus scribentis in pariete spectrum conturbato) acciderat, domum convivii ingressam esse, & consilium utile suggessisse; sed articulus necessitatis tunc urgebat, & ideo etiam non vocata honestè ad epulum virorum se stitit.

Quæ verò hîc ratio intrandi ad regem, nisi vana ostentatio? *Rex velit honesta, nemo non eadem velet.* Marito verò contra legem præcipienti impunè resistitur. Cur non profertur lex à Magistratu regio, quâ statuitur Regi etiam contra regni leges imperanti parendum?

Sed bene est. Dei suavis providentia temerè hoc latum judicium in Vasthi, in bonum Estheræ & populi sui vertit.

Monitvm Morale.

Familiare aulæ malum regiorum senatorum assentatio, & ab eo cavendum.

NVlla capitalior pestis in aulis Regum grassatur assentatione: nulla fera magis domestica, & tamen nocentior adulatore in principum palatiis ludit & sævit. Hostis eò pernitiosior, quò minùs cavetur, cujus sermones & gestus, poppysmi & plausus; & tamen aculeum relinquunt.

Lepidè & verè quidam: Principes pluris faciunt & majore favore prosequuntur *Placentinos, quàm Veronenses.* Quod ego sic accipio. Magis cordi sunt magnatibus magistratus qui placentia dicunt, quàm qui vera, etsi hæc illis præstent & salubriora sint. 344. Principes libentiùs audiunt placentia quam vera.

Dixero non immeritò Principes hujusce modi pares esse Regi Phineo à diis excæcato, ut com-

245. Harpyiæ adulatores, & quare.

commenti sunt olim poëtæ, cujus mensam & dapes Harpyiæ fœdissimè inquinabant. Describuntur illæ, & sub earum symbolicâ tesserâ assentatores, à Virgilio Æneidos 3,

Tristius haud illis monstrum, nec sævior ulla
Pestis, & ira Deûm Stygiis sese extulit undis.
Virgines volucrum vultus, fœdissima ventris
Ingluvies, uncæque manus, & pallida semper
Ora fame. &c.

Ajunt, Harpyias dictas παρὰ τὸ ἁρπάζειν, à rapiendo. Quid rapacius corvis aulicis, qui blandiendo & palpando principum mentes vel excæcant, vel ante excæcatas occupant? Sunt vultus eorum virginei, quia facie illecebris plenâ, & mellito colloquio, dum principes beatos prædicant, ipsos decipiunt: fœdissima verò ventris ingluvies est, quia abdomen eorum insatiabile, quod dum farcire laborant, turpissimè parasitantur, & helluantur. Manus illis uncæ. Quis ignorat? Regias opes harpagari, dapes diripere, illis volupe est. ora tamen semper fame pallida. *Quò enim plus fiunt potæ, plus sitiuntur opes.* Sic aulas principum fœdissimis suis adulationibus inquinant.

Vtinam Harpyias, quas quidam olim Iovis canes vocitarunt, alati fratres Calais & Zethes Boreæ filii, & celebres Agonautæ non solùm Phinei regno, qui humanissimè illos exceperat, sed ex omnibus orbis provinciis proturbent. Fiet (sic vovemus) si principes vacuas & benevolas aures præbeant fidis & candidis Consiliariis.

246. Princeps adulatori credens fœui similis in rupe Lucæ.

Principem opulentum adulatoribus obsessum Crates Thebanus per ficum arborem in asperâ, præruptâque rupe satam describebat; quippe quò fit hominibus difficilis accessus, & cujus fructus à corvis & milvis tantùm decerpuntur: ita hujus facultates ab impuris solùm assentatoribus depasci ajebat.

Simile quoque de reliquis arboribus, quotquot fructiferæ essent, Diogenes dicere solebat. Ita Pierius Hieroglyphicôn lib. 53.

247. Item cervo musica delenito.

Referunt cervum fistulâ, cujus modulis mirè oblectatur, pellectum ab Ægypti Hieroglyptis pingi, ut indicarent quemcumque ab assentatore pessumdatum. Vt enim cervus pastorali avenâ, & arundineo carmine facilè demulcetur, & demulsus nullo negotio capitur, vel immisso aliunde telo figitur: ita cernere est, plures magnates magno suo damno se ultro offerre palponibus eorum lenociniis capiendos.

248. Adulatores corvi.

Proinde placuit mihi dictum Antisthenis, dum inquiebat, κόρακας, corvos, non tam hominibus obesse, quam κόλακας, adulatores. Corvi siquidem corporis tantùm oculos effodere possunt (quos non nemo maximos hominis hostes dixit) hi verò mentis, quæ nostri pars est longè divinior.

249. Meretrices.

Idem Antisthenes dictitabat, meretrices bona omnia amatoribus suis comprecari, præter bonam mentem, prudentiam nempe: ita Gnathones iis, quos affectantur, omnia felicia vovere & omnari, præterquam sapere, ac seipsos nosse.

Præclare etiam Aristonymus: Ligna dum ignem nutriunt, ab ipso absumi, divitias dum palpones alunt, ab iisdem dilapidari & perdi.

Est apud Naſonem Metamorphoſ. 3, de Actæone fabula, quem ferunt à Dianâ in cervum commutatum. Hunc cum ejus canes vidiſſent, nec dominum agnoviſſent, in eum irruerunt, & dentibus diſcerptum voraverunt. Quamvis autem Fulgentius figmentum illud alio modo exponat, plerique tamen tam sacri quàm profani auctores accipiunt canes adulatores, qui principes ſe mensa & facultatibus ſuis paſcentes, dum ut canes caudâ abblandiuntur, poſtea devorant, id eſt, eorum bona abligúriunt, & ſæpius dente canino & ore maledico lacerant. 250. Idem canes Actæonis.

Pertinet huc illud Eccleſiaſtici 27, 25, *Annuens oculo* (adulator blando oculorum nutu amicitiam ſimulans) *fabricat iniqua, & nemo eum abjiciet*, nemo ſibi ab eo cavebit, quia ejus hypocriſin ignorat. Plura ibidem à nobis hac de re dicta.

Dicitur Ladiſlaus Poloniæ Rex ſolitus palàm Gnathones colaphis excipere, rogatuſque cur id faceret, reſpõdiſſe, ſe percutientes repercutere. 251. Ladiſlaus adulatores colaphis cædebat.

Egregiè S. Paulinus ad Celantiam, agens de aſſentatione. *Nihil eſt*, inquit, *quod tam facile corrumpat mentes hominum, nihil quod tam dulci & molli vulnere animum feriat. Vnde & quidam Sapiens ait: Verba adulatorum mollia, ferunt autem interiora ventris.* Citat autem juxta verſionem Septuaginta, quæ habentur Proverb. 26, 22. Noſtra autem habet cap. 18, ibidem ℣. 8, hoc modo: *Verba bilinguis quaſi ſimplicia, & ipſa perveniunt uſque ad interiora ventris.* Sed non malè bilinguis vel ſuſurro dicitur adulator. 252. Mollia adulatoris vulnera.

Quidam verò verba Proverb. citata ex Hebræo ſic reddunt: *Verba adulatoris quaſi oleum deſcendunt ad intima ventris*: ut ſit hic ſenſus: Verba adulatoris blanda, & ipſa deſcendunt ad interiora ventris, quia ad inſtar olei ad animum penetrant, eumque emolliunt, quamvis etiam indolis ſit durioris. Vnde bene S. Auguſtin. in Pſalm. 59: *Falſa laus adulatoris & ſimulata dilectio rigidas mentes a rigore veritatis emollit.*

Latet & alia notio in verbis ſacris. Blanditia aſſentatoris bellè confertur cum oleo. Sicut enim oleum innatâ ſibi penetrandi facultate, ſuccorum & herbarum medicam virtutem, quibus permiſcetur, ad interiora humani corporis tamquam vehiculum quoddam defert, ſive pharmaca illa noxia ſint, ſive ſalutaria; ita adulatio tamquam leniſſimum & leviſſimum oleum, dum principum palpat & etiam laudat vitia, virus quàm molliſſimè & celerrimè in animos ipſorum tranſmittit, eoſque corrumpit. Cùm enim advertunt ſcelera ſua à Gnathonibus plauſu & poppyſmatis excipi, & ſe in deſideriis animæ ſuæ ab eis benedici, ſua flagitia quaſi delicias exoſculantur, & ardentiùs amplectuntur. 253. Verba adulatoris inſtar olei.

S. Gregorius 30 Moral. cap. 10, *Adulatio ſi ad tempus patienter ſuſcipitur, augetur, & pauliſper demulcet animum, ut à rigore ſuæ rectitudinis molleſcat in delectatione ſermonis.*

Et S. Hieronym. lib. 1 contra Pelagianos: *Semper inſidioſa, callida, blanda eſt adulatio, pulchréque apud Philoſophos definitur, blandus inimicus.*

Curtius lib. 8, cap. 12, *Pernicioſa adulatio, perpetuum malum Regum, quorum opes ſæpius aſſentatio, quàm hoſtis evertit.*

VERSVS XX.

Et hoc in omne (quod latissimum est) provinciarum tuarum divulgetur imperium, & cunctæ uxores tam majorum quàm minorum deferant maritis suis honorem.

Hebraicè: Et audietur verbum regis quod faciet in toto regno suo, quia magnum ipsum est, & omnes uxores exhibebunt honorem maritis suis à magno & usque ad parvum. Sensus est; tam majori quam minori.

COMMENTARIVS.

NOn satis fuit Septemviro Mamuchan, ad affectus regis sui ad unguem composito temerariam contra Reginam hoc non promeritam pronuntiasse sententiam, ut toro simul & regia excideret dignitate, nisi etiam decretum de ejusdem repudio & abdicatione toto Persarum imperio promulgaretur; quo etiam statueretur, ut omnes mulieres viros suos sive principes sive vulgares honore & obsequio debito prosequerentur: ad quod observandum plurimum valebat exemplum propositum in Reginæ ipsius abdicatione. Verisimile autem est, etiam Mamuchan voluisse hoc ipsum edictum referri in publicas tabulas, ut extaret perpetuum Regis & Iudicum ipsius monimentum.

254. Vtile ad aliorum terrorem supplicia reorum proponere.

Colligit hinc Feuardentius, magnopere conducere Reipub. ut supplicia in reos de manifestis criminibus convictos publicè statuantur & publicentur. Sic enim, ut scribit S. Cyprian. *Plectuntur quidam, quò ceteri corrigantur. Exempla sunt omnium, tormenta paucorum.* Quin verò censet idem Feuardent. non abs re esse, si malefactorum, patriæ proditorum, &c. capita, manus, vel etiam integra cadavera publico loco in furcâ, ad portas urbium, vel è specula suspendantur, ad aliorum sceleratorum terrorem. Sed nos hac de re infrà commodiùs cap. 7, de suspensione Amani agemus.

Idem quoque auctor sub finem capitis copiosè explicat quibus de causis, & quinam exauctorare reges & principes possint, ad quem Lectores remitto, quâ de re etiam scribit Ioannes Azorius tomo 2 Institutionum Moralium lib. 10, cap. 8, & lib. 11, cap. 5, quæst. 8 & sequentibus.

Tantùm hic observa, quod postea uberiùs tractandum, cùm de Persarum zelotypiâ agetur, in uxores suas fuisse Persas acerbiores, ut constat tum ex aliis, tum ex Plutarcho, in vitâ Themistoclis, & Athenæo lib. 13, cap. 1. Rex etiam turbam habebat pellicum & uxorum, teste Herodoto lib. 3 & 7, Cicerone Actione 5 in Verrem, & aliis; quas Regina pati cogebatur, cùm rex velut dominus illi imperaret. Vnde minùs mirum videri debet, Assuerum & ejus Septemviros Reginæ Vasthi qualicumque pervicaciâ graviter fuisse exacerbatos.

QVÆSTIO.

Quale imperium mariti in uxorem, & subjectio uxoris sub marito.

255. Imperium mariti in uxorem est politicum.

IMperium mariti in uxorem non despoticum est, sed politicum, quale patrisfamilias in liberos: unde & Nathan propheta loquens parabolicè de Bethsabeâ uxore Vriæ 2 Regum 12, 3, *Pauper*, ait, *nihil habebat omnino præter ovem unam parvulam, quam emerat, & nutrierat, & quæ creverat apud eum cum filiis ejus simul, de pane illius comedens, & de calice ejus bibens, & in sinu illius dormiens, eratque illi sicut filia.*

Aristoteles quoque primo Politicōn cap. 8, docet virum in uxorem politicum habere dominium, cò quòd vir potior sit sermone, gravitate, dignitate.

256. Ostendit hoc Evæ formatio.

Hoc ipsum significatur in formatione primæ mulieris, quæ sumpta est non ex capite viri, ne primas tenere, & viro dominari præsumeret, nec etiam ex pedibus, ne vir illam velut ancillam subjiceret, vel contemptui haberet, sed ex latere & costâ, id est, mediâ corporis parte, ut mediæ cujusdam dignitatis locum apud eum teneret, eamque maritus quodammodo æqualem sibi & sociam atque adjutricem à Deo concessam existimaret.

257. Erat hoc imperium etiam sanctarum in statu naturæ integræ. sed longè, quàm jam, suavius.

Ceterùm hoc etiam liberale mariti in uxorem imperium futurum erat in statu naturæ integræ, cùm hæc viro ex conditione suâ sit inferior, debilior corpore, infirmior animo & judicio: unde sexus hic à nobiliore, fortioreque erat moderato dominatu dirigendus. Verùm femina tunc sponte, lubens, suavi & amicâ consensione viro obtemperasset, & vir nil asperum, aut grave illi imposuisset, sed benevolè sine minis & verborum acerbitate imperasset. Iam verò post hominis à Dei lege defectionem, quia mulier virum seduxit, à Deo illi dictum est, Genes. 6, 16: *Sub potestate viri eris, & ipse dominabitur tui.*

Est potestas in viro uxorem castigandi sed moderatè, & ex causâ.

Vbi etiam auctore Ludovico Molinâ datur viro potestas mulierem coërcendi & castigandi: quod intellige cum Thoma Sanchez lib. 10 de Matrimonio, disput. 18, n. 16, & Andreâ Tiraquello in primam Legem connubialem, Glossæ primæ parte primâ, n. 22, ex causâ & moderatè, qui plurimos pro hoc adferunt Doctores Iureconsultos & Theologos. Prioris Sanchez verba sunt hæc: *Integrum est viro uxorem verberare non passim, & ex levi causâ, nec etiam acriter, quamvis magna etiam causa intercedat, sed rarò, urgentique ratione postulante, & moderatè: quia aspera castigatio ob grave delictum, judici relinquenda: viro verò respectu uxoris, filiorum & familiæ, solum incumbit domestica & moderata animadversio, quæ potiùs correctionem quàm pœnam spectet, quâ etiam ingenius excipi possunt.*

258. Post peccatum grave est uxori subesse viro.

Porrò prostratâ per peccatum naturâ gravis est pœna mulieri subesse viro (quam tamen mitigat desiderium suscipiendæ ex eo prolis, & amor erga eum, à quo advertit victum, vestitum, & cetera omnia hujus vitæ bona se accipere) tum ob ingenii muliebris levitatem & inconstantiam, & animi elati fastum iniquè ferentis mari-

maritum sibi præesse, tum quia mariti plerumque uxores suas superbè, & inhumanè tractantes, imperium eis suum molestum, acerbumque reddunt. Vide Interpretes in Genesis 31, 16.

De hoc viri in mulierem imperio sic ratiocinatur S. Augustin. lib. 11 de Genesi ad literam, cap. 27: *Possunt conjuges per caritatem servire invicem, sed mulierem dominari in virum non permittit Apostolus: hoc enim viro potius Dei sententia detulit, & maritum habere dominum meruit mulieris non natura, sed culpa: quod tamen usi servetur, depravabitur amplius natura, & augebitur culpa.*

Ratione hujus subjectionis sub viro, apud Romanos dicebatur mulier quæ in manum viri convenerat, capite diminuta.

Quomodo hoc imperium mulieri lenius fiat.

Sic lex, inquit Rupert. lib. 13 de operibus S. Trinitatis, cap. 21, *hæc naturaliter apud gentiles valuit, quam dominus naturæ imposuit.* Et addit: *Castis & fidelibus mulieribus hanc pœnam benevolentia vel nullam, aut levissimam efficit, & non solum non obest, sed etiam laudi est.*

Propter quod & S. Petrus Apostolus mulieres ad subjectionem spontaneam cohortans dicit 1 Epist. cap. 3, *Mulieres subditæ sint viris suis. Sic enim aliquando & sanctæ mulieres sperantes in Deo ornabant se, subjectæ propriis viris. Sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans*, Genes. 18, vers. 12, *cujus estis filiæ benefacientes*, &c.

259. Sic fuit S. Monicæ imperium mariti facile.

Tenuit hoc Archiapostoli monitum S. Monica S. Augustini dupliciter mater de quâ ipse lib. 9 Confess. cap. 9: *Monica tradita viro, servivit illi veluti domino, & ita coluerat cubilis injurias, ut nullam de hac re cum marito haberet unquam simultatem. erat verò ille iràs fervidus; sed noverat hæc non resistere iracundiæ non tantum facto, sed nec verbo quidem.* Vide cetera.

260. In signum subjectionis nuptæ velantur.

In signum hujus subjectionis sub potestate viri dum maritantur, mulieres velum solent accipere, unde & nubere dicuntur, quia obnubuntur & velantur. Quò etiam respexit Apostolus 1 ad Corinth. 11, ℣. 10, *Ideo debet mulier habere potestatem supra caput*, id est, velamen in capite, quo significet se subjectam potestati viri. Consule Interpretes ibidem loci, & ad Ephes. 5, ℣. 22. ad Colos. 3, 18. Quamquam, si sacris Canonibus credimus, muliebris coma hujus etiam subjectionis nota sit.

Ad hanc obedientiam, egregiam matronam Celantiam hortatur S. Paulinus ad ipsam epistolà. *In conjugio*, inquit, *venerabili atque immaculato Apostolicæ regulæ ordo teneatur. Servetur in primis viro auctoritas sua, totaque à te discat domus, quantum illi honoris debeat. Tu illum dominum obsequio tuo, tu magnum illum tuâ humilitate demonstra: tantò ipsa honoratior futura, quantò illum amplius honoraveris. Caput enim, ut ait Apostolus* 1 ad Cor. 11, 3, *mulieris est vir. Nec aliunde magis reliquum corpus ornatur, quam ex capitis dignitate. Unde & alibi idem dicit: Mulieres subditæ esse ore viris.* Ad Colos. 3, 18. Hæc Nolanus Antistes.

261. Quare mulier debeat esse viro subjecta.

Auctor incertus inter opera S. Ambrosii (nam constat illa Commentaria in Paulinas non esse ipsius Ambrosii) in 1 ad Timoth. cap. 2, ℣. 9, & sequentes. *Non solum*, ait, *habitum humilem habere debere mulierem, verùm etiam auctoritatem ei denegandam & subjiciendam præcipit viro, ut tam habitu quàm obsequiis sub potestate sit viri, ex quo trahit originem. Præfert quoque virũ mulieri, propter quod primùm creatus est, ut inferior sit mulier, quia post virum & ex viro creata est. Adjicit et aliud: quia diabolus non virum seduxit sed mulierem: vir autem per mulierem deceptus est; ac per hoc nulla illi concedenda audacia est, sed esse debet in humilitate, quia per illam mors intravit in mundum.* Huic germana habet Primasius, hoc inculcans, mulieres debere esse subjectas viris, quia priores sunt in culpâ, posteriores in ordine.

S. Hieron. commentans in illud Apostoli Epistolà ad Titum c. 2, 5, ubi vult, ut anus doceant adolescentulas conjugatas *subditas esse viris suis ut non blasphemetur verbum Dei*: sic scribit: *Cum caput mulieris vir sit, caput autem viri Christus: quæcumque uxor non subjicitur viro suo, id est, capiti suo, ejusdem criminis rea est, cujus est vir, si non subjiciatur Christo capiti suo. Verbum autem Domini blasphematur dum contemnitur Dei prima sententia, & pro nihilo ducitur, vel Christi infamatur Evangelium, dum contra legem, fidemq; naturæ ea quæ Christiana est, & ex Dei lege subjecta viro, imperare desiderat: cùm & gentiles feminæ viris suis serviant communis lege naturæ.* Ita Ille.

262. Feminæ quænam imperarunt viris.

Ergo naturæ monstrum est, si femina dominium exerceat in virum: sicut refert Rhodiginus l. 14, c. 14, Catonem Seniorem & Themistoclem dicere solitos: *Nos omnibus imperamus, & uxores nobis.* Ita etiam Diodorus Siculus l. 1, c. 2 Bibliothecæ refert, in Ægypto mulieres viris præfuisse, & item Spartanas, ut colligimus ex Aristotele 2 Politicor. c. 7. Qui tamen l. 1 Oeconomicõn c. 1, & 2, sic infit, *Existimare debet mulier benè composita mores viri esse legem vitæ suæ impositam sibi à Deo per conjunctionem matrimonii. Quæ hæc ergo negligit, Deos ipsos videtur negligere, quibus præsentibus sacra fecit & matrimonium iniit.* Et Cato apud Livium l. 34, *Majores nostri nullam ne privatam quidem rem agere feminas sine auctore voluerunt, sed in manu esse virorum.* De hoc argumento ex professo agit Andr. Tiraquell. suprà.

263. Ab hoc subjectionis jugo virgines immunes.

Hanc pœnam, hoc grave jugum, virilem, inquam, dominatum exuunt illæ, quæ vel innuptæ persistunt, vel Christo sponso virginitatem consecrant. Earum autem felicitatem more suo prædicat Virginum Encomiastes S. Ambros. Exhortatione ad Virgines, dum inter alia, *Vobis*, inquit, *sola virginitas potest libertatem dare. Quoniam quæ nupserit, ad servitutem pecuniâ suâ venditur. Meliori conditione mancipia, quàm conjugia comparantur. In illis meritum emitur servitutis, in istis pretium ad servitutem additur. Nupta venalis auro gravatur, auro æstimatur.* Et infra. *Estote nubes, sed leves. Eritis profectò, si allevet virginitas onera conditionis, & tenebras hujus limosæ carnis illuminet. Ideo dicit illa* Cantic. 1, *Nigra sum & decora, filiæ Jerusalem: Nigra per carnem, decora per virginitatem. Nubes itaque sunt, & graves nubes, quæ nupserunt. Namque à nubibus verbum nubentium tractum arbitror. Denique operiuntur ut nubes, cùm acceperint nuptiarum velamina. Et verè graves nubes, quæ sustinent sarcinam matrimonii.*

264. Nuptæ sunt nubes graves.

Paulò ante S. Mariam Virginem dixerat nubem levem ex Isaiæ 9, *Ecce Dominus sedet super nubem levem. Nubem Mariam dixit, quia carnem gerebat levem, quia virgo erat, nullis oneribus gravata conjugii.* Hæc παρενόμασία Mediolanensis Antistes.

265. S. Maria nubes levis.

VERSVS XXI. & XXII.

Placuit consilium ejus regi, & principibus: fecitque rex juxta consilium Mamuchan,
et misit epistolas ad universas provincias regni sui ut quaque gens audire & legere poterat, diversis linguis & litteris, esse viros principes ac majores in domibus suis; & hoc per cunctos populos divulgari.

Hebraicè: Et fuit bonum verbum in oculis regis, & principum, fecitque rex juxta verbum Mamuchan, misitque epistolas ad omnes provincias regis, ad provinciam & provinciam (id est, quamlibet provinciam) secundùm scripturā suam (id est, charactere cuiq; usitato) & ad populū & populum (singulos populos) juxta linguam ejus (linguâ cuique propriâ) ut omnis vir principatum teneat in domo suâ, & loquatur secundum linguam populi sui.

COMMENTARIVS.

CONsentiunt Latinis Hebræa; solùmque difficultas est in postremis (& loquatur secundum linguam populi sui:) Mariana per vi linguam, mores accipit mariti, quos uxorem sequi consentaneum.

Serarius verò ad regem refert, qui misit literas: & sic convenit aliquo modo cum ultimis Latinis: quia rex fecit hoc edictum cujusque populi linguâ vulgari.

Cajetan. autem sic: Maritus sit loquens juxta linguam populi sui, id est, sic dominetur, ut tamen præcipiat juxta morem populi sui, sic ut fiat his verbis principatus maritorum moderatio.

Chaldæus: Vt vir non teneatur uti sermone uxoris, sed contrà, uxor viri linguâ loquatur. Id enim imperii argumentum est, eum uti suâ linguâ qui præest, quam subditi addiscant. Arbitretur & deligat Lector.

Cùm itaque consilium Mamuchan regi, & aliis Septemviris ad regis genium factis placuisset, statim, convivio adhuc durante, decretum fit ab Assuero, & à scribis sermonis & litterarum cujusque provinciæ imperio Persico subditæ peritis, conscribitur, & ad universas regiones mittitur, quo edicitur, maritos esse debere principes in suis familiis, quibus non minùs uxor quàm liberi & reliqui domestici, jure subesse teneatur; & ideo Vasthi Reginam toro & throno regio excidisse. Addit Paraphrastes Chaldæus etiam sententiam capitis in eamdem latam, quod quia non probatur, maneat fides apud auctorem.

QVÆSTIO PRIMA.

An repudium uxorum olim apud Hebræos, & etiam gentiles licitum, & matrimonium solverit.

QVidam docent repudium in veteri lege ante Christi revocationem fuisse solum permissum ad majora mala, v. g. adulteria, uxoricidia, domesticas rixas, evitanda; non verò licitum, nec per libellum repudii solutum fuisse matrimonii vinculum. Ita S. Bonavent. Richardus Dominic. Sotus in 4, d. 33, & Covarruvias 2 p. cap. 7, §. 4, n. 4, & plures alii, quos profert Thom. Sanchez lib. 10 de Matrimonio, Disput. prima, n. 5.

Sed multò verius est, repudium fuisse Hebræis licitum, & per illud vinculum matrimonii fuisse solutum, sic ut & viro & mulieri fas esset ad alias nuptias transire, idque factum Deo dispensante circa legem naturæ, cui repudium illud repugnabat; sicut idem auctor naturæ dispensavit in plurium uxorum polygamia. Ita ex professo docent Cornel. à Lapide in 24 Deuteronomii, Bellarm. lib. 1 de matrimon. cap. 17, Thom. Sanchez suprà, n. 7, & plurimi apud ipsum Doctores. 266. Hebræis licitum repudium, quo matrimonium solvebatur.

Probatur primò ex Deuteron. 24, initio, ubi præscribitur lex repudii his verbis: *Si acceperit homo uxorem, & non invenerit gratiam ante oculos ejus ob aliquam fœditatem* (puta corporis, ut lepram, sterilitatem; vel animi, ut veneficium, ebriositatem, mores perversos & incorrigibiles) *scribet libellum repudii, & dabit in manus illius, & dimittet eam de domo sua*, &c. Indicant verò verba illa manifestè, non solùm permitti tamquam minus malum, ut permittuntur meretrices & usuræ, ut removeantur adulteria & furta, sed justas ob causas, quales numeravi, & similes, fuisse licitum, & illo vinculum matrimonii solvi. Vbi enim solùm est permissio, non opus est lege, sed sufficit sola dissimulatio. Deinde, ibidem, v. 2, significatur, mulierem repudiatam potuisse alteri nubere, ergo prius conjugium jam fuerat solutum, alioqui secundæ nuptiæ fuissent adulterium, & liberi ex illis suscepti fuissent illegitimi, unde lex permisisset continua adulteria, quæ tamen jusserat adulteras interfici. Probatur primò.

Probatur secundò, Si per libellum repudii vinculum prioris conjugii non solvebatur, iniquissima fuisset mulierum conditio: nam plures debuissent manere perpetuò innuptæ, & se continere, idque sæpius sine ullâ suâ culpâ (non enim poterat una mulier eodem tempore plures habere viros) maritis autem nihil incommodi accidisset, etiamsi suo vitio illas rejecissent, nam licita illis erat polygamia. Vnde hæc libelli repudii prærogativa in viris repugnasset naturali æquitati. Omitto alia, quæ auctores citati congerunt. Item secundò.

Nec his obstat locus Malachiæ 2, 16; ubi dicitur: *Qui uxorem dimiserit, iniquitas operiet vestimentum ejus*, id est, corpus ejus, quod est quasi animæ vestimentum, inquit ibi Sanctus Hieronymus, quibus verbis significatur ipsum repudiantem peccaturum, & peccati pœnam

in

in corpus ejus à Deo transferendam. Non, inquam, hoc obstat, quia solum ostendit, peccare eum, qui ex odio, vel sine causâ legitimâ uxorem dimiserit: v. g. quia minùs formosa vel placens. Videntes enim tunc temporis Iudæi mulieres alienigenas suis uxoribus speciosiores, proprias dimittebant, & sibi adjungebant alterius gentis, quod ibi insectatur Propheta.

Peccatum erat sine causâ repudiare.

Nec etiam refert, quod Christus Matth. 19, vers. 8, dicat Moysen permisisse Iudæis libellum repudii ob duritiam cordis eorum: unde videtur inferri, solùm fuisse dissimulationem vel permissionem cum impunitate, non verò absolutam concessionem: quia ad hoc dicendum, duritiam cordis Iudæorum fuisse causam, cur libellus repudii permitteretur tamquam minus bonum, non tamquam minus malum: permissus autem fuit ex auctoritate per modum dispensationis in lege naturæ secundariâ. Boni enim principis est, infirmitati, & ingenio suorum subditorum leges suas attemperare, ne, v. g. Hebræi uxores suas, quas oderant, interficerent, cùm dimittere non possent.

Iudæorum duritia fuit occasio libelli repudii.

Major porrò difficultas est, an gentibus idem jus dimittendi fuerit, quod concessum erat Iudæis.

Sanchez enim suprà, n. 8, negat ullo modo illis licitum fuisse, & per illud repudium, matrimonii vinculum non solutum docet. Idem affirmat Dominicus Sotus in 4, d. 33, q. 2, a. 2. Ratio eorum est, quia repudium jure naturæ adversatur, juxta quòd matrimonium est indissolubile, licet non omnino, sicut in lege Euangelicâ: quare circa Dei dispensationem dirimi non poterat per repudium. Hanc autem gentilibus concessam esse nullibi legitur.

267. Eodem jure concessum etiam gentilibus.

Videtur nihilominus dicendum, etiam inter gentes eodem modo concessum, & eodem jure, quo Iudæis, repudium, & polygamiam. Ita enim plures Doctores tenent & nominatim Abulensis in cap. 19 Matthæi, quæst. 76, ad ultimum, & ex recentioribus Ioan. Præpositus de Sacramento matrimonii, quæst. 5, Dubio 3, n. 15, & alii. Sic enim apud Philisthinos fiebat, ut Iudic. 15, ℣. 2. Patet apud Persas hîc, & apud Romanos, ut constat ex jure Civili, Titulo de Divortiis, ubi & hæc libelli repudii ponitur formula: *Res tuas curato, res tuas tibi habeto.* Fiebatque coram judice.

Putant autem viri docti, permissum esse repudium tam Iudæis, quàm gentibus, ex quo tempore præcipuè Deus mandavit Abrahæ, ut repudiaret Agar, Genes. 21.

268. Romani ferò admodum in Rempub. suam admiserunt repudium, & qui repudiarunt, reprehensi fuerunt.

Quia verò repudium aliquo modo naturæ legi repugnat, & per se illicitum est, nisi Deus dispenset, vel saltem tollat jus, quod prior uxor habebat in corpus mariti, prout Doctores diversimodè loquuntur; ideo Romani moribus politissimi ferò illud in Rempub. suam admiserunt. Scribit enim Valer. lib. 2, cap. 1, n. 3, sic: *Repudium inter uxorem & virum à Condità Vrbe usque ad vigesimum & quingentesimum annum nullum intercessit. Primus autem Sp. Carvilius uxorem sterilitatis causâ dimisit. Qui quamquam tolerabili ratione motus videbatur, reprehensione tamen non caruit, quia nec cupiditatem quidem liberorum conjugalis fidei præponi debuisse arbitrabantur.* Idem docet Tertullian. in Apologet. cap. 6, nempe per annos ferè sexcentos nullum scriptum fuisse repudium sed evertà deinde disciplinâ cum aliis vitiis etiam repudia introducta.

S. Hieron. lib. 1 adversus Iovinianum sub finem hæc narrat. *Legimus*, inquit, *quemdam apud Romanos nobilem cum eum amici arguerent, quare uxorem formosam & castam & divitem repudiasset, protendisse pedem & dixisse eis: Et hic soccus, quem cernitis, videtur vobis novus, & elegans, sed nemo scit præter me, ubi me premat.* Ait verò ibi Scholiastes, hunc fuisse P. Æmilium, qui Papyriam Mnasonis viri consularis filiam, cum qua diu vixerat, & ex qua Scipionem susceperat, tandem repudiavit.

Quidquid verò olim fuerit de repudio inter gentes, constat jam novâ lege promulgatâ, à Christo revocatum esse matrimonium ad primævam suam institutionem, in quâ unius viri cum unâ uxore indissolubilis fuerat conjunctio. Sed de hac re consulendi Theologi.

Coronis Ethica, sive corollarium morale primi hujus capitis.

Convivia splendida & læta funesto & lugubri sæpe exitu terminantur.

PLeriq; omnes Historiæ hujus enarratores animadverunt admoneri nos Assueriani convivii termino illius ex Metamorphos. Ovidianâ:

Vsque adeò nulla est sincera voluptas;
Sollicitumque aliquid lætis intervenit.

Vidimus magnificentissimum Assueri epulum temulentiâ, furore, protervià permixtum, & tandem tragicâ exauctoratæ & repudiatæ reginæ Catastrophe finitum.

In brevi quasi tabellâ depingitur tibi, Lector, gaudiorum præsentis ævi brevitas, inconstantia, impuritas, vanitas. Rectè Epigrammatarius poëta lib. primo, Epigramm. 15,

Convivium Assueri imago inconstantiæ hujus mundi gaudiorum.

Expectant curæque, catenatique labores,
Gaudia non remanent, sed fugitiva volant.
Hæc utrâque manu, complexuque affere toto:
Sæpe fluunt imo sic quoque lapsa sinu.

Et Orator lib. 1 de finibus: *fluit voluptas, & prima quæque evolat.* Et Lucretius alibi,

Medio de fonte leporum,
Surgit amari aliquid, quod in ipsis floribus angit.

269. Nullum hîc sincerum gaudium.

Sic apicula parva serpens, & brevis in volatilibus ubi mella grata fudit, fugit, & aculeolo viroso ferit.

Sic sub floribus & fragis latet anguis, & rosas dum colligis, compungeris.

Sic scatebrâ illimi & argenteâ amnis erumpens, dum decurrit, frequenter oblimatur, fit turbidior, & tandem dum in mare devolvitur illuis salsedine amittit dulcedinem, & amarescit.

Risus dolore miscebitur, & extrema gaudii luctus occupat, ait שלמה ille Rex Proverb. 14, ℣. 13. Ad rem nostram Sanctius hîc: Quod experti sunt semel filii Prophetarum 4 Regum 4, ut oleæ pulmentariæ incoquerentur Colocynthides, quæ amaras redderent, & mortiferas dapes, hoc experiuntur quotidie, qui suo immoderatiùs indulgent genio, & habenas laxant deliciis, quibus ad extremum non desunt Colocynthides, quæ disrumpant viscera, aut etiam *morientes muscæ quæ perdant suavitatem unguenti*, Eccles. 10, 1, & fœ-

270. Delicijs hujus vitæ miscentur Colocynthides amaræ.

& fœtere faciant, quæ priùs odorem spirare videbantur gratissimum. Ita voluptas ut mellis, ita & fellis est fecundissima.

Sed age, hanc thesin latè & copiosè à pluribus explicatam ad conviviorum luxum & delicias restringamus.

271. Exitus conviviorum illætabilis & funestus ut exempla docent.

Et quidem si divinos Annales revolvimus, videbimus sæpe melleam eorum dulcedinem amaro & acerbo absynthio permisceri. Pauca delibo.

Iudicum 16: Lætabantur Philistini per convivia, sumptisque jam epulis introductus est Samson, ut luderet ante eos, qui apprehendens columnas, quibus innitebatur domus, in quâ erant circiter tria millia utriusque sexus, illisque fortiter concussis, & principes & ceteram multitudinem ruinâ oppressit. Sic gaudium eorum in luctum vertit.

Primi Regum 25: *Erat convivium in domo Nabal quasi convivium regis & cor Nabal jucundum. Erat enim ebrius nimis.* Interim gladius Davidis in caput ejus stringebatur, neci paratus, ni Abigail avertisset, sed *post dies decem percussit eum Dominus, & mortuus est.*

Secundi Regum 13: fecerat Absalomus epulum regificum, ad quod convocarat omnes palatinos, & filios Regis patris sui, sed & illud cædè Amnonis fratris sui temulenti fœdavit.

Quarti Regum 25, & Ieremiæ 41, Ismahel filius Nathaniæ Godoliam filium Ahicam sumpto epulo interfecit.

Iudith 12 & 13, Holofernes ebrius à Iudithâ obtruncatus & se & copias suas perdidit.

Iob primo ℣. 18 & 19, nuntius hæc viro sanctissimo defert: *Filiis tuis & filiabus vescentibus & bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti, repentè ventus vehemens irruit, & concussis angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt.*

Primi Machabæor. c. 16, 15 & 16, Ptolomæus filius Abobi Simonem Machabæum & filios ejus excipit convivio permagnifico, *cumque inebriatus esset Simon, & filii ejus, surrexit Ptolemæus ēñ suis, & sumptis armis intraverunt convivium, & occiderunt eum, & duos filios ejus, & quosdam pueros ejus.*

Baltassaris Chaldæi Regis Tragicus exitus.

Sed nullum umquam funestiore exitu epulum terminatum fuit, quàm convivium Baltassaris Regis Chaldæi, in quo prima mundi Monarchia finem accepit, in cujus nocte ipse Rex horrifico manus in pariete scribentis visu perculsus, & eventus futuri prænonitus, etiam interfectus est, & Darius Medus Cyri avunculus successit in regnum: quæ Tragœdia describitur à Daniele cap. quinto.

Prædixerat autem Isaias Babylonem capiendam, dum principes ejus genio indulgerent, & convivia agitarent, idque annis ante ducentis, cap. 21, ℣. 4 & sequentib. ubi ita vaticinatur: *Emarcuit cor meum, tenebræ stupefecerunt me: Babylon dilecta mea posita est mihi in miraculum. Pone mensam, contemplare in speculâ comedentes & bibentes, surgite principes, arripite clypeum,* &c.

Idem etiam prophetavent Ieremias cap. 51, ℣. 56 & sequent. ubi inter alia de Babylone agens infit, *Et inebriabo principes ejus, & duces ejus, & magistratus ejus & fortes ejus, & dormient somnum sempiternum, & non expergiscentur, ait Rex, Dominus exercituum nomen ejus.*

Cæterùm ea quæ commemorat Scriptura de nece Baltassaris convivantis & temulenti, & Babylonis excidio, colliguntur ex Xenophonte lib. 7 Cyropædiæ, & Herodoto lib. primo, qui tradunt cives eum diem quo à Cyro Babylon occupata est, ludis, conviviis, saltationibus peregisse, & totam eam noctem helluationibus & comessationibus traduxisse, imò scribit idem Xenophon eum potissimum diem delectum esse à Cyro ad urbem invadendam quòd intellexisset eumdem festum esse Babyloniis, eosq; ob epulas, quibus publicè, privatimque vacabant, sopore, vinoque oppressos, fore etiam incautos, & ad defensionem urbis imparatos, penitusque invalidos. Evenit igitur Babyloniis, quod Trojanis, de quorum urbe Æneidos 2 canit Poëta:

Invadunt urbem vino, somnoque sepultam.

Quod postea Campanis, de quibus Livius libro 23.

272. Dies judicii epulantibus & potantibus adveniet.

Hujusmodi Catastrophe, prædicit Christus Matth. 24, vers. 37, & Lucæ 17, ℣. 26, seculum hoc claudendum: scilicet hominibus epulantibus & compotantibus ex improviso superventurum decretorium judicii diem, sicut Cataclysmus subitò nihil tale opinantes mortales olim obruit. Verba illius sunt Lucæ cap. 17, suprà: *Sicut factum est*, ait, *in diebus Noë, ita erit & in diebus Filii hominis: Edebant & bibebant, uxores ducebant, & dabantur ad nuptias, usque in diem quâ intravit Noë in arcam, & venit diluvium, & perdidit omnes. Similiter sicut factum est in diebus Lot: edebant & bibebant, emebant & vendebant, plantabant & ædificabant: quâ die autem exiit Lot à Sodomis pluit ignem & sulphur de cœlo, & omnes perdidit: secundum hæc erit quâ die Filius hominis revelabitur.* Vnde salubriter monet idem Christus Lucæ 21, vers. 34, *Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate & curis hujus vitæ; & superveniat in vos repentina dies illa* &c. Sed his sacris exempla quædam ex profanis adjungamus.

273. Mortui effigies in nuptiis apparet.

Narrat Hector Boëthius historiæ Scotorum lib. 13, in nuptiali convivio Alexandri tertii regis Scotorum cum Iolanta, apparuisse simulacrum horrendum specie hominis mortui carne exuti, quod choreas ducentes, quotcunque se conferrent, assiduè sequebatur, simulque saltabat. Conterriti verò omnes tam funesto spectaculo mensas, epulas, tripudia deseruerunt: paulo verò post, cùm venatum se rex contulisset, ex equo lapsus, crure fracto interiit. Accidit hoc anno circiter 1250.

274. Casimirus II in convivio expirat.

Casimirus II Poloniæ rex, instructo permagnifico epulo, principibus vino exhilaratis, Regisque sui commemorabilem felicitatem deprædicantibus, ipse quædam de animi immortalitate, & æternâ beatitudine præfatus, hausto mediocri scypho, subitò corruit, & post aliquot horas exspiravit. Ita Martinus Cromerus lib. 6 Historiæ.

Ne autem à Perside longiùs recedam, scribit Ctesias in Persicis, quorum excerpta collegit Photius:

275. Statira Persidis regina veneno in convivio [illegible]

Cùm magna jurgia inter Parysatidem Artaxerxis Regis matrem, & Statiram ejus uxorem coorta fuissent, illam, utpote crudelem mulierem, statuisse aurum è medio tollere, quod etiam post multa scelera tandem veneno perfecit. Nam cùm ambæ in mensâ essent, Parysatis cultel-

tellum habuit, cujus facies sive pars una præsentissimo veneno illita erat, altera verò intacta. Hoc secatur avicula parva ovi magnitudine, quam Persiæ Ryndacem appellant, cujus partem dimidiam, quæ veneno carebat, Parysatis accepit, ac palàm in mensâ comedit, tum alterum veneno tinctam Statiræ porrexit. Hæc cùm eam, quæ porrexerat, edere dimidiam partem vidisset, nihil suspicata fraudis, alteram partem comedit, & simul cum eâ letiferum venenum, & mortem. Sic Perfidis regina perit.

Quàm multi in epulis, amicè, ut videbatur, accepti, pro vitâ mortem, pro vino toxicum hauserunt? quod maximè locum habet in mensis principum: unde pulchrè Iuvenalis:

Nulla aconita bibuntur
Fictilibus: tunc illa time, cum pocula sumes
Gemmata.

Subjicio aliud lamentabile prodigium è recenti memoriâ, quod describit Georgius Stengelius parte priore sui Labyrinthi cum mundi periculis collati, cap. 18, §. 4, ubi pro hac historiâ plures citat auctores. Accidit autem hic, quem dabo, casus, anno seculi hujus 18, Aug. 25.

276. Horrendum exitium Pleurensium.

In Helvetiâ, apud Grisones inter Tirolim & Mediolanum vicus erat Pleurensis nomine, monti præcelso adsitus, alterâ autem parte Merâ flumine præcinctus. Multi eò loci incolæ prædivites ob mercaturam habitabant, eratque vicus amœnis palatiorum structuris celebratissimus, ita ut à non uno scriptore terrestris quidam paradisus omni deliciarum genere refertus appellaretur. Indigenæ ibidem numerabantur supra 1500, præter advenas illuc negotiorum gratiâ confluentes. Dicto ergo die, nescio quo omine, infausto certè eventu, nuptiale convivium agitabatur. Quare, ut fieri assolet, alii in epulis parandis, alii in ludis, alii in choreis occupabantur. Quidam vino, quidam somno oppressi nesciebant quid rerum ageretur. Haud parva hominum pars inter symphoniacorum cantus & ebriorum voces, puellarumque choros gaudus accensa insaniebat. Plerique omnes, paucis fortè exceptis, qui in templo orationi, placandoque Deo vacabant, in bonis dies suos ducebant. Cum hæc ita apud Pleurenses gererentur, ecce die jam ad occasum tendente, dum compotationes, saltationes, clamoresque maximè ferverent, & fortasse multi jam saturi præ ebrietate sibi præsentes non essent, neque idonei ad piè quidquam cogitandum, adest repentè Deus potentiam & iram suam ostensurus. Nam à facie ejus contremuit terra, exhibuitque vivum quoddam extremi judicii simulacrum. Quippe ventis per cava terræ citatis, in ictu oculi, & fulminis in morem, ruptus mons vicinus ingens cum stupendo sonitu procubuit, formidabilique ruinâ templum, palatia, domos, casas, homines, & pecudes, totumque adeò pulcherrimum vicum involvit, funditus evertit, dissecit, contrivit, cooperuit, idque ita magnis acervis saxorum, ut non solùm nulla hominum, sed ne domorum quidem aut ædificiorum imò & altissimarum turrium cadavera apparerent. Dixisses, neminem unquam ibi mortalium habitasse. Sic Pleurenses non in acie strenuè pugnantes, sed dum nuptias & convivia celebrarent, nihil minus quam de morte cogitantes interêre: nemo verò à tantarum casu servatus est ruinarum, qui cladis nuntius esse posset. Atque ne numerus deesset eorum, qui inter montis cadentis saxa obtriti fuerunt, brevissimi temporis punctò mille quingenti, vel (ut alii credibiliùs) duo hominum millia & centum, imò amplius, iisdem quibus vel nati sunt, vel securitatem aut voluptatem quæsierunt, ædibus sepulti sunt.

Quantum supellectilis, quantum thesaurorum, quantum jumentorum in tam nobili loco tunc una perit.

Sed utinam supellex tantùm & vita istorum fuisset perdita! Vtinam non etiam multi animas suas in inferno amisissent! Quis se ad mortem pœnitendo parat, cùm ante moriturus est, quam se intelligat moriturum? O cinis! ò patria! ò cives! ò vere tragicum spectaculum, & æterni luctus monimentum!

Peractâ hac Catastrophe Grisones aliquot centenos operariorum constituerunt, qui partim obrutos, partim obrutorum fortunas eruerent. Pauciſſima cadavera reperta sunt. Ad ceteros effodiendo pervenire non potuit, partim tantâ montis congerie laborem hominum vincente, partim Avernali quodam & cadaverosò, eoque intolerabili fœtore obnuntiante, ita ut ob mephitim & graveolentiam plurimi fodientium extremè ægrotare, non pauci etiam mori cœperint. Quin & ipse operis præfectus nocturno tempore fertur vidisse nescio quod spectrum admodum terrificum, à quo monebatur, ut à labore irrito desisteret, & ne in posterum quisquam de reædificando hoc vico cogitaret.

Repertus quoque inter rudera est lapis, Hebraicis characteribus incisus, quos D. Theonas Hueber Lucernensis in hunc est modum interpretatus: *Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, & quasi malleus conterens petram.* (quæ habentur Ieremiæ 23, vers. 29.) *Egredimini de Babylone* (Isaiæ 48, vers. 20,) *salvate animas vestras. Nemo taceat peccata eorum, veniet enim vindicta Domini, & retribuet eis secundum iniquitates eorum.*

Nec modò litteris illis propheticis admoniti sunt de ruinâ futurâ, sed etiam aliis modis. Nam uno die ante miserandam stragem intolerabilis fœtor quasi de morituro monte egressus, fatale quid omnibus nuntiavit.

Quidam etiam ajunt pastorem ovium dudum ante admonuisse incolas, cùm videret montem indies magis magisque findi & hiare, & barathrum quoddam velut os aperire ad animas deglutiendas, terrâ quoque ipsâ contremiscente. Omitto alias prædictiones. Hæc summatim ex Georgio Stengelio delibavi. Plura siquis hac de re desideret, fontem petat.

Nescia mens hominum fati, sortisque futuræ,
Et servare modum rebus sublata secundis.

Allegoria hujus capitis ex Hugone de S. Victore, Tomo primo, lib. 9 Allegoriarum.

ASsuerus Allegoricè est Christus, tum nominis interpretatione, quod ostium significat, Christus autem *est ostium*, Ioan. 10, tum ob potentiam, quia Christò *data est potestas in*

cælo & in terra; Matth. 28, tum divitiarum magnitudine, quia omnia quæ Pater habet, ejus sunt, Ioan. 17. Convivium Assueri indicat luxum regium, & divitias: Christi convivium divitias spirituales. Christus instruxit epulum spirituale prædicationis, & Corporis & Sanguinis sui, tertio anno imperii sui, id est, in lege gratiæ, idque principibus, id est, Apostolis & pueris, id est, à peccato purificatis, & fortissimis, qui vicerant malignum, & inclytis, qui filii Dei vocabuntur, & præfectis provinciarum, id est, prælatis Ecclesiarum; centum octoginta diebus, centum propter vitam æternam; quia est numerus ille perfectionis, octoginta, quia octo sunt beatitudines, ad quas hoc convivium perducit. Septem dies quibus convivium paratur, est tempus hujus vitæ, quod septem dierum numero volvitur. Vestibulum horti, in quo convivium exhibetur, præsentem Ecclesiam significat, in quâ ad futuræ gloriæ jucunditatem justificamur. Ornatus vestibuli designat ornatum Ecclesiæ præsentis. Vasa, quibus cibus & potus inferebatur, sunt prædicatores, per quos nobis gratia cœlestis administratur. Nec erat, qui cogeret nolentes ad bibendum, sed sicut rex statuerat, ut sumeret unusquisque quod vellet. Sic namque temperanda prædicatio, ut omnibus utilis fiat, nulli noceat, & inter vitia quasi gladius anceps transeat: sic superbiam recidat, ut non augeat timiditatem, & sic otiosis imponat sollicitudinem, ut inquietis & curiosis non augeat importunam actionem. Regina Vasthi plebs est Iudaica, quæ regnabat, quamdiu cultus Dei in eâ vigebat. Fecit convivium feminarum, quando fecit per legem refectionem sanctarum animarum. In palatio Regis Assueri, in Ierusalem; in qua Deus sui notitiam præbuerat. Itaque die septimo cum Rex esset hilarior, &c. id est tempore revelationis septimæ gratiæ, quando venit plenitudo temporis, in quo misit Deus filium suum, & legis mysteria abundantius aperuit: tunc præcepit septem eunuchis, id est, prædicatoribus septiformi spiritu repletis, qui se castraverunt propter regnum cœlorum, ut Vasthi, nempe plebem Iudaicam introducerent, per spiritualem intelligentiam, quia adhuc erant foris per legis litteram, ut ostenderet omnibus illius pulchritudinem, ut omnibus esset exemplum ad fidem & bonam actionem, erat autem pulchra nimis propter prærogativam patrum, scientiam legis, & prophetarum, posito super caput ejus diademate, id est, religionis honore. Sed intrare renuit, quia plebs Iudaica gratiam Dei respuens, per fidem venire contempsit. Septem regis sapientes sunt universi Doctores, & septiformi gratiâ repleti, & per ipsam ad omnia agenda edocti. Mamuchan novissimus sapientum, qui sententiam promulgavit, ut Vasthi deponeretur, & alia substitueretur, est Sanct. Paulus, qui ait primæ ad Corinth. 15: *Ego sum minimus Apostolorum*: & contradicentibus Iudæis ait, Actor. 15: *Quia indignos vos judicatis regno Dei, ecce convertimur ad gentes*, &c.

CAPVT SECVNDVM.

ARGVMENTVM.

Furore Assueri paulatim defervescente, cum nihilominus dolor ob abdicationem Vasthi recrudesceret, ut palatini hunc tamquam clavum majore clavo expellerent, auctores illi sunt, ut ex omnibus provinciis virgines formâ præstantissimæ adducerentur, ex quibus deligeret quam in tori, regnique consortem acciperet. Fuit verò inter alias ad regem ducta virgo speciosissima, genere Hebræa, Esthera nomine, quam Mardochæus educaverat, quæ cùm in gynæceo, ubi aliæ puellæ, unguentis, aromatibus, & pigmentis utebantur, ut ad Regem suo tempore introducerentur, per annum egisset, in tantum Assuero placuit, ut imposito diademate, in thalami, thronique sociam illam adsciscret: unde & convivium nuptiale parari jussit, & pro munificentiâ principali munera Satrapis erogavit.

Sub id porrò temporis, quo Mardochæus Esthera curam agebat, conspirarunt in necem Regis duo eunuchi; quod cùm Mardochæus quibusdam indiciis cognovisset, per Reginam Regi conjurationem indicavit. Hi verò convicti in crucem acti sunt, & ad perpetuam memoriam Annalibus rei series mandata.

TEXTVS.

His ita gestis, postquam regis Assueri indignatio deferbuerat, recordatus est Vasthi, & quæ fecisset, vel quæ passa esset: 2 dixeruntque pueri regis, ac ministri ejus: Quærantur regi puellæ virgines ac speciosæ, 3 & mittantur qui considerent per universas provincias puellas speciosas, & virgines: & adducant eas ad civitatem Susan, & tradant eas in domum feminarum sub manu Egei, eunuchi, qui est præpositus & custos mulierum regiarum: & accipiant mundum

dum muliebrem, & cetera ad usus necessaria. 4 Et quæcumque inter omnes oculis regis placuerit, ipsa regnet pro Vasthi. Placuit sermo regi: & ita, ut suggesserant, jussit fieri. 5 Erat vir Iudæus in Susan civitate, vocabulo Mardochæus, filius Iair, filii Semei, filii Cis, de stirpe Iemini, 6 qui translatus fuerat de Ierusalem eo tempore, quo Iechoniam regem Iuda Nabuchodonosor rex Babylonis transtulerat, 7 qui fuit nutritius filiæ fratris sui Edissæ, quæ altero nomine vocabatur Esther: & utrumque parentem amiserat: pulchra nimis, & decora facie. Mortuisque patre ejus ac matre, Mardochæus sibi eam adoptavit in filiam. 8 Cumque percrebuisset regis imperium, & juxta mandatum illius multæ pulchræ virgines adducerentur Susan, & Egeo traderentur eunucho; Esther quoque inter ceteras puellas ei tradita est, ut servaretur in numero feminarum. 9 Quæ placuit ei, & invenit gratiam in conspectu illius. Et præcepit eunucho, ut acceleraret mundum muliebrem, & traderet ei partes suas, & septem puellas speciosissimas de domo regis, & tam ipsam quam pedissequas ejus ornaret atque excoleret. 10 Quæ noluit indicare ei populum & patriam suam: Mardochæus enim præceperat ei, ut de hac re omnino reticeret: 11 qui deambulabat quotidie ante vestibulum domus, in qua electæ virgines servabantur, curam agens salutis Esther, & scire volens quid ei accideret. 12 Cum autem venisset tempus singularum per ordinem puellarum, ut intrarent ad regem, expletis omnibus quæ ad cultum muliebrem pertinebant. mensis duodecimus vertebatur: ita dumtaxat, ut sex mensibus oleo ungerentur myrrhino, & aliis sex quibusdam pigmentis & aromatibus uterentur. 13 Ingredientesque ad regem, quidquid postulassent ad ornatum pertinens, accipiebant: & ut eis placuerat, compositæ de triclinio feminarum ad regis cubiculum transibant. 14 Et quæ intraverat vespere, egrediebatur mane, atque inde in secundas ædes deducebatur, quæ sub manu Susagazi eunuchi erant, qui concubinis regis præsidebat: nec habebat potestatem ad regem ultra redeundi, nisi voluisset rex, & eam venire jussisset ex nomine. 15 Evoluto autem tempore per ordinem, instabat dies, quo Esther filia Abihail fratris Mardochæi, quam sibi adoptaverat in filiam, deberet intrare ad regem. Quæ non quæsivit muliebrem cultum, sed quæcunq; voluit Egeus eunuchus custos virginum, hæc ei ad ornatum dedit. Erat enim formosa valde, & incredibili pulchritudine, omnium oculis gratiosa & amabilis videbatur. 16 Ducta est itaque ad cubiculum regis Assueri mense decimo, qui vocatur Tebeth, septimo anno regni ejus. 17 Et adamavit eam rex plus quàm omnes mulieres, habuitque gratiam & misericordiam coram eo super omnes mulieres, & posuit diadema regni in capite ejus, fecitque eam regnare in loco Vasthi. 18 Et jussit convivium præparari permagnificum cunctis principibus, & servis suis pro conjunctione & nuptiis Esther, & dedit requiem universis provinciis, ac dona largitus est juxta magnificentiam principalem. 19 Cumque secundo quærerentur virgines & congregarentur, Mardochæus manebat ad januam regis: 20 necdum prodiderat Esther patriam, & populum suum, juxta mandatum ejus. Quidquid enim ille præcipiebat, observabat Esther: & ita cuncta faciebat, ut eo tempore solita erat, quo eam parvulam nutriebat. 21 Eo igitur tempore, quo Mardochæus ad regis januam morabatur, irati sunt Bagathan & Thares duo eunuchi regis, qui janitores erant, & in primo palatii limine præsidebant: voluerunque insurgere in regem, & occidere eum. 22 Quod Mardochæum non latuit, statimque nuntiavit reginæ Esther; & illa regi, ex nomine Mardochæi, qui ad se rem detulerat. 23 Quæsitum est, & inventum: & appensus est uterque eorum in patibulo. Mandatumque est historicis, & annalibus traditum coram rege.

VERSVS I.

His ita gestis, postquam regis Assueri indignatio deferbuerat, recordatus est Vasthi, & quæ fecisset, vel quæ passa esset:

Hebraicè: Post verba hæc, cùm quieviſſet furor Regis Assueri, recordatus est ipsius Vasthi, & eorum quæ fecerat, & ejus quod decretum fuerat *irrevocabiliter* super eam.

Iosephus: Rex qui vehementer Vasten amabat, nec disjungi ab eâ ferebat, nec tamen retinere propter legem poterat, mœrebat, quòd voluntati suæ non liceret satisfacere; &c.

COMMENTARIVS.

VT lignis subtractis, aliisque nutrimentis deficientibus flamma subtidit : ita vino per somnum decocto, sanguine ac felle defervescente, gravis Assueri ira conquievit, mens ad se redit, & ea, quæ die præterito à se decreta temerè & per impetum, ad limam revocare cœpit. Subiit animum species eximia, gratia & benevolentia Reginæ, & longa fortè, quam cum illâ habuerat, consuetudo. Hæc omnia conferebat cum ipsius culpâ, muliebri levitate & fastu, quæ quamvis, ut magna, furore præceps, apprehenderat, jam sibi redditus exigua fuisse clariùs perspiciebat, nec adæquanda cum pœnâ quæ fuerat in illam statuta. Quamvis vero, quo illam prosequebatur, amor ad facti sui pœnitudinem eum impellebat, secumque deliberaret, an via aliqua superesset contra eam edictum latum rescindendi : ne tamen & ipse inconstantiæ ab omnibus argueretur, & quia Vasthi ipsum offenderat, & omnibus imperii Perlici matronis suâ pervicaciâ ad maritis denegandum honorem & obsequium præiverat; denique quia Regis decretum & Senatusconsultum irrevocabile erat; Reginæ ad pristinum thalamum, imperialemque dignitatem redeundi omnis aditus intercludebatur.

Sic tandem Assueri animus, intus tamen eum coquente dolore, utcumque conquievit, instar cymbæ, quæ diu per mare contrariis ventis agitata, fremente nihilominus undâ, portum ingreditur.

Vt verò Rex Septemviris suis sub epulum quàm graviter Reginæ succenseret, palam ostenderat : sic animo vero est simile, ipsum irâ jam positâ & residente, animi sui sensa, sensusque manifestis indiciis, fortè etiam suspiriis & sponte prorumpentibus lacrymis patefecisse. Muliercsus enim cùm esset & uxorius, tenerum suum in Vasthi affectum celare non poterit.

Cæterùm mirari subit, Salianum hanc Regis resipiscentiam & dolorem differre in alterum annum, scilicet, quartum Artaxerxis Longimani. Putat enim, non tumultuariè, fervente convivio vel sub finem illius factum decretum repudii, sed animo planè sedato. Deindè Assuerum non tam citò fuisse commotum antiquâ consuetudine & amore Vasthi, cum plurium pellicum familiaritate uteretur. Vide illum anno Mundi 3593, n. 2, tomo 5.

Acciderunt hæc statim post convivium.

Verùm Scriptura, res ipsa, & omnes hujus historiæ Interpretes vel insinuant vel expressè docent hoc Senatusconsultum adhuc durante convivio conceptum & editum fuisse, & paulò post promulgatum. Si enim, ut ante dictum, inter pocula Persæ saturi de rebus gravissimis consultabant, cur non deliberarent de recenti Reginæ contumacia, quæ & vehementer Regis pectus pupugerat, & omnes imperii proceres graviter offenderat? Præterea nihil urget nos, ut dicamus Regem post annum solùm cogitare cœpisse de Reginâ repudiatâ : quin imò credendum est, paucis post diebus vehementiùs commiseratione uxoris fuisse fauciatum, cum ardentissimè illam amaret : alioqui si uno anno potuit illius oblivisci, cùm plures pellices præsto essent, cur non potuit etiam secundo & tertio?

Serarium hic audiamus quæst. 4, Quantum temporis fluxisse credamus (scilicet inter repulsam Vasthi, & regis commiserationem) num amplius, quàm quod concoquendo vino satis? Et in aliis pluribus legimus postridianum ferè convivialium culparum diem esse pœnitentiæ & doloris, cujus testis est Alexander Magnus apud Ciceronem Tusculana 5. Hæc ille.

Exempla & Monita iræ frenandæ Principibus & Magnatibus proposita.

REgis Assueri stomacho & iracundiæ temporis mora, quo omnia mitescunt & temperantur, modum posuit.

1. Athenodori monitu pro ira frenandâ.

Athenodorus Philosophus, cùm ob senectutem ab Augusto peteret, ut aulæ valedicere, & domum sibi redire liceret, postremum hoc verbum pectori ejus infixit : *Cæsar, vide ne quid iratus dixeris aut feceris, nisi prius Alphabetum Græcum 24 literarum penes te pervolveris.* Censebat nempe temporis spatio iræ impetum defervescere, fierique, ut quidquid postea dicere vel aggredi tentaret, mente tranquilliore perageret. Ita Suidas, Plutarch. in Apophtheg. Aurelius Victor in Theodosio, alii.

Papinius Thebaidos 8 idem consulit his versibus:

Ne frena animo permitte calenti :
Da spatium, tenuemque moram : male cuncta ministrat
Impetus.

Verùm sapiens ratione furoris impetum moderatur, & tumidum regit animum. Ergo præstantiora monita do.

2. S. Macedonii dictum, quo Theodosii iram compescuit.

Cùm plebs Antiochena ob novum impositum tributum Theodosio Seniori Imperatori insensâ in seditionem excitata Placillæ defunctæ Imperatricis ejus conjugis statuam æneam deturbasset, per magnam urbis partem traxisset, & ob indignum facinus Imperator exandescens se urbem flammis daturum, vastaturumque per legatos suos minaretur, aggressus eos est Macedonius Anachoreta vir sanctissimus, & his dictis compellavit : *Dicite, viri, Imperatori hæc verba : non solum Imperatorem tum esse, verum etiam hominem. Itaque ne oculos tantummodo ad imperium adjecerat, sed suam ipsius naturam mente complectatur. Nam cùm homo sit, illis imperat, qui sunt ejusdem naturæ participes : humanam autem naturam ad imaginem & similitudinem Dei fabricatam esse. Quare ne tam crudeliter & inhumanè imaginem Dei è medio tolli jubeat. Nam bilem movet opifici cùm ejus imaginem contumeliosè tractet. Consideret enim ipse quam iniquo animo tulerit æneam conjugis imaginem contumeliâ affectam esse : se tamen in imaginem Dei contumeliosum esse non dubitare. Ac quantum interfit inter imaginem inanimam & animatam, vivam ac rationis compotem, omnibus qui sunt mente præditi, perspicuum est. Illud præterea secum cogitet, nobis perfacile esse pro unâ æneâ imagine multas fabricari : sed eum non posse omnino facere vel unum unum illorum, qui interfecti sunt.* Hac auditâ oratione, legati eam ad Imperatorem retulerunt, quâ cùm ejus iracundiæ flamma restin-

restincta esset, pro minis quas jactaverat, scripsit litteras, quibus se purgavit, iræque causam in illis expoluit. Hactenus Theodoretus lib. 5 Histor. Ecclesiast. cap. 19.

1. Mecænatis præceptum Augusto datum de eâdem re.

Præclarum monitum est Mecænatis datum Augusto in hæc verba, ut auctor est Dio lib. 52: *Si quis conviciatus tibi fuerit, aut in occulto detraxerit, neque deferentem audire debes, neque delatum punire. Turpe enim sit, facilè id credere, cùm causam non præbeas, esse tamen qui convicio petant. Atque id fere non nisi mali principes credunt, quos ad fidem inclinat conscientia. Deinde autem iniquum sit hæc iraſci aut punire: quæ si vera sunt, præstat non admittere: sin falsa, dissimulare. Nam ultione istâ quid nisi plures sermones, & plurium provocabis?* Nihil verius è tripode prodit.

4. Senecæ sententiæ ejusdem argumenti.

Romanus Sophus non minus eleganter lib. 3 de Irâ, cap. 6, *Nullum est argumentum magnitudinis certius, quam nihil posse, quo insligeris, accidere. Pars superior mundi & ordinatior, ac propinqua sideribus, nec in nubem cogitur, nec in tempestatem impellitur, nec versatur in turbinè: omnis tumultus caret: inferiora fulminant. Eodem modo sublimis animus, quietus semper & in statione tranquillâ collocatus, intra se premens* (tenens & devorans mente & superans quæ bilem movere solent, nec foris quidquam iracundiæ ostendens) *quibus ira contrahitur, modestus & venerabilis est, & compositus.* Idem contractius dixerat alibi, Epist. 59: *Talis est sapientis animus, qualis mundi status super Lunam. Semper illic serenum est.* Rursus lib. 2 de Irâ cap. 32: *Ille magnus & nobilis est, qui more magnæ feræ lacratus minutorum canum secutus exaudit.* Et lib. 2 de Clementiâ cap. 3, *Nihil pulchrius in fastigio collocatis, quam multarum rerum veniam dare, nullius petere.*

5. Philippi Macedonis sapiens responsum.

Hac lenitate Philippus Macedo vel maximè laudem meruit, quam Alexander filius iræ impotens perdidit. Pater itaque, suadentibus, ut acerbiùs cum Athenienſibus ageret palam ingratis: *Nihil agitis*, inquit, *An ego qui ad gloriam omnia refero, theatrum gloriæ meæ evertam?* Fortè homo gloriolæ manis cupidissimus suarum laudum præcones Athenienses sperabat, quibus Pitho dedit ore rotundo loqui. Quid Christianus Princeps? Num is, qui ad sempiternam gloriam omnia dicta, factaque sua refert, injuriarum patientiam, theatrum sibi à Deo erectum, patietur everti.

6. Item Vespasiani lenitas.

De Vespasiano scripsit Tranquillus: *Neque cæde cujusquam unquam lætatus est, justis supplicium illacrimavit etiam & ingemuit.*

7. Et Titi filii.

De filio verò ejus Tito idem retulit: *Pontifex Maximus cum esset, Periturum se potius quàm perditurum adjuravit.*

De Theodosio Iuniore hæc Socrates Histor. Ecclesiasticæ lib. 7, c. 22, *Patientiâ & mansuetudine omnes longè superavit. Iram cohibere didicit, toleranter dolorem ferre, neminem, qui illi intulisset injuriam, ulciſci: imò verò nemo unquam illum irâ incensum aspexit. Item cuidam ex necessariis aliquando scisciſtanti, cur neminem, qui illi intulisset injuriam, morte aliquando multasset; sic respondit: Vtinam potius potestas mihi esset, eos qui mortui sunt, ad vitam denuo revocandi.* (Verum hoc Apophthegma alii adscribunt Theodosio Seniori, à quo nepos illud accepit, & ipsis moribus expressit) *Alteri etiam de eâdem re interrogauti dixit: Non magna res est, neque ardua, ut qui homo sit, mortem opperat: sed eum, qui semel obierit, nemo omnino, licet se de ejus morte maximè pœniteat, nisi solus Deus possit ad vitam revocare. Adeo firme istud ipsum ab eo observatum fuit, ut si quisquam crimen, quod esset capitis supplicio multandum, aliquando commisisset, ne ad portas usque civitatis, versùs locum ubi mortis subiret supplicium abduci passus est, quin misericordiâ commotus illum revocarit. Accedit eò, quod cum Constantinopoli in Amphitheatro pugnas cum bestiis quodam tempore pro Spectaculo ederet, populusque sublato clamore postularet, ut aliquis ex eorum numero, quorum insigniter emineret audacia, cum ferâ bestiâ decertaret, respondit: An non explorate cognitum habetis, nos ita assuefactos esse, ut nulla crudelia spectacula contemplari possimus? Quæ cùm populus ex ejus ore audivisset, de reliquo à crudelibus spectaculis abstinere didicit.* Hactenus Socrates.

8. Memorabilis Theodosii Iuniors clementia, & ejus de hac Apophthegmate.

Fredericus Imperator conviciis impetitus, & ab amicis ad vindictam excitatus: *Minimè*, inquit. *An nescitis Principes quasi scopum expositum ad has sagittas?*

9. Frederici etiam Imperatoris benignitas.

Ita est: Alta livor & calumnia petent: petent, & non tangent, ubi animus quidem est altus. Ita Iustus Lipsius lib. 2 Monitorum Politic. cap. 17.

Cùm hoc argumentum amplè à me explicatum fuerit pluribus locis Commentarii in Ecclesiasticum, ut cap. 10, ℣. 6. & cap. 28, à principio usque ad ℣. 15, plura hîc addere nolui.

VERSVS II, III, & IV.

Dixerantque pueri regis ac ministri ejus: Quærantur regi puellæ virgines ac speciosæ,

& mittantur qui considerent per universas provincias puellas speciosas & virgines: & adducant eas ad civitatem Susan, & tradant eas in domum seminarum sub manu Egei eunuchi, qui est præpositus & custos mulierum regiarum: & accipiant mundum muliebrem, & cetera ad usus necessaria.

Et quæcumque inter omnes oculis regis placuerit, ipsa regnet pro Vasthi. Placuit sermo regi: & ita, ut suggesserant, jussit fieri.

Hebraicè: Dixeruntque pueri regis, ministri ejus: Quærant regi puellas virgines bonas aspectu (speciosas) & præficiat rex præfectos in omnibus provinciis regni sui, & congregent omnem puellam virginem pulchram aspectu in Susan regiâ, in domum mulierum in manu Hege eunuchi regis, custodis mulierum, & det purificatoria earum, & puella quæ bona erit in oculis regis (placuerit) regnet pro Vasthi: & bonum fuit verbum in oculis regis (placuit) & fecit sic.

Iosephus uberiùs hæc prosequitur. Cùm, inquit, viderent regem amici in anxietate, quippe qui à consuetudine Vasthi disjungi ægrè ferebat, & tamē propter legem eam retinere non poterat, consulunt, ut inutilem mulieris amorem ex animo ejiciat, & factâ per totum orbem (Hyperbolicè hoc dictum) formosarum virginum inquisitione, quam aliis prætulerit optet sibi conjugem. Novâ enim inductâ prioris abo-leri posse desiderium, & eius recenti consuetudine amorem paulatim distractum in totum posse evanescere. Probavit Rex consilium, moxque mandavit certis hominibus, ut formâ celebres virgines ex toto regno selectas ad eum adducerent. Hæc ille. Postea verò earum numerum ad quadringentas extendit, cùm tamen Scriptura nullum certum virginum numerum inierit.

COMMENTARIVS.

CVm regii ministri, atrienses, à cubiculis, poculis, &c. regis animum amore Vasthi labefactatum viderent, & altum corde dolorem ipsum premere; ut ad omnem ejus nutum facti erant, excogitarunt recenti vulneri præsentissimum alexipharmacum & remedium, ut videlicet selectæ non ex unâ vel alterâ, sed ex omnibus latissimi imperii provinciis conquirerentur à præfectis formæ muliebris & expertissimis judicibus virgines speciosissimæ, ex quibus omnibus assumeretur una formâ pulcherrima, quæ maximè regi placeret, succederetque in locum Vasthi, atque hoc modo novâ Reginâ in thalamum Regis introductâ vetus prioris amor aboleretur.

Notat Mariana, rectè in Latinâ versione positum *puellæ virgines*, quia Naharah נערה Hebræum signat ætatem, Bethulah בתולה verò integritatem, quorum utrumque Halmah עלמה comprehendit. Deinde, pro *accipiant mundum muliebrem & cætera ad usus necessaria*, Hebraicè est dicto, quæ significat earum purificatoria, per quæ accipe unguenta, ut habent Septuagintâ, fucum & alia omnia ad curandam cutem opportuna. Cajetan. vertit vocem Hebræam, continuationes earum, & ait illa comprehendi omnia, quæ tam ad purgandum quàm ad præparandum & ornandum mulieres spectant. Vnde colligimus optimè transtulisse S. Hieronym.

Documentum Ethicum.

Rerum fluxarum amor æternorum bonorum, maximè divini Numinis amore pellendus.

10. Amor seculi amore Dei pellendus.

HVjus dogmatis moralis sensum mihi injecit S. Hieronym. qui ad hunc locū, quem excutimus, alludens, sic scribit ad Rusticum Epistolâ. *Philosophi seculi*, inquit, *solent amorem veterem amore novo quasi clavum clavo expellere. Quod & Assuero Regi septem principes fecere Persarum, ut Vasthi reginæ desiderium, aliarum puellarum amore compescerent. Illis vitium vitio, peccatumque peccato medicantur. Nos amore virtutum vitia superemus. Declina, ait, à malo, & fac bonum. Quære pacem & persequere eam. Nisi oderimus malum, bonum amare non possumus.* Sic ille.

Si carnale & antiquum reginæ Vasthi desiderium nova & incensa aliarum mulierum cupiditas Assueri pectore potens fuit eximere, ut ipsius palatini judicarunt, an non spiritualium bonorum Deique flagrantissimus amor præpoterit pravam omnem rerum caducarum cupidinem animis nostris exturbare? Poterit omnino, & prævalebit.

Ignis igne compescitur, amor amore superatur.

Demonstravit hoc olim Tertullian. libro ad Martyres, ubi ab Ethnicis ignem ultro appetitum docet famæ & gloriæ causâ. Hæc autem habet inter alia. *Mutius manum suam dexteram in aræ cremavit, ut hoc factum ejus fama haberet. Minus fecerunt Philosophi; Heraclitus, qui se bubalo stercore oblitum exussit: Item Empedocles, qui in ignes Ætnæi montis desilnit: Et Peregrinus, qui non olim se rogo emisit: cum feminæ quoque contempserint ignes. Dido cum post virum dilectissimum nubere cogeretur. Item Asdrubalis uxor, quæ jam ardente Carthagine cùm maritum suum supplicem Scipionis videret, cum filiis suis in incendium patriæ devolavit.* Post multa verò enarrata tormenta, quæ affectatione laudis humanæ profani gentiles ultro susceperē, ad Martyres convertens orationem, sic pergit: *Igitur, si tantum terrenæ gloriæ licet de corporis & animi vigore, ut gladium, ignem, crucem, bestias, tormenta contemnant sub præmio laudis humanæ, possum dicere, modicæ sunt istæ passiones ad consecutionem gloriæ cœlestis & divinæ mercedis. Tanti vitrum, quanti verum margaritum? Quis ergo non libentissimè tantum pro vero habeat erogare, quantum alii pro falso?* Hæc Afer ille eruditissimus & disertissimus Pater.

11. Gentiles cupiditate laudis ultro se ignibus dedērunt.

Quid Christiani faciant amore gloriæ æternæ?

Si tantum valuit fucatæ & bracteatæ famæ choragium in Romano pectore, v.g. Mutii Scævolæ, ut Porsenæ regis foculo injectam dexteram exureret, & quasi attonito in igne triumpharet, & sic, ut est apud Livium, regem alloqueretur: *En tibi, inquit, ut sentias quàm vile corpus sit iis qui magnam gloriam petunt, dexteramque accenso ad sacrificium foculo injicit*: Si, ut auctor est Valerius lib. 3, cap. 3, Pompeji probabilis virtus, qui dum legationis munere fungeretur, à Gentio Rege interceptus, cùm senatus consilia prodere juberetur, ardenti lucernæ admotum digitum cremandum præbuit, & suâ patientiâ expetendæ populi Romani amicitiæ magnam cupiditatem ingeneravit: Non prævalebit divinæ caritatis flamma, & æternæ gloriæ desiderium fortissimorum fidei pugilum Christianis animis, imisque medullis exæstuans candentes lamminas, ardentes prunas, craticulas ferreas, quæ de incendio continuo vim in se urendi conceperint, contemnere, ridere, superare, ut etiam immanes tyrannos ultionem suam vertere in admirationem cogant?

12. Mutii Scævolæ & Pompeji virtus.

13. Martyrum virtus, ut S. Laurentii.

Sic perorat sermone de S. Laurentio Magnus ille

ille Leo. *Nihil obstines, nihil proficis sæva crudelitas. Subtrahitur tormentis tuis materia mortalis, & Laurentio in cœlos abeunte tu deficis. Flammis tuis superari charitatis Christi flamma non potuit: segnior fuit ignis, qui foris missi, quam qui intus accendit.* Hactenus ille.

Sic & alii plures non solùm viri, sed & puellæ de tormentis, ignibus, tyrannis, naturâ ipsâ, tropæa erexerunt. Sed restringenda mihi intra limites suos oratio.

Næ, qui divini amoris suis in visceribus flammæ locum dederit, facile fœdæ cupidinis accensas faces extinxerit. Cupiditas cupiditate majore vincitur.

Habes hujus testes infinitos, Paulum, Magdalenam, alios, quorum penetralia castus Iesu amor sagittâ salutis vulneraverat.

14. S. Augustin. amorem seculi vicit Dei amore.

Vnius Augustini testimonium profero ex libro 9 Confession. cap. primo. *Quam suave*, inquit, Iesum affatus, *mihi subitò factum est carere suavitatibus nugarum & quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat. Ejiciebas enim eas à me, vera tu & summa suavitas, ejiciebas & intrabas pro eis omni voluptate dulcior, sed non carni & sanguini: omni luce clarior, sed omni secreto interior; omni honore sublimior, sed non sublimibus in se.* Hæc vir ille jaculo cœlestis amoris saucius; & plura.

15. Amores duo contrarii, Eros & Anteros ex Iamblicho.

Norunt litterati priscis gêminos fuisse Amores sive Cupidines. Vnus Eros, alter Anteros, vel Anticupido (si severitas Latini sermonis sic cum vocari pateretur) id est Amor, Veneris puello illi turpissimo contrarius. Iamblichus nobilis magus cùm aliquando suis cum auditoribus in amœno spatiaretur viridario, in quo fontes duo limpidissimi & uberrimi Numinibus sacri visebantur, hic quidem Eroti, alter Anteroti: Licet, inquit, religione impedior, ne arcanum aperiam, id tamen fiet vestri gratiâ. Tum cùm paucula verba immurmurasset, tactâ manu aquâ prioris fontis excivit inde pusiunculum formosissimum, aureâ cæsariê, roseis genis, oculis flammeis, ore venusto, quem ἔρωτα sive Amorem dicebat. Ad alterum deinde fontem cum accessisset, & pariter immurmurasset, alium edurit puellum formâ & decore alteri geminum. Hic, inquit, est ἀντέρως, sive contraamor. Ita Eunapius in Iamblicho, & ex illo Cresollius in Anthologiâ sacrâ cap. 11, Sectione 6, ubi & addit fuisse in Eleorum gymnasio ἔρωτος & ἀντέρωτος simulacra subtili artificio expressa. Ἔρως sive Amor palmæ ramum manu tenebat, quem Ἀντέρως illi extorquere nitebatur.

Monitum aliquod ex his commentis eliciamus.

Militant in membris, imò medullis cordis Amores duo; qui assiduè de palmâ, victoriâque obtinendâ decertant. *Spiritus*, inquit Apostolus ad Galat. 5, 17, *concupiscit adversus carnem, & caro adversus spiritum: hæc enim sibi invicem adversantur*; &c.

16. Amor Dei carnis amori palmam extorquet.

Apud profanos, Affuerum, palatinum ejus ministerium, plures etiam nomine quidem Christianos, re autem verâ Venereos & Cupidineos, palmam tenet caro sive Cupido. Nobis verò, quibus Christus altius insedit, adlaborandum est, ut Anteros sive divinus Amor Asmodæo sive spurco illi & carni immerso Cupidini palmam extorqueat.

Vincat amor Christi, superumque immensa cupido.

Fingunt profani vates Amorem mirari ab altero Amore adversario ignem suum extinctum, tela telis refracta, vim viribus elisam. Sic se res habet, dum nos ardentes libidinis tædas, quas assiduè incendit, & ventilat impurus amor, divinore flammâ compescimus, sopimus, extinguimus.

17. Leo igneus cum sit, ignem formidat.

Nemo nescit leonis igneum esse vigorem & virturem. Nam alibi etiam diximus ex Physiologis, ex ossibus illius collisis, tamquam ex silice & saxo commissis scintillas abscedere. Et tamen iidem passim tradunt, igneum illud animal præcipuè ignem formidare, ut præter alios prodidit Aristoteles lib. 4 de Historiâ animal. c. 44, Plin. lib. 8, cap. 6.

Bene est: igneas Asmodæi faces, Avernalis illius Leonis adversarias flammas & violentiam, qui circuit quærens quem devoret, & quæ in fornace corporis nostri excitat & alit incendia restinguet major & intentior divini amoris flamma, ignis inquam, ille, de quo Sol justitiæ Christus ipse loquitur Lucæ 12, 49: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi ut accendatur?*

Exegesis Allegorica.

Innumera virginum multitudo, quæ illucescente Euangelio Susan, id est, in sacros Parthenones ad Christum Regem Regum adductæ fuerunt.

18. Mulierum ad-nem virginum Christo sacrarum ostendit Psalmus 44.

HVnc innumerabilium virginum chorum, quæ integritatem spiritus & corporis Christo sponso consecrarunt in Susan, Epigraphe sive titulus Psalmi 44 indicat, qui Hebraice est, *pro Susannim*, שושנים id est, *liliis*, (de qua re alibi) videlicet, pro liliatis virginum Christi castris & choris. Sic autem ibi ℣. 16 prædicit & præcinit divinus ille Chorագus; *Adducentur regi virgines post eam; proximæ ejus afferentur tibi.* & ℣. 17: *Afferentur in lætitiâ & exultatione, adducentur in templum regis.* Ita ibi omnes Interpretes.

Quamvis enim una Esther, id est, Ecclesia Christiana sit carissima Iesu sponsa, post eam tamen præcipuâ quadam ratione etiam sponsæ Christi sunt virgines, quæ per corporis & animi incorruptionem se ipsi dicarunt, & soli placere student, juxta illud 1 ad Corinth. 7, 34, *Mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta & corpore & spiritu.* Dicuntur verò afferri in lætitiâ & exultatione, quia illis solis in ore est illud *Canticum novum*, de quo Apocalyp. 14. Nec malè quidam per Reginam, post quam Regi virgines adducendæ sunt, accipiunt Virginem Matrem, quia ante eam nullæ, post eam innumeræ virginitatem suam Christo Regi dedicarunt.

Et quid mirum, si Christum sponsum & virginem, virginitatis ducem & antesignanum, cujus nomen est *oleum effusum*, unguentum exinanitum, virgines sequantur, ut columbæ candidatæ odore suavitatis illius pellectæ, si agno agnæ ἀγναὶ, si Regi apiculæ, turturi palumbes adhæreant. Eleganter Tertullian. *Vbi verbum natum est de carne nullis nuptiis resignatâ, & ubi Verbum factum est caro, nullis nuptiis resignanda, totus mundus puritas est.* Certè S. Augustin. tomo decimo, homil. 33 inter quinquaginta, exponens illud

19. Christus passer & turtur.

illud Psalmi 83: *Passer invenit sibi domum, & turtur nidum sibi*; Christo adaptat. *Passer*, ait, *per parva est avis, turtur pudicissima. Et ideo Salvator noster passer dicitur, quia docuit primus humilitatem: Turtur dictus est, quia docuit primus castitatem. Unde etiam in Canticis Canticorum Propheta dicit: Vox turturis audita est in terrâ nostrâ. Vox turturis doctrina intelligitur Salvatoris: audire cœpit; puritatem castitatis adamavit.* Hactenus ille.

S. Iustinus Martyr Apologiâ 2 ait, suo tempore innumerabiles in Ecclesia, in omni hominum statu, castos permansisse.

20. Vrtica libido, myrtus castitas.

Prædixerat hoc Isaias cap. 55, ℣. 13. *pro urticâ*, inquit, *crescet myrtus*: quæ verba exponens S. Gregor. lib 18 Moral. cap. 13, scribit: *Vrtica igneæ omnino naturæ est, myrtus autem temperativæ fertur esse virtutis. Pro urticâ igitur crescit myrtus, cum justorum mentes à prurigine, & ardore vitiorum ad cogitationum temperiem, tranquillitatemque perveniunt, dum carnis flammas desideriis cœlestibus extinguunt.*

21. Christus concha margaritifera, quem sequitur margaritarum, id est, virginum agmen.

Produnt Physiologi, & in iis Megasthenes apud Arrianum de rebus Indicis, in India conchâ margaritiferam capi, versarique circa eam agmen multarum concharum veluti uvam, vel examen apum. Regem enim suum, vel si mavis, Reginam, margaritas habere, ut apiculas; ac si forte Regem capi contingat reliquum etiam gemmeum agmen celeriter ei circumfundi.

Quis regius ille unio, ac nobile margaritum, nisi unigenitus Dei Patris & virginis Matris filius, candor lucis æternæ, & speculum sine macula? qui cum in terrâ ex virgine natus apparuit, margaritarum, virginum, inquam, maximi exercitus, & chori ad eum concurrerunt, quas ille cœlesti amore sibi maritavit.

Ipsam etiam virginem virginum Mariam conchâm margaritiferam, (quæ ut loquitur S. Damascenus oratione primâ de ejus Nativitate, *cœlitus ex divinitatis fulgetro in utero concepit & Christum ingentis pretii unionem peperit*) deinceps secutæ sunt puellarum choreæ, & adolescentularum turbæ, quarum non est numerus. Sed quomodo S. Maria sit concha margaritifera, vide quæ à nobis dicta in Ecclesiastici 24, ℣. 43.

22. Item regina Margaritarum, est Dei Mater.

23. Dei Mater præfuit Collegio Virginum.

Scriptum reliquit Dionys. Carthusian. in 1 Sentent. d. 16, q. 2, fuisse Ierosolymis Collegium virginum, quæ sub peculiari institutione Matris Virginis degebant, quas, centum viginti cùm essent, à Deo sibi communicatâ sapientiâ imbuebat. Est hoc valde probabile; Consule Antonium Spinellum de Deiparâ cap. 37, n. 18 & sequent.

24. Etiam initio Ecclesiæ innumera Virginum multitudo.

Innumerabilem etiam inter Neophytos ipsis Ecclesiæ incunabulis fuisse Virginum multitudinem, testes locupletissimi sunt Philo, S. Ignatius, Iustinus, Tertullian. Athenagoras, quorum hic ita scriptum reliquit in oratione pro Christianis, quæ habetur inter opera S. Iustini: *Et reperire est apud nos permultos & viros & mulieres, qui in cœlibatu consenescunt, spe illâ adducti quòd, in tali genere vitæ, conversari prolixius cum Deo possint.* Adi S. Cyprian. lib. de habitu Virginum. S. Ambros. lib. 3 de virginib. *Si quis*, inquit, *putet consecratione virginum minui genus humanum, consideret, quia ubi pauca virgines, ibi etiam pauciores homines: ubi virginitatis studia crebriora, ibi numerum quoque hominum esse majorem. Discite quantas Alexandrina, totiusque Orientis, & Africana Ecclesia quotannis consecrare consueverunt. Pauciores hic homines prodeunt, quam illic virgines consecrantur.* Lege eundem adversus Symmachum lib. 2. & Chrysostom. Homil. 13 super caput 8 ad Roman. Augustin. lib. primo de Morib. Ecclesiæ, cap 30 & 31, lib. 30 contra Faustum, cap. 4. lib. de Sanctâ Virginit. cap. 36. Theodoretum in Philothea, in vitâ Dominæ cap. 30 sive ultimo, Palladium in Lausiacâ, Rufinum in vitis Patrum cap. 5, lib. 2 apud Heribertum, ubi in quadam Thebaidis civitate nomine Oxyrycho testatur plura fuisse monasteria quam domos, & se comperisse ab ejus loci episcopo, viginti millia virginum inibi habitare, & decem millia monachorum.

26. Oxyrynchi viginti millia virginum.

Nullus ergo sermo explicet numerum Virginum, quas integritatis amor Christo sacro flammeo dedicavit, & adduxit in Sion, id est Parthenones & virgineas domos. Flammeum vocat S. Hieron. epist. 8 sacrum velum, quo virgines olim caput obnubebant, quæ pudicitiam illi suam vovebant, unde & sponsæ à SS. PP. appellabantur, & à S. Ignatio Epist. 10 ad Heronem, *pretiosa Christo monilia.*

S. Hieron. epistolâ 22 ad Eustochium de custodiâ virginitatis. *Virgo*, ait, *Elisæ, Elisæus virgo, virgines multis filii prophetarum. Ieremiæ dicitur: Et tu ne accipias uxorem. Inveniebatur ergo in viris tantum hoc continentiæ donum, & in dolo-ribus jugiter Eva parturiebat. Postquam verò Virgo concepit in utero, & peperit nobis puerum, cujus principatus in humeris ejus, Deum fortem, patrem futuri seculi, soluta maledictio est; mors per Evam, vita per Mariam. Ideòque & divitis virginitatis donum fluxit in feminas, quia cœpit à feminâ: statim ut filius Dei ingressus est super terram, novam sibi familiam instituit, ut qui ab Angelis adorabatur in cœlo, haberet Angelos & in terris.* Hactenus ille.

In harum virginum choro eminet Ioanna Lusitaniæ Princeps, cui Alphonsus Pater, in Mauritaniæ expeditionem tendens, plenam regni administrationem commiserat. De hac sic scribit Antonius Vasconcellius Anacephalæosi 17 Regum Lusitaniæ. *Cum Arzillâ, & Tingis Mauritaniæ nobilissimis urbibus vi captis è victoria Alphonsus triumphabundus domum se reciperet, occurrit obviam Ioanna virgo octavum supra decimum annum agens, ad miraculum ornata & pulchra: postquam patris manum deosculata, & Principem Ioannem fratrem amplexa est, Duces & regni primates gratulabunda salutavit, ita coram omnibus patrem allocuta fertur, filiæ intuitu, quam bellicâ gloriâ lætiorem; ut victorias primùm gratulata, à pietate fore diceret, si se, quam præ omnibus carissimam haberet, Numinis obsequio gratus manciparet, liberamque Parthenium eligendi copiam faceret, quando nihil sibi optabilius posset accidere, quàm inter Christi ancillas abdicato regio fastu, quod reliquum esset vitæ traducere: pluraque in suam rem adeo scitè & prudenter congessit, ut admiratus Alphonsus, manantibus ubertim præ desiderio & dolore lacrymis, ne Numini videretur contrarie, ut erat religiosus, & in omnem pietatem propensus, precibus annuerit.* Hæc & plura Vasconcellius de sanctissimæ, & nobilissimæ heroinæ pluribus regiis procis expetitæ primâ ad Parthenonem animi applicatione. Lector sequentia perlegat.

25. Vbi multæ Virgines, ibi multi homines.

27. Ioannæ Lusitaniæ Principis in Parthenonem recessus.

VER-

VERSVS V, VI & VII.

Erat vir Iudæus in Susan civitate, vocabulo Mardochæus, filius Iair, filii Semei, filii Cis, de stirpe Iemini,

qui translatus fuerat de Ierusalem eo tempore, quo Iechoniam regem Iuda Nabuchodonosor rex Babylonis transtulerat,

qui fuit nutritius filiæ fratris sui Edissæ, quæ altero nomine vocabatur Esther: & utrumque parentem amiserat: pulchra nimis, & decorâ facie: mortuisque patre ejus ac matre, Mardochæus sibi eam adoptavit in filiam.

Hebraicè: Vir Iehudæus erat in Susan Habbirah (metropoli, regiâ) & nomen ejus Mardochai, filius Iair, filius Simhi, filius Cis, vir Iemini. Qui translatus fuerat de Ierusalaim cum transmigratione, quæ translata est cum Iechoniah rege Iehudah, quam transmigrare fecerat Nebuchadnesar Rex Babel: Et fuit nutriens Hadasa, ipsa est Esther, filiam patrui sui, quia non erat ei pater & mater, & puella erat pulchra formâ & decora aspectu, & cùm mortuus fuisset pater ejus & mater ejus, accepit eam Mardochai sibi in filiam.

Iosephus sic seriem suæ narrationis pertexit: Id mandatum illis (constitutis viris) diligenter exequentibus (de adducendis virginibus) inventa est Babylone Esther puella, utroque parente orbata, quæ apud patruum Mardochæum educabatur. Is erat tribus Benjamiticæ, unus ex Iudæorum primatibus. Hæc puella præ ceteris omnibus excellebat pulchritudine, & gratiis vultus in se oculos convertebat.

COMMENTARIVS.

DEscribitur genealogia & stirps Mardochæi & consequenter Estheræ ejus neptis ex fratre, ipsius verò filiæ adoptivæ: cognitâ enim Mardochæi prosapiâ, etiam Estheræ cognoscitur. Non solet autem Scriptura progeniem vel genus mulierum diducere.

Plura hìc occurrunt circa litteram examinanda.

Erat vir Iudæus: Non ex tribu, sed Israelita & Hebræus.

In Susan civitate: Refellitur hinc error Iosephi, qui scribit Estheram inventam Babylone, ibique educatam à Mardochæo. Habitabat enim tunc temporis, cùm virgines quærerentur, Susis, & etiam antea, secundo anno Artaxerxis, ut habes cap. 11, ℣. 3. Vnde non est necesse cum quibusdam dicere, Mardochæum Babylone negotiorũ causâ ad aulam regis, quæ Susis erat, se recepisse: quin potiùs non malè hunc quidam colligunt, etiam id temporis Mardochæum fuisse è numero palatinorum Assueri; tum quia in textu Hebræo hìc rursus habetur in Susan Habbirah, id est, in regiâ Susianâ, tum quia putatur Mardochæus fuisse è stirpe regiâ, & Iosephus tradit illum fuisse è Iudæorum primatibus. Verisimile autem est, exemplo Nabuchodonosoris Chaldæi Daniel. 1, ℣. 3, etiam Persàrum reges adolescentes Hebræos de semine regio suo in palatio nutrivisse, & manifestè dicitur inferiùs cap. 11, ℣. 3, Mardochæus fuisse vir magnus, & inter primos aulæ regiæ: quod tamen Salianus, anno 2 Artaxerxis Longimani, putat dictum esse per anticipationem, non enim tunc magnus, sed postea.

Vocabulo Mardochæus: Hic vir fuit celeberrimus, per quem salutem magnam dedit Deus Israeli.

Meminit Esdras lib. 1, cap. 2, cujusdam Mardochai, qui cum Zorobabele ascenderat de captivitate in Iudæam ad reædificandã Ierusalem. Eadem habentur 2 Esdræ 7, ℣. 6, & 7, ubi ponitur non Mardochai, formâ Hebraicâ, sed Latinâ & Græcâ, Mardochæus. Meminit etiam Iosephus lib. 11 Antiquitatum cap. 4, cujusdam Mardochæi, qui cum Zorobabele & aliis Babylone profectus fuerat Ierosolyma tempore Darii Hystaspis. Ajunt autem Hebræi eum jam inde rediisse, cùm virgines ad Assuerum adducerentur. Neque enim poterat diu abesse ab aulâ regis, cùm, ut dicitur cap. 11, ℣. 3, esset vir magnus, & inter primos aulæ regiæ, &, ut hoc capite habetur ℣. 19, maneret ad januam regis, quod officium solis regii corporis custodibus, qui è primis principibus erant, concedi solebat, testibus Herodoto lib. 3 & Xenophonte lib. primo Anabasεos. Verùm hunc nostrum cum illo confundere eumdemque asserere mera conjectura est.

28. Mardochæus interpretatur amara contritio, & quare ita vocetur.

Ajunt Hebraizantes nomine Mardochæi vel Mardochai significari amaram contritionem vel myrrham contritam, docentem contritionem, myrrham puriſſimam. Et profectò nomen illud ejusque notio rectè viro illi convenit, tum quia, ut indicatur cap. 4, 1, *Cum audisset Mardochæus* (instare sibi & genti suæ perditionem, machinante Amane iniquissimo) *scidit vestimenta sua, indutus est sacco spargens cinerem capiti: & in [illegible] mediæ civitatis voce magnâ clamabat, ostendens amaritudinem animi sui.* En amaritudo & contritio Mardochæi! tum quia, ut ibidem legimus ℣. 3, tunc temporis, *planctus ingens erat apud Iudæos, jejunium, ululatus, & fletus, sacco & cinere multis pro strato utentibus.* En myrrha contrita!

Progreditur auctor facer: *Mardochæus filius Iair, filii Semei, filii Cis, de stirpe Iemini.* Erat ergo pater Mardochæi Iair, avus Semei, abavus vel proavus Cis. Eadem habentur c. 11, ℣. 2, nisi quòd clariùs ibi dicitur pro *stirpe Iemini*, de tribu Benjamin.

Ex hoc loco multi multa hariolantur vel so-

mniant potiùs, quæ omnia non duxi operæ pretium referre. videat Lector Sanctium hîc; si vacat Chaldæi Paraphrastæ somnia legere.

Nomina parentum Mardochæi satis per se insinuant illum fuisse Benjamitâ, quia hujusmodi occurrunt in historia Saulis. Non tamen putandum hunc Cis proavum Mardochæi fuisse patrem Saulis (licet hoc asserat Salianus initio anni 2 Artaxerxis Longimani) aut ejus avum fuisse nequam illud caput, quod maledicta in Davidem innocentissimum jactavit: 2 Regum 16, vers. 5, & sequent. Cum tamen Iosephus affirmet Estheram regio sanguine fatam, fieri potuit, ut Mardochæus fuerit prognatus stirpe Saulis Regis, idque per Ionathan & Mephiboseth.

Mardochæus Benjamita.

De stirpe Iemini, vel, ut Hebraicè, vir Iemini. Dubitare nullo modo debemus Mardochæum fuisse de tribu Benjamin vel Benjamitam cùm hoc apertè dicatur cap. 11, ℣. 2.

Vbi nota ex Sanctio hîc & Isaiæ cap. 7, ℣. 5, Iemini eumdem esse qui Benjamin, ut communiter etiam docent Hebræi, & cum illis Cajetanus & expresè Septuaginta, qui, ubicumque noster habet, filius Iemini, legunt Benjamitam.

2°. Idem est Iemini & Benjamin.

Est autem usitatum non modo in aliis linguis, sed etiam in Hebræâ, ut in dictionibus compositis altera pars compositi per Aphæresin omittatur. Sic ponitur Iacim vel Ioacim pro Heliacim, Salem pro Ierusalem, Lehem pro Bethlehem, Lehemita pro Bethlemita. Sic dicitur Iemini, pro Benjemini, seu Benjamin. Hæc rectè Sanctius.

Qui translatus fuerat de Ierusalem eo tempore quo Iechoniam Regem Iuda Naduchodonosor Rex Babylonis transtulerat.

Habes autem hac de re historiam 4 Reg. 24, ℣. 15, ubi loquens de Nabuchodonosore sic ait: *Transtulit quoque Iouchin* (idem est cum Iechonia) *in Babylonem &c.* & ℣. 16, *Et omnes viros robustos septem millia*, &c.

3°. An Mardochæus translatus fuit?

Porrò difficultas hîc oritur, quî potuerit Mardochæus unus esse ex translatis sub Iechoniâ in Babylonem, & tamen supersesse usque ad imperium vel Darii Hystaspis, vel etiam Artaxerxis Longimani vel Mnemonis, vel etiam alicujus è Persarum regibus posterioribus. Fuisset enim tunc temporis admodum grandi natu, & etiam decrepitus, minusque aptus ad aulæ officia obeunda, conficiendaque res, quas legimus illum perfeciisse.

Invenio tres Doctorum ad hanc responsiones.

Prima opinio, non ipse sed Cis ejus proavus.

Prima est eorum, qui *Qui translatus fuerat* accipiunt non de Mardochæo, sed de Cis ejus proavo, quem respicere ajunt illud Relativum *Qui*. Ita necessariò tenere debent omnes illi auctores qui historiam Estheræ accidisse putant sub extrema imperii Persici tempora, inter quos est Nicolaus Serarius hîc. Existimat enim maritum Reginæ nostræ fuisse Artaxerxē Ochum duodecimum Persarum monarcham, & ante eum eidē opinioni adhæsit Cajetan. in Commentariis hîc, dum ita scribit: *Relativum, Qui, refert Cis: unde non est sensus, quòd Mardochæus captus fuerit, sed quod Cis proavus ejus: propterea enim genealogiam Mardochæi texuit usque ad Cis, & non ascendit ultra, quia ipse Cis dudum fuit in Babylonem.* Hæc Cajetan. qui tamen asserit Assuerum nostrum fuisse Artaxerxem Longimanum filium Xerxis. Præcesserat Rupertus lib. 8 de victoriâ Verbi Dei, c. 5. Ita & Burgensis, & alii.

Sed hæc responsio nullo modo placet, tum quia est contra simplicitatem textus, qui requirit ut istud Relativum pertineat ad Mardochæum, de quo & dicitur ℣. 7 sequente, *Qui fuit nutritius*, &c. utrumque enim Relativum *Qui* eamdem respicit personam; tum quia, ut rectè animadvertit Gaspar Sanctius hic, qui historiā hanc refert ad tempora Longimani, explicationem istam nullo modo admittunt verba, quæ leguntur infrà cap. 11, ℣. 2, & sequent. *Vidit somnium Mardochæus filius Iairi, filii Semei, filii Cis, de tribu Benjamin, homo Iudæus. Erat autem de eo numero captivorum, quos transtulerat Nabuchodonosor Rex Babylonis de Ierusalem cum Iechonia Rege Iuda.* Quis autem hæc verba ad alium referat quam ad Mardochæum.

Multò minùs illi audiendi sunt, qui hæc verba textus referunt ad Iemini. Nimis enim manifestum est, idem esse Iemini cum Benjamin filio Iacob.

Secunda opinio asserit Mardochæum translatum in propriâ persona.

Altera Responsio est eorum, qui ponunt Mardochæum floruisse initio Monarchiæ Persicæ, vel saltem tempore Darii Hystaspidæ, ut Feuardentius, Tirinus, Lyranus & alii, qui accipiunt simpliciter verba illa, *Qui translatus fuerat*, de ipso Mardochæo, non in parente, avo vel proavo suo, sed in persona propriâ, & probant ex verbis cap. 11, 4. ubi dicitur Mardochæus fuisse de eo numero captivorum quos transtulerat Rex Babylonis. Ita etiam Mariana; & sic cum Esdra redire Ierosolymam potuit, ut dicitur 1 Esdræ cap. 2, ℣. 2. fuisset verò Mardochæus sub Hystaspide circiter 90 annorum, quæ ætas in quibusdam firmiorum virium non est inhabilis ad res gerendas. Imò Sanctius hîc, qui ponit historiam hanc sub Longimano, non absurdum putat, si quis Mardochæo contigisse dicat, quod sub illud tempus & nostro ævo consecuti sunt alii. Sic Plinius lib. 7, c. 48, multa adducit exempla eorum qui ætatem Mardochæi excesserunt, (etiam si daremus illum perveniisse ad annum 156, quot illi annos tribuit Salianus suprà, initio anni secundi Artaxerxis Longimani) & ducentos trecentosque impleverunt annos, quorum plerique nostro ævo propiores fuerunt.

31. Senex in Indiâ annos natos 335.

Non incredibilia esse quæ dicta sunt, facit id quod narrat Petr. Maffejus Histor. Indicarum lib. undecimo, his verbis: *Quidam è Gangaridum gente, quam hodie Bengalam vocant, ad prætorem adiit, natus, ut ferebatur, annos trecentos triginta quinque, neque mendacii suspicio fuberat: nam & seniores, qui tum erant, se de hac eodem grandævo ajebant à majoribus accepisse, & ipse filium habebat nonagenarium, & cum literam nosset nullam, quæ referebantur ab eo de veterum gestis rebus, ad fidem Annalium optime congruebant. Huic aliquoties jam decidérant dentes, aliis continuò subnascentibus, & barba ubi prorsus incanuisset, in atrum denno colorem, idque paulatim, semet ipsa vertebat.* Hactenus Maffejus.

Seculo nostro vixit in Anglià quidam Thomas Par annos 152 sub pluribus Regibus. Ajunt etiam Patres nostri Brasilii, nihil novi esse in Brasiliâ, ubi aura est temperata & minimè torrida, licèt antiqui existimarunt, vitam ad annos centum producere.

Ad-

Addit Dionyſ. hîc, Deum, ut populum ſuum ſervaret, Mardochæi ætatem prorogaſſe, deinde quoſdam vixiſſe ad plura etiam ſecula, tria vel quatuor, ut quidam, qui ob grandævam ætatem vocabatur Ioannes de Tempore, & alius, qui in Hollandiâ ſuo tempore multum annum centeſimum exceſſit.

Hæc reſponſio eſt ſimpliciſſima & probabiliſſima, ſecundum quam, ne miraculum contiguſſe dicamus in annis vel Mardochæi, vel Eſtheræ, ſentiendum erit cum illis, qui Aſſuerum noſtrum ajunt fuiſſe Darium Hyſtaſpiden.

Tertia opinio docet Mardochæum translatum in ſuis parentibus.

Tertia nihilominus reſponſio communis eſt multorum, qui hiſtoriam hanc ponunt ſub Longimano vel Mnemone, dici hîc tranſlatum Mardochæum à Nabuchodonoſor cum Iechoniâ, non in propriâ perſonâ, ſed in ſuis parentibus. Ita Salianus anno Longimani ſecundo ſub initium anni mundi 3591, Sa hîc, Stephanus Menochius hîc, Bellarm. lib. 1 de Verbo Dei, c. 7, Torniellus in Annalibus tum anno mundi 3456, tum fuſiùs 3590, Pererius lib. 10 & 13 in Daniel, Eſtius in locis difficilioribus ſacræ ſcripturæ, in cap. 2 hujus libri, & alii. Similia proferunt ex literis ſacris exempla Salianus, Torniellus, Eſtius, alii. 1 Eſdræ 2, ℣. 1, & 2, & 2 Eſdræ 7. ℣. 6, & 7, inter illos qui dicuntur venuſſe de captivitate Babylonis, Zorobabel, Ioſuæ, Nehemias numerantur, qui tamen numquam illam viderant, & conſtat Matth. primo ℣. 12, Zorobabelem natum eſſe poſt tranſmigrationem & captivitatem Babylonis. Sic Geneſis 45, ℣. 27, & Deuteron. c. 10, ℣. 22, in illis ſeptuaginta animabus, quæ dicuntur cum Iacob ingreſſæ in Ægyptum, numerantur etiam duo filii Ioſephi in Ægypto nati.

Torniellus autem ſuprà anno mundi 3590, adfert rationes, cur Mardochæus recenſeatur inter ortos à parentibus, qui cum Iechoniâ rege Iuda fuerunt tranſlati in captivitatem Babylonicam; quia hoc ad laudem Mardochæi magnopere pertinebat, quod videlicet non fuerit è numero illorum captivorum, qui tranſlati erant cum Sedeciâ rebelli & pertinaciſſimo. Deinde illud fuit, cur Mardochæus tantopere ab Artaxerxe eveheretur, ut Iechonias exaltatus fuerat ab Evilmerodacho, 4 Regum 25, v. 27. Vide Ieremiæ cap. 24.

De ætate verò Eſther minor eſt dubitatio. Illa enim non dicitur tranſlata cum Iechoniâ, ſed ne quidem ejus pater Abihail frater Mardochæi. Unde fieri poteſt, ut tempore Aſſueri Regis fuerit virgo nubilis; & in ætatis flore. Ergo dicere poſſumus Iairum patrem Mardochæi, quando cum Mardochæo parvulo tranſmigravit Babylonem, fuiſſe vigente ætate & robore; ibi verò annis jam gravem genuiſſe Abihailem Mardochæi fratrem, qui etiam grandævus ſuſcepit Eſtheram, quæ regnante Aſſuero, annis, formâ, gratiâ florebat, & reliquis puellis præſtabat.

32. Ætas Eſtheræ.

Tantùm hîc obſerva Mardochæum virum religioſiſſimum & mandatorum Dei obſervantiſſimum, cum ſceleratiſſimis quibuſque & impiiſſimis eamdem captivitatem ſubiiſſe, hæc enim mala temporalia piis & impiis communia ſunt, licèt diverſo affectu ab utriſque tolerentur. Tractat hoc argumentum luculente S. Auguſtin. l. 1 de civitate Dei cap. 8, ex quo paucula exſcribo. *Quicumque*, inquit, *boni malique; pariter afflicti ſunt, non ideo ipſi diſtincti non ſunt, quia diſtinctum non eſt, quod utrique perpeſſi ſunt. Manet enim diſſimilitudo paſſorum etiam in ſimilitudine paſſionum, & licèt ſub eodem tormento, non eſt idem virtus & vitium. Nam ſicut ſub uno igne aurum rutilat, palea fumat, & ſub eâdem tribula ſtipulæ comminuuntur, frumenta purgantur; nec ideo cum oleo amurca confunditur, quia eodem præli pondere exprimitur: ita una eademque vis ſtruens bonos probat, purificat, eliquat; malos damnat, vaſtat, exterminat. Vnde in eâdem afflictione mali Deum deteſtantur, atque blaſphemant; boni autem precantur, & laudant. Tantum intereſt, non qualia, ſed qualis quiſque patiatur. Nam pars mœroris exagitatum & exhalat horribiliter cœnum, & ſuaviter fragrat unguentum.* Hæc & plura alia in ſequentib. S. Auguſtin.

33. Patiuntur mali & boni & mali, ſed hi fiunt patiendo pejores, iſti verò meliores.

Qui fuit nutritius filiæ fratris ſui Ediſſæ, quæ altero nomine vocabatur Eſther: Mardochæus Eſtheram puellâ parentibus orbam in curam tutelamque ſuam accepit, quam nutriret, & inſtitueret, optimiſque moribus imbueret. Fuit hæc puella binominis, quorum prius nomen illi agnatum, hoc eſt impoſitum poſtquam in lucem fuit edita, idque Hebraicum, ſonans myrteam vel myrtinam. Eſt enim linguâ ſacrâ ex Hadas myrtus; fortè ſic vocata à parentibus ob venuſtatem. Rabanus & Gloſſa interpretantur miſericordiam, vel miſericordiam conſecutam; unde ejus nomen aptant Eccleſiæ gentium; ſed eſt hoc Allegoricum.

34. Ediſſa myrtum ſignificat.

Nota olim myrtũ fuiſſe ſacram Veneri, vel quia putabatur juvare fecunditatem, vel ob nitorem & gratam viriditatem. Verùm S. Gregor. aliquot locis docet myrtum vim habere temperatam. Audi eum libro 18 moral. c. 13, ubi explicat verba Iſaiæ 55, ℣. 13, *Pro urtica creſcet myrtus. Vrtica*, inquit, *igneæ omnino naturæ eſt: myrtus autem temperativa fertur eſſe virtutis. Pro urtica igitur creſcit myrtus, cùm juſtorum mentes à prurigine & ardore vitiorum ad cogitationum temperiem, tranquillitatemque perveniunt, dum jam terrena non appetunt, dum flammas carnis deſideriis cœleſtibus extinguunt.* Rurſus idem homiliâ 20 in Euangelia explicans illa Iſaiæ cap. 41, ℣. 19, *Dabo in ſolitudinem cedrum, & ſpinam, & myrtum, & lignum olivæ*, &c. inter alia ſic ait: *Myrti ſunt, qui proximorum tribulationem per compaſſionem temperant.*

35. Myrti naturâ temperatâ landi ſignificantur.

Ex myrti ergo proprietatibus imprimis colligimus, Ediſſæ nomen convenienter tributum Reginæ noſtræ, tum quia fuit arbor ſive femina fecunda virtutibus, (quas Rupertus lib. 8 de victoriâ verbi Dei, & nos alibi recenſebimus) honeſtatis odore celebris. Deinde inſigni dote continentiæ illam temperatam ſive præditam fuiſſe ſatis conſtat, dum ſolo amore ſalutis gentis ſuæ conjuncta fuit Aſſuero, ut ipſa in oratione ſuâ coram Domino fatetur c. 14, 15, *Noſti*, ait, *quia deteſter cubile incircumciſorum*; ſic ipſa ob commune bonum tanquam myrtus nupſit urticæ, nempe Aſſuero regi libidine prurienti. Tertiò, non minus ipſa populi ſui afflictionem miſericordiæ myrto ſive unguento myrtino commiſerationis temperavit, dum manifeſto mortis periculo pro illo ſe objecit.

36. Eſthera Myrtus, ob ſuas virtutes & animi dotes.

Ajunt Interpretes ad illud Zachariæ primo, ℣. 8, *Et ecce vir aſcendens ſuper equum ruſum, & ipſe ſtabat inter myrtea, quæ erant in profundo*, &c.

alludere Prophetam ad nomen, mores, aulam, familiam, & familiares Esther Reginæ, quæ vocata est Hadisca, id est myrtus. Ipsa enim putatur sub tempus vixisse, quo Zacharias hoc accepit oraculum, & Archangelum Michaelem vidit inter myrteta quæ sunt in Babylone, & nascuntur locis profundis & irriguis vicinis Euphrati & Tigri, qui huic urbi proximi. Igitur visus est S. Michael inter myrteta, hoc est, in palatio & familia Esther, quæ nomine & virtute erat myrtus; quasi portendens ejus conjugium cum Assuero tertio illius anno celebratum. Rursum stabat Angelus inter myrteta, id est, inter Estheræ familiares & affectas, nempe Mardochæum, Esdram, Nehemiam, Zorobabelem, Iesum filium Iosedec, qui Estheræ Reginæ obsecundabant, erantque pariter virore & vigore animi, morumque, myrti & myrteta, & principes eminentes in populo. In Estheræ itaque familiâ virtutum omnium fragrantiâ, pulchritudine, soliditate celeberrimâ stabat cum suis comitibus Ecclesiæ præses & princeps Michael, novum de cœlo beneficium illi significans, & per hanc familiam toti reliquæ genti Iudæorum, connubium scilicet cum Assuero, & liberationem populi sui à tyrannide & calumniis Amani. Hæc ferè Cornelius a Lapide, Iacob. Tirinus & alii; qui etiam Cornelius Deiparæ & hominibus justis quindecim myrti applicat mystice proprietates, quem Lector consulat, ubi inter alia mysticè nostra Hadisca & myrtus, nostra, inquam, Esther est B. Virgo, quæ sibi devotos salvat, & ab Amano, id est, diabolo, liberat. Stant ergo Angeli inter myrteta, id est, sub B. Virginis alis & umbra, vel inter ejus fideles, congregationes & cœtus ipsi dicatos, ut per ejus merita & preces suis clientibus veniam, gratiam & consolationem impetrent. Myrtus enim læta & decora symbolum est felicitatis. Hæc ille & plura.

37. S. Michael stans inter Myrteta portendebat felicitatem Estheræ, & ejus familiæ.

Venio ad alterum Reginæ nomen, Esther, cujus Hebraizantes variam adferunt notionem.

38. Quæ notio nominis Esther?

Dicunt enim idem esse, quod occulta, demoliens, vel medicinæ exploratio, & contemplatio, vel medicina turturis, vel pulchra ut Luna. Quis credat?

Dico ego, Esther non esse vocem Hebræam, sed Persicam vel Medicam, & ideo originationem illius ex idiomate Persico petendam. Puto ergo Esther idem esse apud Persas, quod After, & stellam vel astrum sonat, & inde probatur quòd Zoroaster Persès fuerit, & apud Persas Magorum princeps, qui pudefactus antiquo nomine Zarades, quo ante vocabatur, nomen sibi impositum volunt Zoroaster. Exponit verò illud Diogenes Laertius procemio de vitis Philosophorum ex Dione, ἀστροθύτην, id est, astrorum cultorem, S. verò Clemens Romanus lib 4 Recognitionum, & alii ζῶσαν ἄστρον, vivum astrum. Si ergo After Persicè stella est, ut & Græcum ἀστὴρ, quis neget mutatione unius elementi Esther idem esse cum After? unde forte etiam, ut conjicit Iacobus Tirinus, Belgicum Sterre, stella.

39. Esther Persice Astrum.

40. Quid Zoroaster significet?

Bellissimè verò nomen Astri Reginæ nostræ adscribitur, quæ in densissimis nebulis gentilitatis, & fœdissimis Iudaicæ calamitatis tenebris tamquam fulgentissimum sidus apparuit.

41. Esther quare After.

Nec abludit Etymon hoc à nomine Reginæ mundi Mariæ, quam omnes maris stellam salutant.

Dubitari verò possit, quo tempore nomen Estheræ impositum fuerit. Nihil autem exploratì ad hoc respondetur. Forte nomen Estheræ assumpsit cùm ad aulam regiam ingressa, vel ad regium thalamum vocata. Sic quidam, qui & arbitrantur eamdem illam esse cum Artystona vel Amestri, ob nominum aliquam vicinitatem, priorum opinionem hîc Sanctius refellit.

42. Quando & ubi vocata Esther.

Probabilius fortè sit, vulgus Persicum nomen Estheræ adinvenisse stupefactum eximiâ illius pulchritudine. Sic enim videmus à populo sæpius variis de causis affectu personis vocabula, ut Boni, Pulchri, Audacis, &c. Ita opinatur Sanctius hîc uxorem Ioakim Babylone dictam Susannam, quod Persicè lilium sonat, ob elegantiam formæ. Vide eumdem in caput ultimum Iob, ℣. 14.

Nec minùs credibile est, quod conjicit Serarius hîc, quæsthunculâ 5, illam, quæ Edissa appellabatur, cùm à patruo nutriretur, in Gynæconitide sive mulierum conclavi à virginum custode eunucho dictam esse Esther. sic enim videmus Daniel. 1, ℣. 7, à præposito Eunuchorum mutata fuisse nomina Danielis & sociorum ejus, Hebraica in Chaldaica.

Sunt qui advertunt S. Virginem Theresiam per Anagrammatismum idem nomen sortitam cum Estherâ.

Fuit nutritius filiæ fratris sui. Successit Mardochæus in officium, locumque parentum, tamquam sanguine illis proximus & affectu; nec dubitandum illum non solùm suffeciisse ad vitam corporis sustentandam necessaria, sed multò magis instillasse instituta, monitaque salutis, prout fecere parentes Susannæ, de quibus dicitur Daniel. 13, ℣. 3, *Parentes enim illius, cùm essent justi, erudierunt filiam suam secundum legem Moysi.*

Quæres, quæ cognatio intercesserit inter Mardochæum & Estheram.

Respondeo: Si Hebræum, Græcum, Chaldæum sequimur, & Severum Sulpitium in Historiâ, dicendum erit; Mardochæum & Estheram fuisse fratrueles, vel patrueles, liberos scilicet duorum fratrum; siquidem Abihail pater Estheræ, & Iair pater Mardochæi, ut illi volunt, fuere fratres, vel Abihail fuit patruus Mardochæi. Ita plerique tenent Interpretes Cajetan. & alii. Vade ajunt in nostro Latino textu excidisse nomen patris, legendumque esse hoc modo: *Fuit Mardochæus nutritius filiæ fratris patris sui*; Hebraicè enim habetur: *Erat nutriens filiam patrui sui*, & Septuaginta: *Fuit nutritius filiæ fratris patris sui.*

Nihilominus melius est sequi textum Latinum, ita ut Mardochæus fuerit Estheræ patruus; sic etiam Iosephus dicit, *quæ apud patruum Mardochæum educabatur*, & advertit Gordonus in Græco ὁ patris aliquoties decisse, legique solùm filiæ fratris sui. Sed totam controversiam hanc dirimit (quòd miror Interpretes aliter sentientes non advertisse) quod habetur hîc cap. 8, ℣. 1: *Confessa est enim ei Esther quod esset Mardochæus patruus suus.* Quid manifestius?

43. Mardochæus Estheræ patruus.

Addit tamen Serarius hîc, quæst. 6, nomen patrui accipi vel pro patruele, vel pro eo qui vice patris fungitur, ut fuit Mardochæus Estheræ pro pa-

patre, tum ratione educationis, tum adoptionis.

Vtrumque parentem amiserat, &c. Duo hic asseruntur de Esthera, quod esset pupilla utroque parente orbata, dote tamen formæ ornata & decora.

Mardochæus sibi eam adoptavit in filiam: illam scilicet paterno amore prosequendo, legem Domini arteisque puellares edocendo, &c.

Non sunt verò hîc audienda Græca, quæ pro *filiam* corruptè legunt Mardochæum eam sibi instituisse in uxorem. Quis credat Mardochæum virum grandævum neptem suam juvenculam matrimonio sibi conjungere cogitasse? Gordonus advertit quosdam textus Græcos pro γυναῖκα uxorem, habere θυγατέρα filiam. Et sic legit Iosephus, & consentiunt Chaldæa, Hebræa, Latina.

Ethologia Prima.

Quanti referat recta liberorum, maximè verò virginum, institutio.

ARgumentum hoc latissimè patet, & pluribus locis à me tractatum fuit Commentariis in Ecclesiasticum, & varii docti viri illud prosecuti sunt stilo suo, interque eos Ludovicus Vives tribus libris de institutione Christianæ fœminæ, ad Catharinam Angliæ Reginam Henrici Octavi conjugem legitimam, maximè verò l. 1. estque Tractatus ille perelegans & luculentus. Nostro etiam seculo in eamdem arenam descendit in libris de Oeconomiâ Christianâ Ioannes Baptista de Glen. toto libro quinto, qui est de educatione puellarum.

Ne ergo falcem messi alienæ supponam, paucis tantum hoc caput attingam.

Et quidem, si nullum aliud extaret alibi sanctæ vestigiũ educationis, nisi in nostrâ Reginâ, abunde hoc esset. Quantam salutis ejus curam egerit Mardochæus, expressum habes hoc capite ℣. 11. Quàm sedulò verò & ad amussim omnia ejus monita observarit Esther habes etiam hîc ℣. 20. *Quidquid enim præcipiebat Mardochæus, observabat Esther: & ita cuncta faciebat, ut eo tempore solita erat, quo eam parvulam nutriebat.* Sed hæc postea productiùs.

44. Exempla educationis filiarum fuerunt Raguel & Anna.

Verùm aliâ Scriptura sancta nobis prodidit exempla. Scimus enim ex illâ, quomodo Raguel & Anna filiam suam Saram instruxerint, quibus præceptis imbuerint, de quibus legimus in libro Tobiæ c. 10, v. 12 & 13, *Et apprehendentes parentes filiam suam, osculati sunt eam, & dimiserunt eam; monentes eam honorare soceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum, & seipsam irreprehensibilem exhibere.* Vnde minùs mirum fuerit, illam adhuc Virginem tam eximiis effulsisse virtutibus, ut facile ostendit in Oratione cum lacrymis ad Deum fusâ, ubi inter cetera, ℣. 16 & sequ. *Tu scis, Domine, quia numquam concupivi virum, & mundam servavi animam meam ab omni concupiscentiâ. Numquam cum ludentibus miscui me: neque cum his, qui in levitate ambulant, participem me præbui*: &c.

45. Item Helcias, & ejus uxor.

Occurrit & nobile illud pudicitiæ decus Susanna, de qua scribitur Daniel 13, ℣. 2 & 3, *Et accepit Ioakim uxorem nomine Susannam, filiam Helciæ, pulchram nimis, & timentem Deum: parentes enim illius, cum essent justi, erudierunt filiam suam secundum legem Moysi.* Ex parentum institutis, & disciplinâ, tamquam ex probitatis officinâ postea prodierunt illa specimina modestiæ, verecundiæ, castitatis, invictæque animi constantiæ.

Audiant Lectores Tacitum probatissimum historiæ Latinæ auctorem de veterum Romanorum educatione scribentem Dialogo de Oratoribus, quem tamen aliqui Quinctiliano tribuunt: *Iam primum suus cuique filius ex castâ parente natus, non in cellâ emtæ nutricis, sed in gremio ac sinu matris educabatur, cujus præcipua laus erat tueri domum, & inservire liberis. Eligebatur autem aliqua major natu propinqua, cujus probatis spectatisque moribus omnis ejusdem familiæ soboles committeretur: coram quâ neque dicere fas erat, quod turpe dictu, neque facere quod inhonestum factu videretur. Ac non studia modò moresque, sed remissiones etiam, lususque puerorum sanctitate quadam ac verecundiâ temperabat. Sic Corneliam Gracchorum, sic Aureliam Cæsaris, sic Atiam Augusti matrem præfuisse educationibus, ac produxisse principes liberos accepimus: quæ disciplina ac severitas eò pertinebat, ut sincera ac integra & nullis prævitatibus detorta uniuscujusque natura toto statim pectore arriperet artes honestas.*

46. Educatio & disciplina quâ veteres Romanæ liberos instituebant.

47. Thomæ Mori cura in liberis instituendis.

Pudeat Christianos. Quamvis & apud hos non defuerint, qui probatissimis moribus, filios & filias imbuerint, ut B. Thomas Morus, sicut videre est in vitâ ejus apud Thomam Stapeltonium, suam Margaretam, quam unice diligebat, quam Græcas litteras & Latinas edocuerat, ad quam è carcere scripserat epistolas, postremasq; paternæ pietatis plenissimas carbone (quia calamus deerat) exaraverat, ante mortem occurrenti osculum dederat. Certè de ejus familiâ ita scribit Erasmus ipsi ætate suppar: *Domus Mori schola est & gymnasium Christianæ religionis.* Vide Stapelt. cap. 10 vitæ Mori.

Ex veteri memoriâ unum & alterum profero.

48. Educatio S. Monicæ.

S. Augustin. loquens de matre suâ S. Monicâ pudicè ac sobriè à parentibus educatâ ita scriptum reliquit lib. 9 Confessionum cap. 8, *Nec tantam Monica erga suam disciplinam diligentiam matris prædicabat, quantam famulæ cujusdam decrepitæ, quæ patrem ejus infantem portaverat, & curam dominicarum filiarum commissam sibi diligenter gerebat, & erat in eis coërcendis, cùm opus esset, sanctâ severitate vehemens, atque in docendis sobriâ prudentiâ. Nam eas præter illas horas, quibus ad mensam parentum moderatissimè alebantur, etiamsi exardescerent siti, nec aquam bibere sinebat, præcavens consuetudinem malam, & addens verbum sanum. Modò aquam bibitis, quia in potestate vinum non habetis; cùm autem ad maritos veneritis, factæ dominæ apothecarum & cellariorum, aqua fordebit, sed mos potandi prævalebit. Hac ratione præcipiendi, & auctoritate imperandi frenabat aviditatem tenerioris ætatis, et ipsam puellarum sitim formabat ad honestum modum, ut jam nec liberet, quod non deceret.* Hæc Augustinus.

49. S. Ludovicus liberos quomodo docuerit.

S. Ludovicus Rex Francorum, ut habet vitæ ejus cap. 5, apud Surium, Augusti 25, liberos suos ad amorem Dei & mundi contemtum instituebat, illos invisebat, dum per otium ei liceret, serta e rosis aut floribus confecta, aut aliud genus non sinebat eos sextâ feriâ capitibus ferre, quòd

eo die Salvator noster tulerit in capite è spinis contextam coronam, &c.

De sanctâ institutione B. Macrinæ virginis sororis SS. Basilii Magni, & Gregorii Nysseni multa ipse Nyssenus commemorat in vitâ ejus, epistola ad Olympium, & habetur apud Surium Iulii 19.

S. Nazianz. Oratione 24 commendat matrem suam, quæ liberos suos piè instituit, scilicet Gorgonium, Cæsarium, ipsumque Nazianzenum.

Frustilla quædam decerpo ex epistolâ S. Hieronym. ad Lætam conjugem Topotii, quâ illam monet, ut puellam Paulam ad Christianam informet pietatem. Igitur inter multa præcepta sic scribit. *Sic erudienda est anima, quæ futura est templum Dei: nihil aliud discat audire, nihil loqui, nisi quod ad timorem Dei pertinet. Turpia verba non intelligat, cantica mundi ignoret, adhuc tenera lingua Psalmis dulcibus imbuatur. Procul sit ætas lasciva puerorum: ipsæ puellæ & pedissequæ à secularibus consortiis arceantur, ne quod male didicerint, pejus doceant.* Et paulò pòst. *Nutrix ipsa non sit temulenta, non lasciva, non garrula: habeat modestum gerulam, nutritium gravem.* Et infrà: *Præponatur ei probæ fidei ac morum & pudicitiæ virgo veterana, quæ illam doceat & assuescat exemplo ad orationes & Psalmos nocte consurgere, manè hymnos canere,* &c. In calce verò Epistolæ se offert (ut alter Mardochæus) qui Virginis sit nutritius. *Ipse*, inquit, *si Paulam miseris & magistrum & nutritium spondeo. Gestabo humeris, balbutientia senex verba formabo, multò gloriosior mundi Philosopho, qui non Regem Macedonum Babylonio perfusurum veneno, sed ancillam & sponsam Christi erudiam regnis cælestibus offerendam.*

50. Institutio Paulæ.

Ejusdem generis est epistola ad Gaudentium de institutione Pacatulæ infantulæ. Vbi inter alia. *Matris nutum pro verbis ac monitis, & pro imperio habeat, amet ut parentem, subjiciatur ut dominæ, timeat ut magistram. Sit illi magistra comes, pædagoga custos, non otiosa atque verbosa, sed ea tantùm loquens, quæ animum puellarem ad virtutem instituant. Etenim aqua in arcolâ digitum sequitur præcedentem: ita ætas mollis ac tenera in utramque partem flexibilis, & quocumque duxeris, trahitur.* Hæc sanctitate & eloquentiâ ornatissimus pater, & plura.

51. Item Pacatulæ.

Ethologia.

Egregii tutoris in Mardochæo forma præscribitur.

52. Quid tutelæ

EX notione tutelæ facile est agnoscere tutoris munus. Definitur verò tutela *vis ac potestas in capite libero ad tuendum eum, qui per ætatem se defendere nequit.* Ita Instit. Imperial. l. 1, tit. 13, §. 1. Hoc autem officium erga Estheram egregiè præstitit Mardochæus maximè prospiciens ejus saluti; deinde ejusdem bonis, si quæ à parentibus, ut verisimile est, acceperat.

53. Officium Tutoris.

Hærebat illius animo, quod postea scriptum reliquit Sirachides Ecclesiasticus 4, ℣. 10 & 11, *In judicando esto pupillis misericors ut pater, & pro viro matri illorum. Et eris tu velut filius Altissimi obediens, & miserebitur tui magis quàm mater.*

54. S. Iob egregius Tutor.

Præclari Tutoris specimen edidit Iob, ut de se testatur cap. 21, ℣. 11: *Auris audiens beatificabat me, & oculus videns testimonium reddebat mihi: eò quòd liberassem pauperem vociferantem, & pupillum, cui non esset adjutor: Benedictio perituri super me veniebat, & cor viduæ consolatus sum. Pater eram pauperum, & causam quam nesciebam, diligentissimè investigabam, cumque sederem quasi Rex circumstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator.* &c.

Memorabilis etiam fuit S. Ivo, vulgò dictus Advocatus pauperum, quem quidam putant solum ex numero Advocatorum in Sanctorum numerum relatum, licèt de pluribus sanctitate claris causidicis libellum non ita pridem in lucem emiserit Ioannes Roberti è nostra Societate. De S. Ivone, quem Clemens sextus Divis adscripsit anno 1347, sic habes apud Surium in vitâ ejus, die 29 Maji, *Pupillos & orphanos egregiè tuebatur, & eorum causâ diversis in locis adsbat judicia, patronum se illis exhibens, neque tamen id spe alicujus muneris aut præmii, sed pietate & justitiâ permotus, imò verò suis impendiis illorum causas defendebat apud judices, ut posset à Domino audire: Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Inde factum est, ut in illâ regione merito appellatus, Advocatus pauperum.* Item: *Orphani afflicti ejus fovebantur humanitate & patrocinio.* &c.

55. S. Ivo Tutor præclarus creatus.

Vlpianum I.C. Alexander Severus pro tutore habuit, primùm repugnante matre, deinde gratias agente, quem sæpe à militum irâ objectu purpuræ suæ defendit, atque ideo summus Imperator fuit, quod ejus consilius præcipue Rempub. rexerit. Ita idem Imperator in L. 4. C. de locato, Præfectum prætorio & parentem suum appellat. Lampridius auctor.

56. Item Vlpianus.

Ladislaum Hungariæ ac Bohemiæ Regem adhuc puerum cùm Fredericus tertius Romanorum Imperator educaret, sanguine sibi conjunctum, non defuerunt ex consiliariis, qui puerum clam perdendum Cæsari suaderent, cujus mors opes maximas; & plurima regna allatura esset: At Imperator: *Quî fit*, inquit, *quod me devitem potiùs, quam pium esse cupiam?* Ita Æneas Silvius lib. 3. Commentar. in gesta Alphonsi Aragonum Regis.

57. Et Fredericus tertius Imperator.

Nota est Lycurgi Spartani Legislatoris integritas, qui fratris filio Charilao & regnum Lacedæmonis servavit nondum nato, & postea dum pubesceret ejus loco administravit. Vide Plutarchum in Lycurgo, & Strabonem lib. 10.

58. Item Lycurgus.

Scribit Fulgosius lib. 6, cap. 5, quod subjicio. *Ferdinandum, qui postea per creationem ad Aragoniæ regnum conscendit, Henricus frater Castalonensis Rex tutorem filio puero reliquerat. Is autem regnum tantâ justitiâ rexit, ut in magno Castalonensium conventu actum fuerit, ut ad ipsum Hispanensis regni titulus deferretur: quem honorem cùm se acceptarum ostendisset, & omnes in locum rei agendæ destinatum convenissent, ipse ingentem chlamydem regio more amictus, in quâ nepotem puerum occultum tenebat, cùm omnium sententiam postulasset, quæ ejusmodi fuit, ut ad ipsum Hispaniarum regnum deferretur, repentè nepotem parvum è chlamyde extulit, & cum collo suo impositisset, exclamavit: En Castalonenses, Regem vestrum! cui restituto posteà regno auctisque omnibus rebus ostendit, quàm in eum justus fuisset.*

59. Factum rarum Ferdinandi Aragonii in nepotem puerum.

Sed quid mirum, homines præsertim agnatos & propinquos justè integrâ fide alumnos & pupillos suæ curæ assignatos tueri, eorumque indem-

60. Aves tutores exemplo docent pupillis prospicere.

demnitati prospicere, cum videamus bruta animantia fœtus a parentibus derelictos summa sedulitate nutrire, volucres etiam alienarum ova fovere, pullosque excludere, exclusos sollicitè alere, & ad maturitatem perducere?

61. Fulica pullum aquilæ repellum ut suum fovet.

S. Ambrosius lib. 5 Hexameron cap. 18, in fine, cum retulisset pullum aquilinum a parente repelli ut degenerem, qui ad solis radios acie palpitaverit, statim subjicit: *Hanc tamen, ut quibusdam videtur, regalis avis inclementiam plebeæ avis excusat clementia. Avis enim, cui fulica nomen est, quæ Græcè dicitur Phene, susceptum illum sive abdicatum sive non agnitum aquilæ pullum cum suâ prole connexit, atque intermiscens suis, eodem quo proprios fœtus mater & sedulitatis officio & pari nutrimentorum subministratione pascit.* Ita S. Ambros.

62. Etiam bestiæ infantulos edu carunt.

Nec mutæ pecudes tantum sui generis animantes, sed etiam pueros & puellas infantes exposititios vel impiè abdicatos, ut catulos suos propriis uberibus lactarunt, ut amplè hîc ostendit Feuardentius.

63. Deus tutor pupillorum, in scriptura dicitur.

Quòd si & homines, & bestiæ defuerint, qui pupillorum desertorum, vel iniquè oppressorum patrocinium, tutelamque suscipiant, non deerit supremus tutor, defensor, adjutor & judex orphanorum Deus, qui passim in sacris litteris audit pater orphanorum. Psal. 67, 6.

Illustris locus est Proverb. 23, vers. 10 & 11. *Ne attingas parvulorum terminos.* (Hebraicè: Ne moveas loco terminum seculi, id est, antiquum) *& agrum pupillorum ne introeas* (prætergressus terminos tuos ne eum invadas, vel servituti obnoxium reddas) Additur ratio, ℣. 11, *Propinquus enim illorum fortis est, & ipse judicabit contrate causam illorum.* Vbi Hebræa, Chaldæa, Græca habent: *Quia Redemptor eorum fortis est, & ipse judicabit causam illorum contra te.* Ita ut sensus sit, ut rectè balazar ibi; ne putes impunè te invadere posse jura aut bona parvulorum aut pupillorum, quia & mente, & judicio, & corporis viribus infirmi sunt, Deus enim ipsorum tutor est, vindex & redemptor, qui totum ipsorum periculum præstabit, & illorum causam acerrimè propugnabit. Dicitur autem in Latino Deus *propinquus*; & rectè quidem. Cùm enim jure ex propinquis & agnatis pupillis tutor aut curator dari debeat, qui ipsorum personas, bona & actiones tueatur, hoc deficiente, ipsos suscipiet Deus fortissimus, qui etiam supra cognatos, illos defendet tamquam supremus tutor, & magistratus, in quo primariò jus tutelæ residet.

Nec exemplis destituimur, quibus Deus demonstravit se pupillorum curam suscipere, & ipsorum etiam temporali incolumitati consulere, parentibus mortuis.

64. Exemplum hujus rei memorabile.

Scriptis prodidit Ioannes Moschus in Prato spirituali cap. 20, quod vir quidam clarissimus Constantinopolitanus narravit ibi accidisse. *Ego*, inquit, *filium fui viri cujusdam nobilissimi, qui in paupertatem impensè munificus erat. Is aliquando me in partem vocavit, & immensos thesauros ostendit his verbis usus, fili, magisne tibi placet, ut hos tibi thesauros legem, an Christum curatorem consignem? Respondi ego me Christum malle, hæc enim fluxa sicut, Christus autem in æternum manet. Quodcum audisset, omnia liberè in pauperes erogavit, admodum paucis mihi relictis. Ego verò ad paupertatem jam redactus, solam spem in Christo repositam habebam, cui me pater moriens commendaverat. Erat autem vir quidã opulentus & primarius, qui uxorem probam habebat, & filiam unicam. Dixit aliquando uxor marito: Ecce, quantis bonis cumulavit nos Deus, & solum superest unica nobis filia. Quid facto opus? Si illam ad nuptias demus vero alicui diviti & primario, sed dissoluto, & moribus improbis, illam graviter afflget. Quin verò procuremus illi virum humilem, Dei reverentem, qui illam secundum Deum diligat. Probavit maritus consilium uxoris, & ait ad illam, Perge ad templa, ibique Deum intentis obsecra, & paulisper sustine, & qui primus templum ingressus fuerit, sit filiæ nostræ sponsus missus a Domino. Fecit uxor, ut maritus jusserat, & ego primus ingressus sum. Misit ergo ad me mulier servum suum & me accersivit, & interrogavit, Vnde es? Respondi ego: Ex hac civitate* (Constantinopoli) *filius talis viri. Dixit illa, Illius eleemosynaris? Ajo ego; Illius, inquam. Et subdidit, Vxor tibi est? Dixi ego, Non, simulque narravi, quæ ante mortem mihi dixerat pater, & quid ego illi responderam. Illa verò gratias Deo actis ad me conversa: Ecce, ait, Optimus Curator tuus uxorem tibi conciliavit, & divitias plurimas contulit, ut utrisque utaris in timore Dei. Dedit itaque mihi filiam suam, & opes immensas. Ego autem Deum oro, ut parentis mei vestigiis insistam.* Hæc ibi.

Allegorica Parecbasis.

Esthera à Mardochæo adoptata in filiam Prototypus fuit adoptionis Ecclesiæ.

MArdochæum Christi imaginem prætulisse, & Estheram Ecclesiæ, nullus est qui nesciat. Propositum hîc solùm est paucis differere de divinâ adoptione; quod, ut à me ordine fiat, ponenda est Adoptionis notio. Sic ergo eam definiunt Canonum Doctores, quos sequitur S. Thom. in 4. d. 42. quæst. 2. a. 1.

65. Adoptio quid sit, & quare inducta.

Adoptio est liberalis assumptio personæ extraneæ in filium, per quam datur jus ad hereditatem.

Introduxerunt hanc jura ad solatium eorum, qui filios naturales ex se non valent suscipere, ut hac ratione naturæ defectus supplere tur; quamvis postea concessum sit adoptare etiam iis qui liberos procrearunt.

66. Ejus exempla ex scripturis.

Exemplum adoptionis habemus Genesis 48, ℣. 5 & 6, ubi Iacob sic Iosephum alloquitur: *Duo filii tui qui nati sunt tibi in terrâ Ægypti antequam hùc venirem ad te, mei erunt: Ephraim & Manasses, sicut Ruben & Simeon reputabuntur mihi. Reliqui autem quos genueris post eos, tui erunt,* &c.

Item Exodi 2 habes de Moyse ℣. 10 quod filia Pharaonis eum adoptarit in locum filii, &c.

67. Item ex Historiis Romanis.

Olim apud Romanos beneficio adoptionis quidam inferioris Ordinis ad dignitatem regiam, principalem, Imperialem assumebantur. Sic Nerva Imperator M. Vlpium Trajanum virum Hispanum nullâ sibi cognatione junctum in filium adoptavit, & partem Imperii assignavit, Cæsaremque in curiâ appellavit, Imperii jura & insignia in Germaniam usque transmisit.

Similiter Adrianus Imperator L. Ælium Verum Commodum in Cæsarem elegit.

Sic Iustinus Augustus volens senecturi suæ consulere Iustinianum ante obitum in filium assumpsit ac successorem reliquit Imperii. Ita alii alios per adoptionem vel arrogationem ad culmen summi honoris provexerunt.

Sed ludicra hæc sunt, & ridicula, si cum adoptione

68. Dignitas divinæ adoptionis.

optione divinâ, quâ in Dei filios adscribimur, & jus ad æternam gloriam acquirimus, conferantur. Loquatur S. Ioannes 1 epist. c. 3, ℣. 1, *Videte qualem charitatem dedit nobis pater, ut filii Dei nominemur & simus:* Et ℣. 2, *Charissimi, nunc filii Dei sumus: & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus eum, sicuti est.*

69. Confertur cum assumptione Davidis in generum Saulis.

Olim David opilio de gregibus ovium acceptus, cùm in Regis Saulis aulam translatus esset, & offerretur ei Merob major natu filia Regis in uxorem, respondebat Sauli: 1 Reg. 18, ℣. 18, *Quis ego sum, aut quæ est vita mea, aut cognatio patris mei in Israel, ut fiam gener Regis?* Et rursus, cum de nuptiis Michol alterius filiæ Saulis ageretur, respondit David ℣. 23. *Num parùm videtur vobis, generum esse Regis? Ego autem sum vir pauper & tenuis.*

Ecce quanti duxerit Bethlehemites pastorculus, traduci in familiam Saulis, qui & ipse fuerat armentarius, agaso, & asinarum custos. Et nos qui sumus homines vilissimi, ut non solùm suscitemur de pulvere & stercore, & collocemur cum principibus, sed etiam ut de cœno peccatorum, & graveolente omnis nequitiæ voragine eruti, ad dignitatem filiorum Dei extollamur, fratres nominemur unigeniti filii Dei, jus assequamur ad cœlestis Patris hereditatem? Cujus lingua hanc excellentiam exprimat? omnia hîc mira sunt, omnia magna, omnia inaudita. Conditio, unde assumimur, omnium infima est, imò nihilum, vel siquid nihilo inferius; status, ad quem extollimur, altissimus est, quo nihil majus ne quidem fingi potest; modus, quo ad illum tendimus, prorsus est admirabilis.

Nota vero humanæ & divinæ adoptionis Analogias.

70. Similitudo divinæ & humanæ adoptionis prima.

Primò similis est adoptio divina humanæ, quod utraque est electio gratuita & plane liberalis, nullo modo debita. Sic intellige locum S. Iacobi Apostoli, Epist. cap. primo, ℣. 18, *Voluntariè enim genuit nos* (id est, gratuitâ benevolentiâ vel beneplacito, sine meritis nostris, imò immerentes; tum per Baptismum, tùm per pœnitentiam) *verbo veritatis* (id est, per verum Filium suum unigenitum, vel fideli & efficace suo jussu) *ut simus initium aliquod creaturæ ejus* (id est, ut rectè S. Hieron. lib. 1 contra Iovinian. ut simus primitiæ creaturarum ejus, est enim Græce ἀπαρχὴ, primitiæ; vel, ut principatum obtineamus inter creaturas ejus, consortes facti divinæ naturæ, filij, & heredes Dei, coheredes autem Christi.) De quâ gratiâ & dono loquitur Tridentin. sess. 6. c. 4, justificationem impii describens, *quæ est translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ & adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Iesum Christum, salvatorem nostrum.*

Secunda similitudo.

Secundò convenit adoptio divina cum humanâ, quòd in utràque assumatur persona extranea. Siquidem in adoptione humanâ filius naturalis non adoptatur in filium adoptivum, sed alius, qui non est patri in illo gradu conjunctus, v. g. nepos, vel alius non propinquus. In divinâ etiam adoptione adsciscitur persona extranea: nam ut rectè S. Thom. 3 p. q. 23. ac primo ad primum, quamvis homo in suâ naturâ consideratus non sit à Deo extraneus, quantum ad dona naturæ, quæ recipit, est tamen extraneus, quantum ad bona gratiæ & gloriæ, ad quæ adoptatur; & ad quæ nullû jus ex conditione suæ naturæ habet.

Duplex adoptio divina.

Est autem duplex adoptio divina, ut passim constat ex S. Paulo; una inchoata, quæ fit per gratiam & charitatẽ infusam quâ simus Dei filii, & jus accipimus ad patris nostri hereditatem; Altera consummata, quâ juris & hereditatis cœlestis possessionem accipiemus, non solùm liberi à peccato, sed etiam à servitute corruptionis, mortalitate & concupiscentiâ.

Pluribus autem modis differt adoptio divina ab humanâ utpote altioris ordinis, & longè nobilior.

71. Dissimilitudo prima inter utramque adoptionẽ.

Primò; Adoptio humana introducta est jure humano & civili in solatium sterilitatis, ut dictum est; Deus autem non adoptat nos, ut suum defectum vel indigentiam soletur vel suppleat, quæ in eo nulla sunt, sed potiùs ad communicandam suæ perfectionis abundantiam; quod etiam indicabat suprà S. Iacobus ℣. 17, *Omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum, &c.*

Secundo dissimilitudo.

Secundò: Adoptio humana solùm est denominatio quædam extrinseca, nihil reale intrinsecum homini conferens, sed solum conditionem quamdam vel dignitatem moralem; quæ nihilominus maximi ab hominibus æstimatur. Deus verò hominem sibi adoptat per gratiam justificantem, juxta illud Apostoli ad Romanos 5, ℣. 5: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Est autem gratia illa pignus & semen æternæ gloriæ, monile pretiosissimum, per quam anima acquirit esse quoddam divinum.

Tertia dissimilitudo.

Tertiò. Humanâ adoptione assumptus, vivo parente adire non potest ejus hereditatem; hic enim magnus est defectus bonorum temporalium, quòd integrè à pluribus non possint possideri: filius verò Dei adoptivus, si in eo statu ex vitâ hâc discedat, adit hereditatem Dei viventis, quia Deus, qui est pars hereditatis nostræ potest sine cujusquam detrimento à pluribus obtineri.

Sed de hoc supereminentissimo divinæ adoptionis beneficio videndus est Lessius lib. 12 de perfectionibus Divinis, cap. 11. ubi eruditè & sapidè explicat hanc adoptionem non fieri formaliter & præcisè per donum aliquod creatum v. g. charitatem vel gratiam, sed per increatum spiritum Dei nobis donatum per Christum, sive per inhabitationem divini spiritus. Nam Scriptura passim adoptionem filiorum Dei insinuat fieri per communicationem divini spiritus, & Spiritus Christi, vel per consortium divinæ naturæ. Vide etiam D. Thomam 3 parte, quæst. 23, & Doctores ibidem.

VERSVS VIII & IX.

Cumque perercbuisset regis imperium, & juxta mandatum illius multæ pulchræ virgines adducerentur Susan, & Egeo traderentur eunucho, Esther quoque inter ceteras puellas ei tradita est, ut servaretur in numero seminarum.

Qua

Quæ placuit ei, & invenit gratiam in conspectu illius. Et præcepit eunucho, ut accelerare mundum muliebrem, & traderet ei partes suas, & septem puellas speciosissimas de domo regis, & tam ipsas, quàm pedissequas ejus ornaret atque excoleret.

Hebraicè : Et fuit, cùm auditum esset verbum regis & lex ejus, & cùm congregarentur puellæ multæ in Susan Habbirah ad manum Hegai, & sublata est Esther in domum regis, in manum Hegai custodis mulierum. Et placuit puella in oculis ejus, & tulit misericordiam in conspectu ejus, & accelerari fecit purificatoria ejus, & partes ejus ut daret ei, & septem puellas dignas ut daret ei e domo regis, & mutavit eam & puellas ejus in bonum domus mulierum.

Circa hos versus hunc sensum ex Iosepho colligo. Hæc puella (Esther) præ ceteris omnibus excellebat pulchritudine, & gratiis vultus in se oculos convertebat. Itaque uni eunuchorum commendata tractata est apud eum delicatissimè, odoramentis & unguentis pretiosissimis, quibus principes feminæ corpus curare solent, quotidie delibuta.

COMMENTARIVS.

CVm ad Assueri indecorum & parùm prudens imperium, judicio præfectorum & femineæ formæ exploratorum, vel adducerentur, vel etiam raperentur fortè parentibus reluctantibus, forte etiam sponte offerrentur virgines specie præstantes, & Susis traderentur Egeo puellarum regiarum & gynæconitidis custodi, divinâ providentiâ (quæ numquam non Israelis saluti invigilabat) factum est, ut etiam Esthera, per quam Deus salutem magnam operaturus erat, inter alias eidem Parthenonis præfecto in manum asservanda traderetur, quæ, agente id occultè Numine, præ ceteris ei placuit, quam etiam præcipuâ benevolentiâ, liberalissimè omnibus ad ornatum, cultumque necessariis, & pedissequis honorariis attributis, prosecutus est.

Expono solùm litteram, ubi diversitas in textibus occurrit, vel aliquid notatu dignum.

Adducerentur Susan. Habes similem adductionem & inquisitionem 3 Regum primo ℣. 2 & 3, *Dixerunt Davidi servi sui, Quæramus domino nostro Regi adolescentulam virginem & stet coram Rege; &c. Quæsierunt igitur adolescentulam speciosam in omnibus finibus Israel, & invenerunt Abisag Sunamitidem, & adduxerunt eam ad Regem.*

Virgines advectæ in rhedis.

Videntur verò advectæ omnes illæ virgines, præsertim quæ veniebant ex locis remotioribus, lecticis, carpentis, aut rhedis undequaque coopertis; ut regias pellices ad Persas Monarchas perduci moris erat, ut alibi diximus, quas sub pœna capitis vetitum erat detegere : quin verò probabilissimum est etiam Estheram in regiam lectica aut pilento advectam. Norunt enim Persicæ rei periti nullum ferè iter etiam viros pedibus confecisse, nedum feminas, maximè tenellas & molles.

Tradebantur verò puellæ omnes Egeo eunucho, is enim præerat Parthenoni sive Virginum conclavi, & verisimile est hunc fuisse propriè eunuchum sive spadonem excisum. Nam hi curam gerebant mulierum in Gynæconitide sine suspicione. His Reges tamquam fidissimis curam corporis sui committebant, ut fusè ostendit Brissonius lib. 2 de Regio Persarum principatu.

Esther quoque ei tradita est : Hebraicè, sublata est; quod rectè, exponit Cajetan. non furtivè subtractam, aut vi raptam, sed consensu Mardochæi datam petentibus eam : unde significatur solùm non sponte oblatam, sed petitam ob egregiam formam. Quocirca minùs probo quod addit hic Mariana, fortasse Estheram acceptam in domum Regis invito Mardochæo. Quis enim hoc credat, cum hoc totum traductionis Estheræ in palatium Assueri suavi Dei providentiâ peractum fuerit negotium ?

Quæ placuit ei. Serarius & Sanctius hoc & sequentia omnia ad Regem referùt, quasi illi tum Esther placuisset &c. sed hoc omnes Interpretes & historici rejiciunt. Non enim statim fuit admissa Esther ad conspectum Regis. Vnde cùm Stephano Menochio, Mariana, Sa, Vatablo, Saliano refero *ei*, ad Egeum eunuchum. *Quæ placuit ei*, scilicet Egeo, hic enim antecesserat, & manifestè colligitur ex Hebræo ubi sic habetur : *Accepta est Esther in domum Regis in manum seu potestatem Hegai custodis mulierum, & placuit puella in oculis ejus, & elevavit gratiam in conspectu ejus*, id est, ad instar elevantis obtulit se gratiosam Esther in conspectu Eunuchi, tamquam munus aliquod gratum ei obtulerit : Ita Cajetan.

Et præcepit Eunucho. Egeus scilicet eunucho alicui alteri sibi subdito. Hoc autem deest in Hebræo, & immediatè subjungitur, *& acceleravit, sc. Egeus ipse, continuationes, purificatoria, vel ornamenta ejus*, id est, mundum muliebrem, ut habet Latinus, *& partes ejus, ut daret ipsi puellæ.*

Quæritur verò, quæ vocentur hic partes ?

Aliqui intelligunt victum dimensum è mensâ regiâ, sicut constituebatur Danielis primo, ipsi Danieli & sociis ejus; Sed existimo hoc generatim accipiendum, nempe, ut tribuerentur ei omnia, quæ ad ipsam pertinebant, sicut ceteris virginibus. Est enim illa phrasis Hebraica, (quâ utuntur & Galli, cùm dicunt, *on luy a donné ses parties,*) id est, omnia necessaria ad victum, & cultum muliebrem, ut sunt vestes pretiosæ, monilia, torques, inaures, armillæ, specula & sexcenta alia. Vnde omnia hæc eadem sunt, mundus muliebris, partes suæ, præcepit ut eam ornaret atque excoleret. Chaldaicè : dona ejus. Sa : quod rex ei dandum statuerat.

Et septem puellas speciosissimas. Videtur, ut aliàs docui, numerus septenarius apud Persas fuisse in honore. Puellæ verò illæ datæ sunt Estheræ partim ut ipsi ministrarent, & familiare præsta-

rent obsequium, partim ut suo comitatu tamquam pedissequæ eam honorarent. Dicit verò Cajetan. vocem Hebræam non significare speciem aut pulchritudinem, sed potius promptitudinem, ut indicetur puellas fuisse ad obsequium Estheræ promptissimas. Sa verò, Mariana & alii explicant dignas quæ darentur ei, id est, ex præstantioribus selectas & aptissimas ad ministerium & comitatum, Ita Hebraice & Chaldaice.

Et tam ipsam quàm pedissequas ejus ornaret atque excoleret. Hebraice. Et mutavit eam & puellas ejꝰ ad boũm, id est, melius, domus mulierum. q. d. designavit illi gynæceï præstantiora & commodiora cubicula, ut ex salubritate & opportunitate domicilii etiam virginis Estheræ corpusculum benè afficeretur. Itaque S. Hieron. in Latino, ut & Septuaginta, indicant Estheræ & pedissequis ejus data indumenta selectissima ad ornatum & cultum; Hebræa vero volunt etjam habitationem attributam elegantissimam.

Petes, cum quot virginibus Esther addicta sit in Assueri regiam. Respondeo, hoc non constare, cùm Scriptura hujus numeri non meminerit. Iosephus quadringentas fuisse tradit; unde hoc acceperit, ignoro. Vero simile est fuisse plurimas, cum ex 127 provinciis evocatæ fuerint, & Persarum mulieres fuerint pulcherrimæ.

Nota etiam hic ex Serario aulâ regiam multas in partes fuisse divisam ut facile colligitur ex hac historiâ. Vna, in qua Rex ipse habitabat: alia in quâ ipsius feminæ, quæ Græcè Gynæcon, aut Gynæconitis: erat autem hæc duplex, una, in qua virgines, & nominabatur Parthenon seu domicilium virginale, altera verò, in qua mulieres non virgines. Porrò prior illa virginũ domus etjam bipartita erat: Nam una ejus pars quasi communis erat; altera verò amœnior, salubrior & melior, quod significatur hic versu 9 in Hebræo. Et in hanc posteriorem introducta est Esther, ut ejus forma melius servaretur, magisque augeretur.

Dissertatiuncula Prima.

Quotuplex in scripturâ sacrâ notio Eunuchorum, & eorum munus.

INvenio in literis sacris triplicem Eunuchorum notionem.

71. Prima Eunuchi notio.

Prima: significat Eunuchus spadonem, id est à naturâ ineptum ad generationem, vel à seipso aut ab aliis eviratum sive excisum. Et quidem nihil de hac, utpote notâ hîc tractandum. Sic accipitur Matth. 19, 12.

73. Altera acceptio.

Secunda: Significat custodem cubilis regii, unde & videtur nominatus Eunuchus, Græcè εὐνοῦχος, quasi cubilis custos. Sic Putiphar Genes. 37, ℣. 36, vocatur eunuchus Pharaonis, ubi pro Eunucho Chaldæus reddit, princeps, alii cubicularius, quidam, custos domus, vel Personæ Regiæ.

74. Eunuchi olim assumpti ad honorificas munia.

Nota verò, quia spadones sive exsecti olim securitatis gratiâ præficiebantur Reginarum & principum mulierum conclavibus, quæ Gynæcea vocabantur, postmodum cùm Reges eorum fidem experimẽto didicissent, assumpserũt eos ad publica & honorifica munera, uti ex multis locis libri Esther manifestè cognoscimus, ut cùm cap. primo ℣. 10, dicitur Rex præcepisse septem eunuchis qui in conspectu ejus ministrabant, ut introducerent Reginam. Nihil enim cogit nos dicere omnes illos fuisse castratos vel spadones. Hinc igitur factum est, ut hoc eunuchi nomen manserit, etiam iis, qui publicis hujusmodi muniis admoti erant, etiam si castrati non essent, ut patet Genes. suprà in Putiphare, qui & legitur uxorem habuisse, & forte etiam filiam Aseneth, quæ Iosepho nupsit Genes. 41, ℣. 45. Sic ibidem c. 40 pincerna & pistor Pharaonis dicuntur eunuchi. Præterea in libris regum passim fit mentio Eunuchorum, qui Davidi & aliis Regibus ministrabant. Quis autem sibi persuadeat omnes illos fuisse spadones, præsertim cum Iudæis vetitum fuerit virilitatem excidere animalibus domesticis, nedum hominibus, ut docet Iosephus lib. 4 Ant quitat. c. 8. Adde Septuaginta Ieremiæ 34, ℣. 19, vocem Hebræam, סריס Sarisim, id est, spadones reddidisse δυνάστας, principes, ubi nos legimus, Eunuchos.

Nota secundò, olim apud Reges Persarum vel aliarum gentium diversa fuisse Eunuchorum ministeria, ut ante nos observavit Pererius in cap. 37 Genes. ℣. 36, disputatione nonâ.

75. Eunuchi regum consiliarii, cubiculariī reginarum, custodes palatii, &c.

Primo itaque Eunuchi dicebantur, qui Regibus erant à consiliis; quibus præcipua regni negotia communicabant.

Secundò, cubicularii & custodes erant, sive ministri Reginæ, & virginum regiarum.

Tertiò erant janitores palatii, vel, ut Græcè, custodes corporis Regis, ut hic patet.

Quartò, eunuchi erant custodes & præfecti cubiculi Principis. Sic Iudith cap. 12 Vagao Eunuchus apud Holofernem cubicularii munere fungitur.

Quintò, curam gerebant regiæ gazæ. Sic habemus Actor. 8, Eunuchum baptizatum à Philippo fuisse super omnes gazas Reginæ Cãdacis.

Sexto, præerant regiis copiis, & erant militiæ principes. Sic dicitur Putiphar Genes. 37, ℣. 36, Magister militum & initio cap. 39, Princeps exercitus Pharaonis. Et Sedechias rex Iudæorum habuit etiam suæ militiæ præfectum Eunuchum, ut patet Ieremiæ 52. ℣. 25. Eodem modo rex Persarum Ochus maximi fecit quemdam Begoa Eunuchum, ut tradit Diodorus lib. 16, & Iosephus lib. 11 Antiquit.

Septimo, pueros litteris & probis moribus instituebant, educabant, curam eorum agebant, ut docet Plato libꝝ de Legibus.

Hæc & plura alia ferè ex nostrâ historiâ liquent, ut suis locis dicetur.

76. Tertia acceptio Eunuchorum Metaphorica pro castis.

Tertia notio Eunuchi est Metaphorica, quam usurpat Dominus Matth. 19, ℣. 12, cum ait: *Sunt eunuchi qui seipsos castraverunt propter regnum cælorum.* Sicut enim aliqui excidũntur, vel, ut gracilitas & suavitas vocis sit diuturnior, vel, ut puerilis formæ decor sit stabilior, vel ut tutius mulierum custodia illis demandetur, vel aliâ quapiam ex causâ; ita quoque quidam animi generoso impetu omnes venereas cupiditates abscindunt, & sibi omni libidinis affectu & effectu interdicunt voto continentiæ emisso, ut non vulgarem, sed eximiam in cælis obtineant coronam.

De illis spiritualibus eunuchis prædixit Isaias c. 56, ℣. 3 & sequent: *Non dicat eunuchus; Ego lignum*

77. Laus & præmium castorum eunuchorum.

lignum aridum. Quia hæc dicit Dominus eunuchis; qui custodierint sabbata mea, & elegerint quæ ego volui, & servaverint fœdus meum; dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus, nomen æternum dabo eis, quod non peribit &c. In quem locum ita scribit S. Hieronymus, *Ergo*, inquit, *in eunuchis nequaquam illi intelligendi sunt, quos ardens poëta describens ait;*

Nec non infelix ferro truncata juventus,
Atque exsecta virum: v.

Sed illi de quibus Dominus in Evangelio loquitur: Qui se castraverunt propter regnum cœlorum: quales erant Apostoli, & illi de quibus Apostolus loquitur, ad Corinth. 7. De illis loquitur & Sapientia, quæ titulo Salomonis inscribitur: (Nostra versio illa sic habet) *Felix est sterilis, & incoinquinata, quæ nescivit torum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum, & spado qui non operatus est per manus suas iniquitatem, nec cogitavit adversus Deum nequissima. Dabitur enim illi fidei donum electum, & sors in templo Dei amplissima: &c.* Sed pergit S. Hieron. *Hæc sterilis virginitate fecunda est, hic eunuchus regno cœlorum vim facit, & violenter diripit illud. Iste custos est sabbatorum, ut nunquam faciat opera nuptiarum. Iste elegit, quæ Dominus voluit, ut plus offerat, quàm præceptum est: ut non indulgentiam Apostoli ejus, sed voluntatem consideret. Iste tenet fœdus Domini sempiternum, ut non ad tempus vacet orationi, & iterum ad id ipsum revertatur: sed accepturum esse se noverit in domo Domini, quæ est Ecclesia ejus, locum optimum, multæ enim mansiones sunt apud patrem. Et qui eunuchus fuerit, ac fecerit universa, quæ scripta sunt, habebit in muris ejus locum optimum, ut scilicet turris Domini efficiatur, & in sacerdotali consistat gradu: & pro carnis filiis, multos habeat filios spirituales. Talem fuisse eunuchum, quem Jesus amavit plurimùm, Evangelistam Ioannem, Ecclesiasticæ tradunt historiæ, qui recubuit super pectus Jesu, qui Petro tardius ambulante elatus virginitatis alis cucurrit ad Dominum, qui in secreta divinæ se nativitatis immergens, ausus est dicere, quod cuncta secula nescebant: In principio erat Verbum, &c. Excessat igitur omnis cavillatio Judæorum, & risui præbere se cesset, aperiens semiviris regna cœlorum, cum pudicitia non in debilitate sit corporis, sed in animi voluntate.* Hæc S. Hieronym.

Dissertatio Altera.

Cur mulierum ornatus Latinè mundus?

IN quæstionem vocari possit, & meritò, num pulcherrimum hoc universum, quod mundi nomen gerit, appellationem sortitum fuerit à mulierum ornatu & elegantiâ, quæ etiam eodem nomine gaudent, an verò tota feminarum supellex ab illo nomen suum traxerit.

78. Mundus muliebris & Adjectivo mundo.

Ego quidem sentio & universi molem, & cultum femineum appellationem & originationem suam accepisse ab adjectivo Mundus, quod Latine signat purum, nitidum, elegans, tersum, politum, ornatum. Et jure quidem; nam Valerius Tribunus Plebis apud Livium lib. 24 sic loquitur, *Munditiæ, ornatus & cultus hæc feminarum insignia sunt, his gaudent & gloriantur: hunc mundum muliebrem appellaverunt majores nostri.* Hæc ille. Quia ergo munditiæ mulier gaudet, hunc muliebris ornatus instrumentum mundus dicitur: unde & sexus hic fertur vulgo φιλόκοσμος καὶ φιλόκαλος, addictus videlicet huic mundo, quoque putat se comptiorem fore & mundiorem, cùm tamen sæpius eo amplius inquinetur & sordescat, quo se mundiorē & ornatiorem existimat.

79. Mulier ultra modum ornatus studiosa.

Præ ceteris autem matronæ Persicæ huic ornatui studuerunt ut constat ex Athenæo lib. 12 cap. 1, cujus verba sunt: *Persicæ mulieres rerum ad ornatum pertinentium plus æquo studiosæ sunt.*

Quod si quis juvenum vel virorum ultra modum munditiem affectet, hic verò effeminatus audit. Etsi verò infirmiori sexui aliquid, ut corpus suum comat & ornet concedatur à majoribus nostris, modum tamen iidem adhibuerunt, & severis etiam legibus sanxerunt. Et meritò: rectè enim alibi dixi Plautus.

Negotiis quantum in muliere unâ est? quæ noctes diesque omni ætate semper ornantur, lavantur, poliuntur. Vnde & Adagio fertur; *Nævus & mulier nunquam satis ornantur.*

80. Quæ significentur mundi nomine.

Notanda hîc duo: Primum; mundo muliebri quo sexus is comptior & mundior sit, contineri non modò vestes, annulos, monilia, torques, periscelides, fascias, armillas, inaures & hujusmodi, sed etiam, ut volunt I. C. specula, fucos, cerussam, unguenta, eorum pyxides, smigmata, aromata & similia, quibus nitor & mundities conciliatur; modò hujusmodi non pertineant ad valetudinem curandam; hæc enim non veniunt mundi nomine, quia non adhibentur elegantiæ gratiâ.

Vnde minùs probandi sunt illi auctores, qui mundum dictum putant quasi munitum, quòd mulier tamquam militaris acies eo muniatur, vel à movendo, quòd mundus id genus cultus sit, quem mulieres modò assumant, modò deponant.

81. Magna similitudo inter universum & muliebrem.

Nota secundò multis videri orbem terræ mundi nomine indigetarum ab hoc mundo; fortè ita sensit Plinius, dum ita scribit lib. 2, c. 4, *Quem κόσμον Græci nomine ornamenti appellaverunt, cum nos, à perfectâ absolutâque elegantiâ mundum vocamus.* Quidquid sit, Magna profectò affinitas inter hoc pulcherrimum universum, & muliebrem cultum; si quis utrumque inter se conferre velit.

Mundi nostri venustas & pulchritudo ex pluribus elucet.

Primò ex varietate rerum conditarum; Confer cum hac diversitatem colorum, vestium, monilium, quibus puellæ amiciuntur. Nec lynx, nec pardus ita variegatus.

Secundò, ex symmetriâ & ordine earum. Vt ordine suo etiam suggestus comæ in capite assurgat, quantum insudat mulierum labor, dum consilium formæ, ut Tertullian. loquitur, à speculo petunt?

Tertiò, ex multitudine & universitate earundem. Quis enumerando non delasserur, dum matronarum recenset ornamenta & struices eorum? Meritò mulier instar Atlantis cœlum, stellas & mundū corpore suo gestare dici queat. Est par Pani Deo Arcadiæ qui habitu suo hoc universum exprimebat; de quo egi Ecclesiastici 43, vers. 29.

Quartò, ex connexione omnium arctissimè sibi cohærentium. Clarè eadem compositio in

ornatu muliebri perſpicitur, ubi non omnes modò veſtes, ſed & crines in ſtatione manent.

Quintò, ex eo quod omnia condita ad ſuum finem diriguntur, nihilque ſit quod non ſuo tempore uſum ſuum habeat. Quòd ſi quis mulierculam quampiam interroget, cur hoc vel illud ornatus circumferat, ſtatim reſponſum ferat, nihil in veſtibus, cultu, ſuppellectileque ſuâ ſupereſſe, omnia tempore & loco ad aliquem uſum deſervire.

VERSVS X & XI.

Quæ noluit indicare ei populum & patriam ſuam: Mardochæus enim præceperat ei, ut de hâc re omnino reticeret:

qui deambulabat quotidie ante veſtibulum domus, in quâ electæ virgines ſervabantur, curam agens ſalutis Eſther, & ſcire volens quid ei accideret.

Hebraicè: Non indicavit Eſther populum ſuum, & cognationem ſuam, quia Mardochai præceperat ei, ut non indicaret: Et in omni die & die (quotidie) Mardochai ambulabat ante atrium domus mulierum ut cognoſceret pacem Eſther, & quid fieret de eâ.

COMMENTARIVS.

DVæ hîc indicantur virtutes Mardochæi; inprimis inſignis prudentia, quâ mandavit Eſtheræ adhuc puellæ & propterea naturâ fortè loquaciori, ne quid effutiret de gente & cognatione ſuâ, ne videlicet diceret ſe Iudæis oriundam, quia ſi hoc vel Eunuchis, vel Regi innotuiſſet, obeſſe ei potuiſſet; minùs enim benevolè vel habita fuiſſet ab illis, vel etiam pediſſequis puellis, & minùs faciles aditus apud Regem inveniſſet. Erat enim gens Hebræa contemta & vilis, quia captiva, ante rebellis, in exilio agens, unde etiam pauci ad ejus religionem ſe adjungebant, antequam Eſthera Regina, & Mardochæus in præcipuum dignitatis locum ab Aſſuero aſſumeretur.

Altera virtus, quæ hîc tacitè commendatur in Mardochæo, eſt pervigil ejus ſollicitudo de ſalute Eſtheræ neptis ſuæ & filiæ adoptivæ. Ambulabat enim quotidie ante gynæconitida, vel palatium virginum regiarum, curam ejus agens, ut cognoſceret pacem ejus, id eſt quî valeret. Significat enim, ait Cajetanus, Hebræis Pax omne bonum, quod mox per epexegeſin exponit, ſcire volens quid ei accideret. Illa enim eadem ſunt.

Emergunt circa hunc textum duo dubiola.

Primum; An Mardochæus præceperit Eſtheræ, ut etiam inquiſita de genere ſuo vel ab Eunucho vel à Rege, id omnino celaret, an verò ſolùm, ne ſponte cognationem ſuam, & ſtirpem genticam proderet.

Feuardentius primum tenet. ſed melius Menochius & Salianus anno Artaxerxis Longimani 4, n. 7, in poſterius tendunt. Sic enim hic ſcribit: Non eſt ita accipiendum, quòd noluit indicare populum ſuum, quaſi Eunucho petenti patriam, ei ipſa id negaverit, ſed eam nihil de ſuâ gente vel genere dixiſſe, ſicut nec rogata fuerat. Nec cauſa erat cur rogaretur; nam cùm Suſis nata & educata eſſet, ut videtur, omnes eam Suſianam & Perſianam putabant, non Hebræam. Colligitur hoc primùm ex textu Hebræo, ubi ſolùm habetur, non indicabat Eſther populum ſuum: deinde ex Ioſepho, qui tradit numquam Eſtheram de ſuo genere interrogatam. Ex certè Regi interroganti nolle reſpondere fuiſſet in gravem ejus offenſionem incurrere.

Cauſas hujus prohibitionis ſuprà attulimus; ne videlicet vilior haberetur tamquam captiva, & invidiam ſuæ genti apud Perſas conflaret. His adde divinitus fortè motum Mardochæum ſilentium hujus rei indixiſſe, ut Dei providentia in Hebræos magis ex inſperato appareret.

Poſterius dubiolum movet Sanctius noſter hîc; nimirum, An in gratiam Eſtheræ ita aſſiduus eſſet Mardochæus ante veſtibulum gynæcei, an verò quia aulicum id ab eo exigeret miniſterium. Tenet verò ipſe poſterius, nam, inquit, fuit Mardochæus ex numero aulicorum; primùm, quia antequam Eſther eſſet ad Regiam domum deducta, jam ille inter aulæ miniſtros numerabatur, anno videlicet ſecundo regni Aſſueri, ut habetur cap. 11, ℣. 2, ubi dicitur *Mardochæus vir magnus & inter primos aulæ regiæ.* Deinde, quia claris erat ortus natalibus, & eo nomine commendatus apud ſuos, quia cum Iechoniâ abducti fuere Babylonem viri principes civitatis, qui cum illo Rempubl. adminiſtrabant, inter quos fortè erat Mardochæi pater, vide libro 4 Regum, c. 24, à ℣. 12 uſque ad 16. Neque obſtat, inquit, quod captivus fuerit: nam & reges alii è captivorum numero elegerunt viros prudentes, quorum operâ ad res maximas uterentur. Sic Nabuchodonoſor Danielem cum ſociis in aulam adſcivit Daniel. primo, & negotia publica iis commiſit. Ita Salmanaſar Tobiam captivum in benevolentiam ſuam admiſit, & aulicum ei munus commiſit, Tobiæ primo in textu Græco. Et hic Aſſuerus (tenet enim fuiſſe eum Longimanum) Nehemiam etiam è numero captivorum voluit ſibi eſſe à poculis 2 Eſdræ cap. 2, quin verò & Aman, quem principem aulæ ſuæ conſtituit, alienigena erat, & aliquandò captivus, ut conſtat ex cap. 16 infrà, & aliis locis. Hæc Sanctius.

Reſpondeo ego ad propoſitum dubium, duplex miniſterium aulicum in Mardochæo me obſervaſſe: unum erat de quo hic ℣. 19, & 21 & alibi, videlicet manſio & mora ad fores regias, & hoc obivit ipſe etiam antequam Eſthera aſſumeretur cum aliis virginibus ad Aſſueri palatium: alterum ambulatio ante atrium domus mulierum, vel gynæcei, ut ſaluti Eſtheræ proſpiceret, hîc ℣. 11; & hoc ſolùm præſtitit, poſtquam Eſther adducta eſt in conclave virginum.

ETHOLOGICA MONITIO PRIMA.

Virgines diligenti cuſtodiâ ſervandæ.

IN hoc argumento verſatus ſum uberiùs libro Eccleſiaſtici tum cap. 7, ℣. 36, tum verò cap. 26, ℣.

26, ℣. 13, & plenissimè cap. 42, ℣. 9, 10, 11. Solùm hic suggero, quæ indicta ibi fuerunt, vel exciderunt.

81. Arctè claudantur res mobiles & leves.

Servamus ingenti solicitudine res, quæ levitate vigent, & mobilitate. Sic, ut est in fabulis, Vlysses ventos sacco & utre conclusos accepit, & Æolus eosdem vinclis & carcere frenat: Argentum etiam vivum, quod facilè elabitur, arctissimis loculis constringi solet; Quid magis mobile, & inconstans muliebri ingenio? unde fertur versus:

Plumâ quid levius? pulvis. Quidpulvere? ventus.
Quid vento? mulier. Quid muliere? Nihil.

81 Philetas Cous quia corpore levissimo, ne ab aurâ raperetur, plumbeis calceis firmabatur.

Scriptis prodidit Ælianus lib. 9 Variar. Historiar. c. 14, *Philetam Coum corpore fuisse gracillimo, & macerrimo. Quoniam igitur quævis occasione facilè subverti poterat, ferunt eum plumbeas habuisse soleas in calceis, ne à ventis prosterneretur, si paulò durius eum afflassent.* Adeò fuit imbecillis, & omnis stabilitatis exors, ut plumæ instar, vel muscæ, auræ non posset obluctari, nisi pondere pedibus addito, corporis levitatem quasi firmasset.

Talis omnis puella nisi gratiâ Dei firmetur.

Talis quidem naturæ est homo quilibet, justitiâ originali spoliatus & sibi relictus, qualibet occasione facilè dejicitur. Omnis eum flatus, omnis tentatio subvertit, nisi divinæ gratiæ pondere sustineatur. Quid de puellâ dixeris, quæ mente & corpore inconstans est, & affectibus suis quasi ventus agitur? Minimo flabro vel sibilo adolescentuli formosi & comptuli prosternitur, nisi divinæ gratiæ libramentis fulciatur, nisi Dei timor, pudor, & castitatis amor eam contineat.

84. Mulier quasi molier infirma est.

Sollicitè etiam & non sine metu tractamus, & custodimus res infirmas, fragiles. Quid autem infirmius puellis, quid fragilius virginibus! Certè Archiapostolus 1 Epist. 3, ℣. 7, mulierem vocat *infirmius vasculum*; vitreum quippe, quod minimo impulsu frangitur. Vt vir nomen à virtute, sic mulier à mollitie vocabulum sortita est, quasi molier, & Hebraicè fœminæ dicuntur נשים nascim ab אנש Anasch id est, infirmus fuit. Debiles sunt sexu, corpore, animo, judicio, experientiâ.

Prudenter Eleazarus apud Aristæam libello de 72 Interpretibus: *Est mulierum genus suorum affectuum sequax, atque in lapsum proclive propter imprudentiam, & naturam ejus imbecillem.* Est fœminæ lubricus cogitatus, nec uno facilè loco consistit, à rectis ad prava exiguo tempore dilabitur. Nec omnino sine causâ dixisse videtur Publius Syrus Mimographus: *Mulier cùm sola cogitat, malè cogitat.*

85. Virginitas pretiosa ideòque cautè servanda.

Præterea quælibet res magni valoris, ut monilia, lapides pretiosi, thesauri seris & repagulis firmissimis muniuntur, quia earum jactura maximi penditur. Quid virginitate pretiosius? quid ditius habet puella pudicitiæ cimelio? Nec Argi cētoculi, nec dracones perspicacissimi, nec leones insopiti, nec turris ahenea sufficit, ut hic thesaurus oppessuletur. Vel rima una sufficit, quâ vel intuitus vel vox, vel nutus, vel sibilus, vel anima adolescētis, lenæ vel lenonis intromittatur.

86. Fabula Pyrami & Thysbes.

Libro Transformationum 4 ostendit hoc Ovidius fabulam contexens de Pyrami & Thysbes amoribus. Vbi inter alia hæc:

Fissus erat tenui rimâ, quam duxerat olim
Cum fieret paries, domui communis utrique:
Id vitium nulli per secula longa notatum.
Quid non sentit amor? primi vidistis amantes,
Et voces fecistis iter, tutæque per illud
Murmure blanditiæ minimo transire solebant,
Sæpe ubi constiterant, hinc Thysbe, Pyramus illinc,
Inque vices fuerat captatus anhelitus oris:
Invide, dicebant, paries, quid amantibus obstas?

Postremò, horti, pomaria, apothecæ sepibus, parietibus & ferreis etiam foribus muniri & circumdari consueverunt, quibus prædones plures insidiantur. Quis autem, nisi rerum humanarum planè rudis, ignorare potest, plurimos esse callidissimos, & nequissimos juvenes, qui puellarum, maximè virginum formosarum pudicitiæ struant insidias? qui fraudibus, blanditiis, promissis integrum ipsarum pudorem tentent? Quid non machinatur sartor fatorque malorum Cupido?

Et quidem nec hæc omnia sufficiant, si patris, aut matris defuerit vigilia.

Rectè Fabius lib. primo Institutionum Oratoriarum cap. 3, sub initium. *Da mentem ad pejora facilem, da negligentiam formandi, custodiendique in ætate primâ puderis, non minorem flagitiis occasionem secreta præbuerint.*

87. Fabula Danaes.

Documentum dabit fabula Danaes, de quâ Horat. lib. 3 Carm. Ode 16,

Inclusam Danaen turris ahenea,
Robustæque fores, & vigilum canum
Tristes excubiæ munierant satis
Nocturnus ab adulteris, &c. quæ nota sunt.

Cura hæc una parentum sit pudorem virginibus à naturâ insitum assiduis monitis nutrire, & castitatis amorem in medullis ipsarum accendere.

Nam nihil invitæ tristis custodia prodest,
Quam peccare pudet, Cynthia, tuta satis est.

88. Nullus murus satis altus lascivis puellis continendis.

Alioqui, ut ajebat Theopompus in Apophtheg. Regum apud Plutarchum, murus abundè altus ut viros clausos teneat, minùs altus est, ut mulierum contineat lasciviam.

Attuli ad hoc propositum in cap. 42 Ecclesiastici ℣. 9, & sequentib. narratiunculam, quam jam plenius describo, idque calamo Justi Lipsii, lib. 2 Exemplorum Politicorum, cap. 12, §. 12. Eginhartus in aulâ Carolo Magno ab Epistolis, vir doctus & prudens, sed non in Amorem. Concepit eum in Domini sui filiam, etsi impar erat, & ipsa vicissim arsit. Restinxerunt, ut solent amantes, furtivâ sui copiâ & congressu, quisquamdiu latuit: donec hiemante quadam nocte, cùm in secretiore cubiculo Eginhartus fuisset, & sub ipsam lucem exire vellet, videt multam nivem cecidisse. Hæret & timet ne à vestigiis deprehendatur vir in gynæceo fuisse. Consilio & astu subvenit amica, & illum in humeros sublatum & pendentem, dulce onus, aliquamdiu tulit. Ecce (ô sortem iniquam pariter, & æquam!) videt hoc casu Carolus, & cum dolore suo & risu utrumque bene notat. Dissimulat, die pleno conventum Principum virorum habet, narrat jocosum, & fœdum factum, rogatque (sed nomina tacuit) famulus, ait, qui sic in Dominum, ita quæ in patrem peccasset, quâ pœnâ digni viderentur? Illi, mortis, respondent. Tum igitur utrumque advocat, & coram se sistit. En, inquit,

89. Eginharti sartivus amor erga filiam suam à Carolo Magno deprehensus.

cleſias ſine matre non adeat. Nullus ei juvenis, nullus cincinnatus arrideat. Et infrà : *Spernas bombycum telas, Serum vellera, & aurum in fila lenteſcens. Talia veſtimenta paret, quibus pellatur frigus, non quibus veſtita corpora nudentur. Cibus ejus eluſculum ſit, ravóque piſcicuti : ſic comedat, ut ſemper eſuriat : ut ſtatim poſt cibum poſſit legere & pſallere.*

Has roſas & lilia ex optimi Virginum pædagogi viridario hinc inde decerpſi, ſubinde etiam plura Lectorum naribus oblaturus.

98. B. Maria Chriſto tunicam inconſutilem texuit.

Quia vero Dei Matris meminit S. Hieronym. operæ pretium videtur hîc adſcribere verba Epiphanii Presbyteri Conſtantinopolitani in ejus vitâ. *Non ſolum*, ait, *in ſacris litteris, ſed etiam in lana & lino, ſerico & byſſo laborabat & conſuebat, quorum uſus in templo erat ſacerdotibus.* In templo didicit quod in obſequio filii poſtea exerceret. Nam ex traditione Patrum tradit Euthym. cap. 67 in Matthæi 27 Tunicam inconſutilem Chriſti ejus opus fuiſſe. Et conſentiunt interpretes Salmeron, Maldonatus, Barradas. Inſuper Franciſc. de Mendoça tomo 1 in primum Regum cap. 2, ℣. 19, adfert plures matres quæ ſuis manibus filiis ſuis veſtes confecerunt.

99. Cura primorum parentum circa liberos.

Colligunt Interpretes ex verbis Evæ Gen. 4, 1, cùm peperiſſet *Cain*, & diceret: *Poſſedi hominem per Deum*, curam quam geſſerunt Protoplaſti liberorum ſuorum, ut ſtatim ab ortu expiarentur à peccato originali, & in Dei cultu inſtituerentur. Hoc indicat myſtica nominum ſignificatio.

VERSVS XII, XIII & XIV.

Cum autem veniſſet tempus ſingularum per ordinem puellarum, ut intrarent ad regem, expletis omnibus quæ ad cultum muliebrem pertinebant, menſis duodecimus vertebatur : ita duntaxat (id eſt, videlicet) ut ſex menſibus oleo ungerentur myrrhino, & aliis ſex, quibuſdam pigmentis & aromatibus uterentur.

Ingredienteſque ad regem, quidquid poſtulaſſent ad ornatum pertinens, accipiebant, &, ut eis placuerat, compoſita de triclinio feminarum ad regis cubiculum tranſibant.

Et quæ intraverat veſpere, egrediebatur manè, atque inde in ſecundas ædes deducebatur, quæ ſub manu Suſagazi eunuchi erant, qui concubinis regis præſidebat : nec habebat poteſtatem ad regem ultra redeundi, niſi voluiſſet rex, & eam venire juſſiſſet ex nomine.

Hebraicè : Et cùm appeteret tempus (ordo) puellæ & puellæ (ſingularum puellarum) ut ingrederentur ad regem Aſſuerum in fine, cum eſſent ei ſecundùm legem mulierum duodecim menſes; quia ſic implebantur dies abſterſionum (purificationum) earum ſex menſibus cum oleo myrrheo, & ſex menſibus cum aromatibus, & abſterſionibus mulierum. Et in hoc puella veniebat ad regem: omne quod dicebat dabatur ei, veniendo cum eâ è domo mulierum uſque ad domum regis:

In veſpere ipſa intrabat & in mane ipſa revertebatur in domum mulierum ſecundam, ad manum Subaſgaz eunuchi regis cuſtodis concubinarum : non ingrediebatur amplius ad regem, niſi voluiſſet eam rex, & vocaretur in nomine.

Ioſephus minùs rectè, explicatè, & fideliter hæc reddit his verbis : Itaque Eſther uni Eunuchorum commendata, tractata eſt apud eum delicatiſſimè, odoramentis atque unguentis pretioſiſſimis, quibus feminæ principes corpus curare ſolent, delibuta quotidie. atque hac tractatione per ſex menſes uſæ ſunt quadringentæ numero virgines, quando verò ſatis curatas eas exiſtimabat, & regis lecto tempeſtivas, unam ſingulis diebus mittebat ad eum, qui poſt complexus eam ad eundem eunuchum remittebat.

COMMENTARIVS.

HIs verſibus deſcribitur modus & tempus, quo præparabantur in Parthenone virgines, antequàm ad Regis Perſarum cubiculum intrarent. Erat autem annuum, ita ut locum habuerit in illis illud Terentianum : *Noſti mores mulierum : Dum moliuntur, dum comuntur, annus eſt.* Erat autem hoc ſpatium definitum conſuetudine, vel etiam lege, ut colligitur ex Hebræo, dum ait, ſecundum legem mulierum duodecim menſes. Interea priore ſemeſtri linebant & perungebant corpus oleo myrrhino, quo abſtergebantur carnis ſordes, & eam bene olentem efficiebant : poſteriore verò ſemeſtri ad eam molliorem & nitidiorem reddendam ſuavibus aromatum compoſitionibus perfricabant. Præter hæc autem medicamenta, ſmigmata & unguenta, acceperant etiam ornatum corpori exteriùs colendo & comendo convenientem, qui propriè vocatur mundus muliebris.

100. Luxus Sybaritarum mulierum.

Simile quid ſcribit Athenæus lib. 12, c. 6, de Sybaritarum feminis, quæ prodituræ ad feſta, publicoſque conventus, per ſolidum annum ſe exquiſitis quibuſdam munditiis, luxuque comparabant.

Quamvis autem omnibus virginibus ſtatutum illud eſſet temporis intervallum, ut corpus laurum, ornatumque præſtarent, non videtur tamen dubitandum, quin quædam virgunculæ etiam diutius in Parthenone continerentur, utpote quæ necdum maturæ viro eſſent ob ætatem, vel alia de causâ. Quod etiam accidiſſe videtur Eſtheræ noſtræ. Cum enim ſupra dixerimus, veriſimile eſſe, illam cum aliis puellis traditam eſſe Egeo eunucho, tertio anno regis Aſſueri exeunte,

vel

vel saltem anno ejus quarto, cùm habitaret Susis, nec longè accersenda esset; dicitur tamen de ea hic ℣. 16, quod ducta sit ad Regis cubiculum anno regni ejus septimo. Toto ergo triennio plus, minusve in Gynæceo egit, honestis & mulieribus propriis occupationibus intenta, dum lanam, linumque facit, acu pingit, pollice fila ducit, vel etiam divinæ legis meditationi vacat, sacros codices volvit. Nec enim mihi dubium est, quin omnia hæc illi licuerint, cum & Eunuchum custodem virginum placidis & compositis moribus sibi haberet benevolentissimum, & honorarias suas pedissequas obsequētissimas. Quocirca crediderim plane illam abstinuisse illius temporis morâ, quo in conclavi puellarum mansit, cibis lege Iudaicâ vetitis, idolisque immolatis, & etiam postea cùm ad cubile, & thronum regium fuit assumpta, ut colligo ex ejus ad Deum prece cap. 14, ℣. 17. Si enim Deus dedit Danieli & sociis ejus gratiam in conspectu principis eunuchorum ne polluerentur de mensâ Regis Nabuchodonosor, neque de vino potus ejus; sed ut darentur eis legumina ad vescendum & aqua ad bibendum, uti refert ipse Daniel cap. primo; cur negemus idem concessum Estheræ, quæ singulari Dei nutu ad torum regium destinabatur? Nec etiam mihi persuadeo omnes illas unctiones, linitiones, perfricationes, concinnationes sibi adhibuisse castissimam, sanctissimamq; puellam tam curiosè & sollicitè, ut aliæ lautitiæ & munditiæ studiosæ juvenculæ, cùm animo ab omnibus illis vanitatibus & muliebribus deliciis esset alienissimo, ut Lector observabit tum hoc capite, ℣. 15. tum cap. 14, ℣. 15, 16 & 18.

Estheræ occupationes in Gynæceo & abstinentia.

Et fortè hoc illa verba indicant hîc ℣. 9, dum dicitur Egeus præcepisse eunucho ut Estheræ accelèraret mundum muliebrem; videbat enim puellam nativâ formâ præstantissimam, & modestiæ perstudiosam non anxiè expetere exquisitum aliquem cultum, ut longa mora interponenda esset illi perquirendo. quamvis longè aliter verba illa intellexerit Serarius hîc, quæstiunculâ primâ ad ℣. 9.

Quid sit accelerare mundum muliebrē.

Ergo mansit Esther in conclavi virginum, ut vero simile est, annis tribus. Cur enim non tantum temporis illi assignemus adornādæ ad Regis thalamum, cum Danieli & tribus aliis ephebis tot anni concessi fuerint, ut ad Regis conspectum & ministerium præparentur, Danielis primo, ℣. quinto? Iam singula inspiciamus.

In primis notat Mariana pro עת tempus ℣. 12, esse Hebraicè עת thor, quod non solùm tempus, sed etiam recurrens in orbem tempus significat.

Præterea observa malè ab aliis legi oleo myrtino, pro myrrhino. est enim Hebraicè מר mor, quod myrrham non myrtum signat, Græcè est σμύρνινον, à σμύρνη, id est, myrrha. Habet autem oleum illud myrrheum vim ad emundationem ab omnibus sordibus, furfuribus, fœtore & sudore; item ad cutem delicatam & mollem reddendam, & odorem suavem inducendum. Ita scribit Plinius lib. 13, c. primo, *myrrha per se unguentum facit sine oleo, stacte duntaxat; alioquin minimam amaritudinem affert.*

101. Vis unguenti ex myrrhâ.

Addit noster ūsas virgines semestri posteriore pigmentis, per quæ quidam accipiunt fucos, ut cerussam & purpurissum, quibus venustas oris & genis puellaribus conciliatur, gratus videlicet rubor vel candor. Verùm, licet propriè pigmenta illa significent, minùs tamen bene hoc loco pro illis quis accipiat, cùm Græcè habeantur σμύγματα, qualis est sapo, vel alia facultate præditа abstergendi, & Latinè pigmenta denotant nobilissimas ex fragrantissimis aromatibus confectiones, quæ fiant operâ pigmentarii vel pharmacopœi. Hebraica autem signant quaslibet generatim delicias & concinnationes.

Quid pigmenta?

Adduntur deinde aromata in Latino, quæ Græca & Hebræa præmittūt, per quæ accipe vel unguenta vel compositiones odoriferas, quas dicit Serarius factas tum ex aliis herbis suaveolentibus, tum præcipuè ex Heliocallide. Hac enim, scribit Plinius lib. 24, c. 17, cum adipe leonino decoctâ, addito croco, & palmeo vino perungi Magos & Persarum Reges, ut fiat corpus aspectu jucundum, ideoque eandem confectionem Heliocallidem nominari.

102. Quid Heliocallis?

Postremò, illud quod ℣. 14 habetur: *In secundam ædes deducebatur*, (scilicet, postquam semel admissa esset ad regium torum) duobus modis Interpretes explicant, ut videre est hîc apud Marianam & Emman. Sa. Cùm enim vox Hebræa שני Seni significet secundam, domum scilicet, & secundò sive iterum: Chaldæus & Rabbi Kimhi intelligunt ad eandem domum mulierum iterum rediisse, sed sub alio custode sive præfecto. maximè cùm ℣. 3. unius tantùm domus mulierum fiat mentio. Latinus verò & Septuaginta melius accipiunt domum vel ædes mulierum secundas, præsertim cum magis deceret virgines viro incognitas separatam habitationem incolere à Regiis concubinis; idem quoque ostendit diversum nomen utriusque præfecti: Nam custos Parthenonis vocatur Egeus, Gynæcei verò Susagazus.

Postquam verò virgunculæ hinc inde ad aulam Regis perductæ, per integrum annum corpus lavissent, abstersissent, unxissent, fœtorem omnem removissent, cutem odoriferam, mollem & delicatam induxissent, & jam ad regis cubiculum introducendæ essent, à præfecto postulabant quidquid ad exteriorem cultum ornamenti illis placeret, nec negare is quidquam poterat. Sic ergo ex plebeis factæ quasi reginæ, ex sordidatis squalidis pædore confectis nitidæ, cultæ, fragrantes, novo quasi succo imbutæ, colore niveo & rubicundo perfusæ, amomum & casiam redolentes, ad regium torum deducebantur.

Cibus & potus virginum regiarum.

Notat verò Sanctius Assuerum imitatum genium & mores Nabuchodonosoris, qui Danielem & tres socios juvenes jussit institutis, disciplinâ, linguâ Chaldæorum erudiri, ut ipsorum operâ familiariter uteretur, unde & ex mensâ suâ cibaria & potum præberi voluit, & quod amplius est, ipsorum nomina mutavit, ne quid pĕregrinum in illis audiretur, neque ad aulam suam priùs admisit, quàm Chaldaicis litteris & moribus esset excultissimi, & regios spiritus hausissent. Idem Assuerus in feminis, quas ad torum & sobolem elegit, servari statuit; porrexit illis cibos, qui humores tenuiores & temperatiores ministrarent, & gratos aspirarent halitus; detersit sordes ex incuriâ & illuvie contractas, unguen-

unguentis pretiosis nitidam & suaviter olentem reddidit cutem, nomen mutavit antiquum, & tale imposuit, quale audire solent puellæ aulicæ. Vnde & Estheræ datum videtur nomen illud quod Persarum regina ante habuerat, quæ Astastris vocabatur. Hæc Sanctius.

Erant primæ virginum ædes quasi Probationis domus.

Notat insuper primas puellarum ædes sive Parthenonem fuisse quasi gymnasium & Probationis domum, ubi se ad regium conspectū compararent & ornarent, neque tam subito illo tempore de familia regis, quam se ad illam longa exercitatione, & assiduo pigmentorū usu disposuisse. Sicut juvenes tirones, dum adhuc sunt militaris disciplinæ rudes, & per ætatem ad bellorum gymnasia immaturi, non dicuntur esse de numero & ordine militum, sed solùm postquam prima rudimenta experti, satisq; ad arma instructi tirocinio suo excesserunt. Ita quoque virgines illæ ex primis rudimentis educebantur ad regem, & ejus thalamum; inde verò ad alias ædes traducebantur, & alteri præfecto committebantur.

Dissertatio Prima.

Quæ finis diuturnæ & multiplicis unctionis in Persarum feminis?

QVæstionem hanc solus hic disseruit Sanctius stilo fusiore, cujus capita in pauca redegi.

103. Vtebantur unguentis mulieres, ut docet Scriptura.

Primùm, constat ex divinis libris, sexum muliebrem, utpote φιλοκαλον φιλοκοσμον φιλόμυρον, venustatis, munditiei & unctionis peritudiosum, ante nuptias, quas ambiret, vel cùm ad viros in amorem sui pelliciendos se compararet, unguentis pretiosissimis corpus perfudisse, pigmentis fragrantissimis perfricuisse, cubile etiam suum odoribus inspersisse. In libro Ruth cap. 3, ℣. 3, jubet Noemi Ruthæ nurui suæ accessuræ nocte ad Booz: *Lavare & ungere, & induere cultioribus vestimentis.* Sic inducitur loquens meretrix præparata ad capiendas adolescentium incautorum animas Proverb. 7, ℣. 17: *Aspersi*, ait, *cubile meum myrrhâ, & aloë & cinnamomo.* Sancta etiam Iuditha ad Holofernem tendens cap. 10, 3, *lavit corpus suum, & unxit se myro* (unguento, non autem myrto, licet ex illa etiam unguen conficeretur) *optimo* (nardino, credo, aut myrrhino.)

104. In regionibus calidioribus fœtent corpora.

Secundò, arbitratur idem in regionibus calidioribus ex corporum intemperie, quam soli, cœlique æstus inducit, gravem & quasi à naturâ insitum exhalare odorem, quem incolæ vel omnino tollunt, vel certè minuunt detersis aut delibutis assiduè quibusdam unguentis suis membris. Hoc, inquit, experimur, in his mancipiis, quæ ex Æthiopum finibus in Europam quotannis exportantur, quorum putor molestus est. Item qui Mauritaniam incolunt, inamœnum aliquid & fœtidum aspirant. Imò & ipsi Iudæi tam tetrum ex se odorem emittunt, ut familiari ac proprio cognomento fœtentes appellentur.

105. Iudæi fœtidi.

Scribit de his ita Baronius Annalium primo, Christi anno 72. *Iudæorum*, ait, *tetrum nomen, quibus perpetuæ infamiæ nota inusta videtur, cum eorum corporibus tam gravis fœtor inhæserit: ex eo enim fœtentes Iudæi sunt: unde Ammianus Marcellinus lib. 2 hæc scribit de Marco Imperatore. Ille enim cum Palæstinam transiret, Ægyptum petens, fœtentium Iudæorum & tumultuantium sæpe tædio pertœsus, doluisse dicitur exclamasse: ô Marcomanne, ô Quade, ô Sarmatæ! tandem aliquos vobis deteriores invenit.* Hæc ille. Nec dubitandum est, quin Deus ob horrendum ipsorum parricidium & Deicidium illud signum in eis fixerit, sicut posuit quondam Cain signum.

106. Fœtor hic baptismo abluitur.

Addit verò Sanctius suprà graveolentiam illam à Iudæorum corporibus fuisse sublatam cum Baptismatis lavacro tingerentur, pro quò adfert versus Fortunati lib. 5 Carmin. epist. ad Gregorium,

Abluitur Iudæus odor Baptismate divo,
Et nova progenies redditur unda sacra.

Consulendus etiam Baronius tomo 12 Annalium, Christi anno 1145, de aliis quibusdam gentibus fœtentem prolem generantibus, & sacro lavacro gravem ejus odorem pellentibus.

107. Perfectis puellis lunaemodo ter odor, juxta Sanctium.

Tertio, putat Sanctius in regionibus unde puellæ ad Assuerum ducebantur, innatum fuisse corporibus tetrum odorem, quia immodico calore æstuant, quod ait constare de Babylonia. Probat hoc exemplo Susannæ Danielis 13, quæ sæpe adibat balnea, & smegmate corpus abstergebat, & oleo ungebat, ne quid fœtoris ad conjugalem torum adferret. Neque aliud spectasse Iuditham cum cap. decimo singulis noctibus se baptizabat, quam ut omne quod molestum esse poterat homini Persæ, deliciis nempe dedito & assuefacto, detergeret. Itaque cum odor ille gravis mulieribus illarum regionum, quas Assuerus imperio premebat esset familiaris, & ipsi permolestus, voluit illum assiduo unguentorum usu exterminari, experimento doctus illo adhibito virus illud hircinum & graveolentiam vel penitus aboleri, vel multùm saltem consumi.

Confirmat ex Paraphraste Chaldæo, ubi loco pigmentorum habet, purificationum & medicamentorum. Item ex S. Hieronymo quæstion. in Genes. 13, ubi sic scribit, *Iuxta librum Esther, quæcumque mulierum placuisset regi apud veteres, sex mensibus ungebatur oleo myrrhino, & sex mensibus in pigmentis variis erat, & curationibus feminarum*, &c. Rursus ex Lirano, qui sic habet: *Vtebantur pigmentis, quæ faciunt carnem muliebrem suavem & redolentem ad reprimendum fœtores qui in mulieribus esse solent.*

108. Persæ assueti unguentis sa curare.

Quarto, ait credibile esse gentibus imperio Persico subjectis, quid graveolentiæ congenitum fuisse, eo quod apud eas creberrimus esset unguentorum usus, quæ non adhibuissent, nisi ut suavi fragrantiâ molestum odorem obruerent. Ita videmus in nosocomiis fieri gratas suffumigationes & odorum sussitus, ut omnis putor & pædor, quem ulcerosa corpora exhalant, amoveatur.

Quinto, adfert Plinium hoc indicantem lib. 13 cap. primo, ubi refert Persas ingluvie natum virus unguentorum, quibus madent, commendatione extinguere: Ipse verò interpretatur virus fœtorem hircinum, qui est sub alis.

Eosdem Persas in balneis non solùm lavisse, sed etiam perfricuisse corpora docet Plutarch. in Alexandro. Cùm enim etiam Macedonum proceres vidisset Alexander unguentis delibutos e balneis prodire, illos coarguit, qui cum victores essent, in eorum, quos vicerant, mores defluxissent.

Ex his omnibus concludit Persarum reges decrevisse ut puellæ, quibus fruerentur, innatum virus sive hircinum putorem & illuviem longo unguentorum suave-olentium usu abstergerent, & quasi odoratos succos imbiberent, sicut videmus pelles exoticis & peregrinis inspersas pigmentis, v. g. muscо, fragrantiam gratam aspirare.

Hæc & plura in rem suam congerit Sanctius, quorum sit arbitrium penes eruditum lectorem.

109. Deliciarum causa urebantur Persæ unguentis, non pellendi fœtoris.

Ego verò opinor has omnes unctiones, perfrictiones, curationes, sive mundationes ad Persarum mollitiem & lautitiam referendas, in quas devictis Lydis penitus solvebantur. Omnes ferè scriptores antiqui harum meminerunt, nullus autem hujus hircini pædoris Persis innati.

Adde virgines illas pleraque assumptas è regione Susiana temperatissima, domicilumque fixisse Susis, ubi quasi æternum ver perennabat, & si usquam, amœna soli, cœlique temperies.

110. Corpus Alexandri gratum spirabat odorem.

Adjungi & hoc potest, ex temperamento præfervido & quasi igneo nasci potius suaveolentiam. Sic enim scribit Plutarch. in vitâ Alexandri, existimatque ex eadem causâ provenisse quod ex cute & membris ejus gratissimus afflaret odor. Oritur autem fragrantia, ut opinatur Theophrastus, concoctis à calore humoribus, unde aridi & ferventes terrarum tractus, aromatum & odorum sunt feracissimi. Si ergo virgines illæ calido fuerint temperamento corporis, suaveolentiam potius quam fœtorem exspirarunt: graveolentia autem ex sudore solo produisset, qui linteis facile abstergitur.

Rarior olim linteorum usus.

Itaque, salvo meliore judicio, attribuo frequentationem unguentorum, pigmentorum, balneationum, &c. quæ invaluerat apud Persas, Medos, paulatimque apud Græcos & Romanos, non modò deliciis, sed etiam valetudinis curationi & necessitati. Siquidem censeo rarum fuisse illis temporibus lini usum in vestibus proximè corpori nudo adhærentibus, quæ indusia vocamus, qui modò apud nos frequentissimus est, & mundissimus. Mutamus nos vulgò interulam sive indusium semel per hebdomadam; delicatiores verò bis, terve: unde cutis & pellis semper nitida, sine illuvie & pædore permanet. Prisci, ut mihi persuadeo, laneis vel alterius materiæ subuculis, vel indumentis proximè ad cutem utebantur; unde non mirum viros & maximè mulieres, situ, illuvie, pædore, & graveolentiâ obsoletas, furfures & squalorem contraxisse.

Porrò de lini nitore & utilitate siquis rem desideret, adeat Ioan. Goropium Becanum Hermathenæ lib. tertio.

Dissertatio Secvnda.

Quis unguentorum usus commendandus, quis verò improbandus?

NEmo est, qui olei & unguentorum usitationem, quibus personæ vel res Deo consecrantur, cum orbe aquis renato penè natum reprehendat, nisi insanus.

Nullus etiam qui carpere audeat unctiones sacras & mysticas, quas in administratione Sacramentorum Ecclesia adhibere consuevit, nisi hæreticus.

111. Chrisma cœlitus missum in Baptismo Clodovæi.

Aimonus certè lib. 1, cap. 16 (ut hoc cursim dicam) tradit Chrisma divinitus esse missum, ut Chrisma suppleret, quod à ministris, S. Remigio Regem Clodovæum baptizante, ferebatur, his verbis: *Quod gratæ, acceptabilisque Deo Regis fides fuerit, ostensum declaravit miraculum. Nam cum forte qui Chrisma ferebat, intercluſus à populo deesset, ecce subitò non alius sine dubio, quàm Sanctus apparuit Spiritus in columbæ visibili figuratus specie, qui volitans vestro sanctum deferens Chrisma inter manus deposuit sacerdotis undas fontis sanctificantis.* Hæc Aimonus. Omitto alia.

Nec etiam credo quempiam esse qui defunctorum corporum linitiones, modò moderatæ sint, fugillet, cum legamus Genes. 50, ℣. 2 & 3 aromatibus conditum corpus Iacobi Patriarchæ à medicis jussu Iosephi: ut nihil dicam de Sanctissimi Christi Domini nostri corpore unguentorum affluentia copiosissimè perfuso.

112. S. Hilarionis & Simeonis Stylitæ corpora post mortem redolentia apparuerunt.

Scimus tamen suâ liberalitate Deum in Sanctorum suorum corporibus post mortem, balsami vel aromatum defectum sæpenumero supplevisse. Sic refert in vitâ S. Hieronymus B. Hilarionis corpus post decimum à tumulatione mensem planè integrum ac corruptionis expers, vivoque simile, eoque odore imbutum fuisse, tamquam id arte pigmentariâ curatum & conditum fuisset.

S. Simeon dictus Stylites, quod in columnâ perdius & pernox staret, vermibus vivus scatebat, mortuus verò sepulchrariam & aromaticam apothecâ spirabat. Nec plura in re vulgatissimâ.

113. Immodicus usus unguentorum in cadaveribus condiendis incessitur.

Addo tamen in cadaveribus perungendis peccari posse, si modus excedatur, uti factum in funere Asâ Regis Iuda 2 Paralipom. 16, ubi sic legimus ℣. 14. *Sepelierunt eum in sepulcro suo, posuerunt que eum super lectum suum plenum aromatibus & unguentis meretriciis, quæ erant pigmentariorum arte confecta, combusserunt que ea super ipsum ambitione nimiâ.*

Nihil hûc opus agere de unguentis quæ valetudinis causâ corpori admoventur ad artus fovendos, nervos laxandos; &c.

Quin verò, cùm causa exigeret, scimus honestas matronas unguentis fuisse delibutas munditiæ gratiâ, ut suprà de Rutha, Iuditha, Susanna memoravimus.

114. Iudæi in convivitis unguentis utebantur.

Insuper mos obtinuerat apud Iudæos (ut de aliis gentibus fileam) etiam gravium virorum, cùm convivio excipierentur, honoris ergo caput, pedesque nardo, aut alio quopiam liquore pretioso ungere & perfundere. Quorsum enim Christus id officii à Pharisæo requireret Lucæ 7, cùm de ipso his verbis queritur: *Oleo caput meum non unxisti.* Sed quod neglectum fuerat à Pharisæo, hoc præstitit Maria vel mulier peccatrix tum suprà, tum Ioannis 12, ℣. 3 & Matth. 26 ℣. 6, cum imbre nardino pretiosissimo & pedes & caput ejus irrigavit.

Et hactenus quidem non est quod unguentorum usûs vitio vertatur.

Ceterùm quod in unctionibus reprehensioni obnoxium venit, est ambitiosus luxus, & exquisitæ deliciæ. Et hæc quidem facilè mihi persuaserim a Persis sumpsisse originem, non autem simpliciter omnem pigmentorum & unguentorum usum: nam & ex profanis auctoribus liquet hunc multo ipsorum monarchiâ esse antiquiorem.

Pli-

115. Vsus unguentorum ad delicias Persarum inventum.

Plinius itaque sic prodidit libro 13 cap. 1. *Persarum esse debet gentes unguentum* (ab illis inventum, cum prius singuli aromatum odores usurparentur, non permixti) *illi madent eo, & accersitâ commendatione, ingluvie natum virus extinguunt.* Quæ verba non sunt accipienda, ut suprà illa intellexit Sanctius de hircino fœtore sub alis, sed prout alii viri docti exponunt, de graveolentia tum corporis tum maxime animæ sive anhelitus ex nimiâ edacitate, crapula & ebrietate contractâ. Quam accersita commendatione ex aromatum confectione & suavitate corrigebant.

116. A Persis fluxit ad Græcos.

Sed pergit Plinius: *Primum, quod equidem inveniam, castris Darii Regis expugnatis in reliquo ejus apparatu Alexander cepit ferinum unguentorum.* Hæc ibi.

A Persis deinde ad Macedones & Græcos luxuriem illam & lautitiam permanasse non est dubium, cùm Alexander, ut testis est in ejus vitâ Plutarchus, de suis principibus unguento fluentibus, quod in mores Persarum defluxissent, conqueratur, ut etiam ante dicere memini.

117. Hinc ad Romanos.

Rursus Plin. suprà cap. 3. ostendit quomodo & hic deliciarum cumulus Romam penetrarit. Pauca ex illo sublego. *Hæc*, inquit, *est materia luxui è cunctis maximè supervacua: unguenta siquidem illico exspirant, ac suis moriuntur horis. Summa commendatio eorum, ut transeunte feminâ odor invitet etiam aliud agentes.* Addit postea: *Maximè tamen mirum hanc gratiam penetrasse & in castra. Aquilæ certè ac signa pulverulenta illa, & custodiis horrida inunguntur festis diebus. Nimirum hac mercede corrupta terrarum orbem devicere Aquilæ. Quando ad primum ad Romanos penetravit, non facilè dixerim. Certum est Antiocho Rege, Asiâque devictis anno Vrbis 565 P. Licinium Crassum, L. Iulium Cæsarem Censores edixisse, ne quis venderet unguenta exotica: sic enim appellavere* (nempe foris & aliunde apportata sive peregrina.) *Iam quidam etiam in potus addunt: tantique amaritudo est, ut odore prodigo fruantur ex utraque parte corporis.* Hactenus Plinius.

118. Vnguentorum & Seplasiæ frequentatio Annibalis castra enervavit.

Migravit & Capuam Seplasia (hoc est forum unguentariorum & pigmentariorum) de quâ Cicero 2 de lege Agraria, & Valer. lib. 9 cap. primo, inter externa. *Luxuria*, inquit, *invictum armis Annibalem illecebris suis complexa vincendum Romano militi tribuit. Illa vigilantissimum ducem, illa exercitum acerrimum dapibus largis, abundante vino, unguentorum fragrantiâ, veneris usu lasciviore ad somnum & delicias evocarunt. Ac tum demum fracta ac concussa Punica feritas est, cum Seplasia & Albana castra esse cœperunt.* Ita Valerius.

Facessant à Christianâ feminâ, multóque magis à viro probo hæc unguenta exotica similiter & diapasmata sive odores sicci, ut muscus & alii pulvisculi pigmentarii qui vestibus inspergunter.

Audiant Pædagogum Clementis Alexandrini lib. 2 cap. 8 stilum acerrimè stringentem in eos qui hujusmodi voluptatibus capiuntur. Sic orditur: *Coronarum & unguentorum usus non est nequaquam necessarius: ad libidines enim & voluptates impellunt, maximè cum nox prope est.*

119. Vsus unguentorum & diapasmatum invitamentum libidinis.

Et paulò pòst; *Oportet*, inquit, *viros apud nos unguenta non olere, sed vitæ probitatem. Spiret autem femina Christum, qui est regalis unctio, non unguenta & diapasmata, divina autem ungatur semper pudicitiæ unctione.*

Et inferiùs: *Suavis odoris studium est escæ otii & mollitiei, quæ ad libidinosam & intemperantem cupiditatem paulatim attrahit. Et sicut boves annulis, & funibus, ita etiam intemperans sufflitibus & unguentis, & suave olentibus coronarum odoribus trahitur.* Hactenus Clemens, qui plura suggerit. Detestatur hujusmodi delicias Amos propheta; & utentibus diras intentat cap. 6. ℣. 6. *Bibentes*, inquit, *vinum in phialis, & optimo unguento delibuti.*

Noverint Christiani etiam testibus profanis scriptoribus illos bene olere, qui nihil olent. Ita Plautus in Mostellaria, & Cicero lib. 2 Epist. 10. ad Atticum. Et Seneca Epist. 108. *Optimus*, ait, *odor in corpore est nullus.* Contra illos malè olere qui bene oleant: tegunt enim & dissimulant e- 120. Olet nequitiam. mentitis & asciticiis odoribus odorem tetrum & graveolentiam. Adde sæpe peregrinos illos pulvisculos & sufflumigatas chirothecas sive diapasmata olere nequitiam.

Recte proinde Diogenes apud Laërtium libro sexto cuidam cæsariem gerenti unguentis madentem: Cave, inquit, ne σὺ κεφαλὴς ἰωνθὲν τῆς βίου ἀνωνθίαν adducat, *ne* scilicet *capitis bonus odor, sit vitæ & morum malus odor.*

Noti sunt versus Epigrammatarii lib. 2 Epigram. decimo:

Esse quid hoc dicam, quod olent tua basia myrrham,
Quodque tibi est numquam non alienus odor?
Hoc mihi suspectum est, quod oles bene, Posthume, semper:
Posthume, non bene olet, qui bene semper olet.

121. Est signum animi mollis.

Est insuper suaveolentia illa indicium mollis, effeminatique animi, & parum virilis: unde Turnus Æneid. 12.

Da sternere corpus,
Semiviri Phrygis, & fundare in pulvere crines
Vibratos calido ferro, myrrhâque madentes.

Commendandus Solon, nec non & Lacedæmonii, qui unguentarios & seplasiarios urbibus suis exclusérunt, auctore Athenæo lib. 15.

122. Columbæ perfusæ unguento, quæ convivas perfunderent.

Quid non excogitavit hominum luxus? Non sufficiebat delicatulis cibo potionique unguentum, odoratosque liquores permiscere, nisi etiam columbas unguine & balsamo perfunderent, quæ dimissæ per cœnaculum convivas, eorumque vestes, toros, mensas irrigarent, ut idem testatur supra cap. 17.

Dissertatio Tertia.

Monita & exempla, quæ molliorem vitam sectantes ab unguentorum & diapasmatum usu deterreant.

PRimò assero exotica unguenta, & pigmentarios pulvisculos vestibus affrictos vel insperssos sæpius causam fuisse cur quidam hostibus suis proderentur, & eorum manu perirent. Proferam exemplum unum ex veteri, alterum ex recenti memoriâ.

Itaque memorant Plinius lib. 13 cap. 3, Solinus cap. 48, Valer. lib. 6 cap. 8 ℣. 5. quod subjicio, hujus verbis: *C. Plotius Plancus, cum à Triumviris proscriptus in regione Salernitanâ lateret,*

123. Plancus suis unguentis proditus hostibus & occisus.

delicatiore vitæ genere & odore unguenti occultam salutis custodiam detexit. His enim vestigiis eorum, qui miseros persequebantur, sagax inducta cura abditum fugæ illius cubile odorata est. A quibus comprehensi servi, multumque ac diu torti negabant se scire ubi dominus esset. Non sustinuit deinde Plancus tam fideles, tamque bonos exemplo servos ulterius cruciari: sed processit in medium, jugulumq; gladio militum objecit. Hæc Valerius. Sic prognostico quodam eventus futuri, unguentis suis funeratus fuit.

Recentius narrant Paulus Iovius, & Laurentius Surius. in commentario hic rerum in orbe gestarum sub annum Domini 1544.

124. Item Muleasses Rex Tunetanus.

Muleasses Rex Tunetanus Neapolis cum aliquando esset, Neapolitanos novo cultu, vescendi more, & exquisitissimis odoramentis admirationi fuit. Dapibus ejus ex regiæ culinæ disciplinâ pressiosi sumptus unguenta farciebantur, adeo ut pavonem cum duobus phasianis condimentum observatum sit centum aureorum impensam excepisse. Hic cum audisset Amidam filium Tunetum & arcem occupasse, ea re vehementer perturbatus militem conscribit magnâ celeritate, conflatq; ad eum mille & octingenti viri, cum quibus eò pergit, & in itinere rursus ab Hispanis equitibus admonitus, ut sibi ab insidiis, quæ juxta urbem essent, caveret, nihilominus in proposito perseverat. Vbi autem propius ad urbem accessit, erumpentibus tum ex urbe, tum ex olivetis Afris, ex ejus exercitu periere supra mille & trecentes, & ipse Muleasses fugiens nullâ re magis, quàm unguentorum odore ab hostibus agnitus & captus est, eum ad se adductum Amida filius utroque orbatum lumine crudeliter excæcat: candenti scalpello prosciss â utriusque oculi pupillâ. Non minus ergo unguentorum pretium Muleassæ exitio fuit, quam aurea & rutilans cæsaries Absalonio.

125. Virgines unguenta ut meretricia fugiant.

Secundò, si meminit Lector suprà ex Pædagogo Alexandrino ostendimus odores unguentarios & pigmentarios libidinis esse excitamenta & illicia: unde in litteris sacris dicuntur unguenta & aromata meretricia; & scorta illis utuntur, ut adolescentes vagos, non secus quam odoris equos, & venaticos catulos ad inconcessos amores pertrahant.

Virgines ergo & matronæ, quibus cordi est corporis integritas, ut prima dos mulicbris, hujusmodi exotica pigmenta & odores ab se relegabunt ad Lydos, Persas, Ægyptios & Sabæos, & cum casus inciderit vel necessitas, corpori suo potius adhibebunt putentes herbas, radiculas, vel, carnes fœtentes, quibus lascivos juvenes arceant, quarumdam virginum imitatione, de quibus hæc subjungo, ex Cardinale Baronio tomo 8 Annalium Christi anno 600, principio, idque auctore Paulo Diacono lib. 4 cap. 12.

126. Filiæ Agilulphi castitati suæ consulunt crudis pullorum carnibus inter mamillas positis.

Filiæ Agilulphi Longobardorum ducis non matris Romildæ libidinem secutæ, cujus insidiis Chajanus Avarum Rex Forum Julii ceperat, sed castitatis amorem, caventes ne ab Avaribus contaminarentur, crudorum pullorum carnes sibi inter mamillas sub fasciâ posuerant, quæ ex calore putrefactæ odorem fœtidum exhalabant; Cum autem vellent eas Avares contingere, non sustinentes fœtorem, putabant enim naturaliter eas ita fœtere, procul ab eis cum execratione recedentes, dicebant omnes Longobardas putidas esse. Hac itaque arte Avarum libidinem puellæ nobiles evadentes, & ipsæ castæ servatæ sunt & mirè servandæ castitatis fœminis omnibus (si-

quid tale contigerit) reliquerunt exemplum. Quæ postea per diversas regiones venumdatæ juxta nobilitatem suam dignis sunt nuptiis potitæ: nam una dicitur Alemannorum Regi, alia verò Bojariorum Principi nupsisse. Hactenus Paulus Diaconus.

Discis hinc Lector, quomodo illis quidem prioribus fuerit ad mortem odor suavis, his vero teter & fœdus ad vitam. Nec modò gravcolentia & putor alienam repellit libidinem, sed etiam accensas spurci Cupidinis faces in proprio corpore extinguit, ut sequens declarabit narratio: Scribit probatus testis Thomas Cantipratanus lib. 2 Memorabil. exemplor. cap. 30, §. 31. *Vidi*, inquit, *sanctum virum Magistrum Gundonem Presbyterum, de quo certissime ferebatur, quia cum in Sonegio oppido Hannoniæ scholas regeret adolescens, incaute semel feminam contemplatus per annos tres etiam ipsâ mortuâ in tantum tentatus est, ut excepto eo quod vigilans sustinebat, omni nocte in somnis crederet esse præsentem. Sentiens ergo circa se diabolum non cessare, de nocte clam tumulum mortuæ mulieris aperuit, nareſque & faciem in cœno putrefacti corporis tam diu tenuit, ut pene fœtore nimio suffocatus quasi mortuus caderet resupinus. Quæ res in tantum valuit sancto viro, ut postea nullis carnis stimulis urgeretur.* Hæc ibi.

127. Fœtor cadaveris amulerum contra libidinem.

Vt flamma injecto fimo & sordibus obruitur; sic incendium libidinis fœtore vermium sepulcralium restinguitur.

Tertiò, me**a**rem subit Deum vindicem horribiles subinde pœnas sumpsisse de quibusdam mulieribus quæ aromaticas thymiasas stulte ambiverunt.

B. Petrus Damiani Epistolâ ad Blancam Comitissam de Institut. Monial. cap. 11, & Baron. tomo 10 anno Christi 998 hæc habent.

128. Ducissa Venetiarum unguentis affueta ante mortem computruit.

Didici, inquit B. Damianus, *viri fide digni relatione quod nuper. Dux Venetiarum Constantinopolitanæ urbis habebat uxorem, quæ tam tenere & delicatè vivebat, & non modò superstitiosâ, sed & artificiosâ jucunditate se mulcebat, ut etiam communibus se aquis dedignaretur abluere, sed ejus servi rorem cœli satagebant undequaque colligere, ex quo laborioſum ei balneum procurarent. Cibos quoque suos non tangebat, sed ab eunuchis ejus alimenta minutius concidebantur in frusta, quæ mox illa quibusdam fuscinulis aureis ori suo lingurens ingerebat. Ejus porrò cubiculum tot thymiamatum, aromatumque generibus redolebat, ut & nobis tantum dedecus narrare fœteat, & auditor forte non credat. Sed omnipotenti Deo quantum hujus fœminæ fuerit exosa superbia, manifesta docuit ulciscendi censura. Vibrato itaque super eam mucrone divinæ judicii, corpus ejus omne computruit, ita ut membra corporis undique cuncta marcescerent, totumque cubiculum intolerabili prorsus fœtore complerent: nec quisquam tantam perferre narium injuriam potuit, non consueta servitia, non famuli, vix una dumtaxat ancilla non sine speciei redolentis auxilio in ejus obsequiis sedulitate permansit. Diutino ergo hæc languore decocta & miserabiliter cruciata, amicis quoque lætantibus, diem clausit extremum. Quid ergo sit caro, doceat caro, quodque perhibet mortua, testetur & viva.* Ita B. Cardinalis Damianus.

129. Mirræ divinæ in puellas unguentis deliburas. apud Isaiam.

Sic prædixerat fore magnus ille Dei vates Isaias cap. 3, vers. 24: *Et erit pro suavi odore fœtor.* Egerat autem v. 21 de filiarum Sion olfactoriolis, quæ sunt nartheeia vel myrotheca, sive fo-

ratæ

tatæ pyxides & ocellatæ, quæ fragrantiam & suaves halitus per foramina & quasi poros exspirant; unde & phrasi Hebraica vocantur domus animæ, id est, evaporationis & quasi halitus. Habebant enim illius seculi mulieres vasa ex alabastrite, quibus unguenta servabant & condebant.

Igitur vice illius suaveolentiæ evaporantis ex musco & peregrinis aromatibus minatur Deus fœtorem & mephitim, illuviem & pædorem. Vatablus reddit ex Hebræo: *Erisque pro musco tabes.* q. d. veniet aliquando illa dies, cùm caro pigmentorum & balsami suavi halitu fœtiata in saniem & puruleutiam solvetur. Nares illæ thymiati & suffumigationi aromatum assuetæ veneris mancipiorum, quæ musco & peregrinis odoribus sudariola, fasciolas & chirothecas suas perfusas gerunt, nares, inquam, illæ sentient ingratum putorem, & inamœnum pædorem, cùm artus illuvie & squalore, & fœditate morborum contabescent.

Septuaginta Isaiæ verba sic transtulerunt. *Et erit pro suavi odore pulvis*: quam versionem secutus S. Basil. sic in illum locum commentans scribit: *Si quando*, inquit, *compositio istius suavis fragrantiæ impensiore studio exerceatur ad petulantiam vitæ & luxum, tunc vocatus ipse sensus serviens oppilatur, dispensante hæc domino, quæ in illos beneficia contulerat.* Hæc & plura ibi S. Doctor.

Docet etiam experientia eorum cadavera tetriorem odorem emittere, qui dum viverent, cinnama, balsamum, & muscum redolebant.

Deo ergo & naturæ exosi & fœtidi sunt, qui unguentis delibuti, & pigmentis inspersi auras vaporant, quin etiam & viris gravibus & probis odioli.

130. Vespasianus juvenem unguentis delibutum inglurium dimittit.

Notus est ille juvenis, qui cùm Vespasiano Principi pro collatâ præfectura gratias acturus, compositus hujusmodi odoribus tragraret, excandescens Imperator, voce aspera: *Mallem*, inquit, *allium oluisses*: sic exceptum sine honore, collati beneficii rescissis litteris olidum abs se dimisit.

131. Vsera unguentorum hominoe indigna.

Quartò, tradunt Physiologi, & inter eos Theophrastus lib. 6 de causis plantar. Hominem odoratum inter omnia animantia habere deterrimum: dici etiam solet vultures nobis multum olfactu antecellere. Indicavit hoc argumento naturæ auctor satis perspicuè, eam oblectationem, quæ hoc sensu percipitur, pigmentorumque fragrantiam non esse ita homine dignam, ut voluptatis gratiâ avidè illam venetur.

132. Et res vana mortua.

Accedit, quod suavitas quæ naribus percipitur ex odoramentis, sit planè vana & futilis, par levibus ventis, quippe quam exigua aura statim diffiet & auferat, ac proinde, qui hujusmodi captat, similis videatur ventos sequi & prendere laborans.

Quocirca Ius civile unguenta *rem mortuam* vocat. ff. de donat. inter vir. & uxor. L. 8, §. S. Mavr. quo significat earum usuram esse frivolam, inutilem & vanam. Quò etiam allusit suprà Plin. lib. 13, cap. 3, cùm ait *unguenta illico exspirare, & suis horis mori, & luxum eorum è cunctis maximè supervacuum.* Vani ergo sunt & illi, qui unguentis madidi, peregrinis muris olentibus pelliculis suffulti, fragrantes musco se magis quàm auras inficiunt.

Intellexit hoc Ferdinandus 2 Augustus, qui hujusmodi odores numquam admisit; quod ministris cubiculi, & iis qui hospitia, facienti iter, parabant, adeò notum erat, ut siquid tale in tanti hospitis, honorem à Domino domus procuratum fuisset, ad illud difflandum dissipandumque, portas, fenestrasque omnes aperirent. Ita, libellus de virtutibus ejus cap. 14.

Dissertatio Quarta.

Vanum, superfluum & noxium mulierum studium, quæ dum se curiosè fucant operosè ornant, temporis & salutis jacturam faciunt.

CHoragium, sive ornamenta sexus muliebris tam varia & multa sunt, ut etiam diserrimum oratorem, si ea recensere velit, delassare valeant, quæ majores nostri proinde mundi vocabulo meritò donaverunt, non solùm ob elegantiam & munditiem, sed etiam ob multitudinem & diversitatem. Aliqua eorum, sed prisci illius ævi protulit Isaias 3, ℣. 18 usq; ad 24. Sed quantula illa portio ad seculi nostri pompam & apparatum. Indicem eorum prolixissimum ordine Alphabetico, Græcis & Latinis vocibus texuit Andr. Tiraquellus in Legem Connubialem tertiam n. 27. Calepini justam partem illa facilè adæquant.

133. Alphabetum ingens ornamentorum muliebrium.

Mihi propositum est non hîc in singula spicula singula intorquere conatu irrito & futili, cum veteribus cadentibus nova semper renascantur, instar Hydræ, cujus uno resecto capite aliud repullulabat. Sufficiet modo generatim quædam stylo perstringere, quæ jaculis evertere non possum. Porrò de hoc panca à nobis dicta sunt in Ecclesiastici cap. 11 ℣. 4, & plura dicentur inferius locis opportunis.

Principio, quanta insania fuco, cerussa, inquam, vel purpurisso faciem pingere: Si hoc, mulier, facis, ut tibi placeas, demens es. Quid enim carius cuique, quam unusquisque per se sibi? Si, ut viris; nempe ut sponsum tibi jam nubilis concilies, vel matrimonio juncta maritum, fatua es, ne quid amplius addam. Perinde enim videtur esse ore fuco illito virum velle pellicere, atque inductâ personâ; quem tantum averres detecta, quantum attraxeris contecta, nisi fortè numquam crustam ablauna fis, & semper sive in publico sive in privato incrustata maneas. Deinde quam ridiculum erit, siquid vel aquæ aspersione, vel sudore vel æstu de oris medicamine liquefactum fit, & cutis nativa sæpe deformis & horrida ostendatur. Memorat ad usum nostrum Ludovicus Vives lib. 1 de Christianâ fœminâ, Tit. de Ornament. hanc historiam. *Celebrabatur quondam in Græciâ conviviam multarum mulierum præsentiâ frequens. Inter epulantium oblectamenta cum alii sumus lusus indulti, tum illa, ut per vices quisque convivarum ceteris omnibus, quidquid esset collibitum imperaret. Cum esset ventum ad puellam quandam insigni specie & ingenio non inamœno, eaque animadversissent complures fœminarum adesse, emboscâ, cerussâ & pigmentis illotas; & : Rem*, inquit, *levem jubebo, quam & ipsa oluo prima; ut unaquæque nostrum aquæ immersas manus per faciem circumducat, ac mox, linteo exergas. Ipsa primo quod jusserat, præstiti, cumque mihi fuci gerere-*

134. Stultitia mulierum fuco utentium.

135. Phryne vanitatem & turpitudinem se fucantium lepido facto ostendit.

ret, ex lotione pulchrior apparuit, reliquæ verò cerussatæ absurdas & ridiculas facies retulerunt. Dixisses te videre maculosas, & ad terrorem factas imagines. Denique ludibrio sunt habitæ; & in posterum medicamenta fucata spreverunt contentæ specie nativâ, rejectâ adulterinâ. Cæterùm puella illa, cujus nomen reticuit Vives, fuit Phryne meretrix, cujus meminerunt Athenæus & Pausanias, eamque narrationem quam jam descripti, refert Galenus in Exhortatione ad bonas artes.

Catholicæ religionis lumina, Sancti, inquam, Patres in mulieres, quæ in auctoris naturæ contumeliam, & summi opificis probrum artificiosam formam affectant, & pulchriores esse volunt, quam ex ejus officina prodierunt, passim calamos exacuunt.

136. Invectiva in mulieres se ambitiosè ornantes.

Fortissimus fidei nostræ primipilus Cyprian. tomo 2, lib. de disciplinâ & habitu virginum in prima acie militat. Ubi inter alia hæc eminent: *Ornamentorum*, ait, *& vestium insignia, & lenocinia formarum non nisi prostitutis & impudicis feminis congruunt, & nullarum ferè pretiosior cultus est, quam quarum pudor vilis est. Sic in scripturis sanctis, quibus nos instrui Dominus voluit, & moneri, describitur civitas meretrix, compta pulchriùs & ornata, & cum ornamentis suis, ac propter ipsa potius ornamenta peritura.* Et infrà, *Fugiant castæ virgines & pudicæ incestarum cultus, habitus impudicarum, lupanarium insignia, ornamenta meretricum.* Et paulò pòst. *Si accepto cibo qui acceperat, interiret; scires esse letale quod acceptum potuit occidere, nec ederes inde, nec biberes, unde interisse alios antè conspiceres. Nunc quanta ignorantia veri est, animi quanta dementia id velle quod & nocuerit semper, & noceat, & putare quod ipsa non pereas, unde alios periisse cognoscas? Neque enim Deus coccineas aut purpureas oves fecit, aut herbarum succis, & conchyliis tingere, & colorare lanas docuit. Nec distinctis auro lapillis & margaritis contextâ serie & numerosâ compage digestis monilia instituit, quibus cervicem, quam fecit, abscinderes, ut operiatur illud, quod Deus in homine formavit, & conspiciatur id desuper quod Diabolus adinvenit. An vulnera inferri auribus Deus voluit, quibus innocens adhuc infantia, & mali secularis ignara cruciretur, ut postea de auriam cicatricibus & cavernis pretiosa grana dependeant, gravia etsi non suo pondere, mercium quantitate?* Hæc & plura S. Martyr, quibus germana habent Tertullian. lib. de cultu feminarum, Clemens lib. 2 Pædagogi c. 12, & lib. 3 cap. 2, Nazianz. oratione adversùs mulieres ambitiosius se ornantes, & alii. His melora addere nec possim, nec velim.

Omnia sæcula testantur mulieres, nempe quas mentis imbecillitas, & graviorum operum negata affectatio coërcet, omnem curam & industriam suam ad operosiorem sui corporis cultum conferre.

Sciunt Romanorum rerum gnari ex Livio, lib. 33. Valerio lib. 9 cap. primo, & aliis, quem quondam tumultum Romæ concitarint pro lege Oppiâ abrogandâ.

Fuerat lex Oppia lata secundo bello Punico, nequa mulier auri plus semunciâ haberet, neve versicolore veste uteretur, quæ servata est quoad Asiana luxuria civitatem invasit. Tunc mulieres velut furoris œstro percitæ in publicum se proruerunt, licentiam sibi cum suis ornatus flagitantes. Ne hoc fieret, vir gravissimus M. Cato Consul dissuasit; suaserunt contra duo Tribuni plebis, quorum oratio extat apud Livium, dilutæ sanè & auribus stultæ multitudinis accommodatior, quam sapientium judicio. Pervicerunt importunitate & pervicaciâ suâ mulieres, ut superbiæ sui ipsarum fræna laxarentur; liceretque, quantum liberet. Quæ inde mala eventura essent, prædixit Cato vates in hoc verissimus, quæ alii non præviderunt, insciî quo se usque effusura esset victrix legum audacia. Est hæc Reipub. labes communibus lacrymis deploranda. Sed modò gemimus & deflemus jacturam temporis rei omnium pretiosissimæ, prorsusque irreparabilis, quam stultæ mulierculæ faciunt, cum inutili studio se onerant potius quam ornant, deformant potiùs, quàm formant. Omne illis tempus breve est, quod corpori poliendo & excolendo impendunt.

137. Romanarum furor conspirantium in Legem Oppiam.

Poëta quidam ante paucos annos cum Solem aureâ & radiante quadrigâ invectum in theatrum immisisset, affinxit illi Horas duodecim, à quibus trahebatur. Horas autem, ut Nymphas, egregio apparatu exornavit, flagitus instruxit, addidit alas, & reliquum choragium, quamquam cetera dissimili habitu & forma compositas. Quasdam enim longissimas, alias staturâ mediocri, nonnullas brevissimas & quasi nanas induxit. Hanc tantam deformitatem & contra artem & naturam enormem diversitatem cum obvius Mercurius vidisset & obstupuisset, ex singulis percontatus est, quænam essent: Brevissimæ igitur dixerunt se esse Horas fructuosi laboris, precum, sacrificii, & orationis: Mediocres vero responderunt, se Horas esse negotus tractandis destinatas. Longæ demum vociferabantur esse se Horas proluxi sub solem orientem somni, tripudiorum, epulationum, maximè autem corporis curandi, lavandi, ungendi, fucandi, comendi, decorandi. O figmentum lepidum, sed verissimum! Sic protenduntur horæ quæ corpori exornando deputantur; contrahuntur interim illæ, quæ animo, ut Deo placeat, componendo tribuuntur. Hanc amentiam veteres Ascetæ & viri sanctissimi lacrymarum imbre deplorarunt.

138. Fabula docet mulieres plures diei horas se ornando perdere.

Finem facio adducto exemplo puellæ ad insaniam usque ambitioni & luxui vestium deditæ, sed horribili morte punitæ.

Narrat Georgius Stengelius parte 2 sui Labyrinthi ex Roberto de Licio & aliis, fuisse in Spoletanâ civitate puellam formâ egregiam, sed matris indulgentiâ culturæ mentis parùm addictam. Quippe vanitatibus implicatam nulla umquam de morte vel vita futurâ cogitatio occupabat. Cùm ergo hæc omnibus vitiis simul & deliciis affluceret, voluit eam divina bonitas mortalitatis admonere. Immisit itaque morbum, quo quidem percussa fuit, sed non sapuit. sensérunt tamen amici. Itaque per hos Deus languentem admonuit, ut de animi salute pias susciperet cogitationes. Sed surdæ canebatur fabula. Percutitur igitur à Deo gravioribus doloribus. Sed puella acriùs insaniit. Nam cùm adverteret actum esse de vitâ, illa coronidem addidit ante actæ vitæ similem. Importunis matrem fatigat precibus, ut vestes, quas elegantissimas habebat, promeret, sibique è vitâ abeunti indueret, nec non, ut purpurisso faciem depingeret,

139. Punitio horribilis puellæ cultui corporis immodicè deditæ.

geret, capitis comam turrito suggestu attolleret, armillis brachia, annulis digitos exornaret, cycladem denique ita decenter aptaret, ac si ad nuptias jam esset exitura. Facit stolida mater, quæ filia insana petierat; quamque oportuisset pòst paulò linteis mortualibus infuere, eam induit veste sericâ, & brevi capulo includendam auro circumdat & purpurâ.

Quid expectemus? Terribile certè Dei judicium & miserabilem puellæ vanissimæ catastrophen. His vestibus exculta, hoc schemate circumamicta repentè horrendùm exclamavit. Heu! siccine moriar tam formosa, tam tenera, tam exculta? Amici qui circumstabant, illam ad pœnitentiam vocare, Deum misericordem inclamare. Quid ad hæc illa? In vocem desperationis plenam lamentabili gemitu prorumpit: Quid mihi cum Deo? veni diabole, tu suscipe animam meam. Inter quæ verba infelicem spiritum exspuit.

Hæc finis ornatus & apparatus insanæ & miserandæ puellæ.

Dissertatio Quinta

ἀναβαλικὸς, vel spiritualis Anagoge & Ascensio.

Quo studio, quanto tempore anima Christiana purganda, ornanda, excolenda, antequam ad Regis Regum æthereum thalamum assumatur?

Viri sanctimoniâ præstantes, cùm animo conferrent aliquale in suam socordiam, & exiguum temporis spatium, quo se divino obsequio addicebant, eique placere contendebant, cum incenso studio, & assiduitate, quâ vanæ mulierculæ crinem calamistris crispant & rutilant, & de inferni futuris incendiis sibi aliquid affricant, quâ caput comunt, corpus reliquum mundum & elegans reddunt, ut sibi similes adolescentes amoris laqueis irretiant; pudore non modico suffundebantur, & toti in fletus ibant.

Exempla datum vado. Primum ex vita S. Pelagiæ apud Surium, 8. Octobris.

140. Nonnus visâ Pelagiâ cultissimâ suam deplorat socordiam.

Occurrit aliquando B. Nonno Edessæ Episcopo Pelagia mulier vanissima, ornatu ad stuporem elaborato, quæ magnam epheborum, puellarumque turbam exquisitissimè cultam in suo comitatu habebat. Eam aliquamdiu fixis oculis intuitus S. Antistes, ad alios, qui aderant, Episcopos conversus rogat, quis sensus eorum esset de istâc femina. Illis, quia oculos suos a vanitate videndâ averterant, tacentibus, ipse operto vultu in lacrymas effusus, & paulo pòst arrectus: Quam, inquit, mulieris hujus aspectus me jucunde detinuit! Siquidem occurrebat animo, quot illa horas, se ut comeret, & ornaret, impendisset, ut impuro amore adolescentes irretiret, & quam ego contra, ut Deo animæ meæ sponso æterna & infinita bona promittenti placeam, in mente meâ excolendâ & componendâ desudiosus sim & socors. Quibus dictis, cum Diacono suo secedens, humi prostratus suam deflevit ignaviam.

141. Idem facit Abbas Pambo.

Simile refert Socrates lib. 4 Histor. Ecclesiasticæ cap. 18 de Abbate Pambone, qui cùm Alexandriæ vidisset mulierem sumptuosùs, exquisitùsque adornatam, ut ad sui spectaculum homines invitaret, lacrymas ubertim fudit. Quibusdam verò ex iis qui aderant, quærentibus quid causæ esset cur lacrymaret, respondit duplici ratione se permotum fuisse. Vnâ, quod videret mulierem exitium sibi parantem. Alterâ, quod ipse non tantâ cura ac studio ad placendum Deo, quantâ illa ad blandiendum hominibus incumberet.

Næ confusio faciem cooperiat hominis Christiani, præcipuè sacerdotis aut religiosi Ascetæ, qui Deo per Ordinem sacrum vel professionem consecratus est, cùm vitam moresque suos componit cum indefesso labore puellarum se ad speculum politarum, pingentium, ornantium, vel matronarum solidos dies in corporis cultum impendentium; de quarum unâ ita dixisse fertur Thomas Morus vir sanctus, & ingenio non infacetus: *Nisi Deus tibi pro hoc tanto labore infernum rependat, magnâ, me judice, te injuriâ affecerit.* Quantulum est si quod moliuntur, ut ad perfectionis amussim mentes suas dirigant, virtutum pigmentis se condecorent, ut ad cœlestis Regis Augustale aliquando admittantur? Quatuor illi ephebi Daniel. primo, ut coram Rege Chaldæo starent, illique ministrarent, carere debebant omni maculâ; opus erat ut essent decori formâ, eruditi omni sapientiâ, cauti scientiâ & docti disciplinâ, imbuti litteris & lingua Chaldæorum, tribus annis parabantur, & nutriebantur pro voluntate præpositi eunuchorum, quibus expletis, cum jam mores pristinos oblati in alios transivissent, admittebantur ad Regis conspectum, interrogatique ab eo, verba sapientiæ & majestatis plena respondebant.

142. Thomæ Mori dictum de mulierum labore se ornantium.

Daniel & socii annis tribus se parabant, ut coram Rege starent.

Et putabimus nos idoneos, ut æterni Regis aulam subeamus nisi immunes ab omni criminum labe, vitæ integritate & innocentiâ conspicui, divinæ sapientiæ sale conspersi inveniamur; nisi tribus annis probati (norunt sacris Societatis nostræ initiati, quid velim) omnem morem, modumque mundi exuerimus; nisi, (ut spirituales viri & Ascetæ loquuntur) prætergressi viam purgationis, in qua prioris vitæ maculæ lacrymis veræ pœnitentiæ eluuntur, viam item Illuminativam, quâ honorum contemptum & humilitatem, paupertatis amorem, patientiam, hoc est, Christum induamus, & sic ad perfectionis culmen contento cursu properemus? Aula illa cœlestis alias cogitationes, aliam linguam, alias actiones, alios mores postulat.

Tribus viis anima præparanda ad perfectionem.

Persides illæ virgines & adolescentulæ ex centum viginti septem provinciis eximiæ & selectæ antequam in familiam & cubiculum Assueri intrarent, annum integrum habebant quasi probationis & tyrocinii; quo tempore, per menses sex oleo ungebantur myrrhino, qui menses Hebraice & Chaldaice dicuntur abstersionum, & purificationum, quibus omnis scabrities cutis, carnis pædor & fœtor abstergebatur: succedebant deinde alii menses sex, quibus bene olentibus pigmentis & aromatibus utebantur: vocabanturque hi menses item Hebraice concinnationum, quia fragrantiâ odorum perfusæ, & mollitie carnis delicatæ concinnitatem quamdam consequebantur: præter quæ mundo muliebri, quemcumque tandem potiturus esset, circumamictæ, omnibus ornamentis conspicuæ, ut Nymphæ

Virgines Persarum anno toto se excolebant, ut ad regem introirent.

phæ quædam & Reginæ, quasi quiddam divinum & homine augustius spirantes, ad Regis thalamum ducebantur.

Spiritualiter anima ungenda, & polienda ut virgines Perfic.

Vtinam hæc sibi adaptaret anima religiosa per sanctam virginitatem Deo devota. Noverit se, antequam ad cœlestis Sponsi thalamum admittatur, exercendam piis rudimentis, cum athletis in gymnasio & religionis asceterio ungendam & abstergendam, unguento myrrhino, omnes prioris vitæ sordes, & maculas purgandas, recogitandos omnes annos præteritos in amaritudine animæ.

Quid unguentum myrrhinum? Quid aromata?

Dicebat quondam sponsa Cantic. 5. ℣. 5: *Manus meæ distillaverunt myrrham, & digiti mei pleni myrrhâ probatissimâ.* Myrrha hæc omnem conversationis secularis illuviem & putores acerbi doloris medicamento abstergit, & in futurum arcet & præmunit. Accedit & altera myrrhæ virtus, quam ducit ex continuâ meditatione cruciatuum Sponsi sui, de quo & scriptum est ibidem cap. primo ℣. 12: *fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* Squalore jam & pædore, nævisque pristinæ vitæ & consuetudinis detersis & abiatis applicantur pigmenta & aromata fragrantium & suaveolentium gratiarum, & virtutum, quibus anima referta & circumfluens spirat divini odoris suavitatem, ut profari possit illud 2 ad Corinth. 2, ℣. 15, *Christi bonus odor sumus Deo.* Et illud Ecclesiastici 24 ℣. 20, *Sicut cinnamomum & balsamum aromatizans odorem dedi; quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris.* Hujusmodi animæ tot bene olentibus diapasmatis virtutum affluenti acclamant beati spiritus ex Cantic. 3 ℣. 6. *Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & universi pulveris pigmentarii?* Iacobus Alvarez de Paz in Opere suo de vitâ spirituli, lib. primo, parte 3 cap. 28, hunc, quem tractamus, locum sic sensu spirituali illustrat.

P. Alvarez ejusdem rei explicatio.

Anima in curiam Christi Regis, id est in sanctam religionem admissa, non sex tantum mensibus, sed totâ vitâ suâ, oleo compunctionis ungitur, & virtutum pigmentis, sanctorumque affectuum aromatibus illinitur; & non morte tantùm appropinquante, quando ad Regem Christum est ingressura (quod seculares non raro facere solent) sed toto tempore bonorum operum indumenta conquirit, ut sic decora nimis, instar reginæ opulentissimè ornata transeat de hoc triclinio animarum sanctarum in cubiculum sponsi, quod est cœleste domicilium in perpetuas æternitates ibi permansura. Hæc ille, & plura de hoc argumento, eodem libro.

143. Mundus spiritualis animæ.

Cæterùm, quia præter has abstersiones & mundationes, etiam mundus muliebris, & cultus eximus virginibus ad thalamum principis ingressuris subministrabatur; ideirco etiam spiritualis ornatus animæ ad sponsum suum properanti comparandus. Describitur hic eleganter & copiosè ab Ezechiele Prophetâ cap. 16 ℣. 10, ubi Deus, à quo omnis hæc vestium gloria tribuitur, sic Iudæam affatur: *Et vestivi te discoloribus, & calceavi te ianthino, & cinxi te byssо, & indui te subtilibus, &c.* quæ quatuor versibus sequentibus referuntur. Vide verò ibidem loci S. Hieronym. & alios Interpretes, & in sensum spiritualè hæc sapide ducentè P. Alvarez supra c. 26.

Nihil inquinatum cœlum ingreditur.

Porrò, quemadmodum nulla Perficarum virginum præsumebat è Parthenone seu conclavi fœminarû ad Regis cubiculum ingredi nisi mundissima, fragrantissima, ornatissima, sic nec anima ulla ausa unquam fuit ex hujus vitæ gymnasio ad summi Principis regiam tendere, nisi penitus emaculata, virtutum suaveolentiâ & deliciis affluens, ornamentorum varietate circumdata.

144. Ostenditur hoc ex visa S. Gertrudi oblato.

Memini legere in præclari Asceteæ D. Ludovici Blosii Monili spirituali cap. 13, visam fuisse S. Gertrudi virginem quandam sui monasterii piè mortuam splendidâ luce circumfusam, & variè ornatam, quæ tamen pudibunda vultum demittebat, & Sponsi sui Christi se conspectui subducebat, licet benignè ab illo invitaretur. Miranti verò Gertrudi dixit ipsa: Quia aliquæ adhuc maculæ me munus compositam reddunt, ideo, etiam si liber ad cœlum omninò mihi accessus pateret, memet sponte subtraherem, probe cõscia me tam glorioso minùs dignâ Sponsõ.

Chariùs hoc ipsum cernere est in rebus gestis S. Annonis Colonienſis Archiepiscopi apud Surium libro 2 vitæ ejus c. 25. Decemb. 4. tomo 12.

145. Idem demonstrat visam S. Annonis Episcopi.

Aspexit S. Anno mortis suæ prælagum somnium. Visus est sibi domum splendidissimam ingredi, ubi in subsellis considebant plures sancti Episcopi Pontificali ornatu instar nivis candido: videbatur & ipse sibi veste præclarâ amictus, quam tamen circa pectus tetra caligo offuscabat, & cultum ejus inficiebat, licet eam oppositâ manu tegere niteretur. Vidit quoque in illo consessu sedem sibi pulcherrimam præparatam, quam cum occupare properaret, ab Arnulpho Wormatiensi Præsule modestè prohibitus est, his verbis: Reverendi Patres in suum cœtum te non admittunt, donec maculam illam, quæ amictum tuum fœdat, elueris: quâ detersâ hujus splendidi consessus maturius consortio potieris. Cùm postridie familiari cuidam suo visum hoc retulisset, ille sagaciter rem conjiciens: Labes hæc, inquit, vesti tuæ inusta, nihil aliud mihi esse videtur, quam memoria injuriæ civium tuorum, qui te anno superiore Colonia expulerunt; quibus jam olim indulsisse debueras; Anno peccatum suum humiliter agnovit, civesque illos, qui injuriæ factæ participes fuerant, & urbe cesserant, ad se revocavit. Hæc ibi. *Beatus* ergo *vir qui inventus est sine macula.* Si quis avet hoc argumentum latiùs explicare, legat Selecta aurea morientium justorum ore prolata, per Ioannem Severnium Sancto-severinatem Congregationis Oratorii, ubi plurima huc pertinentia habet.

VERSVS XV & XVI.

Evoluto autem tempore per ordinem, instabat dies, quo Esther filia Abihail fratris Mardochæi, quam sibi adoptaverat in filiam, deberet intrare ad regem. Quæ non quæsivit muliebrem cultum, sed quæcumque voluit Egeus eunuchus custos virginum, hæc ei ad ornatum

natum dedit. Erat enim formosa valde, & incredibili pulchritudine, omnium oculis gratiosa & amabilis videbatur.

Ducta est itaq; ad cubiculum regis Assueri mense decimo, qui vocatur Tebeth, septimo anno regni ejus.

Hebraicè: Et cùm advenisset tempus (ordo) Esther filiæ Abihail patrui Mardochæi, quam acceperat sibi in filiam, ut ingrederetur ad regem, non requisivit verbum (aliquid) nisi quod dixerat Hegai eunuchus regis custos mulierum. Et fuit Esther tollens gratiam in oculis omnium videntium eam. Et sublata est Esther ad regem Achasuerum ad domum regni ejus in mense decimo (ipse est mensis Tebèt) in anno septimo regni ejus.

Iosephus solùm habet nuptias celebratas fuisse Esther & Assueri mense duodecimo, qui Adar dicitur.

COMMENTARIVS.

CVm Esther per triennium in Parthenone, vel virginum conclavi morata esset, quia aliæ puellæ vel ætate, vel admissionis tempore eam præcedebant, tandem anno septimo Regis Assueri mense Decembri ad cubiculum ejus vocata est, nec multùm sollicita fuit de externo corporis cultu, formâ nativâ contenta. Interim tamen Egeus eunuchus, qui Estheræ gratiam & modestiam probè noverat, attribuit ei ornatum, quem judicabat optimè illi convenire.

Sanctius hìc n. 26 & sequentib. putat Estheram peractis unctionibus, & aromatum usu, quasi tirocinio expleto, servato ordine temporis, quem Rex vel Egeus constituerat, ductam ad thalamum regium, idque statim post quartum Assueri annum. Vnde distinguit duo tempora, unum, in quo primùm Esther intro ducta ad cubiculum regis, evoluto anno fuit tirocinii, qui fuit annus quartus Assueri: nam anno tertio ejus habitum est solenne illud epulum, in quo Vasthi regio thalamo & dignitate privata: paulò pòst quæsitæ puellæ & in Parthenonem ductæ, & exinde post duodecimum mensem ad regem vocatæ. Postea anno septimo ejusdem Assueri iterum ad eum adducta est Esther, quo & accepit diadema, & Regina facta est. Atque ideo & mensis & annus notatus est, quia tum contigit aliquod insigne & novum, quod eà temporum notâ consignari debuit.

Opinio Sanctii, qui putat Estheram bis introductam ad regem, semel anno ejus quarto, iterum septimo.

Probat hoc ex versu 15 hìc, ubi dicitur evolutum tempus, quo deberet intrare ad regem, quod sufficit, ut dicatur ducta ad thalamum regis, quia sacra scriptura passim utitur sermone verecundo & casto. Postea habita est Esther in numero concubinarum & facta est uxor secundaria, ut aliæ puellæ.

Tertio verò anno postquam ad regium cubile ascendit, illam non amplius voluit habere concubinam, sed in primariam uxorem & Reginam assumpsit, & ideo notatur annus, quia res tam insignis publicis debuit inscribi monimentis. Hæc & plura Sanctius.

Refellitur ejus opinio.

Cetertùm hanc opinionem nec probo, nec ab ullo, quem legerim, interpretum video probari, cùm textui planè repugnet, qui indicat ℣. 17 hìc, regem eam adamasse, statim ut viderat, plusquam omnes mulieres, & in Reginam assumpsisse. Quis autem credat illam tantum post triennii consuetudinem, Regis benevolentiam obtinuisse, cùm & venustas ejus eximia, verecundia & gratia statim reddiderint amabilem, & Deus cor Regis ita in illius amorem inflexerit, ut aliarum concubinarum spretis blanditiis, hanc solam amore conjugali dilexerit. Si ergo quam primum ad ejus cubiculum ducta est, gratiam obtinuit, non dubitandum quin primâ occasione regium diadema eidem imposuerit, & convivium nuptiale celebrari jusserit.

Adde Estheram & Susis habitasse, & rumorem de rarâ ejus formâ totâ urbe fuisse pervulgatum.

Præterea virgines eo fine undique conquisitæ fuerunt, & adductæ Susa, ut quæcumque præ ceteris Regi placuisset, ipsa regnaret pro Vasthi, hìc ℣. 4. Cùm ergo illa fuerit Esther, statim regnavit. Omitto alia.

Circa litteram, nota Latinum vocare Abihail fratrem Mardochæi, Hebræum verò patruum, quâ de re suprà ℣. 7 egimus. Observat autem Cajetan. pro eo quod hìc legimus Latinè: *Omnium oculis gratiosa & amabilis videbatur*; esse Hebraicè: fuit elevans gratiam in oculis omnium videntium eam. q. d. usque adeo fuit gratiosa in oculis omnium, ut cum ab illis videretur, quasi munus offerret ℣. 16: Mensis Tebeth, ut omnes ferè Interpretes, respondet nostro Decembri, unde & hìc vocatur mensis decimus. Glossa tamen & Dionys. dicunt esse Ianuarium. Sed respondeò possumus mensem Tebeth partim respondere Ianuario, partim nostro Decembri.

Conciliatur textus Latinus, Hebræus, Græcus.

Major difficultas est inter textum Latinum, Hebræum, Chaldæum, & inter Græcum & Iosephum. Siquidem illi dicunt Estheram ductam ad regem mense decimo sive Decembri: hi verò affirmant mense duodecimo, qui est Adar, & respondet Februario nostro. Sed facilis est solutio, quam etiam adferunt Salian. anno 3596, Longimani septimo n. 43, Serarius & Tirinus hìc. Dicimus enim Estheram adductam ad Regem mense decimo tamquam futuram conjugem, duodecimo verò rursus adductam ut Reginæ diademate incingeretur, & ejus nuptiæ celebrarentur. Colligitur ex Iosepho qui sic scribit, *Perductâ verò Esthere, delectatus ejus consuetudine & amore correptus, legitimam conjugem eam sibi adjunxit, nuptiasque celebravit anno regni sui septimo, mense duodecimo qui Adar dicitur.* Ita ille.

Et rectè quidem nuptiis delectus est exitus mensis Adar sive Februarii: Nam sequebatur Nisan sive Martius, quo ver in regionibus illis aperitur, quæ tempestas cum sit genialis, maximè idonea erat nuptiali convivio instituendo apud Persas, ut suprà vidimus.

Quæstio.

De mensibus Hebræorum.

146. Menses Hebræorum.

Multa hîc differenda forent, sed quia adverto quæstionem hanc à pluribus viris eruditis explicatam, stilum pressius figam. Inter alios adeundus Gilbert. Genebrardus tomo primo explicationum, in Psalmos, quibus præmittit Calendarium Hebræorum, Græcorum, quod vocant Menologium, & Romanum. Iacobus Tirinus tomo primo Commentarii in scripturam, in Chronico sacro c. 4, Francisc. Feuardentius in cap. 3 Esther ℣. 7.

Tantum discrimen est inter Genebrardum & alios, quod hic Calendarium suum orditur à Thisri, qui ferè respondet nostro Septembri, vel ejus Lunationi: alii plerique omnes à mense Nisan, qui ferè respondet nostro Martio. Hanc autem rationem ordinis sui ipse reddit, quòd Hebræi annum quidem quantum ad festa & res Ecclesiasticas inceptabant à Nisan, ut ipsis à Deo imperatum fuit Exodi 12. vers. 2. *Mensis iste vobis principium mensium: primus erit in mensibus anni*: At quantum ad civilia & cetera more veteri à Septembri annum ducebant, quòd eo ferè putarent mundum creatum, vel certè restitutum à diluvio, ac eam esse Noachi traditionem: quâ etiam de causâ plerique antiqui populi Orientales hinc annos numerant.

Hebræi annum auspicantur à Martio quoad sua festa, à Septembri verò quoad civilia.

Ordo, numerusque mensium Lunarium apud Hebræos inchoando à Martio, hic est;

Ante captivitatem sive exilium Babylonicum.

Primus, qui & Abib, novarum frugum Exodi 13 vers. 4.
Secundus, qui & Zius, 3 Reg. 6 ℣. 1 & 37.
Tertius. Hi tres in ver incidebant.
Quartus.
Quintus.
Sextus. Hi tres respondent æstati.
Septimus, qui & Ethanim 3 Regum 8 ℣. 3.
Octavus, qui & Bul, 3 Regum 6 ℣. 37.
Nonus. Hos tres fortitur Autumnus.
Decimus,
Undecimus.
Duodecimus. Hi tres conveniunt Hiemi.

Post captivitatem verò Babylonicam hæc erant nomina.

Primus Nisan, Martius.
Secundus Ziar, Aprilis.
Tertius Sivan, Majus.
Quartus Tamuz, Junius.
Quintus Ab, Quintilis, postea Julius.
Sextus Elul, Sextilis sive Augustus.
Septimus Thisri, September.
Octavus Marchesuan, October.
Nonus Casleu, November.
Decimus, Thebeth, qui hîc vocatur, Decemb.
Undecimus, Sebeth, Januarius.
Duodecimus, Adar, qui hîc est in Græco, Februarius.

Observa hîc primò, quia menses solares paulò pluribus diebus constant quam lunares, videlicet 30 vel 31 singuli, lunares verò alternis nunc 29 diebus, nunc 30, atque ita duodecim menses solares totis undecim diebus longiores sunt lunaribus; hinc veteres ut suum annum lunarem aliquâ ratione ordinarent cum cursu solis, adhibebant nunc secundo, nunc tertio quoque anno ἐμβολισμὸν sive intercalationem unius mensis, & annus is inde ἐμβολιμαῖος vel intercalaris dicebatur, eratque tredecim mensium lunarium. Porrò decimus tertius illius anni mensis apud Hebræos vocabatur Veadar, id est, Adar secundus, posterior vel repetitus. Ceterùm quia hæc intercalatio & consequenter mensium lunarium cum solaribus aliqualis adæquatio non fiebat nisi secundo vel tertio quoque anno; hinc menses lunares non poterant ad amussim adaptari solaribus, v. g. Mensis Nisan primus apud Hebræos, & si responderet Martio Romano antiquo lunari, non poterat tamen per omnia convenire cum nostro Martio solari; quia illius Luna nunc majore sui parte incurrebat in Aprilem, nunc in Martium, ut etiam nunc incidit: unde menses lunares duabus ferè partibus duorum mensium solarium perpetuò respondebant, uti & nunc.

Annorum lunarium cum solaribus adæquatio.

Observa 2, quod etiam advertit hîc Sanctius, post captivitatem Babylonicam Hebræos accepisse nomina mensium ex fastis Chaldæorum, unde illa solùm reperiuntur in libris sacrorum auctorum, qui libros suos scripserunt post reductionem ex Babylone. Auctores verò qui oracula sua ediderunt ante Babylonicum exilium, ordine & numero mensium utuntur, quem primo loco posuimus, v. g. Martium vel Nisan nominarunt mensem primum, Aprilem, secundum, & sic de ceteris. Aliquando tamen utroque modo priore, & posteriore menses nominabant, ut hîc apparet, ubi dicitur December, & mensis decimus, more antiquo, & Tebeth, stilo novo & Chaldaico.

Scriptura aliquando priore, aliquando posteriore ordine mensium utitur.

Argumentum Moratum.

Paucarum virtus non quærere, vel respuere muliebrem cultum.

A Postolorum principes vanum & ambitiosum hunc cultum respuendum, & solidiorem, sanctioremque assumendum mulieribus scriptis suis suaserunt.

147. Cultus interior mulieri quærendus, non verò exterior.

S. quidem Petrus Epist. primæ cap. 3 ℣. 3, hisce verbis: *Mulierum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus, sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate modesti & quieti spiritus, qui est in conspectu Dei locuples. Sic enim aliquando & sanctæ mulieres, sperantes in Domino ornabant se*, &c. Quorum sensus hic esse videtur: Cultus mulieris non consistit in externa implicatione crinium, & fastigiato vertice, aut ornamentis aureis, monilibus baccatis, torquibus gemmatis, vestibusque pretiosis, sed in mentis interiore compositione, quæ est incorruptio modesti & quieti spiritus, sive mansuetudo, modestia & quies animi, quibus homo intus ornatur.

Idipsum mulieribus inculcat S. Paulus, 1 ad Timoth. 2. 9. *Similiter & mulieres in habitu ornato* (volo orare) *cum verecundiâ & sobrietate ornantes se, & non in tortis crinibus, aut auro aut margaritis, vel veste pretiosa.*

Significat verò paratum, cultumque mulierum conjunctum esse debere verecundiæ & modestiæ, ut nihil in eo appareat immodicum & indecens, sed in omnibus servetur decorum secundum cujusque conditionem.

Quo

Quo magis admiranda Esthera virguncula, quæ hac ornatus moderatione rudimentis Apostolicis præivit, quæ, ut hîc dicitur ℣. 15, *Non quæsivit muliebrem cultum* (non ambitiose affectavit,) *sed quæcumque voluit Egeus, hæc ei ad ornatum dedit.*

Alteri nempe cultum illum permisit, quem sciebat decentiæ servantissimum. Amplius vero hæc ejusdem modestia eluxit, cùm jam evecta esset ad regiam dignitatem, in qua omnem vestium superbiam coram Deo ex animo respuit, ut infra cap. 14 ℣. 16 patebit.

Et tamen videmus puellas & etiam matronas nostri ævi post Apostolorum monita, post tot antiquorum Patrum Tertulliani, Cypriani, Nazianzeni, Hieronymi & aliorum Philippicas in ambitiosum vestium luxum & exquisitas munditias contortas, nondum respiscere, sed quotidie magis, magisque earum cupiditate exardescere.

Verùm illas hîc non moramur; potius imitandas proponimus quasdam tam gentiles, quam Christianas mulieres, quæ Estheræ vestigiis insteterunt, & vel ratione vel lumine fidei duce agnoverunt vera ornamenta feminarũ esse animi bona, pudicitiam, modestiam, honestatem, &c.

148. Pretiosæ vestes non ornant, sed dehonestant.

Auctor est Plutarch. in Lysandro, & in Laconicis Apophth. quod cum Dionysius tyrannus Siculus Lysandri filiabus magni valoris vestes, mundumq; muliebrem augustioré misisset, recusarit ea Lysander inquiens, *veretis se ne hujusmodi ornamenta dehonestarent potius filias suas quam ornarent.*

149. Crotoniatæ matronæ vestes pretiosas Junonis templo offerunt.

Pythagoras, ut refert Iustinus lib. 20 Crotoniensibus matronis persuasit, ut auratas vestes, ceteraque dignitatis suæ ornamenta, velut luxuriæ instrumenta deponerent; eaque omnia delata in Junonis ædem ipsi deæ consecrarent, præ se ferentes: *Vera ornamenta matronarum pudicitiam, non vestes esse.*

150. Ornamenta mulierum marium & liberi.

Rursus Plutarch. in vitâ Phocionis laudat ejusdem uxorem, quæ cum ei altera femina claris orta natalibus monilia & torques, aliumque mundum muliebrem ostentasset respondit: *Meum verò ornamentum, gloria & cultus muliebris solus Phocion est.*

Cornelia autem Gracchorum mater cùm Campana mulier apud illam hospita ornamenta sua illo seculo pulcherrima monstrasset, traxit eam sermone, quousque è scholâ redirent liberi: *Et hæc*, inquit, *ornamenta mea sunt.* Ita Valerius lib. 3 cap. primo §. 1.

Laudo, inquit Alexandrin. Clemens lib. 2 Pædagogi cap. 10, & *admiror Lacedæmoniorum civitatem, quæ solis meretricibus floridas vestes, & aureum mundum gestare permisit, sta scilicet à probis mulieribus ornatus studium auferens, quod solis meretricibus se ornare concederet.* Idem tradit Athenæus lib. 12 cap. 6 de Syracusanis. Iam verò ut

151. Dei mater simplice cultu contenta.

ad Christianas matronas gradum faciam, dubitandum non est Virginem θεοτόκον, Estheram nostram ut suum Antitypon etiam simplicitate & modestiâ cultus superasse. Docent enim plures auctores illam vestibus nativi coloris perpetuò usam esse. Vnde meritò Ludovic. Vives lib. primo de Christianâ feminâ graviter insectatur pictores, qui illam in sericis & aureis amictibus depingunt, gemmis atque unionibus ornatam. Vide illum, & Nicephor. lib. 2 cap. 23 Historiæ. S. Nazianzen. sororem suam Gorgoniam ab hac simplicitate commendat Oratione 2. *Non illam*, inquit, *aurum ornavit, non flavæ comæ, non crinium nodi & impositura pretiosum caput summâ cum insaniâ scenam efficientium, non circumfluæ & pellucidæ vestis magnificentia, non lapidum splendores propinquum aerem colorantes, non picturarum artes & præstigiæ &c. verùm cum externos multos & varios mulierum ornatus cognitos haberet, nullum tamen moribus suis, atque intus cognito splendore præstantiorem agnoscebat; unus illis rubor placebat, quem pudor affert, unus candor, quem parit abstinentia. Nam pigmenta & fucos ac fluxam formæ venustatem scenicis & trivialibus relinquebat, quibusq; probrum ac dedecus est erubescere.* Tantum S. Theologus.

152. Item S. Gorgonia S. Nazianzeni soror.

S. Paula nobilissimâ stirpe prosata, ut in ejus Epitaphio memorat San. Hieronymus plurimis lacrymis luxum prioris suæ ætatis licet levem in se expiabat, eumque moneretur ut illis fletibus modum poneret, respondebat: *Turpanda est facies quam contra Dei præceptum purpurissso & cerussâ & stibio sæpe depinxi: affligendum est corpus quod multis vacavit deliciis, longus rusus perpeti compensandus est fletu, mollia linteamina & serica & pretiosa asperitate cilicii; quæ viro & seculo placui, nunc Christo placere contendo.*

153. S. Paula pristinum luxum suum deflet.

Eadem cùm vidisset virginem aliquam comptiorem, contractione frontis, & vultus tristitiâ arguebat errantem, dicens: *Munditium corporis atque vestitus animæ esse immunditiam.*

Munditia corporis animæ est immunditia.

S. Hieronym. Epist. 8 ad Demetriadem, de servanda virginitate, hæc de illâ. *Æstuabat Christi tirunculæ, oderat ornatum suum & cum Esther loquebatur ad Dominum: Tu nosti quod oderim insigne capitis mei, hoc est, diadema, quo utebatur quasi Regina, & tantæ inducam immunditiæ velut pannũ menstruatæ.* Et paulo post. *His stimulis inflammata, omnem corporis cultum & habitum secularem, quasi propositi sui impedimenta projecit. Pretiosa monilia, & graves censibus uniones, ardentesque gemmæ reddimtur scriniis, vili tunicâ induitur, vilíori tegitur pallio*, &c.

154. Demetrias ornatum omnem calcat.

Soror S. Bernardi (ut est apud Surium 20 Augusti in vita ejus libro 1 cap. 6) in seculo nupta, & seculo dedita fratres suos aliquando invisit. Venit autem, ut loqueretur Bernardo, superbo comitatu & apparatu. Ipse vero, ut rete diaboli, noluit eam videre. Illa despici se conspiciens à fratribus, pudore correpta, cùm etiam à fratre suo Andreâ ob vestium pompam, *fletus involutum* appellaretur, ubertim flere cœpit, & se peccatricem professa ostendit paratam ad omnia quæ frater præciperet. Ergo Bernardus ad eam veniens omnem mundi gloriam in cultu vestium ei interdixit, & formam vitæ matris suæ ei præscripsit. Tantum autem valuit oratio fratris sui, ut in mulierem alteram mutaretur. Stupebant omnes adolescentulam conjugatam, nobilem, delicatam velut religiosam habitu alio & victu vivere, nihilque seculare redolere, &c.

155. Soror etiam S. Bernardi admonita.

Leonora B. Francisci Borgiæ Gandiæ quondam Ducis uxor (ut habet ejus historia l. 1 c. 12 apud Andr. Scottum) matrona singulari in Deum pietate interrogata aliquando à nobili feminâ, cur simplice adeò, peneque attritâ veste, nullâ dignitatis habitâ ratione uteretur: *Mene*, inquit, *byssinis, sericis, aut purpureis indui vis, cum dominum meum* (sic enim virum appellabat) *cilicium gestare sciam.*

156. Modestia vestitus Leonoræ uxoris B. Francisci Borgiæ.

157. Egregium exemplum nobilis fœminæ, quæ vestem novam speciosissimam S. Magdalenæ obtulit. & plures aliæ altaribus.

Subjicio his factum insigne recens anni 1624 cujusdam primæ nobilitatis matronæ, quod ample describitur à Ieremiâ Drexelio in suo Trismegisto lib. 3 cap. 10. §. 1. Mulier' hæc non sanguine modò illustris, sed & opibus & ingenio præstans novum vestimenti genus invenit, tantæ elegantiæ, concinnitatis & artificii, ut omnium oculos in sui spectaculum converteret. Materiam superabat opus.

Palla erat perquam lata è purpurâ sericâ, hanc acu pinxerant ex auro tres Phrygiones, eique artificio annum & amplius assidue impenderant. Huic pallæ additus erat thorax fœminæ habilis eodem opere, arte & materiâ.

Primo autem die, quo hanc vestem induerat, observavit omnium oculos in se conversos, timuitque ne aliæ curiositate ductæ imitari vellent, quod vidissent, peterentque modum similem cycladem conficiendi. Itaque stimulante conscientiâ omnem hanc imitationem maturè præcavit. Ergo vestem illam uno die indutam, spectatam, exutam amplius non assumpsit, sed quod fuerat superbiæ instrumentum, religiosæ liberalitatis voluit esse monimentum; & illum mundum universum S. Mariæ Magdalenæ ad ejus aram obtulit, ex quo factum est altari frontale, sacerdoti vestis sacrificalis, calici velum, SS. Eucharistiæ amiculum &c. Sic in triumphum ducta superba vanitas.

Exemplum hæc secuta est tum aliarum principum fœminarum, tum sanctissimæ Imperatricis & virginis Pulcheriæ, quæ præter alia donaria & anathemata Magnæ Virgini baccata monilia & mundum sinum consecravit. Sancta Anthusa, cujus dies natalis notatur in Menologio Basilii Imperatoris 17 Aprilis, filia impii Constantini Copronymi aureas suas vestes in Ecclesiæ ornamenta contulit, ut ibidem refertur. Et nostro seculo Margarita Austriaca Hispaniæ regina nupta Philippo III misit vestem suam nuptialem Romam ad sacrumcultum templi Societatis Iesu, & moriens testamento suo tres alias pretiosas stolas assignavit Collegii Salmanticensis Societ. Iesu Ecclesiæ ad eumdem finem. Vt minus mirum sit quod refertur de Othone Cæsare III, qui chlamydem pretiosissimam quâ induebatur coronatus Romæ obtulit altari S. Alexii. Et hæc hactenus.

VERSVS XVII & XVIII.

Et adamavit eam rex plusquam omnes mulieres, habuitque gratiam & misericordiam coram eo super omnes mulieres, & posuit diadema in capite ejus, fecitque eam regnare in loco Vasthi.

Et jussit convivium præparari permagnificum cunctis principibus & servis suis pro conjunctione & nuptiis Esther. Et dedit requiem universis provinciis, ac dona largitus est juxta magnificentiam principalem.

Hebraicè: Et dilexit Rex Esther præ omnibus mulieribus, & accepit gratiam & misericordiam coram eo præ omnibus virginibus, & posuit diadema regni in capite ejus, & regnare fecit eam pro Vasthi: fecitque rex convivium magnum omnibus principibus suis, & servis suis, convivium Esther, & requiem provinciis fecit, & dedit dona secundum manum (potentiam) Regis (.i. Regiam, Rege dignam.)

Iosephus huc spectantia hæc habet, quædam sacro textui superaddens: Perductâ verò Esthere, delectatus ejus consuetudine, & amore correptus, legitimam conjugem eam sibi adjunxit, nuptiasque celebravit anno regni sui septimo, mense duodecimo, qui Adar dicitur: dimisitque quos Angaros vocant, per omnes gentes nuptiale festum eis indicens. Ipse verò Persas & Medos & primates aliarum gentium accepit convivio nuptiali per mensem integrum, & ingressæ regium uxori diadema imposuit, atque ita cum eâ convixit, numquam interrogatâ, quonam esset nata genere.

COMMENTARIVS.

HIc jubar divinæ providentiæ radios suos evibravit in virgunculam Esthetam. Inflexit siquidem Deus barbari regis animum, ut illam amore sincero complecteretur uti legitimam conjugem, ut præ ceteris omnibus virginibus & mulieribus ei placeret, & gratior reliquis esset; undè & quatuor in eamdem, vel ejusdem causâ in alios, principes & populum beneficia collata sunt.

Primum, eam assumptam ad Reginæ dignitatem diademate vel coronâ aureâ incinxit.

Secundum, in ejusdem gratiam convivium splendidissimum & nuptiale instauravit.

Tertium, universis provinciis suis, centum viginti septem requiem sive relaxationē concessit.

Quartum; Permagnifica munera liberalitate Persicâ & regiâ digna distribuit. Iam singula edisseramus.

Vers. 17: Cajetan. discrimen ponit inter gratiam, & misericordiam, dum ita commentatur. Exaltatio Estheræ non solùm attribuitur gratuito regis animo, sed etiam ipsius misericordiæ, eò quòd elevabat eam ferè de miseriâ ad regnum, gratiæ siquidem erat eam adsciscere in reginam, misericordiæ autem, quod ex ignoto genere eam elevaret.

Diadema regni, id est regium, Hebraicè coronam, Chaldaicè, monile aureum.

158. Quid diadema?

Diadema verò Persicum junctum Cidari sic describitur à Curtio lib. 3. *Cidarim Persæ regium capitis vocabant insigne: hoc cærulea fascia albo distincta circumibat.*

Regi-

Reginam quoque Cidarim sive tiaram gestasse in capite eamque rectam instar metæ, aut turbinis inversi, vel in conum definentem non dubium, nisi dicamus crines ejus instar tiaræ fastigiatos, quibus vitta sive diadema commode poterat alligari. Raderus noster in locum Curtii putat errorem irreptisse, & scripsisse illum his verbis: *Hoc cæruleum fascia purpurea albo distincta circumibat*, ita ut insigne regium tribus coloribus illustre magis emineret, albo, rubro vel purpureo, & cæruleo. Brissonius tamen probat lectionem Curtii vulgatam lib. 1. de regio Persarum principatu.

Diadema, si notationem spectes, est redimiculum vel fascia, à διαδέω, revincio, vel cingo; quod solum regibus tribuitur, & nihil erat apud aliarum gentium reges, *nisi fascia candida, quâ frons ipsorum præcingebatur*, ut indicant icones priscorum Regum. Valerius pannum vocat, & Seneca, regiæ frontis notam.

Septuaginta verò hic pro cidarim vel diadema regni legunt, Διάδημα τὸ γυναικεῖον q. d. uxorium vel muliebre diadema, ut distinguatur à diademate regis.

Habebant Reginæ caput unguento delibutum, ut Brisson. supra pag. 76. & vestiebantur cultu permagnifico.

Vers. 18, ubi nos habemus Latinè *pro conjunctione & nuptiis Esther*. Hebraicè est, convivium Esther, hoc est, ut rectè Mariana, Estheræ causâ instructum; illius enim ergo nuptiæ parabantur.

Josephus dicit integrum mensem convivium hoc celebratum, sed nec Latinus nec Hebræus de temporis spatio quidquam notant, & Septuaginta solum censent hebdomadem. Conjicit tamen Serarius ex Persicorum Regum magnificentiâ, & ex aliis, fortè durasse hoc nuptiale epulum septem menses, ut etiam temporis diuturnitate prius Assueri superarit. Sequitur in textu:

Et dedit requiem universis Provinciis.

Quid *requies* designet, dubium est:

Quid requies. Prima opinio.

Primò Cajetan. hîc putat intelligi posse de relaxatione inquisitionis virginum pulchrarum, quæ antea per provincias facta fuerat.

Secunda opinio.

Secundò, Sanctius hîc inter alias & hanc adjicit explicationem, quòd vacationem dederit ab aliis oneribus & curis, quæ populis aliquid solent adferre molestiæ, ut sunt quædam servitutes, &c.

Tertia opinio. Requies est relaxatio tributorum.

Tertiò, quia hæc minus probantur, ideo plerique omnes Interpretes, Liranus, Serarius, Dionysius accipiunt de relaxatione tributorum, quasi aliquo tempore immunes ab eorum solutione fuerint; & hoc videntur indicare Septuaginta, dum hanc requiem vocant ἄφεσιν sive remissionem, quam alii ἄδειαν dicunt, id est cessationem ab exactione tributorum; est enim πίλος etiam tributum, unde & πλώνιον, telonium, domus in qua tributa penduntur. Solenne autem fuisse Regibus hanc exemptionem populis concedere constat.

Auctores qui Darium Hystaspidem Assuerum nostrum fuisse asserunt hanc sententiam avidè arripiunt; Is enim primus Persis tributa imposuit; unde teste Herodoto lib. 3, Persæ cùm Cambysen Domini, Cyrum Patris appellatione honorarent, Darium institorem seu propolam vocarunt. Si ergo hoc onus Darius sublevavit, magnam à Persis gratiam iniit.

Quartò, nihilominus plerique etiam omnes per hanc requiem accipiunt vacationem ab operibus laboriosis, & molestis, sic ut Assuerus voluerit populum festivos agitare dies, & celebrare ferias, ut honorarent hoc pacto nuptias novæ sponsæ, novæque Reginæ. Quarta opinio. Requies est festorum celebratio.

Manifestè liquet hæc interpretatio ex Josepho, qui sic scribit: *Dimisit, quos Angaros vocant, per omnes gentes, nuptiale festum iis indicens.*

Vbi nota Angarus esse Persicam vocem, usurpatam tamen à Græcis & Latinis, dicimus enim angariam coactionem, & angariare, quempiam ad aliquid grave onus subeundū compellere. Sed Persæ Angaros vel *Astandas* nominarunt Cursores, veredarios vel tabellarios. Cicero pro Quintio, Pegasos dicit, nos Postas vocamus, quasi certo loco positos & in procinctu stantes. Hos Cyrus primùm instituit, de quibus multa Xenophon. l. 8, & Herodotus item lib. 8. Hujus verba paucis hîc accipe. *Hu* (Angaris) *nuntiis nihil perniciius transcurrit in rebus humanis; quod negotium hunc in modum est à Persis excogitatum: Quot ex diebus tota via constat, totidem equos & viros ferunt esse distinctos, ad singulorum dierum iter faciendum, quos neque vis nivium, neque imber, neque nox distinet, quin propositum sibi cursum celerrime conficiant. Quorum cursorum primus mandata tradit secundo, secundus item tertio, atque ita deinceps in alium atque alium illa mandata pertranseunt, quemadmodam apud Græcos fax, quam Vulcano per vices ferre cursores perseverant. Hanc equorum cursitationem Persæ ἀγγαρήιον appellant.* Tantum Herodotus; de quâ re vide plura apud Brissonium sub finem libri primi de Persico dominatu. 159. Angari sunt veredarii & cursores, quos Cyrus instituit.

Postremò, *Rex dona largitus est juxta magnificentiam principalem.* Largitus est munera convenientia & decentia tantum Regem, tributorum enim exactionem suspendere vel relaxare, item, dona magnifica erogare, utrumque ad regiam liberalitatem spectat.

Quæritur hîc, quænam hæc munera & quibus data. Nam constat ex rerum Persicarum scriptoribus incredibilem fuisse Regum illius gentis liberalitatem; quam copiosè pertexit Brisson. suprà. Quæ Munera Assuerit

Primò itaque Sanctius hîc, per dona, intelligit ἀποφόρητα, Apophoreta, sive munera convivialia, de quibus scripsit librum 14 sive ultimum suum Martialis, & illo nomine inscribit. Prima sententia.

Sunt autem, ut ibi Raderus noster, Apophoreta dona Saturnalibus dari solita convivis domum auferenda ab ipso convivatore, ut ipsemet Poëta initio exponit: 160. Apophoreta quæ sint.

Prænia convivæ det sua quisque suo.

Tranquillus in Vespasiano. *Sicut Saturnalibus dabat viris Apophoreta, ita Calendis Martiis, feminis.* Clarius autem S. Ambrosius exhortatione ad Virgines: *Qui*, inquit, *ad convivium magnum invitantur, Apophoreta secum reportare consueverunt. Ego ad Bononiense invitatus convivium, ubi sancti Martyris celebrata translatio est, Apophoreta vobis plena sanctitatis & gratiæ reservavi.* Vide plura apud Raderum suprà, & Lipsium 1 Satur. cap. 16.

Dicit itaque Sanctius Assuerum hujusmodi Apophoreta peracto geniali convivio convivis largitum fuisse; qualia fuerunt torques aurei, armillæ, aureus acinaces, equus aureis frenis, vestis

ſtis Medica vel Perſica ſerica & pretioſa: de quibus conſulendus Xenophon lib. 1 Anabaſeos, Strabo, Herodotus, Briſſonius.

Secunda ſententia.

Secundo, aliqui apud Salian. anno 3596, Longimani ſeptimo, n. 46, quia τὰ dona Hebraicè eſt numeri ſingularis, q. d. portio, ſuſpicantur peculiare aliquod munus datum reginæ v.g. cenſum alicujus civitatis, &c. Ita ſcribit Cicero lib. 5 in Verrem. *Solere ajunt barbaros reges Perſarum ac Syrorum plures uxores habere; his autem uxoribus civitates attribuere, hoc modo. Hæc civitas redimiculum muliebri præbeat: hæc in collum, hæc in crines: ita populos habent universos non ſolum conſcios ſuæ libidinis, verùm etiam adminiſtros.* Idem tradit liber 2 Machabæorum cap. 4 ℣. 30 de duabus civitatibus ab Antiocho rege Syriæ datis concubinæ. *Cum hæc agerentur* ait auctor ſacer, *contigit Tharſenſes, & Mallotas ſeditionem movere, eò quòd Antiochi Regis concubinæ dono eſſent dati.* Rurſus refert Horat. Turſellinus libro 2 vitæ S. Franciſci Xaverii cap. 8, Reginæ Luſitaniæ quadringenos aureos ex publico a Prætore Indiæ ſoccorum & crepidarum nomine penſitari ſolitos, quos B. Xaverius à Reginâ Catharinâ inſigni religione femina impetravit, ut in alimentum Canacapolarum (ſic Indi Chriſtianæ rei curatores & Neophytorum magiſtros appellant) converterentur. Sic ſcripſit ad Reginam Xaverius: non alios fore ſoccos aut crepidas aptiores, quibus ipſa ſcanderet in cœlum, quam pueros Chriſtianos oræ Piſcariæ, eorumque inſtitutiones. Quare orare ſe, ut ſoccorum crepidarumque vectigal ad ſternendam ſibi in cœlum viam, illorum præceptoribus attribueret. Illa totam rem valde probavit, ſuumque illud tributum Canacapolis libens conceſſit. Ita auctore Xaverio liberalitate Reginæ, Regis auctoritate conſtituta res ſtabilitaque, non majore illorum merito, quam rei Chriſt. emolumento. Ita Turſellin. quæ non omnino περίεργως hîc inſerere volui. Sed non opus eſt hujus profuſionis exempla foris quærere, cùm domi habeamus hîc cap. 8 ℣. 1, ubi ita legis: *Die illo dedit Rex Aſſuerus Eſther Reginæ domum Aman*, &c.

161. Civitates dabantur Regibus Perſarum in ornamenta à Regibus.

Reginæ Luſitaniæ olim ex publico aurei 400 penſitabantur ſoccorum & crepidarum nomine.

Tertia ſententia.

Verum videtur hæc munificentia non reſtringenda vel ad Apophoreta & convivialia munuſcula, vel etiam Reginæ erogata donaria; ſed beneficentiæ regiæ fontes in populum, plurimoſque derivandi fuerunt, unde niſi epexegeticῶς illa verba exponamus, *ac dona largitus eſt*, &c. ut τὰ *ac*, idem ſit, quod, id eſt, dicendum erit Aſſuerum in principes & populum ſuum magnifica munera contuliſſe.

Rex principibus & populo dona dedit.

162. Artaxerxis in Themiſtoclem liberalitas.

Certè Artaxerxis Longimani in Themiſtoclem liberalitatem ex Plutarcho in Themiſtocle, Thucydide & Diodoro breviter colligens Salianus noſter anno 3591, Longimani 2 n. 19, ita ſcribit: Artaxerxes præter 20 talenta, Magneſiam Aſianam ei dedit pro pane, quæ quotannis ei 50 talenta pendebat; Lampſacum verò pro vino; Myuntem pro obſonio, Percotem & Palæſcepſin in veſtes & ſtragula. Quin etiam uxorem ei Rex Perſam dedit eximiam feminam, multamque familiam, omniaque ad magnificum vitæ cultum, ut aliquando in ſplendido convivio, ſibi, filiiſque gratulando dixerit: *Perieramus filii, niſi periiſſemus.* Tantum ille.

Quæstio Prima.

An Eſther ante initas cum Aſſuero nuptias libidini ejus ſe permiſit?

163. Ante Chriſtum licita plurium uxorum Polygamia apud gentes, non ſolùm apud Iudæos.

MOnendus eſt mihi lector, priſcis illis ante Chriſtum temporibus plurium uxorum Polygamiam fuiſſe viris licitam, deo generaliter legem matrimonii relaxante, non ſolum apud Iudæos, ſed etiam gentes à vero Dei cultu alienas. Et quidem ſanctos Patriarchas Abrahamum, Iacobum, & alios, plures legitimas habuiſſe uxores fide indubitatum eſt, nec ſcio ullum Patrem vel Doctorem id negare præter Euthymium in Caput Octavum Ioannis, qui malè exiſtimat Patriarchas unam dumtaxat habuiſſe uxorem germanam & legitimam, reliquas omnes fuiſſe concubinas, ut ſcriptura eas nominat. Sed quis credat viros ſanctitate conſpicuos in perpetuo vixiſſe adulterio? Deinde ſcriptura ſemper vocat Liam & Rachelem uxores Iacob, numquam autem concubinas, & eas quas uno loco aliquando vocat concubinas eaſdem alibi nominat uxores, ut Agar & Cetura Geneſ. 25, verſ. 6 vocantur concubinæ, ibidem tamen Cetura ℣. 1, vocatur uxor, & ibidem cap. 16, verſ. 3. Agar etiam vocatur uxor. Quod amplius eſt Iudic. 19, una & germana, veraque Levitæ cujuſdam uxor nunc vocatur uxor, nunc concubina.

Idem fuiſſe jus apud profanas gentes non eſt dubitandum; nam Eſau plures uxores habuit ut conſtat Geneſ. 26 & 28, nec tamen ob id à ſcripturâ arguitur. Deinde S. Auguſt. lib. 16 de Civitate cap. 36 docet eo tempore, quo Iacob accepit plures uxores, nullam legem prohibuiſſe uxorum pluralitatem poſteritatis multiplicandæ causâ. Idem tradit lib. 22 contra Fauſtum c. 47. Vnde dicendum Dei generali quadam conceſſione hanc permiſſam & divinitus hoc inſinuatum fuiſſe primis Patribus poſt mundi cataclyſmum, &, ut quidam arbitrantur, ipſi Noacho ſoli, à quo poſteri intellexerunt, tale conjugium licitum eſſe, & ſic paulatim inter populos frequentatum. Et ita ſentit Cajetan. hîc.

164. Perſæ etiam habebant plures uxores.

Quod autem ad quæſtionem de qua tractamus, attinet, conſtat, ex omnibus rerum Perſicarum hiſtoricis, Perſarum reges & etiam alios, plures habuiſſe legitimas uxores, licet etiam præter eas pellicum nutrirent greges, quas legitimæ tolerabant, & etiam Regina, quia ab illis adorabatur. Vide Herodotum lib. 3 & 7: Ciceron. Verrina 5. Curtium, Iuſtinum, alios apud Briſſon. lib. primo ſuprà.

Monendus eſt Lector ſecundò, diſcrimen fuiſſe olim inter uxores alias & unam principem ſive præcipuam. Hæc autem erat, quæ legitimo ritu ac ceremoniis conſtitutâ dote publiciſq; contractus connubialis tabellis in matrem familias aſſumebatur; nec ſolùm ad ſuſcipiendos liberos, ſed etiam ad gubernandam familiam tamquam domina, cujus ſolius filii patrimonii paterni futuri eſſent heredes: Aliæ verò ſolùm ducebantur prolis ſuſcipiendæ causâ & poſteritatis ſpe, nec illis familia committebatur, nec eorum liberi paternam adibant hereditatem, ſed aliquâ portiunculâ bonorum aſpergebantur, & contenti diſce-

Diſcrimen inter primariam uxorem & alias.

discedebant, v. g. tradebatur summa aliqua pecuniæ, vasa aurea & argentea, supellex necessaria, de grege item & armentis jumenta quædam & pecora, &c. Vide Genes. 25 ℣. 6, & ibi interpretes.

Esther legitima fuit uxor Assueri.

Idem moris etiam fuisse apud alios populos licet colligere ex Gellio lib 18 Noctium cap. 6. Dicendum itaque probitate insignem puellam Estheram numquam cubile regis ascendisse, nisi prius in legitimam uxorem fuisset assumpta, præsertim cum ageretur non suâ propriâ, sed potius summi numinis voluntate, qui ejus nuptias ad publicum gentis Hebreæ bonum dirigebat, cujus consilium videtur agnovisse Mardochæus cap. 4, ℣. 14. ubi ait: *Et quis novit, utrum ideirco ad regnum veneris ut in tali tempore paratus?* Manifestum etiam est sanctam puellam non suâ libidine, sed quasi necessitate motam cum barbaro Rege commercium habuisse, ut patet infrà cap. 14 ℣. 15 ex ejus ad Deum oratione. *Nosti, quia oderim gloriam iniquorum, & detestor cubile incircumcisorum, & omnis alienigenæ.*

Quæstio Secunda.

An licitum conjugium Esthere Hebrææ & fidelis cum Assuero infideli Persa?

Quidam Doctores, quos citat Thomas Sanchez tomo 2 de Matrimonio lib. 7, Disputat. 71. n. 6. putant conjugium fidelis cum infideli tunc temporis non solùm jure divino positivo interdictum & illicitum, sed etiam irritum. Verùm multò probabilius est numquam tale matrimonium fuisse irritum tempore legis veteris, ut plerique omnes tenent Scholastici, & Iurisconsulti, quos profert Sanchez supra n. 7. Vnde recte in hunc locum Esther scribit Cajetanus: Disparitas cultus inter fidelem & infidelem non erat tunc temporis impedimentum dirimens sub lege Moysis, sed solùm impediens. Tolerabile igitur erat tale matrimonium cum aliis nationibus non habitantibus in terrâ Chanaan. Vnde etiam colligitur disparitatem cultus non dirimere conjugium hodie, nisi ex constitutione Ecclesiæ, (quod intellige, non scriptâ, sed moribus introductâ.)

165. Matrimonium fidelis cum infideli non erat irritum in lege veteri.

Et certè nullus in scriptum locus est, qui indicet matrimonia Hebræorum cum gentilibus fuisse irrita, nisi primi Esdræ cap. 10 vers. 3. ubi dicitur: *Percutiamus fœdus cum Domino Deo nostro, ut projiciamus universas uxores, & eos qui de his nati sunt, juxta voluntatem Domini*, &c.

Verùm optimè respondet Cajetan. & alii matrimonia illa non esse soluta per legem aliquam irritantem judicialem, qualem fuisse Deut. 7, vers. 3, putat Bellarm. lib. de Matrimonio c. 23, sed soluta esse tamen ab Esdrâ, quia solvi poterant per libellum repudii Iudæis permissum, ac proinde etiam dirimi debebant, ut valde periculosa conjugibus & liberis, & contra legem Dei positivam inita, Deuteronomii suprà & alibi sæpius, ut dicemus.

166. Erat tamen hujusmodi matrimonium lege veterum.

Asserimus igitur hujusmodi conjugia Hebræis lege divinâ fuisse interdicta & prohibita, ut constat ex variis textibus sacræ paginæ, quorum aliquos hîc producimus.

Deuteron. 7, ℣. 3 & 4 loquens Deus de septem gentibus possessoribus terræ Chanaã, ab Hebræis delendis dicit: *Non sumes cum eis fœdus nec misereberis earum: Neque sociabis cum eis conjugia, filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo: quia seducet filium tuum ne sequatur me, & ut magis serviat diis alienis; succenseturque furor Domini, & delebit te citò.*

Similia habes Exodi 23 ℣. 32. Rursus ibidem cap. 34 ℣. 15 & 16. *Nec uxorem de filiabus earum accipies filiis tuis: ne postquam ipsæ fuerint fornicatæ* (per idololatriam, quæ spiritualis est fornicatio) *fornicari faciant & filios tuos in deos suos.*

Vide 3 Reg. 11 & primi Esdræ 9 in principio, & cap. decimo ℣. 2 & sequentibus: Iosue 23 ℣. 12 & 13.

Si ergo conjugia hæc tot locis prohibita à Deo fuerunt, quæ etiam Esdras suprà vocat abominationes, transgressiones, prævaricationes; quomodo immunem à scelere affirmabimus Estheram puellam alioquin legis divinæ servantissimam & Mardochæum virum item religiosissimum, harum tamen nuptiarum non solùm conscium, sed administrum & Paranymphum.

Respondebit non nemo solùm vetita nuptiarũ fœdera Iudæis cum Chananæis, hoc est, septem illis gentibus in Deuteronomio supra expressis, vel cum aliis gentilibus terram Chanaan incolentibus, non verò cum aliis infidelibus, maximè cum ipsi in eorum regionibus peregrinarentur, exularent, vel etiam in servitutem abducti essent.

Sed facilè hæc solutio diluitur. Omnino enim tenendum est omne pactum conjugii Iudæis fuisse vetitum, non solùm cum Chananæis, sed etiam cum aliis alterius religionis vel superstitionis, esto peculiaris fiat illorum mentio, quia majus ab illis imminebat perversionis periculum, & facilius cum illis natum erat fœdera conjugalia contrahi cum quibus habitabant.

167. Non solùm Iudæis illicitum erat matrimonium cum Chananæis, sed etiam cum aliis gentibus.

Probat hoc Iacobus Bonfrerius in Exodi 34, ℣. 16, Commentariis, his rationibus:

Primò, quia 3 Reg. 11 vers. 1 & 2 dicitur *Rex Salomon adamasse mulieres alienigenas multas, de gentibus, superquibus dixit Dominus filiis Israel: Non ingredemini ad eas, neque de illis ingredientur ad vestras:* & tamen inter has mulieres solæ Sidoniæ & Hetthææ erant ex Chananæis.

Secundò, constat ex 1 Esdræ suprà c. 9 ℣. 1; ubi damnantur conjugia Iudæorum cum populis terræ, qui non solùm erant Chananæi, vel inter illos numerati, sed etiam Ammonitæ, Moabitæ & etiam Ægyptii.

Tertiò, idem ostenditur ex ratione legis Deuteron. suprà, videlicet periculum perversionis per idololatriam, quæ ratio militat in omnibus alienigenis & diversi cultus viris & mulieribus; quæ etiam causa fuit, cur inter Christianos disparitas cultus impedimentum matrimonium dirimens introducta sit.

Quartò, eandem Deuteronomii legem ita intellectam & receptam declarant, quæ habent Philo & Iosephus; ille quidem libro de Specialibus legibus, hîc verò lib. 8 Antiquitat. c. 2, & lib. 11 c. 5 & c. 8, & lib. 18 c. 12. Eadem habet Iacobus Tirinus in locum Exodi citatum.

Licitum tamen erat cum illis conjugium si converterentur.

Notant tamen iidem Interpretes hæc conjugia ita fuisse vetita, si uxores in patriâ superstitione permanere obstinassent: at si ad Iudaicam religionem

ligionem transire cuperent, licitum fuisse tum alterius cujuslibet gentis, tum etiam Chananæas ducere; saltem post primam Chananææ regionis armatâ manu occupationem, in quâ omnes tam viros, quam mulieres Deus deleri jusserat: quia tunc ratio legis cessabat. Nec dubium illam Dei mentem fuisse in lege illâ ferendâ, quam allatâ ratione satis explicavit. Accedit huc quod Deuteron. 21 ℣. 11 & sequentibus, Deus expresse permiserit Hebræis, ut è captis in bello mulieribus unam ducerent uxorem; quæ certè non potuit alia esse, quam gentis alienæ.

Postremò, exempla virorum bonorum talia etiam licuisse connubia manifestum faciunt: nam Salmon tribus Iuda princeps meretricem Chananæam jam fidelem Rahab sibi uxorem copulavit, Matth. primo ℣. 5. Sic Booz Ruth Moabitidem, quæ ante Deos antiquos & eorum cultum reliquerat, Ruth. 4. Rex David Maacham filiam Thalmai regis Gessur è genere Chananæorum, 2 Regum 3 ℣. 3.

168. Licitum fuit matrimonium Estheræ cum Assuero.

Quod ad Estheræ feminæ sanctissimæ cum Assuero Persâ nuptias pertinet, omnino dicendum est Dei auctoritate, & consilio, & arcano instinctu has fuisse conciliatas; quod negare nemo potest qui à capite ad calcem volumen hoc pervolverit, & cum iis contulerit, quæ in nostrâ ad Lectorem Præfatione diximus; præsertim cum ex hisce nuptiis commune Iudæorum bonum Deus procuraret. Si quod verò periculum seductionis imminebat, hoc facile fuit Numini semper in salutem suorum vigilanti avertere: Sic videmus Samsonem Iudic. 16 ℣. 1 contraxisse fœdus conjugii cum Philistæâ in suâ infidelitate permanente in alienigenarum perniciem, & gentis suæ liberationem Deo haud dubiè id procurante.

His adjungere possumus sæpe omne discessionis à veri Dei cultu abfuisse periculum, ut cum Iacob duxit filias Laban idololatræ. Præterea majus plerumque periculum seductionis videmus in viris cùm alienæ religionis ducerent uxores, ut in Salomone, quam cùm viri infideles contraherent cum fideli; unde ajunt quidam per Estheram conjugem fidelem Assuerum in fide unius Dei magis fuisse confirmatum.

Digressio Ethica.

De antiquitate & celebritate conviviorum nuptialium, & eorum abusu.

NOn est mihi animus hîc commemorare nuptiarum antiquos apud varias gentes ritus, cùm plures viri eruditi de iisdem disertè & amplè disseruerint, & inter eos Barnabas Brissonius libro integro, & Alexander ab Alexandro lib. 2 Genial. dierum cap. 5, & ipsius illustrator Andreas Tiraquellus, ut alios præteream: de ritibus verò connubialibus inter Christianos, hîc Locum communem digessit Francisc. Feuardentius. Præterea de conviviis, quæ vel ante nuptias, vel in ipsis nuptiis, vel post eas celebrantur, scripsit Guilelmus Stuckius lib. 1 Antiquitat. Convivial. cap. 24, & 25. Quocirca pauca de his attigisse nobis satis erit.

Quemadmodum viro & muliere à Deo conditis ad generis humani propagationem utriusque maritalis conjunctio successit, ita eandem statim est solennitas conviviorum subsecuta, in quibus bona verba sponsis dicebant. Sunt enim hæc, ut nomine ita etiam re prorsus affinia. Siquidem non solùm contractus vel conventio matrimonialis, sed etiam convivium in ea exhiberi solitum Græcè γάμος, & Latinè nuptiæ appellantur.

169. Celebritas nupciarum reddit matrimonium firmius, decentius, &c.

Quamvis autem absolutè non sit necessaria nuptialis celebritas, ut conjugium constet; magna tamen, auctore Abulensi in Cap. Genes. 29 in eâ apparet honestas sive decentia, & Reipub. utilitas. Fit enim hoc pacto fœdus connubiale testatius & firmius, & filii ex sponsis illis sive conjugibus geniti cognoscuntur legitimi, & à spuriis liquidò discernuntur. Cùm enim plures amici & vicini advocentur, conclamatur ab omnibus ad nuptias invitatis honorabile illud esse conjugium; qui insuper munera subinde in sponsos conferunt, quo onera matrimonii, si tenuiores fuerint, levius ferant. Quarum aliquæ rationes etiam Ecclesiam permoverunt, ut & matrimonia publicè dènuntiarentur, & publicè celebrarentur; ita ut clandestina jam per Tridentinum sint invalida. Primus locus, qui in litteris sacris se offert de convivio matrimoniali, est Genes. 24: ubi cum Rebecca consensisset in conjugium cum Isaaco, quod illi proponebatur per servum seniorem Abrahæ, & procuratorem, statim subditur ℣. 54, *Inito convivio vescentes pariter & bibentes manserunt ibi.* Eodem libro Genes. cap. 29 pro nuptiis Iacob cum Rachele ℣. 22 sic habes: *Quis* (Laban) *vocatis multis amicorum turbis ad convivium fecit nuptias.*

Solennitas autem nuptiarum illo tempore septem diebus duravit, ut colligitur ex ℣. 27 ibidem, ubi dicitur à Labano ipsi Iacob: *Imple hebdomadam dierum hujus copulæ* (conjugii cum Lia) Sic enim intellexit S. Hieronym. Traditionibus in Genesis locum citatum; & August. q. 89 in Genesin.

170. Convivia nuptialia in litteris sacris.

Tertiò commemorat liber Iudicum cap. 14 nuptias Samsonis cum muliere Thamnathæa de filiabus Philisthiim, quæ etiam septem diebus exhibitæ sunt. Sic legis ibidem ℣. 10 & sequent. *Descendit pater ejus* (Samsonis) *ad mulierem, & fecit filio suo Samsoni convivium. sic enim juvenes facere consueverant. Cùm ergo cives loci illius vidissent eum, dederunt ei sodales triginta ut essent cum eo. Quibus locutus est Samson: proponam vobis problema: quod si solveritis mihi intra septem dies convivii, dabo vobis triginta sindones: &c.*

Quartò, in libro Tobiæ, ubi exhibentur nuptiæ Saræ filiæ Raguelis cum Tobiâ juniore, sæpius fit mentio convivii; primùm, cap. 7 ℣. 15 sic legimus: *Et Apprehendens* (Raguel) *dexteram filiæ suæ dextræ Tobiæ tradidit, dicens: Deus Abraham &c.* & ℣. 16: *Et acceptâ chartâ fecerunt conscriptionem conjugii.* & ℣. 17: *Et post hæc epulati sunt, benedicentes Deum.* En primum convivium, quasi πρωτόλειον. Rursus cap. 8 ℣. 21: *Uxori autem suæ dixit* (Raguel) *ut instrueret convivium &c.* Et ℣. 22: *Duas quoque pingues vaccas, & quatuor arietes occidi fecit, & parari epulas omnibus vicinis suis, cunctisque amicis. Et adjuravit Raguel Tobiam, ut duas hebdomadas moraretur apud se.* En propriè convivium nuptiale, quod paratur; ad quod & Gabelus vocatus est cap. 9 ℣. 3. & 7 &

v. 12 sic concluditur: *Cum timore Domini nuptiarum convivium exercebant.*

171. Apud Græcos & Romanos. Apud Græcos celebritas convivii nuptialis per tres dies extendebatur, qui auctore Iulio Polluce Græcè dicebantur προγάμια, ἐπαύλια, ἀπαύλια, & Latinè vocari possunt antenuptiales, nuptiales, & postnuptiales. Apud Romanos epulum postridie nuptiarum dari solitum dicebatur Repotia, eò quòd pridiana potatio illo die repeteretur.

172. Nuptiæ in novâ lege. In lege nova Christus, ejus mater & discipuli ad nuptias in Cana Galileæ convenerunt, quas quidem miraculo, ne dum præsentiâ suâ honoravit, Ioannis 2.

Præterea plures scripturæ ostendunt nuptias splendidissimis & lætissimis cœnis vel prandiis fuisse condecoratas, ut Parabola Christi Matth. 22. v. 2 & sequentibus, & cap. 25 de virginibus, quæ acceptis lampadibus exierunt obviam sponso & sponsæ, ubi & significatur connubiale sympotium nocte institui solitum. Lucæ 4 v. 8 allatâ similitudine, docet Christus in nuptiis, id est, celeberrimo & frequentissimo convivio non primum accubitum, sed novissimum ambiendum, ut etiam ibi demissio animi & modestia suum locum teneat.

173. Nuptiæ cœlestes. In Apocalypsi etiam diversis locis meminit Ioannes Nuptiarum Agni, & ejusdem sponsæ, ut inde quasi per umbram aliquo modo patefaciat cœlestis illius curiæ apparatum & splendorem, incredibilem ejus lætitiam, & suavissimas epulas, in immensum omnes delicias nuptiales excedentes.

Observare licet ex hactenus dictis nuptiarum lætitiam, pompam, epulas, si suis finibus contineantur, esse laudabiles.

174. Abusus conviciorum nuptialium. Verùm, sicut convivia alia amicitiæ vel conciliandæ vel conservandæ instituta multis maculis fœdantur, sic etiam hæc nuptialia; quorum dedecora hæc potissima sunt, numerus invitatorum supra modum ingens, luxus epularum regificus qui opes & facultates convivatorum excedat, temulentia non solùm convocatorum, sed etiam sponsorum, carmina fescennina id est lasciva, & obscœna, quæ adolescentium, & virginum præsentium animos inficiunt, & hujusmodi plurima probra.

S. Chrysost. homiliâ 48 in Genesin, hujusmodi scandala procul abfuisse docet à nuptiis Isaaci & Rebeccæ, dum ita perorat: *Considera*, inquit, *quomodo nusquam superflua illa & inutilia, nusquam diabolica pompa, nusquam cymbala, & tibiæ & choreæ, & satanica illa convitia & scommata omni obscœnitate plena: sed omnis honestas, omnis sapientia, omnis bonitas, &c.*

Idem loquens de nuptiis Iacobi & Liæ insigni honestate transactis homil. 56 in Genesin: *Num*, ait, *tunc tibiæ, aut cymbala, aut choreæ diabolicæ? Quare, dic mihi, tantum damnum introduces in domum tuam? quare cum sumptu intempestivo lædis virginis continentiam? quare juvenem facis impudentiorem? Satis erat absque illis sufflationibus ætatem eam posse ferre æquam inter affectionum tempestatem. Cum autem & hæc accedunt, & quæ audiuntur, & quæ videntur, fornax concupiscentiarum magis inflammatur. Hinc vero omnia pereunt, & corrumpuntur, quia ab initio castitas eorum, qui inter se conventuri sunt, oppugnatur.* Hæc ille. Imitentur sponsi & omnes vocati ad nuptias eos de quibus dicitur Tobiæ 9 v. 12, *Cum timore Domini nuptiarum convivium exercebant*; caveant verò sibi ab illis, quos infectatur S. Thaddæus, Epist. v. 12, *Hi sunt in epulis suis maculæ, convivantes sine timore.*

175. Quæ cavenda in nuptiarum celebratione. Coronidem huic imponat Ludovic. Vives, qui lib. 2 de feminâ Christianâ, titulo penultimo ad rem nostram hæc piè monet. Nuptiæ si sunt Sacramentum, si castum & purum opus, cui adesse Deum scimus, velut auspicem, Ecclesiam videmus faciem præferre tamquam pronubantem; quorsum attinent tot flagitiorum, & nequitiæ instrumenta, convivia virorum ac feminarum, cœtus à vino & crapulâ saltantium, vellicantium, palpantium, nugantium, omnibus ad accendendam libidinem compositis, tanto cultu, tantâ pompâ? Nec deest sedulus conciliator, ac proxeneta pessimè contrahentium diabolus. In die tanti mysterii, cum nihil non mundum, sanctumque dici & agi fas sit, dapes libidinem sollicitant, formæ etiam arte adjutæ; accendit vinum, invitat occasio, superbiam attollit cultus, ferociam ætas, designationes & stulti quidam honores aliis arrogantiam movent, aliis invidiam. Nec unus sufficit nuptiis dies, proaulia celebranda sunt, & epaulia, bonâ interdum patrimonii parte in convivium & sportulas, & congiaria effusâ, atque iis elargitâ, quibus profutura non sunt, nec habituri sunt gratiam, imò reposcent. Hæc ille & plura.

Allegoria Prima.

De amore, & misericordiâ, quâ Deus prosecutus est Estheram typicam, Virginem Deiparam.

QVia superiùs præfati sumus Estheram Reginam, prototypon fuisse magnæ cœli terræque Imperatricis; ideo hoc subinde demonstrandum, & suis coloribus illustrandum est.

Dicitur Esther venustate corporis, & honestis suis moribus habuisse gratiam & misericordiam coram Assuero super omnes mulieres & virgines, ubi gratia, teste Cajetano suprà, refertur ad gratuitum & benevolum Regis animum & affectum; misericordia verò ad Estheræ vilem conditionem, ex quâ ad maximæ dignitatis culmen assumpta est.

Favorem, benevolentiam, & misericordiam affectam fuisse Virginem Deiparam apud Deum suprà omnes mulieres dubitat nemo. Dicitur illi Lucæ 2: *Ave gratiâ plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus*, verbis Angeli à Deo missi: Qui & paulò post subjicit, *Invenisti gratiam apud Deum*: Subscribit ibidem à Deo inspirata Elisabetha, *Benedicta tu inter mulieres.* Sed & ipsa Regina his accinit in novo suo Cantico; *Magnificat anima mea Dominum: Quia respexit humilitatem* (vilitatem, & abjectam conditionem intellige) *ancillæ suæ. Ecce enim ex hoc* (tempore) *beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna, qui potens est, &c.*

Porrò sicut ex beneficiis, quæ Assuerus in Estheram contulit, (ut quod dicitur posuisse dia-

dema regni in capite ejus, feciſſeque eam regnare in loco Vaſthi, colligimus ante alias mulieres Regi placuiſſe, & gratiam obtinuiſſe: ita quoque, ex Oceano gratiarum, quibus pectus Marianum inundavit, recte inferimus, illam præ omnibus conditis Angelis & hominibus coram Deo gratioſam fuiſſe, & ejus benevolentiam promeruiſſe. Quis autem immenſitatem & multitudinem gratiarum & cœleſtium donorum ejus, non dicam, oratione recenſeat, ſed mente concipiat? Eorum porrò origo fuit provectio ad dignitatem matris Dei, cui hæc omnia debebantur; non enim fuit hic titulus nomen inane, & ſine re. Iſta eſt gratia, quam Angelus Virginem dicit inveniſſe apud Deum, quam nulla mulierum invenerat, nulla quærierat, cum qua omnia bona pariter in illam ſe effuderunt. Rectè S. Bernardus Epiſt. 174. *Quod*, inquit, *vel paucis mortalium conſtat eſſe collatum, non eſt fas ſuſpicari tantæ Virgini fuiſſe negatum.* Recte etiam alii S. Patres Sophronius, Petrus Damiani, Petrus Chryſologus, Laurentius Iuſtinianus. *Ceteris per partes præſtatur, Mariæ verò ſimul ſe tota infudit gratiæ plenitudo.*

176. Plenitudo gratiæ in Dei matre.

Collatio Zeuxis pictoris cum Deo.

Refert M. Tullius libro Rhetoricorū 2, Heracleotem Zeuxin primæ notæ pictorem cùm decantatæ à Poëtis formæ Helenam vellet penicillo depingere, formoſiſſimas Crotoniatarum virginum unum in locū coegiſſe, ex quarum numero, quæ corporis dignitate ceteris antecellebant, delegit, quarum delibatum venuſtatis florem in mutum tranſtulit ſimulacrum, exiſtimans omnia quæ ad pulchritudinem quæreret uno in corpore ſe non facilè poſſe reperire.

Simile quid ſibi videtur propoſuiſſe divina majeſtas in auguſto filii ſui thalamo conſecrando. Quidquid enim ſpiritualium ornamentorum, & gratiarum in cœleſtibus illis naturis, vel hominibus ſanctimoniâ præſtabilibus eximium fuit & ſingulare ſed per partes diviſum, id totum ſimul in Matrem ſuam virginem, pleno, ut ajunt, calatho effudit.

S. Auguſtini verba ſunt libro de naturâ & gratiâ cap. 36. *Inde novimus tantam gratiam illi collatam, quia Deum concipere meruit ac parere.* Adſtipulatur S. Hieronym. Prologo in Sophoniam prophetam. *Taceo ait, de Anna, & Eliſabeth, & ceteris ſanctis mulieribus, quarum velut ſiderum igniculos clarum Mariæ lumen abſcondit.* Inſignis virginis Matris Encomiaſtes S. Anſelmus ex libro de conceptu virginali, c. 18; *conveniens fuit*, inquit, *ut beata virgo eâ niteret puritate, quâ major ſub Deo nequit intelligi.* Breviter S. Thom. 3 p. q. 7, a. 10: *In Virgine fuit plenitudo gratiæ matris dignitati proportionata.* Ex quo principio quilibet aſſumat: Atqui Matris Dei dignitas fuit, moraliter loquendo, immenſa & infinita; & concludat, Ergo illius gratia fuit pariter immenſa & infinita.

177. Tertia Iobi filia cur dicta Cornu ſtibii, ſive Amaltheæ cornu?

Meminit volumen Iobi cap. 4. ℣. 14 unius illius Prophetæ filiæ, genitæ poſtquam ad florentem ſuam proſperitatem, feliciorem primâ, redierat, quam vocavit ipſe, *Cornu ſtibii*, quaſi dixeris, pyxidem ſtibio aſſervando confectam. Eſt autē ſtibium medicamentum ſimul & ornamentum quo mulieres utuntur oculis ſuis pingendis, quo Iob notabat illam rarâ fuiſſe venuſtate, ut non ſolùm pulchra, ſed etiam ipſa pulchritudo meritò audire potuerit: Græcus textus Septuaginta Seniorum τῷ Cornu ſtibii reddit κέρας ἀμαλθείας, Cornu Amaltheæ vel Amaltheum, ſive cornu copiæ.

Nota verò eſt fabula de Cornu Amaltheæ vel Cornu Copiæ; ſive Amalthea fuerit Najadum una, ſive capella, cujus Iupiter lacte nutritus. Ajunt autem capram inter ſidera relatam ob lactis Iovi impenſum beneficium, cornu verò ejus unum datum Nymphis quaſi ἀντάμειψον, videlicet pretium officii & pietatis in nutricando: cornu verò illud eâ facultate præditum, ut largiter optanti præberet omnium rerum copiam; unde in proverbium res abiit, quo Amaltheæ vel Copiæ cornu denotat omnium rerum abundantiam: Sicut ergo tertia Iobi filia nomen Amaltheæ vel Cornu copiæ ſortita eſt ob eximias Veneres, & Charites, quas Deus plenâ manu in corpus & animum ejus influxit & effudit, ita ut formâ eſſet egregiâ & liberali, ſuperaretque omnes univerſæ terræ mulieres incredibili vultus decore, ut ſcriptura ſignificat, animoque præterea eſſet præclariſſimis virtutum ornamentis cumulatiſſimo, ita ut omnes orbis feminas probitate & morum honeſtate anteiret, ut textus Græcus explicat: Ita virgo mater & corpore & animo fuit ſpecioſiſſima. Et, ut de corporis ejus pulchritudine nihil hoc loco dicam; jure profabor ipſius mentem fuiſſe arcem, immo metropolin venuſtatis, domicilium ornatiſſimum omnium virtutum emblematis & inſignibus, in quo omnes cœleſtes gratiæ reſiderent, & ipſe unigena Dei filius requieſceret auctor & fons gratiarum. Hinc plures è Patribus eam & mare & abyſſum gratiarum indigetarunt: vide Anſelmum lib. de excellentia virginis cap. 3; Bernardum homilia primâ ſuper Miſſus, Bonaventuram in Speculo virginis cap. 8, & alios.

178. Fabula de Amaltheæ cornu explicatur.

179. Dei mater Amaltheum & Copiæ cornu.

Profecto ipſe Dei filius conſiderans ſuæ Matris dignitatem, & in eam collatas à ſe gratias, quaſi ſtupore victus videtur, cùm ita illi acclamat Cantici c. 4 ℣. 7: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te*: & ℣. 9; *Vulneraſti cor meum, ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meum in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui.* Vbi Septuaginta pro τῷ vulneraſti, ſcripſerunt, ἐκαρδίωσας, id eſt, eripuiſti mihi cor, excordaſti me, in tui amorem & ſtuporem: *Averte oculos tuos à me, quia ipſi me avolare fecerunt.* Quæ verba ex Hebræo ita quidam transferunt: Oculi tui, triumpharunt de me, vel ipſi me extulerunt, & ſuperbire fecerunt: Ita, ut Deus ipſe de Matre ſuâ, tamquam perfectiſſimo à ſe condito opificio, omnium operum ſuorum Archetypo, gloriari videatur.

180. Dei mater Archetypum & Epitome operum Dei.

Sunt quidam qui Virginem appellent Dei modum, vel menſuram, unde quadamtenus liceat Dei pulchritudinem, ſapientiam, potentiam, magnitudinem animo dimetiri. Ita ſcribit S. Petrus Chryſologus ſermone 104. *Tanta*, inquit, *eſt virgo, ut quantus ſit Deus, ſatis ignoret, qui hujus virginis mentem non ſtupet, animum non mirabitur.*

Allegoria Secunda.

De regiâ Dei Matris & Virginis dignitate.

AGe, & in hoc parem Dei matrem Eſtheræ noſtræ demonſtremus, quòd Rex maximus

in

in capite ejus diadema regium posuerit, & regnare fecerit.

Et quidem, Mariæ nomen, ut docet S. Hieron. & alii Patres, Dominam sonat sermone Syro, cujus umbram gessisse Saram, quæ vox principem ac Dominam indicat, plures ajunt. Unde ab omnibus fere populis sermone proprio unicuique, Domina nostra salutatur & audit. Adde Ecclesiam Catholicam in suâ hymnodiâ illam passim glorioso Reginæ vocabulo honorare.

Maria vocatur & Domina & Regina.

Taceo ipsam Regum sanguine satam, ut ostendit Genealogia, quam texit S. Matthæus. Et Ecclesia in ejus Nativitate concinit: *Regali ex progenie Maria exorta refulget, &c.*

Est etiam vocata Regina absolutè sine determinatione à suo parente Davide in Psalmo 44. *Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato; &c.* Quin & Ioannes filius ejus adoptivus cap. 12 suæ Apocalypsis eam describit ut Reginam (juxta quorundam Patrum explicationem) non modo terræ, sed & cœli; cùm vers. 1 sic loquitur: *Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta sole & luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim.* Si vestitur sole, si stellis coronatur, ergo cœlorum Regina, & domina Angelorum est: Scimus verò caput & radicem hujus gloriosæ dignitatis esse in virgine ipsam Maternitatem, quâ verè & germanè Dei mater nominatur, & est; qui absolute Dominus & Rex est cœli & terræ & omnium quæ eis continentur. Hoc intellexit S. Damascenus cùm libro 4 c. 15 de fide Orthodoxâ scribit: *Maria rerum omnium conditarum Domina effecta est cùm creatoris mater extitit.* Rupertus in 4 Cantic. *Prædicabitur*, inquit, *de te, quod sis mater Christi, ac proinde Regina cœlorum, totum jure possidens filii regnum.* Bernard. Sermone in illud: *Signum magnum. Maria*, inquit, *eò quòd Mater Dei est, Regina cœlorum, & Domina mundi jure esse probatur.* Vt enim Christus naturâ suâ propter hypostaticam unionem verè & propriè Rex & Dominus est omnium rerum conditarum, ita & ejus Mater jure naturali etiam verè & propriè Regina est & Domina omnis creaturæ. Siquidem omnis dignitas quæ naturaliter competit filio, pari jure ad matrem transfertur, ut fusè & eruditè demonstrant Salazar in caput 8 Proverbior. ℣. 15 & 16 n. 122 & sequentibus.

181. Origo hujus regiæ dignitatis est Dei maternitas.

Illustratur hoc verbis Arnoldi Carmotensis Tractatu de Laudibus Virginis. *Nec à dominatione*, inquit, *vel potentiâ filii mater esse potest sejuncta: una est Mariæ & Christi caro, unus spiritus, una caritas, & ex quo dictum est ei: Dominus tecum; inseparabiliter perseveravit promissum & donum. Vnitas divisionem non recipit, nec secatur in partes: & licet ex duobus factum sit unum, illud tamen ultra scindi non potest, & filii gloriam cum matre non tam communem judico, quam eandem.* Ita ille.

Hoc naturale jus, communemque dignitatem filii Regis & ejusdem matris intellexit Salomon: 3 Regum 2. ℣. 19. *Venit Bethsabee ad Regem Salomonem, ut loqueretur ei pro Adoniâ: & surrexit Rex in occursum ejus, adoravitque eam, & sedit super thronum suum; positumque est thronus matri Regis, quæ sedit ad dexteram ejus.* Quorsum, quæso, juberet Sapientissimus Rex thronum regium Bethsabee Matri collocari, nisi agnovisset etiam regiam excellentiam Matri suæ competere, ex qua carnem assumpserat?

182. Dei mater Thronus Salomonis.

S. Petrus Damiani sermone primo de Virginis Nativitate, ubi eam comparat cum throno, quem Salomon fecerat ex ebore grandem 3 Regum 10 ℣. 18 sic inter alia. *Quid grandius virgine Maria quæ magnitudinem summæ divinitatis intra sui ventris concluſit arcanum? Attende Seraphim, & in illius superioris naturæ supervola dignitatem, & videbis quidquid majus est, minus virgine, solumque opificem opus istud supergredi.* Et paulò pòst, cùm de glorià supernæ curiæ egisset: *In qua*, inquit, *Regina gloriosior Angelicam reverberat dignitatem.*

183. Dei Mater fœderis arca.

Solent Sancti Patres, Dei parentem cum Arcâ fœderis conferre: Solùm hic ad propositum nostrum illud observo ex Abulensi in c. 23 Exodi quæst. 28, Arcam solam majoris dignitatis fuisse quam totum tabernaculum: unde Psaltes: *Introibimus in tabernaculum ejus: adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus:* Psal. 131 ℣. 7: sive ut S. Hieronym. reddit: *adorabimus scabellum ejus:* id est, Arcam, quâ Deus, ut suppedaneo scabello utebatur. Vbi major dignitas Arcæ, & proinde major reverentia illi uni, quam toti tabernaculo deferenda indicatur. Hinc etiam Salomon novum Deo templum construxit; novam tamen arcam non fabricavit: quia tabernaculo aliud templum augustius esse poterat: At verò Arcâ testamenti nulla sanctior, major, gloriosior, venerabilior poterat reperiri. Credunt aliqui hinc Moysi à Deo præceptum, ut Arcæ coronam auream imponeret Exodi 25 ℣. 11: *facies*, inquit, *supra coronam auream per circuitum.* Ab hoc insigni & regiâ notâ Arca facilè Princeps ac quasi Regina omnibus rebus dominari videbatur. Notat etiam Lyranus & alii Hebraizantes tantam apud Iudæos Arcæ fuisse gloriam, excellentiam, & venerationem, ut nemini juxta illam sedere fas esset, sed omnes ante illam procumberent, eamque demisso in terram vultu adorarent. Mysticè autem hoc ad Reginam nostram transfert Lyran. *Ceteri*, inquit, *Sancti, etiam supremi Angeli sunt in cœlis sicut Dei ministri: ipsa verò sicut cœlorum Regina.*

Arca dignior erat toto tabernaculo & templo.

Maxima Arcæ erat veneratio.

Conjice mentis oculos in universam cœlestem curiam, simulque alterà ex parte Arcam hanc Testamenti, Dei, inquam, Matrem contemplare, & videbis nescio quid augustius, speciosius, gloriosius in solâ Reginâ nostrâ coruscare. Ita S. Bonaventura infit. *Post Deum major nostra gloria, & majus nostrum gaudium ex Maria est.*

Anagoge & Manuductio ad gloriosam ejusdem in cœlis coronationem.

ÆTerna beatitudo inter alia, quæ sortitur nomina, corona in sacris libris sæpe appellatur, ut Iacobi primo, 12, Apocalyps. 2, 10, corona vitæ, 2 verò ad Timoth. 4, corona justitiæ, 1 Petri 5, 4, Immarcescibilis gloriæ corona; nec hujus notionis causæ desunt. Sicut enim victoribus corona decernitur, sic vita æterna legitimè certantibus 2 ad Timoth. 2. Deinde corona figuram habet rotundam & ideo capacissimam: & teste Boëthio, *beatitudo status est omnium bonorum aggregatione perfectus.*

184. Vita æterna cur dicatur corona.

Præterea, quemadmodum corona unionibus

& pretiosis lapillis ad ornatum majorem intexitur, ita felicitas illa perpetua pluribus & præstantissimis ornamentis incingitur.

Postremò diadema sive corona insigne est & symbolum regiæ dignitatis, omnes verò in cœlo regio honore fruuntur. Licet verò contemplari Reginam Mariam triplici coronâ redimitam, ita ut in capite ejus tricoronis honor coruscet, & insuper duodecim astris refulgeat. Dicatur prima corona communis, altera particularis, tertia verò singularis, quamvis singulæ meritò singulares nominari possint.

185. Triplex Dei matris corona, communis, particularis, singularis.

Prima corona est beatitudinis essentialis, divinæ visionis, & fruitionis, quæ unicuique beatorum communicatur, sed uni perfectius alteri imperfectius secundum cujusque merita. 1 ad Corinth. 15: *Alia est claritas solis* (Christi) *alia claritas Lunæ* (Mariæ) *alia claritas stellarum*: aliorum sanctorum. Sicut ergo Luna inter minores siderum ignes velut Regina chorum ducit, & clarius emicat, sic Dei mater, quia meritorum suorum verticem super omnes Angelos & homines sanctos erexit, ita etiam gloria hac omnibus præfulget, & majestate antecellit.

186. Gloria ejus essentialis major aliorum gloriâ Sanctorum.

Quatuor modulis metimur Sanctorum gloriam.

In litteris sacris quatuor nobis moduli præstituuntur quibus cujuscumq; beati gloriam datur metiri. Unus est humilitas & animi modestia, quæ est instar fontis, cujus aqua quanto ex altiori loco delabitur, tantum etiam postea sublimius ascendit. Alter est, societas passionum cum Christo, & pro Christo juxta illud 2 ad Corinth. 1, 7. *Sicut socii passionum estis, sic eritis & consolationis.*

Tertius est misericordia aliis præstita, cui Lucæ 6, 38, promittitur mensura bona & confecta & coagitata, & superefluens.

Quartus est præstans erga Deum amor, cujus ex mensurâ maximè pendet cujusque præmium. Nullus autem nescit his quatuor modis omnibus sanctis Virginem matrem præivisse ultra omnem modum & mensuram.

Quid gloria accidentalis?

Sequitur jam altera corona, quam gloriam accidentalem nominant: qualis est singulare quoddam gaudium, eximius Dei erga aliquem favor vel benevolentia, peculiaris revelatio extra verbum, impetratio quorundam effectuum præter ordinem, rarus honor coram Deo & hominibus, insignis aliquis ornatus & nota in corpore, lætitia eximia ex animo in corpus quoque redundans. Hæc autem corona accidentalis proportionatur ipsi essentiali, & eo quisque eminentior est in accidentali, quò altior est in essentiali.

Ex quo colligimus B. Dei genitricem omnes etiam beatos simul multum antestare hac coronâ & gloriâ secundariâ, sicut antecedit ipsâ gloriâ essentiali: Inter coronas verò accidentales recensentur à Theologis tres coronæ aureolæ sive laureolæ, quarum una Virginibus, altera Doctoribus, tertia Martyribus defertur, & est singularis dignitas vel splendor, quo hi omnes tamquam victores & triumphatores præfulgent; de quibus consulendus Leonard. Lessius lib. 2 de summo bono cap. 21. His tribus aureolis coronis decoratam Reginam nostram describere non est hîc mihi propositum, ne præter modum excrescat oratio. Vide Ludovicum de Ponte tomo 2 Meditat. 35, puncto 3.

Tres aureolæ beatorum.

Tertia tandem Magnæ Matris corona fuit singularis nulli alteri data nec tribuenda. Duas autem hujusmodi invenio.

187. Splendor singularis B. Mariæ.

Primam colligo ex S. Bonaventurâ in Speculo virginis cap. 6, ubi sic scribit: *Habet B. Virgo ob admirabilem filii Dei generationem, eamque castissimam, singularem aliquem splendorem, qui sit velut insigne regiæ dignitatis, ac divinæ Maternitatis, principatus quoque & dominii in omnes beatos.* Si enim docet S. Augustin. lib. 22 de Civitate Dei c. 19 & 20, sanctorum Martyrum cicatrices instar solis & supra omnem hujus mundi ornatum fore splendidas: quidni etiam asseramus fulgorem quendam eximium ex Virginis corpore abscessurum, quo omnes agnoscant illam esse Dei Matrem, cæli, terræque Reginam? Scribunt quidam, ut Tzetzes, olim in triumphantium coronis fuisse expressa facinora, ob quæ illam promeriti fuissent: an non multo magis in coronâ, quam Dei filius regio matris suæ vertici imposuit radiabunt notæ & insignia meritorum; ad perpetuam gloriam, & memoriam ejus sempiternam?

Altera est, quam multi Doctores eidem Virgini tribuunt, dum ita docent: Alii beati sub novem choris Angelorum, vel in illis secundum cujusque meritum locum sortiuntur, ut lapsorum spirituum sedes repleant. Sola Dei mater sub Christo, omnium Angelorum ordinibus altior, chorum unum & Hierarchiam constituit. Ita Ioan. Gerson tractatu 4 super Magnificat & eum secuti Barradas, Suarez & alii.

Sola Dei mater chorum sub Christo in cœlis constituit.

Nec est necesse hîc quærere cœlestium spirituum vel hominum turbam, qui hanc hierarchiam faciant: ipsa enim Imperatrix Maria sola suis virtutibus, gratiis & cœlestibus insignibus chorum immensum conficit, unde & nominatur *Terribilis ut castrorum acies ordinata.*

Nec solùm Dei mater variis & pretiosis coronis decoratur, sed & ipsa est corona Ariadneâ fulgentior, Olympicâ honoratior. Quorum tandem? Omnium cœlitum, ipsius cœli totiusque universi, quod suis meritis, virtutibus, & gloriosis facinoribus illuminat: Immo ipsa est corona Dei & Christi ejus, quâ gloriatur. Sic enim vaticinatus est Isaias cap. 62, 3, de quolibet divorum: *Et eris corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui.* Unde & Christus Dominus Apocalyps. 19, 12, dicitur gestare in capite diademata multa, quæ sunt omnes sancti meritis ejus coronati, quod ipse quasi coronam sibi assumit, quia fuerunt illi carissimi filii, qui gloria Patris dicuntur, quos etiam manu fert, quia ejus virtute victoriam & palmas consecuti sunt, quia denique sunt ipsius sponsæ, quæ sunt corona sponsorum & maritorum suorum.

Dei Mater corona Sanctorū, mundi, Christi, Dei, &c.

Nos interea exemplo 24 seniorum procidentium ante Deum, de quibus Apocalyps. 4, procidamus ante Reginam stellato in solio residentem, & mittamus coronas nostras ante thronum ejus, humiliter agnoscentes, quod eas consecuti simus ejus patrocinio.

Nos precibus ejus consequimur coronas.

Denique omni animi contentione nitamur ejusdem Reginæ coronas cumulare, vel potius ut simus ejus corona. Si enim Apostolus Philippenses cap. 4. ℣. 1 gaudium suum & coronam vocat, eò quòd illos ad fidem prædicatione, ferventi oratione, exemplo converterat: profectò & nos gaudio Virginem afficiemus & quasi strophium

phium ex vernantibus floribus illi pangemus, vel etiam coronâ aureâ caput ejus ornabimus, si æmuli triumphorum ejus, quæ in terris impressa reliquit virtutis vestigia presso pede insistamus.

VERSVS XIX & XX.

Cùmque secundò quærerentur virgines & congregarentur, Mardochæus manebat ad januam regis.

Necdum prodiderat Esther patriam, & populum suum, juxta mandatum ejus.

Quidquid enim ille præcipiebat, observabat Esther: & ita cuncta faciebat, ut eo tempore solita erat, quo eam parvulam nutriebat.

Hebraicè: Et cùm congregarentur virgines secundò, & Mardochai sedebat in portâ regis:

Non Esther indicaverat progeniem suam, & populum suum, secundum quod præceperat ei Mardochai: & sermonem Mardochai Esther faciebat, sicut erat dum nutriretur cum eo, vel, in nutritione cum eo.

Iosephus consequenter suis verbis superioribus hæc convertit. Atque ita cum Esthere Rex convixit, numquam interrogatâ quonam nata esset genere: patruus verò ejus & ipse Babylone Susa migravit, ibique degens obversabatur quotidie circa regiam, sciscitans de puellâ, quomodo se habeat. diligebat enim eam haud secus quàm propriam filiam.

COMMENTARIVS.

Quæstio, de tempore quo virgines quæsitæ sunt, ambigua.

NOn exigua hîc difficultas occurrit circa textum. Dubitant enim primò Interpretes, quo tandem fine hi versus duo interponantur ante narrationem de insidiis structis Regi ab eunuchis. Secundò, quo tempore facta sit hæc secunda conquisitio & congregatio virginum.

Sententia Saliani & aliorum.

Tot hîc ferè sunt opiniones, quot Interpretes. Et, ut verum fatear, mihi quoque hîc hæret aqua. Salianus putat tempus congregatarum virginum nihil pertinere ad tempus insidiarum, neque id requirere textum Hebræum, multò minùs Græcum, ubi deest τὸ secundò. Vulgata etiam lectio non repetit tempus congregatarum virginum, cùm insidias narrare incipit. Tenet itaque factam illam repetitionem congregatarum virginum, tum propter Esthere m, tum propter Mardochæum: propter illam quidem, ut significetur post nuptias cum rege non minus obsecutam Mardochæo, quàm quo tempore eam parvulam nutriebat, & quando congregabantur virgines, inter quas ipsa assumpta est, quia parvula tunc erat, & triennio in Parthenone expectavit: propter hunc verò, ut significetur ipsum post Reginæ nuptias non minus ad januam regis moratum esse, quàm eo tempore, quo virgines congregabantur. Porrò dicit non significari per τὸ secundò, iterum post Estheris nuptias quæsitas & congregatas virgines, sed solùm repetit Scriptura quod factum fuerat post repudiatam Vasthi, congregatas videlicet virgines, sicut jampridem primò congregatæ fuerant ad priores nuptias quas Assuerus contraxerat cum Vasthi. Ita dicit sentire Vatablum, Sa, & Serarium, qui ait illud esse probabile. Addere poterat Stephanum Menochium, Ioannem Marianam.

Idem tenet hoc loco Gaspar Sanctius, qui etiam addit hos versus hîc interpositos, ut quæ sequuntur de insidiis eunuchorum, minus sint impedita, & ut verisimile sit Mardochæum potuisse facilè ipsorum machinationes agnoscere, cum ipse numquam abesset à Regiæ foribus, maximè postquam Esther in illam fuerat introducta. Quare necesse fuit ut cum duobus janitoribus esset assiduus, videret multa, quæ illorum consilia proderent, à quo parùm sibi cavebant, quia sciebant illum esse Iudæum, cui de salute Regis parva cura esset. Neque enim putabant illum patruum esse Reginæ, quia dicitur hîc: *nondum prodiderat Esther patriam & populum suum.* Eandem rationem etiam adfert Mariana: Estque hæc sententia valde probabilis.

Sententia Feuardentii & aliorum.

Sunt, qui secundò factam virginum congregationem autumant propter duplex gynæceum, de quo suprà v. 13 & 14. Erat enim gynæceum virginum vel Parthenon, in quo prius per annum mundabantur, & ornabantur sub curâ Egei, erat etiam alterum concubinarum vel mulierum, quæ sub manu Susagazi servabantur. Primò itaque virgines congregabantur ducendæ ad Parthenonem seu prius conclave cui præerat Egeus, secundò autem ducendæ in domum pellicum regiarum, quarum custos erat Susagazus. Ita referunt Feuardentius & Serarius, & hanc tenet Drusius, quem meritò refellit Serarius: tum quia hæc congregatio secunda non erat vocanda virginum, sed pellicum; tum quia non apparet ratio cur hoc hic inculcetur planè ex abrupto. Potiùs, inquit Serarius, referre possemus ad migrationem virginum ex ipsarum domus parte minùs commodâ & jucundâ in partem illam commodiorem & jucundiorem, de qua suprà. Sic ille.

Quidam, ait Salianus anno mundi 3596 n. 50, existimant post Estheris nuptias, singulas mulieres à Gynæceo regis ad suos se recepisse, & secundò revocatas & collectas fuisse. Sed parùm probabile est aut dimissas concubinas, aut eas vocari virgines.

Liranus docet Regem solùm simulasse velle se aliam uxorem ducere, ut hac arte ab Esthera extorqueret gens & patriam suam cujus discendæ erat percupidus, & eam ob causam jussisse, ut aliæ iterum virgines in Regiam convocarentur. Sed frivolum hoc est, facilè enim Rex, si voluisset, hoc ab iis qui illam ad aulam duxissent, discere poterat, vel etiam ab ipsâ Esthera. Solùm

Liranı opinio.

enim mens Mardochæi erat, ne ipsa sponte sine causâ per loquacitatem genus suum manifestaret; Nam postea ei, cum ratio exegit, confessa est, ut patet cap. 8. v. 1.

Serarii opinio. Serarius adverbium *iò secundò*, arbitratur jungendum non verbo, *congregarentur*: sed verbis præcedentis versus: *Iussit præparari convivium permagnificum*; quasi diceret, fecit jam olim Assuerus, cap. primo, epulum splendidissimum summa procerum frequentiâ: ecce alterum jam nunc fecit in virginum congregatione vel postquâ virgines congregasset. Fuit enim hæc congregatio ei jucunditima & fortunatissima, è qua talem tantamque Reginam consecutus est. Ita ille. An hoc non sit violentiam textui Hebræo vel Latino adferre, arbitretur Lector.

Cajetani sententia optima & sequenda. Propius mihi accessisse ad connexionē textus videtur Cajetanus, quē sequitur Iacobus Tirinus, & alii, qui censent virgines secundò quæsitas & collectas regnante jam Esthere (hoc enim verba manifestè requirunt.) Causam quærit Lector? Quia insatiabilis erat Regis barbari libido, quam multitudine pellicum explere cupiebat, ait Tirinus, & sæpius adhuc virgines convocasset, nisi paulatim piis Estheræ monitis ab illâ mente revocatus fuisset.

Putat verò idem Cajetan. addita illa: *Mardochæus manebat ad januam Regis*, hoc est, ambulabat ante palatium; eò quod nondum pervenisset ad illam intimam Regis familiaritatem, de quâ dicitur postea cap. 8. v. 1. *Mardochæus ingressus est ante faciem Regis. Confessa est enim ei Esther quod esset patruus suus.* hic verò dicitur: *Mardochæus manebat ad januam Regis: necdum prodiderat Esther patriam & populum suum.*

Hæc sententia Cajetani omnium maximè mihi placet, quia bellissimè convenit contextui, & expedita est, & omnia optimè inter se connectūtur: Datur enim causâ, ob quam Mardochæus manebat ad januam regis, quæ etiam ante allata erat supra v. 11, ut nimirum ageret curam salutis Esther. Deinde cur non ingrederetur ante faciem regis, etiam ratio insinuatur, quia Rex nondum sciebat illum esse patruum uxoris suæ. postremò; ostenditur via, quâ facilè potuerit pervenire ad latibula insidiarum Regi ab eunuchis paratarum; quia manebat cum illis, utpote janitoribus ad januam palatii.

Circa textum nihil aliud enodandum occurrit; solùm miranda observantia Estheræ etiam Reginæ erga Mardochæū, de quâ in Morali agendum. Locum mutavit, non ingenium obsequendi cupidum.

Quærit hîc Serarius primò, an Esthera in Parthenone vel in aulâ Regis servaverit ritus Iudæorum circa cibos Iudaicos &c. Sed hac de re agemus commodius infrà c. 14 v. 16 & sequentibus.

Quæritur; An ex Esthera Assuerus liberos susceperit. Sed noverunt Superi. Quis enim ad hoc respondeat nisi ariolando?

Additio Ethica.

Rara, sed præclara virtus humilitas honorata, quale decus emicuit in Esthera ad regium thronum provectâ.

A Pagesis à Reginâ nostrâ illud tritum sermone Proverbium: *Honores mutant mores.* Habeat autem apud eandem locum illud aureum monitum ore Sirachidæ pronuntiatum Ecclesiastici 3 v. 20. *Quanto magnus es, humilia te in omnibus &c.* id est, quo major es dignitate, & loco, eò quoque amplius te, animumque tuum submitte. Æmula fuit Regina nostra lilio, qui flos regius est. De hoc sic Plinius lib. 21. cap. 5: *Nulli florum excelsitas major, interdum cubitorum trium; languido semper collo, & non sufficiente capitis oneri.* Quò magis eminebat, & toto vertice suprà erat regia dignitate, eò magis se submittebat & cervice depressâ animoque verè humili ambulabat, non vero extento collo, id est, superbè; quo nomine notantur filiæ Sion Isaitzes.

188. Nebridii humilitas honorata. Rarum decus humilitas honorata, quam S. Hieronymus dilaudat in Nebridio nobilissimo viro, Augustorum contubernali, de sorore generato Augustæ, epistola ad ipsius viduam Salvinam: Ex quâ hæc pauca ad rem nostram accipe. *Sic*, inquit Hieronymus, *Nebridius religiosus fuit, sic timens Deum, ut oblitus dignitatis omne consortium cum monachis haberet & clericis. Nihil nocuit militanti paludamentum, & balthens, & apparitorum catervæ, quia suo habitu alterius alteri militabat. Sicut è contrario alius nihil prodest vile pallidum, furva tunica, torporis illuvies, & simulata paupertas, si nominis dignitatem operibus destruant.* Talis Ioseph. *Ioseph, qui in egestate & in divitiis dedit experimenta virtutum, qui & servus & dominus, docuit animæ libertatem; nonne post Pharaonem regiis ornatus insignibus, sic Deo carus fuit, ut super omnes Patriarchas duarum tribuum pater fieret?* Talis Daniel cum sociis. *Daniel & tres pueri sic præerant Babyloniæ opibus, & sic erant inter principes civitatis, ut habitu Nabuchodonosor, Deo mente servirent.* Talis Esther & Mardochæus. *Mardochæus & Esther inter purpuram, sericum & gemmas superbiam humilitate viceruni, tantique fuere meriti, ut captivi victoribus imperarent. Hæc illuc tendit oratio, ut ostendam juvenem meum* (Nebridium) *conjunctionem sanguinis regalis, & affluentiam divitiarum, atque insignia potestatis materiam habuisse virtutum.* Et post aliqua. *Nebridius purpuratorum propinquus, socius, consobrinus, iisdem cum ambobus studiis eruditus (quæ res etiam externorum mentes sibi conciliat) non est inflatus superbiâ, nec ceteros homines adducta fronte contempsit: sed cunctis amabilis, ipsos principes amabat ut fratres, venerabatur ut Dominos; & in illorum salute suam salutem positam fatebatur. Ministros autem eorum, & universum ordinem palatii, quo regalis frequentatur ambitio, sic sibi caritate sociarat, ut qui merito inferiores erant, officiis se pares arbitrarentur. Difficile est factu; gloriam virtute superare, & ab his diligi quos præcedas.* Hæc & plura S. Hieronym. de moderatione animi in Nebridio, quem cum Mardochæo & Esthera confert. Talis fuit Ferdinandus Augustus, de quo vide libellum de virtutibus ejus cap. 10 & 11.

189. Esthera altissima instar Solis omni umbrâ caruit vanitatis. Videtur Esthera solis æmula: Sicut enim hic, cùm medium cœli occupat, & altissimus est, nullas umbras jacit, quóque altior, eò minores, quóque inferior, eò majores: Sic Esthera provecta ad celsissimum honoris gradum, & Imperatricis seu Monarchæ insulas, & thronum invidendum Persicæ gloriæ, nullas tamen ambitionis, vanitatis, fastidii, arrogantiæ umbras patitur, ut ex hoc loco apparet, & infrà cap. 14 v. 16, ubi in oratione suâ ad Dominum; *Tu scis*, ait, *neces-*

necessitatem meam, quòd abominer signum superbiæ & gloriæ, quod est super caput meum, in diebus ostentationis meæ, & detester illud quasi pannum menstruatæ. & non portem in diebus silentii mei. Hæc illa. Radiabat pyropis, & carbúculis, diadema in vertice illius ardebat instar Phœbææ lampadis, & tamen animus ejus intra cancellos modestiæ se continebat: quanto sublimior, tanto humilior.

190. Esthera instar Lunæ quæ in plenilunio decrescit.

Studuit eadem imaginem etiam siderum Reginæ bicornis exprimere, Lunæ scilicet, quam Sirachides Ecclesiastici 43 ℣. 7 luminare vocat, *quod minuitur in consummatione*, quia nimirum decrescit postquam pervenit ad perfectionem sive plenilunium, quod nec soli, nec aliis astris convenit. Sic quisquis Estheræ genio & indole præditus est, cùm ad culmen scientiæ, dignitatis, sanctitatis pervenerit, per humilitatem se demittit, & quasi diminuit, ut rursus crescat, instar Lunæ. Hæc mens fuit Christi Lucæ 22, 26: *Qui major est in vobis, fiat sicut minor.* Sic loquitur de Christo Eucherius Lugdunensis, vel Eusebius Gallicus homilia 2 de Symbolo: *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, ut sublimior appareret & Angelis & hominibus inclinata sublimitas.*

Talis Christus.

Sed philosophantem super his animus est audire Chrysostomum homilia 3 in Matth. ubi inter alia sic de humilitate ratiocinatur. *Si bona tua*, inquit, *magna vis facere, noli esse magna putare: aliter enim magna esse non possunt. Sic enim Centurio dixit: Non sum dignus, ut intres sub tectum meum, & propterea dignus effectus est, supraque omnes Judæos jure mirabilis. Sic & Joannes non sum, inquit, idoneus solvere corrigiam calceamenti ejus, & idcirco factus est amicus sponsi, manum, quam indignam calceamentis esse dicebat, eam Christus ad caput suum sublevavit? Sic etiam Petrus ait: Exi à me, quia homo peccator sum, Domine, & propterea factus est Ecclesiæ fundamentum. Nihil enim sic est amicum, quàm siquis in minutis se annumeret: hoc totius Philosophiæ est fastigium. Qui enim humiliatur corde atque conteritur non efferetur inani gloriâ, non invidiæ livore, non iracundiæ furore vexabitur. Nam si contritam mannum, etiam si millies in altum levare velimus, non possumus; ita etiam, si animam conteramus, quamvis innumeræ illam inflando elevare voluerint affectiones, nec tamen tunc quidem poterit extolli.* Sic ille.

191. Humilitas hominem magnum facit.

Arbores gravidæ deprimuntur, spicæ inanes attollantur.

Arbores copioso pomorum proventu gravidæ deprimunt ramos, quoque uberior fuerit Autumnus, eò versus terram profundiùs inclinantur: Contra videre est spicas inanes, & fruge triticeâ cassas in altum erigi.

Prius symbolum est Estheræ, & eorum, qui ejus insistunt vestigia, virtutum solidarum divitiis circumfluentes; alterum verò Amam superbissimi, & ejus sectatorum, qui cœlestium donorum inanes evanescunt, & dum tolluntur in altum, intumescunt instar vento inflatæ vesicæ, dum autem cadunt rumpûtur: Esthera pro mensurâ suæ magnitudinis se demisit. Sic faciendum monet S. August. lib. de Sanctâ virginitate c. 31: *Mensura humilitatis cuique ex mensurâ ipsius magnitudinis data est, cui est periculosa superbia, quæ amplius amplioribus insidiatur.* vide etiam illum ibidem cap. 33. & quæ diximus Commentar. in caput 3 Ecclesiastici, ℣. 20.

192. Mensura humilitatis suæ cuique est magnitudo.

Dixi raram virtutem esse humilitatem honoratam, quâ de re S. Bernardus sermone 13 in Cantic. *Magna & rara virtus est, cùm magna operaris, magnum te nescire; cùm omnibus nota sit sanctitas tua, te solum lateat; cùm omnibus mirabilis appareas, tibi soli vilescas. Hoc ego ipsis virtutibus mirabilius duco.* Idem sermone 4 super Missus est: *Non magnum est humilem esse in abjectione: magna prorsus & rara virtus humilitas honorata.*

193. Rara virtus humilitas honorata.

Rectè quidam; Humilitas in honore, honor est ipsius honoris & dignitatis. Omnis dignitas eo ipso dignitatis nomine indigna est, si humilia dedignetur. Humilitas autem sine honore, ipsa sufficit ad honorem; honor verò sine humilitate se perducit ad confusionem.

Quàm facilis lapsus iis, qui aliquo bono præcellunt in superbiam, etiam animantes nos docent. Considera leones, tauros, ut viribus ferociant, pavones dum gemmantes alas explicant, ut se circûspiciendo insolescant: & sic de ceteris.

Facilè honorati superbiunt.

Celebris est equus Magni Alexandri Bucephalus, de quo historici, Plutarchus, Solinus c. 47, Gellius lib. 5. c. 2, Curtius lib. 6 c. 9. Gellius de eo sic: *Super hoc equo*, inquit, *dignum memoriâ visum, quòd ubi ornatus erat, armatusque ad prælium, haud umquam insceudi sese ab alio, nisi à Rege passus sit:* Plutarchus verò sic: *Nudus conscendendum se equi soni suo præbuit: ornatus autem regiis phaleris, & bullis nemnem, excepto Alexandro, admittebat: ceterorum siquis accederet tentandi gratiâ adversus occurrens magno cum hinnitu insiliebat, ac conculcabat, nisi quis fugâ salutei consuluisset.* Ita Plutarch. in Alexandro. Habes in Bucephali ingenio speciem hominis suis viribus, formâ, nobilitate, scientiâ insolescentis.

194. Bucephalus ornatus regiis phaleris præter regem nullum admittebat.

De humilitate servandâ cùm nobis honores deferûntur vide S. Gregor. libro 21 Moral. c. 11, ubi explicat illud Iob c. 31. *Numquid non in utero fecit me, qui & illum operatus est, & formavit in vulvâ unus?*

Idem quoque lib. 26 Moral. c. 24 exponens illa Iob cap. 36, *Deus potentes non abjicit, cùm & ipse sit potens:* sic ratiocinatur: *Mirum valde est cùm in cordibus sublimium regnat humilitas morum. Unde pensandum est, quia potentes quique cum humiliter sapiunt, culmen extremæ, & quasi longè positæ virtutis attingunt, & rectè hac virtute Dominum quantocius placant, quia illud ei sacrificium humiliter offernnt, quod potentes invenire vix possunt. Subtilissima namque ars vivendi est culmen tenere & gloriam premere, esse quidem in potentiâ, sed potentem se esse nescire.* Hæc & plura sanctus Doctor.

Scribit Georgius Codinus in officiis, Orientis Imperatorem olim calceatum Tzangiis (est hoc genus certum calceamenti) in quibus Aquilæ erant lapillis pretiosis & margaritis intertextæ. Nota erat hujusmodi calceamentum potestatẽ, quæ per Aquilas Regales & Imperiales significabatur, laudabilem illam esse, quæ ad imum, id est, calceamentum se demittebat.

195. Aquilæ quarum rerum symbolum in calceis.

Apologus vulgo fertur: Ligna silvarum inter se quondam concilium habuerunt, quò se ab hominum injuriis, quibus undique incessebantur, liberarent. Et Cedrus quidem, quæ ut ceteris dignitate, & cellitudine, ita & prudentiâ præcellere videbatur, prima sententiam dixit: Nimirum plerumque homines securibus arbores cædere, quas ligneis manubriis armât, quo commodiùs

196. Fabula arborum docet humiles minime obnoxios esse aliorum injuriis.

modiùs feriant & fecent : Itaque è re arborum esse, ut in posterum hominibus ligna recusent, quæ ipsi in arborum interitum convertant. Multis ultro, citroque in eamdem sententiam prolatis, tandem surrexit Rubus humilis, &, Nolite, inquit, ô arbores, nolite in tantam celsitudinem excrescere, & sic, mihi credite, ab hominum injuriis eritis expeditiores.

Humilitas, ut in Esthera liquet, virtus est eaque fere sola, quæ nos tutos præbet ab improborum incursibus. Sic reginam nostram, Mardochæum, totamque Iudæorum gentem, liberavit à pernicie, quam Amanus crudelissimus isdem machinabatur.

Raros patitur fulminis ictus
Vallis demissa, contrà
Feriunt summos fulmina montes; &
Patet in vulnus maxima cervix.

Recte Salomon Sapientiæ 6, vers. 7 : *Exiguo conceditur misericordia : potentes autem potenter tormenta patientur.*

Allegoria.

Quanto Sancta Maria gradu, & dignitate Esthera Persidis Regina sublimior, tanto etiam humilitas ejus & rarior & præclarior.

197. S. Maria maximum miraculum.

Sancti Patres passim Dei Matrem vocabulo honorant miraculi vel prodigii. Vnum & alterum hujus testem indicasse sufficiat. Sanct. Chrysostomus homil. de eadem : *Magnum*, inquit, *revera miraculum fuit beata semper virgo Maria.* Sanct. Ignatius ante eam appellaverat *cœleste prodigium*, Epistola ad S. Ioannem Evangelistam. Et jure quidem meritissimo hunc honoris titulum Virgini deferunt. Si quidem ipsam supra omnem ordinem naturæ & gratiæ evexit Deus ad maternitatem, simulque virginitatem, & rem omnium maximè novam & admirandam in ea perfecit, dum ex ejus corpore corpus sibi coagmentavit, & maximis præterea animum ejus donis gratiæ instruxit, ita ut ipsa rectè pronuntiarit : *Fecit mihi magna qui potens est.* Vnde eleganter mihi inter alia dixisse videtur S. Ioannes Damascen. Oratione primâ de ejus ortu, cùm illam vocat, *Miraculorum officinam.*

Imò miraculorum officina.

Variæ autem causæ adferri possint hujus tituli & honoris.

Visuntur in hac officinâ, simulque prodierunt ex eâ plurima ostenta & miranda, inter quæ non infimum locum tenet ejus, de quâ modo agimus, humilitas, quæ post submissionem Christi filii sui meritò miraculi & maximi signi nomen sortitur. Maria idiomate Hebræo à mari nomen mutuatur, ut notum est, nec abludit Latinum nomen ejus, si sonum vocis attendas. Licèt verò mirum ignaris videatur omnes aquas tandem in mare desinere, nec id tamen ultra limites suos restagnare, juxta illud Ecclesiastæ cap. 1, vers. 7 : *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat* : Nihilominus nec miraculum, nec mirum quidem est, si causam hujus rei quis exploratam habeat, & attendat ad id, quod ibidem subjungitur : *Ad locum, unde exeunt flumina, revertuntur, ut iterum fluant.*

Quòd mare non inundet non est miraculum.

Vt enim mare conceptaculum est & sinus omnium aquarum, ita etiam earum origo, & matrix auctore Homero, ex quo omnes fluvii, & omnia æstuaria, omnes fontes, putei & lacus emanant. Hoc miraculum foret, si mare aliquod inveniretur, quod omnes totius universi aquas gremio suo complecteretur, nullas aliò derivaret, nec tamen umquam innundaret, littora sua exiret, aut intumesceret, sed suis terminis coërceretur.

198. Maria gratiarum mare non intumescens, capacissimum tamen ac plenissimum.

Tale autem mare Mariam Dei Matrem dicimus, quæ quo pluribus Dei beneficiis, donis ac gratiis cumulabatur, eò se humiliùs, profundiùsque demittebat, & se aptiorem, capacioremque reddebat ad plura divinitus oblata munera recipienda. Vnde de eâ oraculum illud dictum intelligere possumus à Sirachide cap. 24, vers. 39 : *A mari abundavit cogitatio ejus, & consilium illius ab abysso magna.* Vbi Præpositio *ὑπὸ ab* accipitur per Enallagem pro altera, *præ* : ut sensus sit : Cognitio sapientiæ divinæ præ mari adaucta est, multúmque excedit longitudinem, latitudinem & profunditatem maris suâ immensitate, & consilium illius inscrutabilius est subterraneæ abyssi altitudine. Quod quidam Interpretes, ut Hugo, ad Dei Matris virtutes, gratiam & gloriam transferunt, quæ omnem mensuram longè superant.

Maria abyssus gratiæ.

Ceterùm veriùs dixeris Virginem Matrem similiorem esse abysso illi maximæ sive profundo, sive fundo, de quâ dicitur Genesis 7, ℣. 11 : *Rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ* sive profundissimæ illius aquarum voraginis quæ in infinitum sub terram depressa est.

Et eò respexisse videtur S. Ioan. Damascen. cum Virginem vocat *gratiæ abyssum.* Sicut enim vastissimus ille gurges, & stagnum subterraneum omnes aquas absorbet & intra se continet, nec regurgitat aut effluit : ita Dei Mater omnes gratias, quas indies, dum viveret, uberiores recipiebat, tamquam spiritualis abyssus animæ suæ recessibus stringebat, nec umquam vel superbiæ flatu intumescebat, vel vanitatis spiritu inflabatur.

Videat Lector S. Bernardum sermone 45 in Cantica, ubi explicat illa verba Canticorum 1, *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es* : Hæc autem habet inter cetera ad nostrum institutum pertinentia, statim post initium sermonis : *Quæramus*, inquit, *geminam animæ pulchritudinem : hoc enim mihi videtur innuere. Decor animæ humilitas est. Non à me ipso hoc dico, cùm Propheta prior dixerit : Asperges me hyssopo, & mundabor : humilitatem significans. Hac se posit gravem lapsum Rex & propheta lavari confidit, & sic niveum quemdam innocentiæ recuperare candorem. Verum in eo qui graviter peccavit, etsi amanda, non tamen admiranda humilitas. At si quis innocentiam retinet, & nihilominus humilitatem jungit : nonne is tibi videtur geminum animæ possidere decorem ? Sancta Maria sanctimoniam non amisit, & humilitate non caruit : Et ideo concupivit Rex decorem ejus, quia humilitatem innocentiæ sociavit. Denique respexit, inquit, humilitatem ancillæ suæ.* Et paulo post. *Merito admiranda, cui sanctitas amissa humilitatem non ablulit, sed servata*

Prædicatur à S. Bernardo Mariæ humilitas.

199. Hyssopus humilitas.

ta admisit. Rara avis in terris aut sanctitatem non perdere aut humilitatem sanctimoniâ non excludi, & ideo beata quæ utramque retinuit. Sic S. Bernardus.

Item à S. Ildefonso.

Solerter de ejusdem virginis humilitate mihi pronuntiasse videtur B. Ildefonsus Sermone 2 de ejusdem Assumptione: *Virgo*, inquit, *solam sibi vindicat humilitatem ancillæ, quæ Mater Salvatoris ab Angelo veneratur: nec tamen eamdem humilitatem a se aliquid esse dixit; sed quia Altissimus eam respexit, & acceptam sibi fecit; ideo beatam me dicent omnes generationes.* Ita ille.

Rursus à B. Ambrosio.

Præclarè etiam S. Ambrosius: lib 2 in Lucam in verba virginis: *Ecce ancilla domini: Ancillam*, inquit, *se dicit Domini quæ mater eligitur, nec repentino exaltata promisso est; simul ancillam decendo, nullam sibi prærogativam, tantæ gratiæ vindicavit, quæ faceres, quod juberetur: mitem enim humilemque paritura, humilitatem debuit etiam ipsa præferre.* Tanum ille.

Iterum à S. Bernardo.

Addamus iterum aliquid ex S. Bernardo, qui ubique magnus est prædicator & admirator hujus in Virgine humilitatis. Sic ergo scribit Sermone 4 de ejus Assumptione. *Quanta*, inquit, *& quam pretiosa virtus humilitatis cum tantâ puritate, cum innocentiâ tantâ, cum conscientiæ prorsus absque delicto, immò cum tantæ gratiæ plenitudine? Unde tibi humilitas & tanta humilitas, ô beata? Digna planè quam respiceret Dominus, cujus decorem concupisceret Rex, cujus odore suavissimo ab æterno illo paterni sinus attraheretur accubitu. Vide enim quam manifestè sibi concinant virginis nostræ canticum & nuptiale carmen; nimirum cujus uterus sponsi thalamus fuit. Audi Mariam in Evangelio: Respexit, inquit, humilitatem ancillæ suæ, eamdem in Epithalamio: Cùm esset Rex, inquit, in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. Nardus quippe herba humilis est, & pectus purgat, ut manifestum sit humilitatem nardi nomine designari, cujus odore decor invenerit gratiam apud Deum.* Hæc ibi.

200. Nardus symbolum humilitatis.

Notum est solvere alicujus calceamenta esse symbolum humilitatis, eò quòd infimam hominis partem, quæ terram premit, contegant.

Solvere vel osculari calceamenta symbolum humilitatis.

Certe Mardochæus noster hic cap. 13 ℣. 13, dum ostendere vellet se paratum esse ad infimum servitium & obsequium Amano præstandum si gloria Dei vel commune bonum id postulasset, his utitur verbis: *Libenter pro salute Israel etiam vestigia pedum ejus deosculari paratus essem.* Plures autem viri docti, ut Serarius, Sanctius, & alii, vestigia pedum accipiunt per Metonymiam (quia ex effectu causa intelligitur) id est partes infimas calceamentorum, vel ipsum calceorum solum, quod plantas munit, & terram calcat.

Solebant autem olim supplices & servi Regum non modò genua amplecti, aut calceorum partem superiorem basiare, sed etiam infimas soleas, quæ terram premunt & luto fœdantur, osculis tangere, & diffluviari.

Non dubium est, quin idem voluerit Christi sanctissimus Præcursor cùm Ioan. 1 vers. 27 de Christo loquens ait: *cujus non sum dignus, ut solvam ejus corrigiam calceamenti*, vel, ut Marcus & Lucas habent, *calceamentorum*, quod Cyril. lib. primo in Ioan. cap. ultimo, & Chrysostom. homil. in Matth. 11, exponunt: Non sum dignus, ut ei serviam vel in vilissimis obsequiis. Sed in viam unde digressi sumus, redeamus.

201. Sandalia & calceamenta Dei matris.

Habuit & Regina nostra sandalia vel calceamenta pulcherrima mirique decoris, formâ & ornatu suo multum illa Iudithæ excedentia; de quibus tamen dicitur Iudith 16, 11; *Sandalia ejus rapuerunt oculos ejus*, Holofernis scilicet animum suâ elegantiâ & specie adamarunt.

His calceata magnifico incessu gradiebatur Dei Mater, ita ut ipse cœlorum Rex eam procedentem obstupuerit. Sic enim legis Cantic. 7, ℣. primo: *Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia principis.*

Humilitas in illis verbis apparet *Ecce ancilla*, &c.

Regia hæc principis filiæ virtus amore sui ita Regis æterni animum rapuit; cùm quasi in sandalis omni lapide pretiosò coopertis incedens, hæc aurea verba pronuntiaret: *Ecce Ancilla Domini*: ut statim regali sede exiliens in ejus uterum descenderet carnem ex ea assumpturus. Quo intendisse videtur S. Bern. sermone 1 super Missus, cum ait: *Etsi ex virginitate placuit, ex humilitate tamen concepit.*

202. Aurei & gemmei Romanorum calcei.

Lego olim Cæsares Romanos calceis usos gemmis intertextis lucentibus, ut Diocletianum, Heliogabalum & alios. Nec hoc incredibile videatur cùm Plinius hæc scribat de Poppæâ lib. 33 cap. 11: *Nostrâ*, ait, *ætate Poppæa conjux Neronis Principis delicatioribus jumentis suis soleas ex auro quoque induere solebat.* Si jumenta sua auro, an non seipsum gemmis & smaragdis calceabat femina in luxum prodiga? Romanis certè albi calcei usitati, uti hodie plerisque, ut Spartianus in Alexandro; quin etiam coccinei & rubentes ex pellibus Sardinis confuti, maximè Imperatoribus. Adde illos lunatos gestasse in nobilitatis insigne, ut Plutarch. testatur Problemate 76. Iuvenalis Satyra 7,

& nobilis & generosus,
Appositam nigræ lunam subtexit alutæ,

Vnde & ipsorum nobilitas in astragalis sita ferebatur. Longè splendidiora fuere sandalia filiæ Principis lunatis Romanorum calceis nobilitatis symbolis.

203. Dei mater Lunâ calceata quid significat?

Siquidem & ipsa à Ioanne (ut multi Patres explicant,) calceata in cœlo visa fuit Lunâ non scorteâ, aut etiam candidâ, purpureâ, aut coccineâ, sed lucidâ & planè aureâ, quam tamen pedibus premit, hoc symbolo indicans se humilitatis vestigio omnem vanitatem & inconstantiam rerum sublunarium subjectam sibi habere, Romanam etiam nobilitatem, supercilium, & arrogantiam principum hujus sæculi plantis regalis despicientiæ submissionis conculcare.

His generosi & regii animi gressibus incedens gemmatos ridet calceos, contemnit aureas soleas. Quantoq; magis hic in terris agens mundi magnificentiam, fastumque omnem despexit, tanto magis cœlesti altitudini appropinquavit, & dum humanam gloriam calceamentis vel ræ modestiæ fugit, in cœlo sole amicta apparuit.

VERSVS XXI, XXII, & XXIII.

Eo igitur tempore, quo Mardochæus ad regis januam morabatur, irati sunt Bagathan, & Thares duo eunuchi regis, qui janitores erant & in primo palatii limine præsidebant: voluerunt que insurgere in regem, & occidere eum.

Quod Mardochæum non latuit, statimque nuntiavit reginæ Esther: & illa regi ex nomine Mardochæi, qui ad se rem detulerat.

Quæsitum est, & inventum: & appensus est uterque eorum in patibulo. Mandatumque est historiis, & Annalibus traditum coram rege.

Narrantur autem eadem postea cap. 12 ex Græco textu his verbis.

CAP. XII.

1 *Morabatur autem eo tempore in aulâ regis cum Bagatha & Thara eunuchis regis, qui janitores erant palatii.*

2 *Cumque intellexisset cogitationes eorum, & curas diligentiùs pervidisset, didicit quòd conarentur in regem Artaxerxem manus mittere, & nuntiavit super eo regi.*

3 *Qui de utroque, habitâ quæstione, confessos jussit duci ad mortem.*

4 *Rex autem quod gestum erat, scripsit in commentariis: sed & Mardochæus rei memoriam litteris tradidit.*

5 *Præcepitque ei rex, ut in aulâ palatii moraretur, datis ei pro delatione muneribus.*

6 *Aman verò filius Amadathi bugæus erat gloriosissimus coram rege, & voluit nocere Mardochæo & populo ejus pro duobus eunuchis regis, qui fuerant interfecti.* Hæc ibi.

Horum explicationem, & concordiam utriusque textus Hebræi & Græci in caput 12 deferimus, ne eo loci nihil dixisse, hic verò superefluerè videamur.

Allegoria hujus capitis ex Hugone de Sancto Victore suprà.

REpudiatâ Vasthi, id est, Iudæâ, quæsitæ sunt puellæ speciosæ. Diversi ex diversis partibus mundi ad consortium regiæ societatis per prædicatores adducuntur, & sub manu Egei (qui festivus interpretatur) traduntur, id est, committuntur pastoribus, quibus fidelitũ custodia datur; ut verbo & exemplo ministrent, quidquid ad cultum pietatis necessarium viderint. Quicumque rectâ fide & conscientiâ purâ Regi Deo placuerit, ad ipsum ingredietur repudiatâ Vasthi. Multæ puellæ sunt quæsitæ & adductæ, sed una eligitur, una coronatur, quia universæ Ecclesiæ fidelibus una fides, unum baptisma, unus Deus & Pater omnium, ad Ephes. 4. Ornamenta puellarum sunt cultus sanctarum animarum. Esther interpretatur absconsa, Edissa misericordia. Hæc est gentium Ecclesia, quæ in abscondito cordis nutriens castitatem fidei, misericordiam & gratiam coram Deo invenit, repudiatâ synagogâ, quæ Osee primo vocatur absque misericordiâ. Hanc nutrit Mardochæus & adoptat in filiam, qui est Doctor gentium in fide & veritate 1 ad Timoth. 2: & est de stirpe Iemini, id est, Benjamin. Hanc Nabuchodonosor Rex concisionis à naturali lege & cultu unius Dei in confusionem idololatriæ transtulit; sed pietas divina ad viam veritatis per prædicatores revocavit. Placuit Esther Regi, &c. Christo placuit Ecclesia, & data est ei doctrina sana, scripturæ scientia, vita honesta: accipit septem puellas, quia fideles animas Spiritu regeneratas, atque delicatas, quæ eam sequuntur fide, doctrinâ, actione bonâ, de quibus Cantic. 1: *Adolescentulæ dilexerunt te nimis.* Esther noluit indicare patriam, quia Ecclesia bonis operibus tegit coram Deo culpam antiquam. Curam salutis Esther egit Mardochæus, & doctrinâ suâ Ecclesiæ curam agit S. Paulus, & cœtus Doctorum.

CAPVT TERTIVM.

ARGVMENTVM.

Evectus ab Assuero ad honoris præcipui fastigium super alios palatinos Amanus gravi irâ excandescit in Mardochæum, quòd ceteris omnibus regiis servis ipsi genu flectentibus solus hic eum non adoraret: quocirca & illi & toti Iudæorum genti, ex quibus ortus erat, interitum machinatur, & quasi res in promptu esset, mittit sortes in urnam, explorare volens quo mense in Iudæorum cædem grassandum foret: Cùm verò duodecimus mensis exisset, per calumniam impetrat à Rege, ut ei impunè liceat in Iudæos sævire, pollicitus decem se millia talentorum in ærarium ejus illaturum. Itaque mittit ad universas Perfidis provincias per veredarios & cursores celerrimos litteras annulo regis obsignatas, ut tertio decimo die mensis duodecimi tota Iudæorum gens ubique locorum necaretur, eorum etiam bona in prædam cederent. Hoc edicto publicè proposito Susis epulatur cum Rege Aman, Iudæi verò lacrymantur.

TEX-

TEXTVS.

POst hæc rex Assuerus exaltavit Aman filium Amadathi, qui erat de stirpe Agag: & posuit solium ejus super omnes principes, quos habebat. 2 Cunctique servi regis, qui in foribus palatii versabantur, flectebant genua; & adorabant Aman: sic enim præceperat eis imperator. solus Mardochæus non flectebat genu, neq; adorabat eum. 3 Cui dixerunt pueri regis, qui ad fores palatii præsidebant: Cur præter ceteros non observas mandatum regis? 4 Cúmque hoc crebrius dicerent, & ille nollet audire, nuntiaverunt Aman, scire cupientes utrum perseveraret in sententia: dixerat enim eis se esse Iudæum. 5 Quod cum audisset Aman, & experimento probasset quod Mardochæus non flecteret sibi genu, nec se adoraret, iratus est valde, 6 & pro nihilo duxit in unum Mardochæum mittere manus suas, audierat enim quod esset gentis Iudææ, magisque voluit omnem Iudæorum, qui erant in regno Assueri, perdere nationem. 7 Mense primo (cujus vocabulum est Nisan) anno duodecimo regni Assueri, missa est sors in urnam, quæ Hebraice dicitur phur, coram Aman, quo die & quo mense gens Iudæorum deberet interfici: & exivit mensis duodecimus, qui vocatur Adar, 8 Dixitque Aman regi Assuero: Est populus per omnes provincias regni tui dispersus, & à se mutuo separatus, novis utens legibus & ceremoniis, insuper & regis scita contemnens. Et optime nosti quod non expediat regno tuo ut insolescat per licentiam. 9 si tibi placet, decerne ut pereat, & decem millia talentorum appendam arcariis gazæ tuæ. 10 Tulit ergo rex annulum, quo utebatur, de manu sua, & dedit eum Aman filio Amadathi de progenie Agag, hosti Iudæorum. 11 Dixitque ad eum: Argentum, quod tu polliceris, tuum sit, de populo age quod tibi placet. 12 Vocatique sunt scribæ regis mense primo Nisan, tertia decima die ejusdem mensis: & scriptum est, ut jusserat Aman, ad omnes satrapas regis, & judices provinciarum, diversarumque gentium, ut quæque gens legere poterat, & audire pro varietate linguarum, ex nomine regis Assueri: & litteræ signatæ ipsius annulo, 13 missæ sunt per cursores regis ad universas provincias, ut occiderent atque delerent omnes Iudæos, à puero usque ad senem, parvulos & mulieres, uno die, hoc est, tertiodecimo mensis duodecimi, qui vocatur Adar, & bona eorum diriperent. 14 Summa autem epistolarum hæc fuit, ut omnes provinciæ scirent, & pararent se ad prædictam diem. 15 Festinabant cursores qui missi erant, regis imperium explere. Statimque in Susan pependit edictum, rege & Aman celebrante convivium, & cunctis Iudæis, qui in urbe erant, flentibus.

VERSVS I & II.

Post hæc Rex Assuerus exaltavit Aman filium Amadathi, qui erat de stirpe Agag; & posuit solium ejus super omnes principes, quos habebat.

Cunctique servi regis, qui in foribus palatii versabantur, flectebant genua, & adorabant Aman: sic enim præceperat eis Imperator: solus Mardochæus non flectebat genu, neque adorabat eum.

Hebraicè. Post verba hæc magnificavit rex Achasuerus Haman filium Hamedatha Agagæum, & elevavit eum, & prosuit thronum ejus desuper omnes principes, qui erant secum. Et omnes servi regis, qui erant in portâ regis incurvabant se & inclinabant se (genu flectebant,) ipsi Haman, quoniam sic præceperat ei (id est propter eum, vel de eo) rex, & Mardochai non incurvabat se (genu flectebat) neque inclinabat se (adorabat.)

Iosephus ad rem nostram spectantia hæc memorat. In regiam quoties Aman filius Amadathis genere Amalecita ad regem veniebat, adorabant eum omnes tam Persæ quàm exteri, idque ipsius Artaxerxis jussu. Mardochæus verò propter patriam institutionem non adorabat hominem; ille cùm hoc observasset, percontatus est cujas esset; & audito esse Iudæum, iratus exclamavit, rem indignam, cùm ingenui Persæ adorarent eum, servum istum dedignari idem facere: volensque pœnas de Mardochæo sumere, parum putavit ipsum ad supplicium deposcere, nisi gentem ejus universam perderet, quòd esset naturâ Iudæis infestus: quandoquidem Amalecitarum gens ex quâ ipse erat, à Iudæis victoribus extincta fuerat.

COMMENTARIVS.

DVbium est, quoto anno Assueri contigerit Amanum evehi ad summi honoris culmen, ita ut dignitate & loco præcederet omnes omnino Palatinos & Satrapas, ut secundus à rege diceretur; quin etiam ut regis Pater cap. 16 ỳ. 11, ab omnibus adoraretur, totius Persidis provinciis præsideret, Imperatoris voluntatem ad nutum suum flecteret.

Quoto anno contigerit Amani exaltatio.

Salianus anno mundi 3600 censet hanc exaltationem Amani contigisse anno Assueri, id est, Artaxerxis Longimani, undecimo, idque satis probabiliter. Cùm enim nuptiæ Estheræ celebratæ fuerint anno Assueri septimo & nuptiale convivium in annum ejusdem octavum excurrerit, deinde insidiæ in regem structæ fuerint, à Mardochæo detectæ, & de eunuchis reis supplicium sumptum, videtur aliquot annorum spatium inter hæc intercurrisse. Ex scripturâ nihil certi colligi potest, cum initio hujus capitis solum habeat: *Post hæc rex Assuerus exaltavit Aman.*

Modus, quo exaltatus Aman.

Exaltationis autem modus hic ponitur, cum dicitur Rex posuisse solium ejus super omnes principes quos habebat. Sic, ut observant Interpretes, *sublevavit Evilmerodachus Rex Babylonis caput Ioachini regis Iudæ de carcere. Et locutus est ei benigne: & posuit thronum ejus super thronum regum, qui erant cum eo in Babylone*, ut habetur 4 Regum 25, vers. 27 & 28, & Ieremiæ ultimo vers. 31, & 32. Similem provectionem habes Genes. 41 vers. 40 & sequentibus Iosephi, cui inter alia dicit Pharao: *Vno tantum regni solio te præcedam.* Sicut verò ibidem vers. 43 dicitur: *fecitque eum* (Pharao Iosephum) *ascendere super currum suum secundum, clamante præcone, ut omnes coram eo genu flecterent, & præpositum esse scirent universæ terræ Ægypti:* sic dicitur hîc: *Cuncti servi regis, qui in foribus palatii versabantur, flectebant genua, & adorabant Aman: sic enim præceperat eis Imperator.*

Quæ causa, cur Rex Amanum extulerit.

Cæterùm quænam causa impulerit Assuerum ut ad tantum dignitatis culmen extulerit Amanum hominem superbissimum, planè incertum est. Scimus Principum illum esse morem, etiam eorum, qui modo regnant, & hactenus regnarunt, quos prudentiâ, benevolentiâ, fide exploratos habent, ad intimæ familiaritatis penetralia adscisceere, & hoc judicatur hîc posteà c. 13 vers. 3, ubi suo in edicto ita loquitur Artaxerxes: *Vnus qui sapientiâ & fide cæteris præcellebat, & erat post Regem secundus, Aman nomine*, &c.

Ergo Amanus omnibus principibus præpositus ob sapientiam & fidem, & ita sentiunt Serarius quæst. secundâ hic, & Salianus anno mundi 3600 Longimani 11, quem miror anno ejusdem 9 Serarium adducere, quasi qui affirmet Amanum exaltatum ob fidelem operam præstitam Regi in anni 8 insidiis structis, aperiendis; quod nusquam in Serario reperi, nec crediderim umquam illius mentis fuisse, cum scriptura signatè dicat Mardochæum conjurationem illam patefecisse, imò satis insinuet cap. 12 vers. 6, Amanum illius conscium fuisse hisce verbis: *Aman vero filius Amadathi Bugæus erat gloriosissimus coram rege; & voluit nocere Mardochæo & populo ejus pro duobus eunuchis regis, qui fuerant interfecti.*

Dubium alterum est de stirpe & gente Aman, cujas esset origine & patriâ.

Tractant hanc quæstionem omnes Interpretes & in diversas abeunt sententias, ut videre est apud Serarium, quæstione primâ hîc.

1. Amani nomen significat Iniquitatem & conturbantem.

Dico itaque primo; Aman, vel ut in Hebræo est, Haman, & dignum sortitus est nomen; dicitur enim *Iniquitas*, de quo miror hic dubitare Serarium, cum ita scribit: Aman valet, si verum esset, quod Rabanus ait, iniquitatem. Sed non dubitandum de hac notione; liquidem non solum hoc Rabanus affirmat, sed & ipse Magister S. Hieronymus, cùm ita scribit ad Paulinum: *Esther in Ecclesiæ typo populum liberat de periculo, & interfecto Aman, qui interpretatur iniquitas, partem convivii, & diem celebrem mittit in posteros.* Rectè ergo non solum iniquus, sed & iniquitas καὶ ἐξοχὴν, dicitur Amanus, qui per summum scelus totum populum Iudæorum delere, quantum in se fuit, molitus est.

Ajunt quidam etiam idem valere quod *conturbans*, vel *tumultuans*, & convenienter quidem, qui totum Persarum regnum turbaverit, ut ipsemet Artaxerxes aperte ostendit cap. 16 in epistolâ sive rescripto ad omnes Persidis satrapas transmisso.

Amanus non fuit propriè Persa.

Dico 2, Licet Sulpitius Severus suâ in historiâ lib. 2. Amanum Persam dicat, censeo tamen non fuisse Persam origine, sed vel solum ita nominatum ob genus maternum, quia mater ejus fortè Persis, vel quia ipse Persiæ incola fuerit.

Quomodo enim Imperator Artaxerxes suo in Rescripto cap. 16 vers. 10, ita affirmate profiteretur: *Aman filius Amadathi, & animo & gente Macedo, alienusque à Persarum sanguine, &c. peregrinus à nobis susceptus est?* Quid manifestius dici potest? Constat ergo non fuisse origine Persam.

2. Aman fuit Macedo.

Dico 3, Probabile est fuisse Macedonem, ut patet ex jam dictis, & ex c. 9, & decimo apud Septuaginta, & ex Serario hîc. Quod intelligo cum pluribus Interpretibus hoc modo; quod Amalecitæ aliqui fortè post stragem à Saule editam in suam gentem, profugerint in Macedoniam, ibiq; etiam ex uxoribus indigenis vel aliis, liberos procreaverint, & sic forte ibi susceptus Amanus. Ita Actorum 2 ỳ. 5, dicitur: *Erant in Ierusalem habitantes Iudæi, viri religiosi ex omni natione, quæ sub cælo est:* Erant scilicet illi oriundi à Iudæis, qui tamen à regione, in quâ nati fuerant dicebantur Parthi, Medi, Ælamitæ, &c. Sic & Aman quia natus in Macedonia, Macedo erat, origine tamen Amalecita ut jam dicetur. Cajet. negat fuisse Macedonem falsâ permotus ratione, quia putat caput illud decimum sextum, ubi sic vocatur, esse Apocryphum, deinde non recordabatur 70 seniores ita illum vocare cap. 9, & decimo.

3. Fuit Aman origine Amalecita.

Dico 4, Admodum verisimile est originem duxisse Amanum ab Amalecitis. Ita enim tenent, uterque Iosephus, Flavius, & Gorionides, omnes Rabbini, Thargum uterque, & cum illis

lis Rupertus lib. 8 de victoriâ Verbi Dei cap. 4, Lyranus hic, & Cajetan. tum hic, tum 22, q. 84, a. 2. Deinde, unus Thargum cap. 5 Amani genealogiam usque ad Esau deduxit, ut videre est apud eumdem Serarium suprà.

Dico 5, Non tamen necessariò sequitur ex eo, quod noster hic v. primo scribit Amanum fuisse de stirpe Agag, etiam fuisse Amalecitam, vel contrà, ex eo quod plures asserant cum Fl. Iosepho illum fuisse Amalecitam, etiam consequenter infertur illum ortum ex progenie Agag Regis Amalecitarum, quem cepit Saul 1 Regum 15 & occidit Samuel.

Non tamen necessariò ex stirpe regis Agag.

Primum probatur; quia Hebraicè hîc ℣. 1, tantùm dicitur fuisse Hagagæus, &, ut noster habet cap. 8 ℣. 3, *Agagita*, fortè ita nominatus à loco aliquo, ut inquit Cajetanus vel ex stirpe alicujus Agag, ut noster hic accepit, qui tamen non necessariò fuit Amalecita, vel ipsorum rex Agag à Samuele confectus. Interim Septuaginta illum vocarunt Bugæum vel Vgæum pro Agagæum, ut & Latinus cap. 12 ℣. 6 hîc, de qua voce postea.

Secundum satis per se constat. Siquidem plures præferre potuerunt nomen Agag, quo vocatus est Rex ille Amalecitarum tempore Saulis, non solum in gente illa & regione, sed etiam in alus populis & terris. Sic, ut ait Serarius; Non solum Rex Israel vocatus est Saul, sed alii eodem nomine ante ipsum vocati, Gen. 36, ℣. 37.

Dico 6, Dubium est, an Agag, ut ait Cajetanus hic, nomen sit nationis, an patriæ, an gentis Agag, cum dicitur hic de stirpe Agag, & c. 8 ℣. 3 Agagita, Hebraice Haagagi, vel Agagæus, vel Agagæi. Cùm autem Septuaginta hic ita habeant: *Post hæc glorificavit Rex Artaxerxes Aman Amadathi Bugæum; quo modo & noster* eum vocat cap. 12 vers. 6, videtur non malè dici illum vocatum fuisse hoc nomine à patriâ vel natione: pro quo

Nota posse τὸ βυγαῖον, diversas originationes vel derivationes sortiri.

4. Quare Amanus vocetur Bugæus.

Primò, videntur Septuaginta hoc loco c. 3, ℣. 1 illud accepisse pro de stirpe Agag, vel Agagita. Nam ex אגג Agag, sublata litterâ Aleph א fit Gog, quomodo Septuaginta Num. 24, ℣. 7 eum vocant, ubi Latinus habet; *Tolletur propter Agag, Rex ejus*, &c. Ergo ex Agag fit Gog, vel Phoch vel Gag. unde fiet Gogæus vel Gagæus, & inde Bogæus vel Bugæus: Siquidem B aliquando poni pro G, testis est S. Hieronym. lib. de locis Hebraicis, ubi Byblum apud Ezechielem in Hebræo dicit esse Gobel, unde Gyblus formari potest.

Secundò potest Bugæus non solùm esse nomen gentile, nationale, aut patrium vel generatim proprium, sed & appellativum, cui posteriori nomenclaturæ favet, quod hîc cap. 12, ℣. 6 in editione vulgatâ Romanâ vel Sixtina scribatur βουγαῖος bugæus, litterâ minusculâ, & sic significabit hominem jactabundum, Thrasonem (qualis fuit Aman, ut patet hic cap. 5 vers. 11. Vbi gloriatur de magnitudine divitiarum & gloriæ suæ.) Ajunt enim compositum esse ex βοῦς particulâ Græcâ, quæ auxesin addit, à βοῦς, bos, q. d. bovis instar, & verbo γάω, id est, glorior. Ita Eustathius Iliados Γ, sic ut βυγαῖος, sit homo arrogans, magnus gloriator. Adjicit his Serarius

Bugæus appellativè significat hominem jactabundum.

Gag Hebraicè, (unde per litteram, quæ sæpe initio poni solet, dicturque ab Hebræis Heemantica, fit Agag) tectum significare, & domus supremam partem, Iudicum 9. 2 Regum 2, Exodi 30, Deuteron. 22. Vnde Haagagi vocari potest, qui in tecto est, qui excelsus, & in fastigio quasi constitutus, & metaphoricè superbus, elatus, gloriosus; eóque alludunt fortè Hebræa, dum hic vers. 1 habent: *Rex sustulit eum, & posuit solium ejus super omnes principes*, & cap. 4 habent Græca ὑπερήφανον, superbus, & Latina cap. 13, vers. 12, superbissimus, & fortè eodem collimant Græca, cum Bugæum nominant.

Ex hactenus dictis sequitur Amanum diversâ ratione posse dici & Persam, quia matre Persâ natus, & Macedonem quia ejus pater illius gentis, & Amalecitam origine, &c.

Dubitari tertio potest, cujus conditionis fuerit Amanus, aut ordinis ante hanc promotionem ad primum à rege locum.

Si fides adhibenda Chaldaicæ Paraphrasi Manuscriptæ quæ sæpius citatur à Sanctio, dicemus illum fuisse vile mancipium emptum unâ placentulâ, adeoque hominem novum, ignobilem & obscurum. Sed fides apud illam maneat, cum multa fabuletur quæ fidem non merentur.

Credibilius est, quod habet Sanctius, illius parentes utpote Amalecitas, fuisse a suis sedibus quondam expulsos cum Idumæis, e quorum stirpe erant Amalecitæ, & in alias regiones amandatos, quod probat ex Ieremia c. 25 ℣. 21, & clarius c. 40, ℣. 7 & sequentibus usque ad 23, & ex Abdia versu 1. Hanc autem Idumeæ calamitatem accidisse anno post excisam Hierosolymam quinto auctor est Iosephus lib. Antiquitat. 10 cap. 11. Fuit ergo Amanus verisimiliter captivus & servus, sicut ipsius parentes, qui fortè à Babyloniis venditus fuit, & translatus in Macedoniam; unde & ait Artaxerxes in suo Rescripto cap. 16 hîc vers. 10 de Amano, quod *alienus fuerit a Persarum sanguine, peregrinus à nobis susceptus.* Potuit ergo extolli ad altissimum dignitatis locum quamvis servus, peregrinus, & alterius gentis, sicut Mardochæus Iudæus & captivus.

5. Amanus captivus fuit & servus.

Quia verò quidam censent Amanum eumdem esse cum Mamuchan uno ex septemviris, & regiis consiliariis, de quibus cap. primo hîc, qui etiam suasit Vasthi reginæ repudium, dici poterit non subitò Amanum à Persarum Monarchâ ad summum fastigium fuisse evectum, *ita ut pater regis vocaretur, & adoraretur ab omnibus post Regem secundus*, ut habetur infrà cap. 16 vers. 11: sed primò quidem ob prudentiam, ut videbatur, adscitum in numerum septemvirorum, regi à consiliis; tandem ob insignem ejus fidem, ad locum eminentissimum à rege secundum fuisse exaltatum. Sic contigisse videmus Mardochæo, qui primùm quidem, ut habemus cap. 12, ℣. 5, à rege jussus est in aulâ palatii morari, ut aulicus, ob fidem perspectam in detegendis regi paratis insidiis, postea verò cum cognovisset Rex illum esse uxoris suæ patruum, ad dignitatem propè regiam fuit evectus, de quo cap. 8, maximè vers. 2, & 15.

6. Paulatim ad summa evectus Amanus.

Tantum circa illa verba cap. 3 ℣. 1, hîc: *Posuit solium ejus super omnes principes quos habebat*, observa ex Barnabâ Brissonio libro primo de

regio Persarum principatu, solitos fuisse Persarũ Monarchas, eos quos honorare decreverant, primis sedibus locare, eisque secundum locum à se assignare. Sic Zorobabel 3 Esdræ c. 3 & 4 inter alia munera quæ à Dario accepit, primo solio inter Principes est honoratus. Sic enim dicit illi Darius cap. 4 v. 42: *Pete, si quid vis amplius, quam quæ scripta sunt, & dabo tibi, secundum quod inventus es sapientior proximis, & proximus mihi sedebis, & cognatus meus vocaberis.*

7. Amanus secundo à Rege loco sedebat.

Eamdem historiam refert Iosephus lib. 11 Antiquit. cap. 4: quinimo & osculum iisdem dabat Rex, ut constat Esdræ 3 cap. 4,47. Idem hic docet Feuardentius de primis subsellijs ex Xenophonte lib. 8 Pædiæ, & Plutarcho libro de pietate erga fratres, & Aben Esra in hunc locum; ubi sic scribit: *Procerum quisque sedem habebat in domo regni, id est, in regiâ. Is autem quem præcipuo honore afficere Rex cupiebat, sedem habebat regio throno propinquiorem, adeò ut secundus à Rege diceretur.*

8. Amanus ut Rex colebatur.

Sequitur versu 2 altera forma honoris, quæ Imperatore jubente delata est homini superbissimo Amano, nimirum ut more, quo Reges Persarum colebantur, & ipse honoraretur, omnesq; cum à geniculis adorarent, quem cultum ex aulicis solus Mardochæus illi magno constantique animo deferre recusabat.

Quæstio Prima.

An Persarum reges divinis honoribus culti?

9. Persarum Reges voluerunt se adorati ut Deos.

Divinitatem sibi arrogasse Persarum reges & divinis, cœlestibusque honoribus se ideo ab omnibus coli voluisse, & jussisse res testatissima est. Ad id impietatis, dicam, an insaniæ? eos impulit humanæ potentiæ fastigium. Cùm enim se aliis hominibus præposse & prævalere cernerent, se supra homines extulerunt, & superbo fastidio mortalem infirmitatem respuente in deorum censum referri imperarunt, & divinis ritibus & adgeniculationibus adorari petierunt: quin etiam eò fastus progressi sunt, ut & statuas suas coli præciperent, cujus documentum habemus apud Danielem cap. 3 in Nabuchodonosore Chaldæo: Non dubium quin reges Medorum & Persarum ut in imperium, ita etiam in ejus superbiam successerint.

Ad tantum etiam dementiæ pervenerunt, ut se crederent, tamquam Ioves illos fictitios, alios etiam mortales in Heroum vel Semideorum numerum posse cooptare, quibus perinde ac sibi, fortè tamen aliquo inferiore gradu, cultus diis dignus exhiberetur.

Tradunt hoc sacri & profani auctores & historici, quorum Catalogum hîc texunt Francisc. Feuardentius, Serarius, Tirinus, & Sanctius, Barnabas Brissonius lib. primo de regio Persarum principatu.

Clarissima tantùm & pauca testimonia hujus Persicæ vanitatis producam, ex quibus res hæc manifestè pateſcat.

Cleo Siculus apud Curtium lib. 8 cap. 12 ex Matth. Raderi distinctione, asserit, *Persas quidem non piè solum, sed etiam prudenter reges suos inter deos colere: Majestatem enim imperii salutis esse tutelam.* Hæc ille impiè & stolidè.

Hinc Persæ non solùm capita coram Rege summittebant, sed & humi corpora prosternebant, ut constat passim ex Curtio lib. 3, 5, 8.

10. Humi se Persæ coram Rege prosternebant.

Nec abludit quod Valerius libro 7. cap. 3 refert his verbis de sex Persarum Satrapis, qui Darium Hystaspidem hinnitu equi Regem nuntiatum adoraverunt: *Audito*, inquit, *equi hinnitu sex reliqui summæ potestatis candidati, continuò equis delapsi, ut est mos Persarum, prostratis corporibus Darium Regem salutarunt.* Vide Herodot. lib. 3.

Meritò Seneca lib. 2. de Beneficiis cap. 12, hunc morem Persicam vocat servitutem, quia nimirum humi strati Reges suos serviliter adorabant.

Quidam hujus cultus originem arcessunt à Cyro Monarchiæ Persicæ parente, ut Arrianus l. 4, de gestis Alexandri, & Xenophon lib. 8 de Cyri institutione, his verbis: *Cyrum curru vectum ubi omnes vidissent, adoravunt, eò quod apparatus eos stupore quodam affecisset, sive quòd proceritate & specie eminebat.*

Quis auctor hujus adorationis?

Ego verò crediderim Persarum Monarchas hunc venerationis ritum à Chaldæis & Medis regibus mutuasse. Siquidem & Nabuchodonosor Danielis 3 sibi etiam in statuâ aureâ divinos honores arrogavit, & cap. 4 supra hominem se tamdiu extulit, donec ad bruti similitudinem in terram projectus didicit suo malo excelsum in regno hominum dominari.

Postea verò ibidem cap. 6. Darius Medus edicto cavit, ut nullus alicui Deo aut homini supplicationem offerat, nisi sibi soli. Quo facto satis ostendit se reliquis diis & hominibus prælatum.

Vlterius habemus Iudith 3 vers. 13 quod Nabuchodonosor (alius ab illo, de quo Daniel, cap. 1,2,3,4) *præceperit Holoferni principi militiæ suæ ut omnes deos terræ exterminaret, videlicet, ut ipse solus diceretur Deus ab his nationibus, quæ potuissent Holoferni potentiâ subjugari.*

Sed ad Persarum Reges revertamur. Igitur Persæ Regem suum veneraturi ita se prosternebant, ut mento terram penè contingerent.

Significat hoc Martialis lib. 10 Epigrammatum 62, ubi Trajanum Imperatorem, modestiæ & comitatis laude præstantem commendat ex vituperatione Imperatoris Domitiani, qui se Dominum, Deumque dixit, & vocari imperavit, fortè etiam, ut talem adorari, utpote cujus Romani pedibus basia figerent. Sic ergo scribit Epigrammatarius:

11. Osculabantur barbari suorum Regum soleas.

Frustra blanditiæ venitis ad me,
Attritis miserabiles labellis.

Nihil, inquit, moror adulationes quondam regnante Domitiano usitatas, dum Romani ferè labia attriverunt, ipsius pedes, solumque osculando. Pergit;

Dicturus Dominum, Deumque non sum;
Iam non est locus hac in urbe vobis.

Imperante nempe Trajano Cæsarum modestissimo:

Ad Parthos procul ite pileatos,
Et turpes, humilesque, supplicesque
Pictorum sola basiate Regum:

Ablegat omnes adulationes & servilia obsequia ad Parthos, qui vel Persæ sunt, vel eorum regiones occuparunt, qui pileis præter morem Romanorum utebantur. Barbaro verò fastu ap-

pe-

petebant ipsorum reges adorari, & abjecta sibi infima quæque officia deferri, pedes osculo atteri, solumque contingi. De quo more latius infra cap. 13 v. 13. Quod autem pictos reges vocet, hæc ratio adferri potest, quod amictu, cultuque corporis purpureo, picturato, & variorum animalium figuris distincto ornarentur.

Pertinet huc quod narrat Curtius lib. 8 c. 12. *Cum Callisthenes pluribus dissuasisset ne Alexandro honores divini adderentur, missi ipse ad Hagem & Cleonem, ut barbaros tantùm, cùm locum convivii intrasset, procumbere suo more patererentur;* & paulò pòst, *quasi postrema quædam egissent convivium repetit. Quem venerantibus Persis, Polypercon, qui cubabat supra regem, unum ex his mento contingentem humum, per ludibrium cœpit hortari, ut vehementius id quateret ad terram, elicuitque iram Alexandri, quam olim animo capere non poterat. Itaque Rex, Tu autem, inquit, non veneraberis me? An tibi viri digni videmur esse ludibrio? Ille nec regem ludibrio, nec se contemtu dignum esse respondit. Tum detractum cum lecto Rex præcipitat in terram. Et cùm is pronus corruisset, Videsne, inquit, idem te fecisse, quod in alio paulò ante videbas? & tradi eum in custodiam jusso, convivium solvit.*

12. Et mento humum tangebant Persæ.

Præterea tam alte Persarum Regum animis hic fastus, typhusque insederat, ut non permitterent exterarum gentium legatis coram se negotia sua agere, nisi prius ipsos prono in terram capite curvatoque corpore adorassent. Quod si detrectarent, per interpretes agendum erat, ut liquet ex oratione Artabani ad Themistoclem apud Plutarchum in Themistocle & Æliano lib. primo Variarum cap. 21. Vide & Conon Atheniensis ab Artaxerxe repulsus est, ne cum illo ageret, quia illum adorare nolebat, teste Iustino lib. 6. & Æmilio Probo in Cononе. Turpe enim & vile Græcis videbatur, utpote in libera Repub. natis servile hoc obsequium Regibus præstare. Vnde Aristotel. 1 Rhetoricorum ad Theodecten, inter barbarica honorum genera numerat προσκυνήσεις, adorationes, & Isocrates in Panegyrico fugillat Persas, ut animi abjecti & degeneris viros, qui diis debitos honores mortali Regi tribuerent. Certè Sperchies & Bulis Spartiatæ Xerxi à suis dediti nullo metu cogi potuerunt, ut illum more Persico honorarent prout auctor est Herodotus lib. 7.

13. Legatialiorum Regum cogebantur Regem Persarum adorare.

Athenienses autem Timagoram inter officium salutationis Darium regem more gentis illius adulatum (adorantem) capitali supplicio affecerunt: unius civis humilibus blanditiis totius urbis suæ decus Persicæ Dominationi summissum graviter ferentes. Idem habet Plutarch. in Artaxerxe.

14. Græci hoc genus adorationis deferre recusabant.

Fecit tamen Themistocles, ut in ejus vita memorat Plutarchus, & alii quidam, de quibus Athenæus lib. 11.

Ismenias verò, ut Ælianus lib. 1 Variar. c. 21, & Pelopidas, ut Plutarch. in Artaxerxe, annuli in terram projecti dolo se humi prostraverunt, ut, dum eum colligunt, regem adorare viderentur.

15. Quidam dolo hanc adorationem eluserunt.

Quæstio Secunda.

Plurèsne alii Reges eosdem honores affectarunt?

ALios etiam eodem maniæ & vertiginis morbo laborasse quondam in confesso est; Et quidem Alexander Magnus (væ victori) in Persarum, à se triumphatorum, mores impellentibus eum assentatoribus aulicis primus toto pectore abiit, ut plerique omnes, qui res ejus gestas scripserunt, consentiunt historici.

16. Alexander Magnus se credi Deum voluit.

Curtius lib. 4 cap. 20: *Cum Iovis Hammonis sacerdos eum filium Iovis appellasset, accipere se ajebat & agnoscere, humana sortis oblitus.* Rursus ibidem: *Ingens cupido animum stimulabat adeundi Iovem* (Hammonem) *quem generis sui auctorem, haud contentus mortali fastigio, aut credebat esse, aut credi volebat.*

Hunc lymphaticum & superbificum Alexandri spiritum perstrinxit etiam Valerius lib. 9, c. 5. *Alexandri regis*, inquit, *virtus & felicitas tribus insolentiæ gradibus exultavit evidentissimis. Fastidio enim Philippi, Iovem Hammonem patrem adscivit: tædio morum & cultus macedonici vestem & instituta Persica assumpsit: spreto mortalis habitu divinum aucupatus est. Nec fuit ei pudori filium, civem, hominem dissimulare.*

Sed de his audiendus Curtius lib. 8. cap. 12: *Alexander omnibus ad iter Indicum præparatis, quod olim prava mente conceperat, tunc esse maturum ratus, quomodo cœlestes honores usurparet, cœpit agitare. Iovis filium non dici tantùm se, sed etiam credi volebat, tamquam perinde animis imperare posset ac linguis. Itaque more Persarum macedonas venerabundos ipsum salutare prosternentes humi corpora. Non deerat talia concupiscenti pernicioſa adulatio perpetuum malum regum, quorum opes sæpius assentatio quam hostis evertit. Fuere hi Hages quidam Argivus, & ex Sicilia Cleo, qui cœlum illi aperiebant, Herculemque & Patrem Liberum, & cum Polluce Castorem novo numini cessuros esse jactabant. Cleo sermonem in convivio cum admiratione laudum ejus instituit, merita etiam percensuit, quibus uno modo referri gratiam posse, si quem intelligerent Deum esse, confiterentur, exiguâ thuris impensâ tanta beneficia pensaturi.* Sic ille adulator cum aliis Alexandrum Deum pronuntiat; sed illi Callisthenes maximo animo obnuntiat; cujus oratio æquis auribus à Macedonibus senioribus præcipuè audita.

Hæc Alexandri superbia una ex præcipuis causis fuit, cur nobiles in ipsius necem conspirarent.

Excipiat Lector quædam ex defensione Hermolai unius ex conjuratis apud Curtium l. 8 c. 15. *Persarum*, inquit, *te vestis, & disciplina delectat, patrios mores exosus es. Persarum ergo, non Macedonum Regem occidere voluimus, & te transfugam belli jure persequimur. Tu Macedonas voluisti genua tibi ponere, veneratique te, ut Deum. Tu Philippum patrem aversaris, & siquis Deorum ante Iovem haberetur, fastidires etiam Iovem. Miraris si liberi homines superbiam tuam ferre non possumus? Quid speramus ex te, quibus aut insontibus moriendum est, aut quod tristius morte est, in servitute vivendum?* Hæc ille.

Nec tulit hunc typhum Callisthenes Aristotelis auditor, de quo breviter Valer. lib. 7 cap. 2. *Callisthenes, dum Alexandrum Persicâ Macedonum salutatione gaudentem objurgat, & ad majorum mores invitum revocare perseverat: spiritu carere jussus.* Vide Curtium suprà, Plutarchum in Alexandro, Iustinum lib. 15, Laërtium in Aristotele.

Meminit & Virgilius Æneidos sexto vers. 585 cujusdam Salmonei Æoli filii, qui honores

res Deorum sibi deposcebat, dum ita canit:

17. Salmoneus etiam honores divinos sibi poposcit.

Vidi & crudeles dantem Salmonea pœnas,
Dum flammas Iovis, & sonitus imitatur Olympi.
Quatuor hic invectus equis, & lampada quassans
Per Grajûm populos, mediæque per Elidis Urbem
Ibat ovans, Divumque sibi poscebat honorem:
Demens, qui nimbos & non imitabile fulmen
Ære & cornipedum cursu simulabat equorum.

Vide Iacobi Pontani Symbolas in illum locum. Nec defuerunt Romani Imperatores, qui simili œstro & furore correpti hoc venerationis genus sibi præstari voluerunt.

Pauca recenseo de C. Cæsare Caligulâ ex Tranquillo in vitâ, ubi sic scribit cap. 22. *Hactenus quasi de principe,* (moderato,) *reliqua, ut de monstro* (omnibus sceleribus corruptissimo) *narranda sunt. Caligula admonitus* (ab assentatoribus) *& Principum & Regum se excessisse fastigium, divinam ex eo majestatem asserere sibi cœpit, datoq; negotio, ut simulacra numinum religione & arte præclara, inter quæ Olympici Iovis, apportarentur è Græciâ, quibus capite dempto suum imponeretur* (imponeret) *partem Palatii ad forum usque promovit, atque ædi Castoris & Pollucis in vestibulum transfiguratâ, consistens sæpe inter fratres deos medium se adorandum adeuntibus exhibebat. Et quidam eum Latialem Iovem consalutaverunt, Templum etiam Numini suo proprium, & hostias excogitatissimas instituit. In templo simulacrum stabat aureum iconicum, amiciebaturque quotidie veste quali ipse uteretur.* Sic monstrum illud Cæsaris supra hominem insaniit.

18. Item C. Caligula.

19. Et Domitianus.

In horum dementatorum Cæsarum numerum adlegendus etiam Domitianus qui auctore Suetonio in ejus historia cap. 13, *Magnâ arrogantiâ cum Procuratorum suorum nomine formalem* (quâ aliquid statuebatur) *dictaret epistolam, sic cœpit; Dominus & Deus noster sic fieri jubet. Unde institutum posthac, ut ne scripto quidem ac sermone cujusquam appellaretur aliter. Statuas sibi in Capitolio non nisi aureas & argenteas poni permisit,* &c. Sic etiam de eo Victor: *More Caligulæ Dominum sese, Deumque dici coëgit.* Et Martialis egregius assentator: *Edictum Domini, Deique nostri.* Quin & Palladis se filium dici voluit, ut auctor est Philostratus lib. 7.

20. Rursus Heliogabalus & Commodus.

Heliogabalus, ut scribit in vitâ Lampridius, se solum Romæ pro Deo honorari contendit, & omnium aliorum deorum cultum per orbem extinguere adlaboravit.

Imperator Commodus, ait Herodianus, *eò insaniæ progressus est, ut paternum cognomen repudiaret ac pro Commodo Marci filio, Herculem se Iovis filium jusserit appellari.*

De Diocletiano intolerabili impietatè pa[illegible] dixisse sufficiat.

Diocletianus post triumphum de Persis actum, tantam felicitatem capere animo non potuit; siquidem moderatione prorsus in superbiam versâ, eò usque insolentiæ processit, ut se posthac, mortalitatis oblitus, tamquam Deum adorari, voluerit. Nam projicere se homines humi venerabundos, atque osculum pedibus figere pati cœpit, & gemmas vestibus, calceisque inseruit, cum ante ipsum omnes Imperatores consulari tantum salutatione contenti fuissent, & solam chlamydem purpuream privato habitui adjecissent. Sed non indormiit Dei ira tantæ arrogantiæ & impietati, sed manum suam in illum exercruciandum extendit. Siquidem toto primùm corpore tumorem ingentem concepit: quo deinde variè disrupto lentè ita emarcuit, ut blasphema ejus & impia lingua, quæ iniquitatem in altum evomuerat, intra fauces ipsas vermium vim proferret, qui ex ore illius prorepentes fœtore pessimo locum habitationis omnem replebant. Postremò autem more canis, quam maximè latrans, sceleratam & nefariam cum violentiâ quadam exhalavit animam. Videat Lector Cardinal. Baronium tomo 3 anno 316 sub initium, ubi profert Eusebium lib. 8 cap. ultimo, Eutropium lib. 9 in fine, & Cedrenum in Compendio, qui scribit illum extremo spiritu hæc verba edidisse, *Væ miserabili mihi, digno qui lugeat: quam justas meorum in Christianos impiorum conatuum pœnas pendo!* Vide etiam Nicephorum l. 7, c. 20, Et Eusebium in Chronico.

21. Diocletianus, ut Deus voluit adorari, & ideo à Deo vero graviter punitus.

Quæstio Tertia.

Quæ causa Mardochæo fuit, ut adorare Amanum constantissime recusaret?

Quæstio hæc ab omnibus ferè Theologis, & interpretibus agitata fuit, nescio tamen an plene & plane expedita.

22. Mardochæus non detrectavit civilem honorem Amano deferre.

Certum videtur Mardochæum virum prudentiâ insigni præditum, Regi carissimum, fidelissimum, obsequentissimum, salutis Iudæorum studiosissimum non detrectasse honorem civilem, urbanitatis & elegantiæ aulicæ consuetum Amano secundo à rege deferre. Indicium enim illud fuisset magnæ incivilitatis, cùm probè sciret hanc honorariam venerationem licitam esse, debitam regibus, & iis, quos ipsi eo ritu observari & coli jussissent, usurpatam etiam suâ in gente à viris religione & sanctitate, præstantissimis. Præterea magnæ illud pervicaciæ fuisset, & singularis arrogantiæ recusare id genus politici honoris, quem omnes Palatini jussu Imperatoris Amano exhibebant. Denique quis sibi persuadeat adeo nihil penti habuisse Mardochæum commune Hebræi populi bonum, ut, ne Amanum honore præcepto & licito prosequeretur, præsentissimo exitio illum sponte objiceret? An non Imperator? an non Regina illius neptis ob tantam contumaciam & proterviam justâ irâ exarsissent? An non Iudæi, mille diris illum devovissent, lapidibus obruissent, vel Amano excarnificandum tradidissent, utpote qui totius gentis salutem gloriæ suæ, & voluntati propriæ posthabuisset?

23. Amanus sibi deposcebat honores divinos.

Statuendum itaque est honores divinos Amanum sibi deposcisse, regios videlicet, & tales, quales Imperator illi exhiberi præceperat.

Diximus autem quæstione prima Persarum reges non solùm sibi postulasse cultum divinum, sed etiam Palatinis, quos evehere ad summa volebant, eosdem honores exhibere decrevisse.

24. Divinos honores deferre Amano Mardochæus noluit.

Igitur asserimus Mardochæum virum religiosissimum Amano homini superbissimo divinos honores deferre noluisse.

Res hæc adeò manifesta est, ut mirer illam à quibusdam negari. Ipsemet Mardochæus in oratione suâ ad Dominum hoc protestatur his verbis cap. 13. ℣. 12, 13, 14. *Cuncta*, inquit, *nosti, & scis, quia non pro superbiâ, & contumeliâ, & ali-*

& aliquâ gloriæ cupiditate fecerim hoc, ut non adorarem Aman superbissimum. Libenter enim pro salute Israel etiam vestigia pedum ejus deosculari paratus essem: sed timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, & ne quemquam adorarem excepto Deo meo. Ita ipse. Hanc sententiam tenet S. Thomas 2.2. q. 84. a. 1 ad primum, Liran. hic, & Mariana, qui notat hic latriæ cultum etiam opere externo distingui ab aliis adorationum generibus: alioqui Mardochæus stulte detrectasset hõnorem illum deferre, quem sola mens potuit corrigere. Hoc autem omnino verum videtur fuisse apud Persas, qui coram rege humi corpora prosternebant; alias in scriptura idem adorationis genus Deo tribuitur & hominibus; quod sola intentio interior distinguit, & determinat ad politicum & sacrum, ad latriã vel duliam, &c. Ita etiam Stephanus Menochius, qui hoc colligit ex versu 4 hîc, ubi dicitur Mardochæo; *dixerat enim eis se esse Iudæum:* idemque volebat eos intelligere se religione impediri ne Amanum adoraret, quæ responsio conformis est Iosepho, qui ait Mardochæum noluisse Amanum adorare propter patriam institutionem, sive legem, ne Persæ offenderentur rati eum ex animi tumore regiis mandatis non obsequi; cùm solùm id genus officii non deferret, patriâ religione id prohibente, quæ tamen politicam adorationem numquam vetuit, immo probavit, & confirmavit exemplo sanctissimorum virorum Abrahæ, Isaac, Iacob. vide Genes. 23 ℣. 7. rursus cap. 27 ℣. 29, item c. 33 ℣. 3. Sic Patriarchæ Iosephum fratrem suum, à Pharaone exaltatum & à se secundum adoraverunt Genes. 50. ℣. 18. David etiam pari honore afficit Saulem 1 Regum c. 24 ℣. 9 Hunc ergo honorem non negavit Mardochæus, quem poterat & debebat Amano exhibere. Ita, etiam sentiunt hîc Iacobus Gordonus, Tirinus, Sanctius, Serarius, Feuardentius, & ante eos Carthusianus, Rupertus lib. 8 de victoriâ verbi Dei c. 8, & Severus lib. 2 historiæ hisce verbis: *Aman æquatum sibi Assuerus adorari more regum præceperat. Id Mardochæus unus ex omnibus facere fastidiens, odia Persæ in se graviter accendit.* Hæc Severus.

Alii quidam minus probatas rationes comminiscuntur negati Amano honoris à Mardochæo. Primò itaque Burgensis, & Cajetanus hîc, quos sequitur Gulielmus Estius Annotationibus in loca difficiliora scripturæ, dicunt nullam occurrere magis consentaneam causam, cur Mardochæus noluerit adorare Amanum, quàm odium inter Iudæos & Amalecitas, quod Deus præceperat Deuteron. 25 ℣. 17: *Memento quæ fecerit tibi Amalec in viâ, quando egrediebatis de Ægypto &c.* & ℣. 19: *Cum ergo Dominus Deus tuus dederit tibi requiem, & subjecerit cunctas per circuitum nationes, in Terra, quam tibi pollicitus est, delebis nomen ejus sub cælo. Cave ne obliviscaris.* Signum autem, inquit Cajetã. quod ex hac inimicitiâ procederet hæc irreverentia, colligitur ex cap. 5 ℣. 9, ubi nec civilem quidem honorem Amano exhibuit Mardochæus, quia dicitur non solùm Amano non assurrexisse, sed ne quidem motus de loco sessionis suæ: (assurgere verò non erat divinus honor,) consequens ergo erat illud fieri ex odio Amani, præsuppositio mandato generali Regis cum tot sociorum monitionibus.

Sententia quorundam qui dicũt Mardochæum honorem Amano deferre noluisse quia erat Amalecita.

Ad illud verò quod dicit Mardochæus c. 13, ℣. 14: *Timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem*; responderet Cajetan. caput illud esse Apocryphum; Estius verò sic explicat: Timui ne viderer honorem Dei mei, per transgressionem ejus præcepti Deuteron. suprà, vel in speciem violasse.

Sed hæc opinio multis modis refelli potest. Primò, quia tamquam indubitatum asserit, quod probandum erat, scilicet Amanum fuisse Amalecitam, quod scriptura nusquam dicit, solum enim ait illũ fuisse ex stirpe Agag, vel Agagitam, quod potest esse nomen patrium, & gentile, vel proprium alicujus è majoribus Amani, non verò necessariò regis Amalecitarum, ut in Commentario explicamus. Refutatur illa opinio.

Secundò; clarè insinuat cõtrariũ Mardochæus jam sæpius productis verbis ex c. 13. 12, præsertim ubi fatetur non ex superbiâ & contumeliâ & aliquâ gloriæ cupiditate hoc fecisse, ut non adoraret Aman, sed ne honorem Dei transferret ad hominem, & ne quemquam adoraret, excepto Deo. Vbi non agit de transgressione alicujus legis positivæ ut est illa Deuteronomii, sed de idololatriâ, quâ præter Deum homo adoratur. Nec obstat id, quod dicitur cap. 5 ℣. 9 Mardochæus ne quidem transeunte Amano motus de loco sessionis suæ, ut scilicet illi honorem exhiberet: quia indicant illa verba obfirmatum Mardochæi animum in proposito nullum honoris signum deferendi homini superbissimo, qui cultum divinum sibi arrogabat.

Tertiò; Quia Deus loco Deuteronomii suprà, nullum præcepit odium Iudæis erga Amalecitas, sed solum eorum in terrâ exstirpationẽ ad quam re perficiendam adlaboravit Saul & Samuel 1 Regum 15, quod si quis illam excisionem odium vocare velit, dici debebit odium abominationis, non inimicitæ; quod tamen omnes pro tali habuissent, si cultum civilem Amano debitum, quem omnes præstabant, solus Mardochæus eidem negasset. Vide quæ de duplici hoc odio à nobis commemorata sunt Ecclesiastici 50 ℣. 27: *Duas gentes odit anima mea.*

Quartò, ut rectè argumentatur Serarius quæst. 3 hic, lex Deuteronomii, sive verba, sive mentem legislatoris spectes, nullo modo pertinet ad Iudæos captivos in terrâ alienâ; & illi jam satisfactum erat, ut dixi, per Saulem & Samuelem.

Altera opinio ait idolum vestibus suis in textum gestasse Amanum, quod Mardochæus adorare noluerit.

Igitur, secundò aliam hujus negatæ adorationis Amano adferunt excusationem Hebræi ferè omnes. Ajunt Amanum indutum veste Medicâ vel Persicâ pretiosâ, cui acu intertexta fuerunt ex auro & gemmis simulacra idolorum.

Chaldæus insuper addit Amanum è collo ante pectus gestasse idolum, quod quidam volunt fuisse imaginem Persarum Monarchæ, quam honoris causâ dederat præcipuo è purpuratis ab omnibus venerandam. His autem honorem visus fuisset exhibere, si Amanum adorasset; quamvis animo aliud spectasset.

Verùm conjecturâ tantùm hæc ratiocinatio nititur. Nusquam enim scriptores probati hujus moris meminerunt; qui tamen memorant regem Persarum amictum stolâ purpureâ usque ad talos demissâ, ut Iustin. lib. 12, cujus usum induxit Cyrus, ut Xenophon libro 8 παιδείας. Erat autem hæc palla multo auro, lapillisque pretiosis di-

ſtincta, ut patet ex Cicerone in Catone majore de Cyro juniore ſcribente; quæ inſuper erat variarum avium, animaliumque figuris depicta; hujuſmodi verò amictus vocantur a Plauto belluati, Græci ζωωτὶς dixerunt. Certè Curtius apparatum Darii ad bellum contra Alexandrum properantis, depingens, inter alia Darii trabeam auro ligniſque rigentem gemmis collucentem ita graphicè deſcribit lib. 3 cap. 7: *Pallam auro diſtinctam aurei accipitres, velut roſtris inter ſe corruerent, adornabant.* Similem Perſicæ ſtolam Chriſti triumphatoris ait eſſe Serarius hîc, de quo ſcribitur Apocalyp. 19. *Habet in veſtimento & in femore ſuo ſcriptum, Rex regum & Dominus dominantium*; ſicut Darius ſuâ in pallâ Phrygio opere pictum gerebat ὁ νικηϕόρος, victoriosiſſimus.

25. Palla Regis Perſarum auro diſtincta, belluata.

Non tamen eſt, hæc Hebræorum ſententia, ſiquis morem Perſarum noverit, quem nobis indicant hiſtorici, plane rejicienda. Siquidem præferebantur regibus deorum imagines, & Curtius ſuprà deſcribit currum Darii ſimulacris deorum ex auro decoratum. Quia verò hæc omnia incerta ſunt, omnino tenendum eſt, Mardochæum noluiſſe Amano cultum divinum præſtare, quem ſibi ipſi arrogabat. Sed huic communi ſententiæ meritò quis opponat: Quomodo ergo Nehemias, Eſdras Iudæi religioſiſſimis? quomodo Eſther Regina ſanctiſſima Aſſuerum vel alios Perſarum reges adoraverunt? quomodo ipſe Mardochæus ad regem jam admiſſus? quî verò poſtea, cùm in ſtatum & dignitatem Amani aſſumptus eſt, hunc honorem ſibi deferri ſuſtinuit? quod alius negat, hoc ipſe ſibi conceſſit?

Reſpondet Iacobus Tirinus hic Amanum ſuperbiſſimum popoſciſſe quidem divinos honores idque ſatis declaraſſe geſtu & verbis. Addunt etiam aliqui Mardochæum id divinâ inſpiratione etiam agnoviſſe: Perſarum autem reges ſolùm illam venerationem poſtulaſſe, cùm prodirent in publicum, vel in ſolennibus pompis (quod admodum rarò fiebat quia occultabatur perſona regis ſub ſpecie majeſtatis) non verò in privatis congreſſibus vel colloquiis.

Porrò quamvis illud conceſſum, ſicut admitto de Amano, quòd per publicum procedens, intolerabili faſtu, ut Deus adorari voluerit: conſtat tamen Perſarum reges, cùm quempiam ad aliquod negotium tractandum admitterent, prius ab eodem fuiſſe adoratos; alioquin per internuntios & interpretes illi agendum fuiſſet.

Quomodo viri ſancti potuerint eximi, ne Reges Perſarum adorarent.

Reſpondent 2 plerique omnes Interpretes, viros illos prudentiâ & religione inter Iudæos conſpicuos obtinuiſſe à regibus Perſarum, ne ipſos adorare juberentur, propoſitâ Dei ſui lege, quâ prohibebantur alium quàm Deum verum cultu ſupremo & latriæ venerari; quod facilius impetratu fuit, cùm reges illi, quibuscum verſabantur, aliquâ veri Numinis cognitione imbuti eſſent, ut fuit noſter Aſſuerus vel Artaxerxes; qui cap. 16 ℣. 16 in ſuo Reſcripto Iudæos vocat *filios Altiſſimi, & maximi, ſemperque viventis Dei, cujus beneficio & patribus & ſibi regnum eſſet traditum, & cuſtoditum.* Idem dic de Cyro ex primo Eſdræ cap. primo ℣. 2 & ſequentibus. Idem etiam ſentiendum de Dario & Artaxerxe ex eodem libro cap. ſexto.

Facilius excuſari Eſthera regina poteſt, Siquidem ignorare potuit Regem Perſarum exigere eximium illum & proprium ſupremo Numini cultum, deinde ſibi etiam perſuadere Artaxerxem nihil tale requirere à conſortè tori, & Reginâ, & quidem ſuper omnes uxores & concubinas dilectâ.

Addit Salianus viros illos ſanctimoniâ illuſtres, ipſamque Reginam Eſtheram antequam religionem ſuam Regi aperirent, & ſe Iudæos eſſe declararent, gerere ſe potuiſſe Regi genu flectendo, ſicut ceteri, & ſic neque ſibi invicem, cùm inter eos conveniſſet licitum illum eſſe cultum, neque Perſis fuiſſe offendiculo, utpote Iudaicæ legis & inſtitutionis ignaris: Latriæ enim cultus in exterioribus, maximè apud Iudæos, ferè non differt ab eo qui regibus & magiſtratibus defertur: interior autem non agnoſcitur ab hominibus; quod probat ex 4 Regum 5 ℣. 18 de Naaman Syro adorante verum Deum, cum ipſius Dominus interim Remmon Deum ſuum adoraret ipſi innixus.

Poſtremò nuſquam in ſcripturâ dicitur vel Mardochæus inſtar Amani adoratus, vel juſſus adorari; nec etiam Mardochæus, ut ex ejus indole & moribus apertiſſimum eſt, & ex ejus verbis liquet c. 13 ℣. 14, id genus cultus admiſiſſet.

Si qui Iudæi vel Regem Perſarum proſtratis humi corporibus venerati fuerunt ritu Perſico, vel etiam Amanum, ſimplicitate, candore, & bonâ fide excuſantur, cùm nihil mali in illo modo adorandi latere ſuſpicarentur. Hoc autem locum habere non potuit in homine prudentiſſimo & religioſiſſimo Mardochæo.

Parecbaſis moralis prima.

Homines viles, indigni, ſceleſti ad ampliſſimos Reipublicæ honores evecti graviſſimos ſæpe in eâdem motus excitant.

AManus homo abjectæ conditionis, captivus, ſervus, &, ut ipſe Artaxerxes in ſuo Reſcripto fatetur cap. 16 ℣. 10, *alienus à Perſarum ſanguine & peregrinus*, quinimo, ut ibidem ℣. 15 dicitur, *peſſimus mortalium*, nobis velut in ſcenâ refert aulicos illos & purpuratos, qui cùm è quiſquiliis & fece vulgi, ergaſtuliſque emerſerint, & exinde ad ſummum dignitatis gradum à principibus minus prudentibus fuerint promoti, ultra modulum ſuum ſe admetiuntur, & more ranæ Æſopicæ ita inflantur, ut penè rumpantur invidiâ & animi elatione, nec ambitioni ſuæ terminos ponant, donec quietum Reipub. ſtatum evertant, &, ut dici ſolet, cœlum terræ permiſceant: *In tantum*, inquit Artaxerxes ſuprà ℣. 12, Amanus *arrogantiæ tumorem ſublatus eſt, ut regno privare nos niteretur & ſpiritu.*

Hunc principum errorem honores conferentium indignis deplorat Eccleſiaſtes cap. decimo ℣. 5: *Eſt malum quod vidi ſub ſole quaſi per errorem egrediens à facie principis.* Et ℣. 6: *Poſitum ſtultum in dignitate ſublimi, & divites ſedere deorſum.* Et ℣. 7: *Vidi ſervos in equis, & principes ambulantes ſuper terram quaſi ſervos.*

Hæc verò notio verborum Salomonis eſſe videtur: Maxima rerum perturbatio cernitur, cùm principes errore vel culpâ ſuâ, vel præter mentem ſuam decepti, honorifica Reipub. munia homi-

26. Stulti in dignitate, servus in equo, quid?

hominibus vilissimis & sceleratissimis deferunt: Cùm cauda attollitur in caput, pedes assurgunt in verticem; cùm servi dominatum exercent in liberos & nobiles, sapientibus stulti leges & edicta præscribunt. Pedes, teste Ioan. Pierio Hieroglyphic. lib. 39 servorum & vilium testera sunt, tum quia abjectissima ministeria illis præstanda committuntur, tum quia, quæ perperam egerunt, compedum pœnâ plectuntur: unde est illud Psal. 104 ℣. 17 & 18: *In servum venundatus est Ioseph: humiliaverunt in compedibus pedes ejus.*

27. Pedes symbolum sunt servorum.

Non fœdior Metamorphosis cernitur in naturâ cùm pedes in caput transformantur, illâ in moribus inversione, cùm vel conditione vel ingenio & vitio suo servi in regno vel Repub. dominantur. Ità *vasa testea opus manuum figuli, Samiæ terræ*, lebetes & ollæ versâ vice mutantur in aureas phialas, crateres gemmeos. Sunt cacabi, & hujusmodi, apud sacros & profanos scriptores symbola servitiorum ad infima officia deputatorum. Sic accipias licet illud Psal. 59 ℣. 10: *Moab olla spei meæ*: id est: Moabitas spero mihi fore servos, illos regno Iudæ subjiciam, ut mihi serviant tamquam lebetes & pelves lotioni pedum destinatæ. Et hic sensus ex sequentib. colligitur.

28. Item cacabi & ollæ.

Tales meritò dicuntur à Salomone *stulti positi in dignitate sublimi*, quia illo loco indigni, cùm instar Lunæ mutentur, nunc pleni ambitionis spiritu, nunc odio & invidiâ contracti, ut Amanus. De illis scribit Massiliensis eruditissimus Antistes sub initium lib. 4 de Gubernatione Dei: *Quid est aliud principatus sine meritorum sublimitate, nisi honoris titulus sine homine? Aut quid est dignitas in indigno, nisi ornamentum in luto?* Hæc Salvianus.

29. Honoris titulus sine homine.

Quis autem dives deorsum sedens nisi claris ortus natalibus Mardochæus, sapientiæ & virtutum dives, sacco tamen indutus, & cinere aspersus caput?

Rursus hujusmodi viles animæ dicuntur *servi in equis*, supra; in quem locum ita commentatur S. Hieronymus, *ut qui sunt servi vitiorum atque peccati, sive tam humiles, ut servi ab hominibus computentur, subitâ a diabolo dignitate perflati vias publicas mannis terant*. Sic ille.

Clarè perspicit graphicè hîc depingi Lector Amanum, dum servilis genii & ingenii homulus, imi subsellii mancipium, animali generoso & honoris cupidissimo insidere describitur & inequitare.

30. Homines viles ad honores evecti insolescunt.

Nihil testatius est quàm servos, & abjectæ conditionis homũculos ad fastigiũ gloriæ provectos insolescere, impotenter dominari, ferre neminem: cùm nec sapientiâ, nec virtute, nec nobilitate præstent, quibus populi amorem sibi concilient, terrore, minis, fastu quidlibet extorquere. Sicut dum crassi vapores, densique halitus à sole in sublime evehuntur, existunt tonitrua, absistunt & emicant è nubibus fulgur, quibus terra exuritur, mare desœvit, mortalium pectora contremiscunt: ita filiis terræ obscuris & ignobilibus, tantum vero ob scelera sua illustribus in altum elatis, in Repub. motus ingentes excitantur, animi populorum turbantur, terræ cœlum quodam modo miscetur.

31. Regna homines viles perturbant, ut tonitrua & fulgura aërem.

Quid orbis mali non formidet à tanto malo? Non dubito quin Numinis ira talia in lucem morum proferat monstra. Semper mihi prædicandus venit Adrianus Imperator apud Dionem Cassium, qui cum vidisset servum suum medium inter duos senatores ambulantem, misit qui illi colaphum impingeret, & ei oggereret: *Nos inter eos ambulare, quorum adhuc potes servus esse*: simul senatoriæ dignitati consulens, & servi castigans insolentiam, quam de Cæsare hero sumpserat.

32. Adriani Cæsaris factum & Apophthegma egregium.

Non desunt exempla insolentis hujus hominum ignobilium & flagitiosorum dominatus.

Et quidem in divinis oràculis primo loco mihi se offert Abimelechus natus ex concubinâ Sichemitide, Iudicum 8 ℣. 31, qui & cap. 9 ℣. 18 dicitur filius ancillæ, & eâ de causâ ℣. 14 confertur cum rhamno ligno humili. Quantâ verò impotentiâ & sævitiâ in fratres suos septuaginta debacchatus fuerit, habes ibidem ℣. 5.

33. Abimelech servus insolens.

Nominatissimus & famosissimus suâ impietate est Ieroboamus in Regum libris, qui servus dicitur fuisse Salomonis 3 Regum 11 ℣. 26. sert hic in fronte inustum hoc stigma, *Qui peccare fecit Israel.*

34. Rursum Ieroboam.

Illustrem sua facinora reddunt Herodem Antipatri alienigenam Idumæum, qui per tyrannidem occupato Iudææ regno instar truculentissimæ feræ, non modò in raptos ab ubere matrum infantes, sed in uxorem, suosque liberos desæviit, ut pluribus locis testatur Iosephus. Quid memorem Diocletianũ belluam illam cruore Christianorum saginatam & ebriam? Obscurissimo ille quidem loco natus est, Diocleâ oppido in Dalmatiâ, libertusque quondam fuit Anuloni Senatoris, de quo Vopiscus. Is ad tantum postea fastum, superbiamque evectus est, ut, auctore Sexto Aurelio Victore in Historiæ Romanæ Breviario, *primus ex auro veste quæsitâ, sertis ac purpuræ, gemmarumque vim plantis concupiverit. Quæ quamquam plus quam civilia, tumidisque ac affluentis animi, levia tamen præ ceteris: namque se primus omnium, Caligulam post Domitianumque, Dominum palam dici passus, & adorari se, appellarique uti Deum. Quis rebus, quantum ingenium esset, compertum habeo, humillimos quosque, maxime ubi alta acceserunt, superbiâ atque ambitione immodicos esse.* Hæc de illo Victor aptissime ad rem nostram.

35. Et Herodes Ascalonita.

36. Fastus & crudelitas Diocletiani hominis obscuri.

Phocas miles gregarius timidus & crudelis exercitu tumultuante Imperator salutatus, quantum sævitiæ specimen ediderit in Augustum Mauritium, Augustam uxorem, quinque filios masculos, virgines filias, plenæ sunt historiæ Cedreni, Theophanis, Nicephori, & Annales Baronii tomo 8, anno Christi 602. Semiramis, ut ex Græcorum Commentariis eruit Antonius Muretus lib. 6. Variarum Lection. cap. 17, cujusdam regii vernæ apud Babylonem ancilla fuit. Illius visæ amore adeò incaluit Ninus Assyrius Rex, ut tantùm non cum ipsius animo Babylonium regnum possideret, nec ipse quidquam illi petenti negare auderet. Semiramis hac regis indulgentiâ insolescens, unius dieculæ imperium sibi popposcit, ut liceret pro voto sceptra moderari. Rex stolidus & amore amens facilè annuit, non indebita, ut videbatur, roganti: thronum, sceptrum, diadema, satellitium, juris dicendi potestatem fecit: omnes Reginæ dicto audientes esse sanxit & voluit. Mulier voti com-

37. Item Phocæ gregarii quondam militis.

37. Semiramidis insolentia.

pos primùm quidem leviora imperare, mox graviora imponere. Ad nutum mandantis fiunt omnia. Postquam advertit ex animo suo procedere universâ, obstare sibi nihil, Ninum Regem capi, vinciri, interfici jubet. Dictum, factum. Regno & vitâ privatur Rex. Ita ex ancilla Semiramis fit Domina, ex diurno imperium diuturnum sibi parat & confirmat.

38. Nihil superbius Eutropio.

Sed nihil insolentius Eutropio eunucho, generis servilis, & corruptissimis moribus, quem ad Consulatum Arcadius Imperator evexit, qui tamen minimè dignus habitus fuit, ut Latinis Consularibus fastis adscriberetur: quin etiam postea apud Orientales isdem nomen ejus expunctum est. Habebatur enim pro monstro, ut eunuchus assuetus gynæceis summi attigeret magistratus apicem. Unde jure de eodem cecinit Claudian. libro primo in eumdem, in principio:

Omnia cesserunt eunucho Consule monstra.
Hen terræ cœlique pudor! Trabeata per urbes
Ostentatur anus, titulumque effeminat anni.

Hic pro arbitrio habenas moderabatur imperii, adeóque eminebat, ut in ipsum potius quàm in Arcadium conversi essent omnium simul cum oculis animi honorum cupidi.

Aureæ statuæ ipsi passim collocabantur, & ædificia splendidiora Constantinopoli exstruebantur. Terra ipsa contremiscere videbatur servo & eunucho ad culmen Consularis Majestatis clato. Hinc præclarè de eodem suprà Claudian.

Asperius nihil est humili, cum surgit in altum:
Cuncta ferit, cum cuncta timet. desævit in omnes
Vt se posse putet. Nec bellua terrior ulla est
Quam servi rabies in libera colla furentis.

Enimverò adjunctâ potentiæ sævitiâ tamquam Phaeton totum planè Orientis inflammavit Imperium. Vidit & passus est omnia ejus scelera luminum Pater, quamdiu homo profanus sacris se non immiscuit: at ubi miseros ad Ecclesiarum asylum confugientes ferox ejus impietas abstraxit, & immunitatem violavit, vindictæ suæ fulmina in Eutropium Orientis facem vibravit.

39. Phaeton Orientis Eutropius.

Constant hæc omnia ex profanis, sacrisque auctoribus, quos videre est apud Baronium tomo Annalium 5. Utrinque παραλλαγὰς & comparationes, Eutropii & Amani ut colligat, Lectori studioso relinquo.

In utrumque præsagâ mente oraculum edidit Salomon Proverb. 30, v. 21 & 22:

Per tria movetur terra, & quartum non potest sustinere. Per servum cum regnaverit; per stultum cùm saturatus fuerit cibo; &c.

De Eutropio jam actum.

Quàm verò horribili motu Persicum regnum concusserit vel ortu vel saltem servili & improbâ indole servus Amanus, quam trepidationem Judæis totâ Perside dispersis intulerit, docet & hoc, & quatuor hujus Historiæ sequentia capita.

40. Quæ causa motus terræ.

Tantùm circa verba Salomonis observa, in illis similitudinem latere sumptam à terræ motu, cùm videlicet tellus nutat & contremiscit. Porrò tradunt Physici trepidationem & motum illum cieri, cùm spiritus vel halitus siccus & calidus terræ visceribus arctatus foras erumpere tentat, ut auctor est Aristotel. 2 Meteoror. c. 7.

Amanus totam Persidem commovit.

Quis verò est tumidus ille spiritus sive exhalatio, nisi servili genio, & perditissimis moribus Amanus, qui cum hypogæis & ergastulis, pistrinoque dignus esset concludi, nihilominus favore Regis quasi in auram, æremque conversus ad summa adspiravit, & dum emergere conatur, Mardochæum primùm, quasi montem sibi oppositum (ajunt enim naturæ indagatores, montes, ut plurimùm, ob cavitates & specus motu agitari) labefactare, deinde totam Judæorum gentem conquassare & evertere laboravit, nominis sui Etymon (quod notat Conturbans) volens implere. Insculptum præcordiis hujusmodi homuncionum penitissimis velim illud Ausonii, exhortatione ad modestiam:

Fortunam reverenter habe, quicumque repentè
Dives ab exili progrediere loco.

Parecbasis Moralis Altera.

Aulicorum quorundam, principumque rara animi magnitudo & constantia.

41. Purpura splendore caret, si inficiatur ab impuro.

PRodiderunt antiqui scriptores purpureum ostrum, & palatinum coccum carere luce & splendore suo, si tinctoribus defuerit corporis castimonia.

Baphiarii & purpuræ confectores *habere debent corporis purissimam castitatem, quia talium rerum secreta refugere dicuntur immunda*, ait Cassiodorus lib. 1 Epist. 3. Apud quem Rex potentissimus gravia & acerba minatur, si quis adorandi muricis dignitatem flagitio devenustarit.

41. Sint purpurati vitæ integri.

Sic certè decet, ut nullus aulicâ purpurâ rubeat, & paludamento coccineo indutus rutilet, nisi quem vitæ integritas commendat, publici boni amor conspicuum reddit, quem nulla labes ambitionis, nullus odii vel invidiæ livor contaminat.

Ceterùm plerumque videre est regium ostrum, & reverendam curiæ purpuram teterrimis maculis inquinari.

42. Purpura maximè tineis obnoxia; ita aulici vitiis.

Physici tradunt nullum vestis genus esse, quod tinearum arrosionibus magis obvium sit, quam purpuram, quia alii colores & fuci austeri tineas arceant; coccineus autem color, quia dulcis est, tineas & sustinet & nutrit.

Ita vitæ aulicæ deliciæ, & vestis conchyliata vitiis sunt pabulum, & ambitioni alimenta ministrant, cùm viros duris assuetos, & vulgarem cultum vix attingant, vel saltem non arrodant.

43. Teredo non facilè rodit arbores duras, nec vitia viros fortes.

Auctor est Plinius lib. 16, cap. 41, teredines non nasci in quibusdam arboribus vel ob amaritudinem vel ob duritiam. *Nasci*, inquit, *prohibet in aliis amaritudo, ut cupresso, aliis duritia, ut buxo.* Ita ipse. Contra abies, populus, picea cariem admittunt, quia aut nullo aut fatuo sapore imbutæ.

Existima animis mollibus & delicatis, non sapientibus divina & cœlestia, dulcedine rerum fluxarum saturis, contra adversos fortunæ oblatrantis impetus non obduratis innumerabilia malorum innasci germina tineas, teredines, thripas, cerastas; cùm interim in bono obfirmatos, propositi cœlestis tenaces, voluptatum, quas blandiens hic mundus offert, nescios & inexpertos, non lædant, nec afficiant.

Tales non solùm robore & mole suâ stant, sed etiam ut Atlantes, suis humeris Reipubl. Sphæram & orbem sustentant. *Rex sapiens*, inquit

quit Salomon, Sapientiæ 6, ℣. 26, *stabilimentum populi.*

Sed age fortium aliquot virorum in mediâ aulâ censum faciamus.

Post Mardochæum, de quo hîc: *Cunctique servi regis, qui in foribus palatii versabantur, flectebant genua, & adorabant Aman. solus Mardochæus non flectebat genu, neque adorabat eum:* Prodeat in medium Mathathias ipsâ Constantiæ medulla, de quo sacer auctor libri Machabæorum cap. 2: *Qui missi erant ab Antiocho dixerunt Mathatiæ: Princeps & clarissimus & magnus es in hac civitate, & ornatus filiis & fratribus. Ergo accede prior, & fac jussum regis, sicut fecerunt omnes gentes, & viri Iuda, & qui remanserunt in Ierusalem: & eris tu & filii tui, inter amicos regis, & amplificatus auro & argento, & muneribus multis.* Hæc legati Antiochi regis ut exaggerati & planè divini animi virum ab observantia, Deique cultu ad idololatriam pertraherent. Sed quid ad hæc infracto pectore responderit audire delectat. *Et respondit Mathathias, & dixit magnâ voce: Etsi omnes Gentes regi Antiocho obediunt, ut discedat unusquisque à servitute legis patrum suorum, & consentiat mandatis ejus: ego & filii mei & fratres mei, obediemus legi patrum nostrorum. Propitius sit nobis Deus: non est nobis utile relinquere legem & justitias Dei. Non audiemus verba regis Antiochi, nec sacrificabimus, transgredientes legis nostræ mandata, ut eamus alterâ via.* Hæc heros ille invictissimus, & summis viris conferendus.

44. Mathathiæ constantia.

Sed quia de generosis Palarmis nobis hîc in primis sermo est, eminet inter illos nobilis & generosa illa trias, & illustris synoris Hebræorum epheborum, quos jure dixerim purpuratorum & aulicorum coryphæos & specimina, qui Chaldæo regi ad statuæ aureæ cultum eos compellenti intrepidâ voce & spiritu responderunt, Danielis 3, vers. 16 & 17: *Non oportet nos de hac re respondere tibi. Ecce enim Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô Rex, liberare. Quod si noluerit, notum sit tibi, Rex, quia deos tuos non colimus, & statuam auream quam erexisti, non adoramus.*

45. Trium puerorum virtus.

Hæc germana veræ virtutis est statua aureæ illi Babylonicæ è diametro objecta.

Næ quispiam dixerit Salamandrinam eos indolem induisse, dum attonitis in ignibus vivunt & triumphant, & pectoris invicto robore ardentem caminum restinguunt.

Orem admirabilem! exclamat aurei oris Antistes homil. 4 ad populum Antiochen. *vinctos solvit flamma, & ipsa de reliquo à vinctis vincta est: Mutavit enim naturam adolescentulorum religio: imò verò non naturam mutavit, sed quod erat mirabilius, permanentis naturæ vim repressit.*

Et inferius. *Nihil illos conturbavit, non regis furor, non quod soli in tantæ turbæ medio derelicti essent, non ignis spectatus, non canentes tubæ, non omnes ipsos ardentibus oculis intuentes: sed hæc omnia deridentes, tamquam in frigidum aquarum fontem mittendi, in fornacem ingressi sunt, beatam illam emittentes vocem: Deis tuis non servimus, & statuam auream quam erexisti, non adoramus.*

Gloriosam horum principum adoream & præconia idem sanctus auriflui oris orator uberrimè prosequitur tum 4 illa, tum 6 ad eumdem populum Homiliâ.

Sed & alium emittamus è Chaldæâ regiâ purpuratum, Danielem, quem quidam Aulæ speculum inscribit, & vere quidem, sed aulæ sanctæ. Quid illustrius, non dico, ejus modestiâ in honoribus, prosperis, & affluente fortunâ; sed in calumniarum procellis, & adversis patientiâ & fortitudine?

46. Danielis fortitudo.

Meritò suberis instar illum habuisse affirmaris, quippe qui insurgentibus, & super caput astantibus fuit immersabilis undis.

Livore tabescentes, & odio radidi Medorum Satrapæ Darium regem impellunt, ut edictum irrevocabile ferat, ut omnis, qui quidpiam petierit à quocumque Deo & homine, nisi ab ipso rege, mittatur in lacum leonum. Quid Daniel? Nec exalbuit, nec trepidavit, nec constantia fixi in animo ejus propositi nutavit. Ipse de se loquatur Daniel cap. 6 vers. 10. *Quod cum Daniel comperisset* (constitutam à rege legem) *ingressus est domum suam: & fenestris apertis in cœnaculo suo contra Ierusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua, & adorabat, confitebaturque coram Deo suo, sicut & ante facere consueverat.*

En tibi constantis aulici Archetypon, & eximium decus, simulacrum infractæ mentis, cui hanc Epigraphen insculpas ex Venusino vate:

Justum & tenacem proposîti virum
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solidâ.

Omitto par ejus robur in subversione Belis & templi ejus spectatum, & in draconis cæde testatum, frementibus Babyloniis & vociferantibus coram rege: *Trade nobis Danielem, alioquin interficiemus te, & domum tuam.* Ibidem cap. 14, vers. 28.

47. Lapis quadratus symbolum constantiæ.

En lapidem quadratum apud Philosophum Ethicor. primo, cap. decimo, tesseram & symbolum mentis solidæ & inconcussæ, viri, inquam, constantis, qui ad quamlibet acerbæ sortis rabiem mole suâ immotus consistit, nec locum suum deserit, etiam si fractus illabatur orbis, ubi plures purpurati ut globi & rotæ volvuntur & vertuntur, vel, ut pilæ per auras jactantur.

Mirabitur fortè quispiam, qui locus esse possit virtuti, aut constantiæ vel patientiæ inter illecebras & blandimenta aulæ, ubi mollities sessitat, & blandissima domina voluptas tamquam in throno regnat, ubi ad honores omnes velificant, ubi divitias pleno cornu Plutus propinat. Quis ignorat patientiam tamquam sibi proprio alimento rebus pasci & gaudere duris?

Pauperies, despicentia, cruciatus, carceres, terrifici turbines & tempestates, heroicæ virtutis materia & pabulum sunt; sicut certamina & labores prolusiones sunt ad coronas, adoream & triumphos.

Sed audiat, quisquis ille est, aures vellentem & monentem Apostolum 2 ad Timotheum 3, vers. 12: *Omnes qui piè volunt vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur.*

48. Etiam in aulâ seges et virtutis & patientiæ.

Quicunque ergo Christianè, quicumque piè, quicumque probè & sanctè in aula vitam instituere proposuerit, etiam persequentes sè adversarios mox inveniet. Sic in Pharaonis regiâ, ut ibidem Apostolus vers. 8, *Iannes & Mambres restiterunt Moysi*, de quibus maleficis habes Exodi 7, vers. 11. Non deerit in regum palatiis eos

fortitudinis, nec materia virtutis, nec adversarii multi, qui tormenta, compedes, ignes, leones, bestias, rotas, cruces intentabunt: quin potius ante deerit virtus arduis superandis, & patientia duris perferendis.

Egregie ad institutum nostrum scribit Magnus Leo sermone 9 de Quadragesima, alludens ad verba Apostoli, quæ jam produxi: *Numquam deest tribulatio persecutionis, si numquam desit observantia pietatis.*

Addo ego: Nusquam deerit adversarius persequens, si non desit Christianus pie vivens.

Vbi Mathathias, ibi Antiochus; ubi Hebræi juvenes, ibi tyrannus Chaldæus; ubi Daniel, ibi Medi æmuli ejus gloriæ; ubi Mardochæus, ibi & Amanus hostis lævissimus excitatur.

Denique nusquam abest diabolus humani sanguinis sitientissimus, de quo S. Augustin. in Psalm. 127: *Si mortuus est diabolus mortuæ sunt persecutiones. Si autem adversarius noster vivit, unde non tentationes suggerit? unde non sævit?*

Et S. Cyprian. lib. de Mortalitate: *Quid enim aliud in mundo, quam pugna adversus diabolum quotidie geritur, quàm adversus jacula ejus & tela conflictationibus assiduis dimicatur?*

Quod si contingat succumbere te & cadere in prælio levitati tuæ & instabilitati hoc adscribe.

Hoc tibi idem S. Martyr oggerit eodem loco: *Arbor*, inquit, *quæ altè radice fundata est, ventis incumbentibus non movetur, & navis, quæ forti compage solidata est, pulsatur fluctibus, nec foratur, & quando area fruges terit, ventos grana fortia & robusta contemnunt, inanes paleæ flatu portante rapiuntur.* Ita ille.

49. S. Cypriani constantia.

Ostendit hoc S. Cyprianus in seipso. Nam Carthaginensi Proconsuli furioso jubenti: Aut diis sacrifica, aut periisti, subjecit liberè: *In re tam justâ deliberatio nulla est; Christianus sum, diis sacrificare non possum; tu fac quod tibi præceptum est:* Dictâ in se capitali sententiâ: *Omnipotenti Deo*, inquit, *gratias ago, qui me dignatur è vinculis hujus corporis dimittere.* Ita Pontius in ejus vitâ. Nervose Ptolomæus in Præfatione Almagesti: *Ille altior est Mundo, qui non curat in cujus manu sit Mundus.*

Spectavimus hoc in Heroibus illis, & exaggeratâ virtute viris, quos modo memoravimus.

Sed proderit etiam aliquot insignes animas, principes inquam, & palatinos huc advocare qui virtute heroicâ præstiterunt luce Euangelii per orbem coruscante.

50. S. Adriani invictum animi robur.

Hadrianus (ut habent Acta ejus apud Surium 8 Septembris) princeps in aulâ Maximiani, & Magister, ut vocabant, officii, cùm diros cruciatus perferre Christianæ fidei athletas cerneret non solùm constanter, sed & alacriter, simulque inusitata quædam præmia eos expectare animo concepisset, quæsivit ab iis quæ coronæ, quæ laureæ, quæ tropæa eos manerent pro tam immanibus Dei sui nomine exantlatis suppliciis. Cui Christi pugiles crudis nervis cæsi, duris lapidibus ora contusi, generoso pectore, & liberâ voce respondérunt: *Quod expectamus, nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Hoc præparavit Deus diligentibus se.*

His auditis Hadrianus exiliens gaudio, & animo ad illam gloriam, spei alis subvolans dixit Exceptoribus, qui in tabulas Christum confitentium nomina, ut tormentis punirentur, referebant: *Annotate etiam meam confessionem cum his sanctis Confessoribus & Martyribus Dei. Sum enim & ego Christianus.* Mentem Hadriani cum percepisset Maximianus frendet irâ, cum Martyre disceptat, in carcerem conjicit, parantur exquisiti cruciatus; sed & de his, & simul de tyranno gloriosùs Christi agonista triumphat.

Cyprian. lib. de Exhortatione ad Martyres, cap. 22. *Si*, ait, *militibus secularibus gloriosum est, ut hoste devicto redeant in patriam triumphantes: quanto potior & major est gloria, victo diabolo ad paradisum triumphantem redire, & unde Adam peccator ejectus est, illuc prostrato eo, qui ante dejecerat, trophæa victricia reportare; offerre Deo acceptissimum munus: incorruptam fidem, & virtutem mentis incolumem: laudem devotionis illustrem: comitari eum, cùm venire cœperit vindictam de inimicis recepturus; lateri ejus assistere, cùm sederit judicaturus: coheredem Christi fieri, Angelis adæquari, cum Patriarchis, cum Apostolis, cum Prophetis cœlestis regni possessione lætari? Has cogitationes quæ persecutio potest vincere, quæ possunt tormenta superare? Durat fortes & stabilis religiosis meditationibus fundata mens: & adversus omnes Diaboli terrores, & minas mundi, animus immobilis perstat, quem futurorum fides certa & solida corroborat.* Hucusque & ipse Martyrum unus S. Cyprianus. Lege & Tertullian. Apologetico adversus gentes cap. 50.

51. S. Neaniæ vel Procopii martyrium hæroicum.

Præclara quoque extitit virtus, & insuperabilis animi fortitudo S. Neaniæ vel Procopii à Diocletiano honore Ducis Alexandrini affecti (cujus egregia facinora & mirabile martyrium ex Metaphraste collegit Laurent. Surius Iulii octavo; ex quibus hæc pauca excipe, quæ sub finem habentur:)

Post acerbissimos cruciatus à Christi palæstritâ invicto pectore toleratos jubet Præses vehementi irâ percitus afferri arulam ardentibus carbonibus instructam, & super eam Neaniæ extendi dexteram thure eidem imposito, ut si dolore victus thus in arulam laxatâ manu jactasset, diis litasse putaretur, & eos thuris vaporatione honorasse. Verum ille (ubi estis Mutii, ubi Pompeji?) mente immotâ & inconcussâ foculo manum fixam loco ustulari sustinuit, ut ostenderet quàm vile corpus esset Christianis, qui æternam gloriam, & futuram claritatem petunt, & ne sacrosanctæ religioni detrahendi ansam profanis gentibus præbuisse videretur. Itaque indignato regnante in igne manu, ad novum omnes obstupuere miraculum & spectaculum: reflorescebat pietas, contrà impietas langueſcebat: glorificabatur Christus, pudore afficiebatur Diabolus. Stabat Procopius in cœlum intendens cum mente oculos, gemitusque edens, & fundens lacrymas, & ei qui victoriam dederat Deo cum Davide decantabat: *Tenuisti manum dexteram meam, & accinxisti me virtute ex alto, & non impiè egi à Deo meo. In me Deus vota, quæ reddam laudationis tuæ. Quoniam liberasti animam meam à morte, oculos meos à lacrymis, pedes meos à lapsu.*

Cùm verò Iudex ferreâ & adamantinâ illâ animi firmitate consternatus, ei lacrymas exprobraret, quasi qui doloris sensu vinceretur: *Absit*, inquit Neanias, *ô tu verè digne lacrymis, ut mihi ignis*

ignis tuus præ sensu lacrymas expresserit. Sed fleo, quia luteo corpore circumdatus sum: linum autem cùm admovetur igni madere, & aquis stillare solet. Tuam quoque deploro animam æternis ignibus, quia à Deo defecisti, tradendam. Hæc & plura Metaphrastes apud Surium in vita S. Procopii.

Degeneres animos timor arguit. Nos quia tigno teredine lentâ corroso, & carie exeso pares sumus, pondere etiam non ita magno pressi frangimur & cedimus.

Illi verò animæ magnæ viri quia firmis virtutis radicibus nixi, & solido robore vallati, steterunt etiam ferocissimis tyrannis & omnibus ipsorum tormentis fortiores,

Duris ut ilex tonsa bipennibus
Nigræ feraci frondis in Algido,
Per damna, per cædes, ab ipso
Ducit opes, animumque ferro.

Ita Horat. lib. 4 Carminum Ode 4.

Circumlatrantibus undabundi maris fluctibus petra immota constitit, ridetque furentis Neptuni iras: Alga verò, conchæ, & hujusmodi levia æquoris purgamenta quaquaversum, ut ventorum ludibria, jactantur.

Athleta, ait Chrysostom. homilià 67 ad Antiochenos, *nullus generosus in stadio balnea quærit, aut mensam cibis & vino redundantem: hoc non est athletæ, sed delicati. Athleta namque pugnat, gaudetque pulvere, oleo, solis ardore, sudore, campo, tribulatione & angustiâ.*

52. Hyacinthus flammas extinguit.

Scribit S. Epiphanius de gemmis, Hyacinthos gemmas in prunas ardentes conjectos non modò ab igne non lædi, sed illum ipsum virtute nativâ extinguere. Idem de Salamandrâ quidam produnt. Symbolum hoc est Adriani, Procopii, trium Hebræorum adolescentum, qui ardore mentis tormenta & flammas sopiverunt, vel pio cruore extinxerunt.

Similium gloriosorum & triumphatorum martyrum certaminibus jure hanc Epigraphen sive lemma, *Terget non uret*, adpinxeris, addito Symbolo mappæ vel vestis ex lino Indico in ignem conjectæ. Nam hujusmodi vestis flammâ non uritur, sed emundatur. Hinc est, quòd auctore Plinio lib. 19 cap. primo, ex eo lini genere contexuerint olim sacculos ad servandos in sepulchrali pyrâ Imperatorum cineres. Existima incendiis, ahisque cruciatibus, quæ sævitia & furor tyrannorum in Christianos excogitavit, non fuisse exustos vel absumptos animos, sed magis purgatos & emaculatos.

53. Linum Indicum igne non uritur, sed purgatur.

Liberius Pontifex, referente Sozomeno lib. 3. cap. 10; cùm ei Constantius Imperator Arianus dici jubéret: Biduum ei permitti in deliberationem; quo exacto ni sententiam mutet, & Arianæ parti faveat, decretum certissimò norit sibi exilium, in quod illico deportandus sit: ad illa Liberius respondit: *Ista jam olim deliberata mihi sunt. Sententiam non muto; impiis patrocinari non possum. Itaque paratus sum jam statim hinc discedere.*

54. Liberii inconcussa libertas.

Sed finis sit. Siquis plura fortitudinis Christianæ in Deo plenis aulicis exempla requirat, inveniet in Speculo Aulæ Adami Contzen, quod inscribit Danielem, sive de statu, vitâ, virtute aulicorum, & Magnatum.

VERSVS III & IV.

Cui dixerunt pueri regis, qui ad fores palatii præsidebant: Cur præter ceteros non observas mandatum regis?

Cùmque hoc crebrius dicerent, & ille nollet audire, nuntiaverunt Aman, scire cupientes utrùm perseveraret in sententiâ: dixerat enim eis se esse Iudæum.

Hebræa consentiunt: Dixeruntque servi regis, qui erant in portâ regis ad Mardochai: Quare tu transgrederis præceptum regis?

Et fuit in dicendo ipsos ad eum die & die (id est, cum dicerent per singulos dies) & non audiret ad eos, & indicaverunt ipsi Haman, ad videndum (ut viderent) an starent verba Mardochai: quia indicaverat eis, quòd ipse esset Iehudæus.

Iosephus hîc piscе taciturnior.

COMMENTARIVS.

MIrati palatini qui in vestibulo regiæ versabantur Mardochæi factum, illum primò monent modestè transgressionis edicti regis: cùm verò illum tenaciorem adverterunt sui propositi, cùm diceret sibi utpote Iudæo non licere homini divinos honores deferre, acriùs hortando instant & reprehendunt. Vbi autem sua monita à Mardochæo negligi vident, ad Amanum rem deferunt, rati ejus auctoritate sententiam mutaturum, ne videretur Amanum contemnere.

In textu *Ille nollet audire*, expone vel cum Septuaginta, obedire, ut scilicet genua flecteret more aliorum ante Aman, vel cum Chaldæo, cùm nollet ad ipsorum verba attendere.

Aulici verò crebrius eum arguebant, ut scirent an mentem suam planè obstinasset ne Amanum adoraret, & simul ut experirentur Mardochæi constantiam, quia solebant Iudæi propositi sui esse tenacissimi.

Ethicvm Docvmentvm:

Delatio frequens aulæ malum, ut pestis fugienda.

SErvi illi palatini excubitores, ex genere eorum erant, qui bonam ab Amano gratiam inire studebant, cui contumeliosum putabant, si solus Mardochæus Iudæus servus & captivus honorem non præstaret, quem Persæ ingenui & nobiles certatim exhibebant. Erant illi Amano sævissimo & superbissimo unguis in ulcere, ut habet vetus sermo, faces videlicet homini thyrso ambi-

ambitionis percusso admovebant, queis magis incenderetur, excitabant crabronem, quò acrius in Mardochæum aculeum stringeret, & innoxium compungeret.

Fugiendæ & cane pejus & angue odio habendæ hujusmodi Eumenides, falsò benevolæ, quæ sub nomine benevolentiæ probis maximè nocent. Tu qui pietatem in aulâ observas, hujusmodi pestes devita, cave æmuleris eorum scabie affrictus. Prophetam Regem sequere. Psal. 100. ℣. 5: *Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar.* Et ℣. 7: *Qui loquitur iniqua non direxit in conspectu oculorum meorum*, quibus verbis indicat delatores non solùm non invenisse gratiam in oculis suis, sed etiam eos ex aulâ suâ ejecisse, nullam cum eis familiaritatem iniisse, quin etiam pro gravitate delicti in exilium amandasse, proscripsisse, etiam vitâ privasse. Felix justissimi Regis curia, ut Vlpii Trajani, qui auctore Plinio in Panegyrico, omnes delatores in navib9 sine remis & velis maris & scopulorũ periculis objecit.

54. Davidis odium erga delatores.

55. Item Trajani Cæsaris.

Quid Titus? audi de eo Suetonium in Tito, cap. 7. *Inter adversa temporum*, inquit, *& delatores, mandatoresque erant* (i. qui delatores instruunt, & subornant ad accusandum) *ex licentiâ veteri. Hos assidue flagellis in foro ac fustibus cæsos, ac novissimè traductos per Amphitheatri arenam partim subjici in servos, ac vænire imperavit* (ut hastæ subjecti pro mancipiis venderentur.) *Vique etiam similia quandoque ausuros perpetuò coërceret, vetuit inter cetera de eâdem re pluribus legibus agi, quærive de cujusquam defunctorum statu ultra certos annos* (post quinquennium.) Initio imperii sui laudabile fuit Tiberii Cæsaris dictum apud eundem in ejusdem vitâ cap. 28; *Non tantum otii habemus ut implicare nos pluribus negotiis* (famosa deferentium) *debeamus. Si hanc fenestram aperueritis, nihil aliud agi sinetis, omnium inimicitiæ hoc prætextu ad vos deferentur.* Et rectè quidem: magna quidem noxa est calumniantium, sed hanc incitat facilitas audientium vel credentium.

56. Et Titi Imperatoris.

57. Et etiam Tiberii.

Magnæ infamiæ labe (non minus quam Imperatoris Maximini) notata fuit Saulis regia, qui aures semper patulas præbebat innocentissimi Davidis calumniatoribus, imò etiam ultro ipsorum maledicentiam provocabat. Nota paucula ex libro primo Regum cap. 19. ℣. 19. Iterum cap. 23 ℣. 19 & sequentibus & cap. 26 ℣. primo. Maximè verò ℣. 7 cap. 21, qui sic habet: *Erat autem ibi vir quidam de servis Saul intus in tabernaculo Domini, & nomen ejus Doëg Idumæus, potentissimus pastorum Saul.* versu 8 & sequentibus c. 22 sic loquitur ad suos Saul: *Non est qui vicem meam doleat ex vobis, nec qui annuntiet mihi* (ubi sit David) *Respondens autem Doeg Idumæus, qui assistebat, & erat primus inter servos Saul; Vidi, inquit, filium Isai in Nobe apud Achimelech filium Achitob sacerdotem, &c.* O scelestum caput delatoris, qui non solùm impulit Regem ut Achimelech sacerdotem & totam familiam occideret, sed & ipse manu suâ octoginta quinque viros vestitos ephod lineo trucidavit! Quam jure de hoc sacrilego delatore conquentur David Psal. 51, cujus est titulus, *In finem intellectus David, cùm venit Doëg Idumæus, & nuntavit Sauli: Venit David in domum Achimelech.* & sic carmen suum exorditur: *Quid gloriaris in malitiâ, qui potens es in iniquitate? Totâ die injustitiam cogitavit lingua tua, sicut novacula acuta fecisti dolum.*

57. Saul rex aurem dabat calumniatoribus.

58. Doeg Idumæus delator pessimus.

Vbi verba illa *novacula acuta*, plena etiam sunt acumine. Quid enim concipi potuit acutius delaturâ Doëg Idumæ, qui celerrimè & atrocissimè non solum sacerdotes jugulavit, sed etiam ipsorum civitatem Noben percussit in ore gladii, viros & mulieres, & parvulos & lactentes, bovemque & asinum & ovem? ut habes supra cap. 22 ℣. 19.

59. Lingua calumniatoris novacula.

Spartanus quidam, ut innueret quàm altum vulnus lingua criminatrix infligeret, cum novaculam cote exacueret, rogatus, num satis acuta? respondit, acutior calumniâ. *Filii hominum, dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus.* Psal. 56, 5. Vide plura de hoc argumento Comment. meis in Ecclesiastici 28 ℣. 18 & sequent. ubi dicit Sirachides ℣. 22: *Multi ceciderunt in ore gladii, sed non sic, quasi qui interierunt per linguam suam* (Græca omittunt *là suam*, quod tamen habent Latina & explicant quidam, sibi infestam.)

Dicit verò linguam Doëg fecisse dolum, instar videlicet novaculæ, cujus officium & usus cùm sit pilos barbæ vel capitis radere, tonsoris nequitia & dolus illam vertit ad perendum jugulum, vulnerandum & occidendum. Quis enim sacerdotum cùm videret Doëg in tabernaculo Domini non cogitasset illum vota sua solvere, vel preces offerre pro suâ incolumitate? Sed vide pestiferam linguam? *Vidi*, inquit, cap. 22 ℣. 9 & 10, *filium Isai apud Achimelech, qui consuluit pro eo Dominum, & cibaria dedit ei, sed & gladium Goliath Philisthæi dedit illi.* Nec ab his criminatoribus & æmulis immunis fuit regia Nabuchodonosor, ut ostendit historia Danielis cap. 3, ubi ℣. 12 Chaldæi delatores aulici accusaverunt Iudæos hisce verbis: *Sunt viri Iudæi, quos constituisti super opera regionis Babylonis, Sidrach, Misach & Abdenago: viri isti contempserunt, Rex, decretum tuum: deos tuos non colunt & statuam auream, quam erexisti, non adorant.* O delationem non solum novaculâ, sed fornace Babyloniâ acerbiorem! Æmuli scilicet gloriæ trium epheborum, quos Satrapas constituerat Rex, statuam adorandam erigi, & non adorantibus ardentem fornacem accendi curaverant.

60. Delatores apud Babylone.

Sed ad alia propero. Vix unquam terra nocentiores criminatores & susurrones peperit, quàm aula Darii Medi Danielis 6, qui viro integerrimo Danieli, quantum in ipsis fuit, suâ machinatione atrocissimum exitium attulerunt. Livore tabescentes Medi, & honore, quem Darius Danieli detulerat, perstricti, cùm vitæ & moribus ejus ne labecula quidem adhærescceret, Regem cogunt, ut edictum irrevocabile sanciret, quo caveretur ne quis ad triginta dies quidquam à quocumque Deo vel homine peteret, nisi à Rege solo, secus verò faciens leonibus objiceretur. O fabricatas in exitium viri sanctissimi fraudes? Sed sapientia vincit malitiam. More suo flexis poplitibus pergit fenestris apertis obsecrare Deum suum Daniel. Quid illius adversarii Medi? Dicit scriptura supra ℣. 11 & sequentibus: *Viri ergo illi curiosius inquirentes invenerunt Danielem obsecrantem Deum suum.* & ℣. 13: *Tunc dixerunt coram rege: Daniel non curavit de lege tua, & de edicto quod constituisti: sed tribus temporibus per diem orat obsecrationi suæ.*

60. Delatores apud Darium.

Hæ

Hæ peſtes probis viris metuendæ & fugiendæ. Certe Sapiens Eccleſiaſtici cap. 26 de ſe ingenuè fatetur ℣. 5 & ſequent. *A tribus timuit cor meum, & in quarto facies mea metuit. Delaturam civitatis* (διαβολὴν, calumniam) *& collectionem populi* (conſpirationem) *calumniam mendacem, ſuper mortem omnia gravia.*

Quanto mœrore ſaucientur religioſorum aulicorum animæ calumniæ telo appetitæ exemplum dedit nobis aulæ nitidiſſimum ſpeculum Daniel, cùm ita de ſe ſcribit oraculorum ſuorum cap. decimo, ℣. 2 & 3: *In diebus*, inquit, *illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus: panem deſiderabilem non comedi* (candidum, delicatum, regium) *& caro & vinum non introierunt in os meum, ſed neque unguento unctus ſum: donec complerentur trium hebdomadarum dies.*

61. Delatio cauſa luctus viris ſanctis, ut Danieli, &c.

Quæ cauſa hujus luctus, ſqualoris, abſtinentiæ à delicus tam diuturnæ?

Viri eruditi, & illius loci enarratores hanc hujus doloris rationem ſuggerunt; quia Ieruſalem non habitaretur & templi fabrica à Cyro liberaliter cœpta retardaretur adverſariis Iudæorum dolis ſuis impedientibus, nec poterat Daniel apud Cyrum pro templo perficiendo agere, eò quòd ad bellum Scythicum profectus eſſet, & Cambyſes ejus filius Iudæorum hoſtis regnum Perſarum patre abſente adminiſtraret. Igitur criminatio & delatio inimicorum Iudæ cauſa fuit luctus & lacrymarum Danieli: de quâ habes hæc primi Eſdræ cap. 4 ℣. 4 & ſequentibus: *Factum eſt igitur, ut populus terræ impedirent manus populi Iudæ, & turbarent eos in ædificando. Conduxerunt autem adverſus eos conſiliatores ut deſtruerent conſilium eorum omnibus diebus Cyri regis Perſarum, & uſque ad regnum Darii regis Perſarum. In regno autem Aſſueri* (Cambyſis) *in principio regni ejus ſcripſerunt accuſationem adverſus habitatores Iudæ & Ieruſalem. Et in diebus Artaxerxis* (ipſe eſt Cambyſes) *ſcripſit Beſelam Mithridates & Thabeel, & reliqui qui erant in conſilio eorum, ad Artaxerxem Regem Perſarum; Epiſtola autem accuſationis ſcripta erat Syriacè*; &c. Ergo falſæ delationes hoſtium Iudaici nominis vero ſanctiſſimo hunc mœrorem & lacrymas expreſſerunt. Videtur autem huic luctui immortuus; nam probabile eſt Danielem ex hac vitâ diſceſſiſſe anno tertio Cyri, in cujus diebus dicit ſe luxiſſe, Danielis 10 ℣. 1 & 2.

Lamentatur Eccleſiaſtes cap. 4 ℣. 1: *Vidi calumnias quæ ſub ſole geruntur, & lacrymas innocentium* (ut Danielis, Mardochæi, Hebræorum epheborum) *& neminem conſolatorem nec poſſe reſiſtere eorum violentiæ* (ope humanâ) *cunctorum auxilio deſtitutos.*

Flamma hæc nihilominus viros ſanctos licet afflarit, ſed non abſumſit; Canunt hi cum Sirachide Eccleſiaſtici 51, qui & ipſe in aulâ Ptolomæi Lagidæ ab iniquis linguis, ſed incaſſum appetitus fuerat: *Confitebor tibi, Domine Rex, & collaudabo te Deum ſalvatorem meum, quia liberaſti me à preſſurâ flammæ, quæ circumdedit me, & in medio ignis non ſum æſtuatus.* quis autem ignis ille fuerit & antea & poſtea enarrat, ſcilicet *a linguâ coinquinatâ & a verbo mendacii, a rege iniquo, & a linguâ injuſtâ, &c.*

Ignavum illud, imbelle & vile telum linguæ neqtiam proſtravit multos, & compulit ad exilium, vincula, mortem, vel ſi quid morte gravius, ut ſuſè probavi Eccleſiaſtici 28 ℣. 15 & ſequentibus; unde & ibidem dicitur ℣. 23, *Beatus qui tectus eſt à linguâ nequam*: Multos etiam, ut indignis modis calumniæ notas muſtas rependerent, coëgit, ut inter alios Bonifacium comitem, qui maledicâ linguâ oppreſſus, cùm armis ſuperari non poſſet, barbaris Africam prodidit. Vide Baronium tomo 5 Annalium anno Chriſti 427, ex quo hæc breviter: Bonifacius S. Auguſtino literarum commercio familiaris, calumnius appetitus, & inde indignatione commotus, velut œſtro percitus furenti animo (cùm ſe cerneret potentioribus æmulorum exagitari procellis) ad auxilium Wandalorum confugit, quos in Africam trajici curavit, ex quo infelix (nolens licet) effecit, ut Africa in manus Wandalorum deveniens, ſic captiva ad centum annorum ſpatium ſub barbarico jugo permanſerit, Eccleſiaque Catholica maximum diſcrimen incurrerit.

62. Bonifacius Comes appetitus calumnia Africam barbaris prodidit.

VERSVS V & VI.

Quod cùm audiſſet Aman, & experimento probaſſet quòd Mardochæus non flecteret ſibi genu, nec ſe adoraret, iratus eſt valde,

& pro nihilo duxit in unum Mardochæum mittere manus ſuas: audierat enim, quod eſſet gentis Iudææ: magiſque voluit omnem Iudæorum, qui erant in regno Aſſueri, perdere nationem.

Hebraica. Et vidit Haman quod non Mardochai inclinaret ſe, nec genu flecteret ſibi, & repletus eſt Aman furore.

Et contempſit in oculis ſuis mittere manum in Mardochai ſolum ipſum; nam indicaverant ei populum Mardochai; & quæſivit Haman diſperdere omnes Iudæos qui erant in omni regno regis Ahaſveros, populum Mardochai.

COMMENTARIVS.

QVod delatum fuerat ab aulico miniſterio & januæ regiæ excubitoribus de Mardochæo non flectente ſibi genua, id ipſemet Amanus experientiâ diſcit; unde & implacabili furore corripitur contemni ſe ratus, & ut gravem iram & odio inflammatum pectus exſatiaret, non ſatis illi fuit unum Mardochæum è medio tollere, ſed etiam voluit totam Iudæorum gentem diſperdere, exſtimans eam ſuâ religione prohiberi, ne adorationis cultum ei exhiberet, ſimulque ut Mardochæum majore dolore afficeret, cum commune populi ſui exitium

ante oculos cerneret. Quia verò in hac sui despicientiâ, & regis imperium pessumdari mente conceperat, & majores impetus ira ejus sumpsit, & audacia ejus ad quidlibet audendum se exacuit.

Dissertatio:

Quæ causæ odii Amani in Mardochæum?

63. Prima causa odii, quia Aman Amalecita.

Tres odii hujus causæ à scriptoribus adducuntur. Prima probabilis est, quam habent Rabbini & cum eis Rupertus, sumiturque ex Iosepho supra. *Aman*, inquit, *naturâ Iudæis erat infestus, quandoquidem Amalecitarum gens, ex qua ipse erat, a Iudæis victoribus extincta.* Iosephum etiam sequuntur plerique omnes Interpretes, qui tenent Amanum oriundum stirpe Agag Amalecitarum regis, à Saule capti & à Samuele trucidati 1 Reg. 15. Quod si genus Amani certum esset, etiam foret hæc causa implacabilis furoris erga Iudæos, & maximè Mardochæum, qui ex eadem tribu Benjamin satus erat, ex qua Saul rex descenderat, certissima & exploratissima. Verùm, ut antè sæpius dixi, tota hæc genealogia non est omnino evidens. Igitur ad causas, quas scriptura nobis subministrat, nos convertamus.

Altera causa suspensio eunuchorum.

Sic ergo scribitur hic cap. 12 v. 6. *Aman verò filius Amadathi bugæus erat gloriosissimus coram rege & voluit nocere Mardochæo, & populo ejus propter duos eunuchos regis, qui fuerant interfecti.* Ratio ergo, cur incredibili odio inflammatus fuerit erga Mardochæum, & propter ipsum in Iudæos, fuit, quod Mardochæus insidias eunuchorum qui manus in regem conjicere moliebantur, patefecerit. Si autem Iosepho Gorionidæ credimus, erant hi duo eunuchi Amani à consiliis. Sic enim ipse refert: *Cum autem suspensi essent in cruce, tratus est Aman valde quod consiliarii sui acti essent in crucem, & conatus est exterminare omnes Iudæos.* Vnde & probabile fit Amanum hujus conjurationis in Regem fuisse participem, & fortè caput, quasi hac ratione via ad regnum sibi muniret, quod spe jam devoraverat, cum videret se à rege secundum. Hoc significat ipse Assuerus cap. 16 v. 12, *Qui*, inquit, *in tantum arrogantiæ tumorem sublatus est, ut regno privare nos niteretur & spiritu.*

Tertia, quod ipsi Mardochæus non adoraret.

Tertia eaque apertissima causa inimicitiarum & simultatum Amani in Mardochæum & totam ejus gentem, hic habetur v. 5, quòd Mardochæus non flecteret sibi genu, nec se adoraret. Ambitio ergo, & insanus honoris etiam divini appetitus Amanum in transversum egit.

Ruperti lib. 8 de victoriâ verbi Dei cap. 5, 6, 7, 8 de his sententiâ proponitur.

Cap. 5. Dei providentia circa Iudæos.

Dei, inquit, providentiâ factum est, quòd Mardochæus in captivitate remanserit, & Ierusalem non ascenderit post edictum Cyri, quo data est licentia in patriam revertendi. Præsciverat enim Deus futuram exaltationem Aman hostis Iudæorum; præsciverat etiam & prædestinaverat contrà Iudæum cum nepte sua parvula Mardochæum, ut tali in tempore haberet verbum Dei præparatum in illis hominibus futuræ carnis suæ præsidium, ne excideretur arbor, quæ datura erat talem fructum Christum salutem omnium gentium.

Exaltavit itaque Assuerus Amanum. Nunta & indiscreta Regis liberalitas: dum se provehere putat amicum fidelem, profectò contra seipsũ sustollit inimicum crudelem. Stulta exaltatio jubere hominẽ adorari, quod soli debetur Deo. Quid igitur de Persico regni fastigio præter nomen regium defuit illi superbissimo? quod quidem insatiabilis ejus aviditas sceleratissime ambivit, sicut animadvertere licet ex libri proœmio in vulgatâ, ut ait fidelis Interpres Hieronymus. Et paulò pòst: Ambiebat ergo regium quoque nomen, non contentus honore quamvis nimio, homo ingratus hominibus, inimicus Deo, qui propter hoc Mardochæo nocere voluit, quia Regis vitam præmuniendo servavit. Cap. 6. Amanus infestus Mardochæo ob detectas insidias.

Cap. 7. Item quia cum nolebat adorare.

Veruntamen major & certior odii, & iracundiæ causa extitit illa, quam scripturæ veritas hoc modo tradit: *Solus Mardochæus non flectebat genua, neque adorabat Aman;* Hæc belli causa, hoc duelli fuit initium; hoc modo duo dracones illi contra se pugnare cœperunt. Draco scilicet Mardochæus apud homines, penes quos condemnabatur, Draco Aman primò apud Deum & omnes sanctos ejus judicatur, & deinde apud homines condemnatur. Numquam tam crudeliter, tam furiosè erexit suum caput draco diabolus adversus mulierem Apocal. 12. Cetera namque capita ejus se erigentia, multoque hiatu patentia hoc intendebant, ut devorarent filium ejus. Caput istud hoc intendit ut totum devoret mulieris corpus. Cetera regna diabolicæ crudelitati famulantia gentem illam vexando, Dei legem, & opem, spem promissionis adimere contendebant; regnum istud proscribente Aman delere volebat gentem ipsam. Itaque mulier illa in utero habens atque parturiens, numquam aliàs magis clamavit, numquam vehementius cruciata est. Id est, gens illa numquam tam publicum & generalem luctum habuit in omnibus provinciis, urbibus, locis, ad quæ crudele Regis dogma pervenerat.

Cap. 8.

Iustitiæ autem Mardochæi est, quod noluerit adorare Aman, & justus comprobatur in hoc facto, legi justæ, sanctæ & bonæ obtemperando, cujus hoc præceptum est: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*: proinde beatam habet memoriam, atquè eximius est inter beatos, qui persecutionem passi sunt propter justitiam, talisque filius captivorum dignè adeptus est possessionem, & coronam civicam in regno cælorum. Hactenus Rupertus.

Ethologia.

Ambitio violenta, furiata, crudelis, immensa, vana.

Nvmquam Lybia monstrorum, & virosorum serpentium parens, quæ semper aliquid mali adfert, truculentiorem ferat Ambitione effudit, quæ furore & potentiâ armata tandiu sanguinem spirat, & cæde pascitur, donec ad fastigium honoris, quò anhelat, perveniat, & superbifico vertice sidera quasi feriat.

Sic sanguineo gradu ad purpureum thronum ascendit. Recte Tragicus, *Tantum ut noceat cupit esse potens.* Et iterum; *Quod non potest, vult posse, quis nimium potest*, ubi hæc φιλεμμία & φιλαρ-

φιλαρχία sive dira dominandi libido, & honorum inexplebilis sitis venas occupaverit, penitusque insederit, non satiatur nisi sanguine: nec tingi erubescit etiam fratrum, parentum, consanguineorum cruore.

64. Ambitio Abimelech.

Fraterno primi maduerunt sanguine muri.

Exempla sacratiores literæ plura offerunt, nihil ut opus sit ex Persarum, Græcorum, aut Romanorum monimentis illa mendicare. Quibus tandem gradibus Abimelech ad gubernacula Reipub. Hebrææ moderanda ascendit? An non fraterno sanguine? Refert liber Iudicum cap. 9. ℣. 5. *Venit in domum patris sui in Ephra, & occidit fratres suos filios Ierobaal* (Gedeonis) *septuaginta viros, super lapidem unum: remansitque Ioatham filius Ierobaal minimus, & absconditus est. Congregati sunt autem* (℣. 6.) *omnes viri Sichem & constituerunt regem Abimelech.* Sic cæde fratrum sibi peperit imperium. Vnde meritò Ioatham relictus frater ejus, in Apologo de lignis regem sibi quærentibus ibidem ℣. 14 confert cum cum rhamno.

Quàm regna ordine perverso plerumque administrantur! Viri divinæ gratiæ pinguedine abundantes, dulcedine caritatis affluentes, cœlestibus delicijs & gaudijs cumulati dominatum vel refugiunt, vel ad illum non aspirant, & lignum aculeatum, vulnificum, nullâ vel voluptate, vel utilitate vel præstantiâ commendabile ultro accersitur, quod sub umbrâ suâ sedentes laceret, sauciet, cruentet, qualis Abimelech. Est ergo Rhamnus nota hieroglyphica tyranni violentiâ & crudelitate imperium occupantis. Est enim rhamnus frutex inutilis, infrugifer, spinis undique horridus & asper, qui instar hericacei pungit, & lacerat. Sic de eo S. Hieron. Aggæi 2. *Rhamnus spinosus frutex, & arbuscula sentibus, uncinisque contexta, quæ teneat quidquid attigerit, & retentum vulneret, & vulneratorum sanguine delectetur.* S. Gregor. Nyssenus addit scribens in Psal. 57, *Rhamni convulnerationes esse venenatas.* Vnde & Romani milites symbolicè inuuentes quales plerumq; sint principes qui in hoc mundo cum imperio dominâtur, ex hujusmodi sentibus coronam Servatoris nostri capiti imprimendam plexuerunt; ut auctor est Gretserus tomo 1 de Cruce lib. 1 c. 12. & Serarius in Iud. 9, quæst. 23.

Viri sancti honores fugiunt.

65. Ambitiosus regnum per tyrannidem invadens similis rhamno, & quare.

66. Cur Christus rhamno coronatus.

Quamvis & illud ignari portendebant & indicabant regum diadema multis ærumnarum & curarum senticolis uncinis esse contextum. ita ut Rex quidam apud Valerium lib. 7 cap. 2 jure dixerit, cùm diu manu diadema attrectasset: *O nobilem magis quam felicem pannum, quem qui penitius inspexerit, ne humi quidem jacentem tollere velit!* Vide Stobæum sermone 47. Sed ad rhamnum revertamur non tamen in umbrâ illius requiescamus, quæ etiam ostendit indolem principis in sibi subjectos sævientis.

67. Diadema curis plenum.

Siquidem exigua & molesta est ejus umbra, quæ nec ab æstu protegere queat, & si quietis causâ uniti trunco arboris velis, spinis lancinaris. Et hoc Abimelechi & similium indicium est, qui non modo non arcent hostium incursum, aut Rempub. securam reddunt, sed contra si inimici externi desint, ipsi omnibus hostibus truculentius in viscera subditorum sæviunt.

68. Sævitia Tyranni in Rhamno depingitur.

Quod autem ad institutum nostrum etiam amplius facit, dicitur suprà in Apologo, ubi sermo rhamno affingitur: *Si non vultis* (sub umbrâ meâ requiescere) *egrediatur ignis de rhamno, & devoret cedros Libani.*

Quid ignis notat nisi inflammatum irâ tyranni pectus, qui sibi subjici nolentibus viris principibus vincula, exilia, tormenta, mortem parat, & infert, ut Abimelechus Sichemitis.

An non graphicè in Rhamno delineatum conspicit Lector Amani fastum & supercilium, & quovis igne penetrabiliorem & truculentiorem furorem? qui cùm Mardochæus vir domi forisque princeps & factis suis nobilitatus subjici illi se humi prosternendo nollet, statim implacabiliter exarsit extremum illi, & toti ipsius genti exitium machinatus.

Natura Rhamni.

Porrò, quemadmodum ea natura rhamni est, teste Theophrasto lib. 5 historiæ plantarum cap. ultimo, ut non solùm ignem facilè concipiat, sed etiam si cum alio ligno sicco & calido v. g. lauro atteratur, vel terebretur ignem emittat: ita princeps honoris cupiditate flagrans si virum insigni animi robore præditum nactus fuerit, qui ei se opponat, renuat cultum non debitum, statim irâ flammescit, ignem vomit, omnia latè populatur, sed Amani superbissimi & crudelissimi historiam lemniseo ex profanis litteris petito decoremus. Hic erit Tarquinius postremus Romanorũ Rex de quo hæc summatim L. Iulius Florus in Epitome rerum Romanarũ lib. primo cap. 7: *Postremus*, inquit, *omnium fuit regum Tarquinius, cui cognomen Superbo ex moribus datum. Hic regnum avitum, quod à Servio tenebatur, rapere maluit, quam expectare, immissisque in eum percussoribus, scelere partam potestatem non melius egit, quam acquisierat. Nec abhorrebat moribus uxor Tullia, quæ ut virum Regem salutaret, super cruentum patrem vectla carpento, consternatos equos egit. Sed ipse in Senatum vadibus, in omnes superbiâ, in bonos gravior, crudelitate grassatus est.* Hucusque Florus.

69. Tarquinii Superbi ambitio.

Rectè M. Tullius 1 officiorum, *facillimè ad res injustas impellitur, ut quisque est altissimo animo & gloriæ cupido.* Iustius dixisset, quo quisque est abjectissimo animo: Quid enim vilius & demissius illo, qui animo immodica & illicita appetenti imperare non potest?

Sed ad ipsius Ambitionis vivam effigiem veniamus, Absalomum, imperandi aviditate inflammatissimum, in cujus pectore tamquam in arce gloriæ cupido vexillum erexisse videtur. Ambitus ejus & prensatio describitur stilo scripturæ 2 Regum 15, primis sex versibus; ubi Absalomus omnes qui habebant negotium, ad se invitat, & abblanditur his verbis: *Videntur mihi sermones tui boni & justi. Sed non est qui te audiat constitutus à rege. Et: Quis me constituat judicem super terram, ut ad me veniant omnes, qui habent negotium, & juste judicem?* En dulcem regni patrii competitorem! Sed & verbis facta adjungit, animas populares adhamantia. *Sed & cum accederet homo, ut salutaret illum, extendebat manum suam, & apprehendens osculabatur eum. Faciebatque hoc omni Israel venienti ad judicium, & sollicitabat corda virorum Israel* (ad defectionẽ a rege.) Ecce quantâ blanditoquentiâ, quàm mellitis & & mollibus verbis sibi conciliet populi corda, quàm amicis basiationibꝰ captet vulgi favorem, cum interim instar anguis & colubri venenum in viscenbus colligat, quod in parricidium conver-

70. Absalonis regnandi cupiditas.

tat ; ut habes eodem capite v. 10. *Misit Absalom exploratores in universas tribus Israel, dicens : Statim ut audieritis clangorem buccinæ dicite : Regnavit Absalom in Hebron.*

S. Chrysostomus tomo primo, Sermone de Absalomo, legendus, ex quo hæc pauca:

Perdidit Absalom scelestissimus mentem, perdidit sensum, amisit consilium, insectatur patrem, fugat innocentem, insequitur genitorem, usurpat imperium, potestatem arripit, regnum invadit ; non ut cum patre societatem regni ineat, sed ut totum regnum patris sanguine possideret. perdidit, inquam, Absalom consilium, dum parricidio cupit mercari imperium : amisit sensum dum per exitum patris consequi desiderat regnum. Festinat, quærit innocentem opprimere vetus, patre superstite moriturus, vult David furorem filii fugiendo compescere : desiderat declinando parricidæ sævitiam temperare, sed crudelitas mente concepta jam sedari non poterat, quam immanis sævitia ad perficiendum facinus provocavit. Vnius parricidæ furor tot millia insanire compellit ; unius dementia dementes effecit multos, &c.

Oratio digna est quæ legatur, in quâ parricidiæ scelus mire exaggerat, & Davidis pietatem commendat, & congruam pœnam parricidio paratam ostendit, & tandem sic claudit : *Novo supplicio debuit interire, qui seculo novum scelus, per patris exitium, voluit inferre.*

71. Ambitio immensa, id est sine mensurâ.

Verè honorum amor ultra omnem mensuram se extendit. Seneca : *Ambitio non patitur quemquam in eâ mensurâ honorum conquiescere, quæ quondam fuit ejus impudens votum.* (id est : quò pervenire, cùm exiguus, obscurusque esset, nec sine impudentiâ optasset) *Vltra se cupiditas pervigil, & felicitatem suam non intelligit : quia non unde venerit respicit, sed quò tendat* : 2, de Beneficiis, cap. 27.

72. Vana ambitiosorum spes.

Idem lib. de brevitate vitæ cap. 19, *Quosdam*, inquit, *cùm in summum ambitionis enitentur, inter prima luctantes ætas reliquit : quosdam cùm in consummationem dignitatis per mille indignitates crepsissent misera subrit cogitatio ipsos laborasse in titulum sepulcri*, (ut ipsorum honores sepulcro inscriberentur;) *quorumdam ultima senectus, dum in novas spes ut juventa disponitur, inter conatus magnos & improbos invalida defecit.* Hactenus Seneca.

Cùm honorum cupiditas vana sit, fumos, nebulas, auram captans, nescit tamen modum.

73. Ambitio ignis, ventus.

Libro Esdræ 4, cap. 4 proponit Angelus Vriel Esdræ varia problemata : inter alia verò ait versu 4: *Vade, pondera mihi ignis pondus, aut mensura mihi flatum venti*, &c. Ambitio est devorans ignis, quis illum appendere poterit in statera? ventus est, quis illum in modio poterit continere? Abyssus est, quis poterit venas, vel scatebras ejus numerare?

Volare quidam terræ, maris, &c. terminos repertos, cor humanis modo caret.

Docent quidam Physiologi terræ medium à Geographis repertum, bolide profundum maris deprehensum, montium Riphæorum altitudinem exploratam, extremum Caucasi specum penetratum, fontes Nili inventos. Sola humani cordis cupiditas termino caret. Ieremiæ 17, 9. *Pravum est cor omnium & inscrutabile; Quis cognoscet illud?*

74. Ambitio misera.

S. Cyprian. Sermone de zelo & livore, ostendit etiam ambitiosorum miseriam, dum aliorum honoribus invident. Siquidem invidia, inquit, *illustrium prosperitate torquetur, aliorum gloriam suam pœnam facit.*

Lege Senecæ epistolam 94 maximè sub finem, ubi agit de ambitione & crudelitate Alexandri, Cn. Pompei, C. Cæsaris: de quo hæc eximia:

75. Gloriæ cupiditas in C. Cæsare.

Quid C. Cæsarem in sua fata, pariter ac publica, misit? gloria & ambitio, & nullius supra ceteros eminendi modus? Vnum ante se ferre non potuit, cum respubl. supra se duos ferret. Sed nec ab hoc dulci veneno & sævâ cupiditate immunes feminæ.

76. Regnandi libido in Athalia.

Scelere ab uno disce ceteras. 4 Reg. 11 v. 1, *Athalia mater Ochoziæ, videns mortuum filium suum, surrexit, & interfecit omne semen regium :* nimirum ut ipsa sola rerum potiretur.

77. In Herode Idumæo infantium interfectore.

Sic Herodes, ut regem Iudæorum interficeret & firmaret alienigena regnum sinum Matthæi 2: vers. 16, *videns quod illusus esset a Magis, iratus est valde, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus ejus a bimatu & infra.* &c.

Maximam hanc puerorum turbam fuisse hinc colliges, si rationem inire volueris puerorum, qui in aliquâ non solum urbe, sed & regione per biennium in lucem effunduntur. Hinc *planctus & ululatus multus Rachel plorans filios suos*, id est, mulierum duarum tribuum Iudæ & Benjamin deflentium injustam cædem suorum liberorum, non tantùm modò editorum, sed omnium omnino bimestrium & trimestrium & semestrium, & anniculorum, & bimulorum. Hos omnes Herodianus mucro, ut flosculos & modò erumpentes gemmas demessuit, ut interim taceam ejus in domesticos & proprios filios truculentiam.

78. Ambitio omnis nequitiæ seminarium.

Verè dixit Nyssenus Gregor. ϯ φιλαρχίαν ἀρχὴν εἶναι καὶ ὑπόθεσιν πρὸς τὰ χείρω ῥοπῆς, id est, *appetitum dominandi esse principium & fundamentum inclinationis ad deteriora*; & matrem præterea omnis nequitiæ. Subitò enim atque hæc aura animum afflaverit, statim lues pestifera illum corrumpit. Quin verò quem hæc rabies efferavit, ocyus in belluam convertit.

VERSVS VII.

Mense primo (cujus vocabulum est Nisan) anno duodecimo regni Assueri missa est sors in urnam, quæ Hebraicè dicitur phur, coram Aman, quo die & quo mense gens Iudæorum deberet interfici : & exivit mensis duodecimus, qui vocatur Adar.

Hebraicè. In mense primo (ipse est, mensis Nisan) in anno duodecimo Regis Achasueros projicere fecit פור Pur, ipsa est, גורל Goral (id est, sors) coram Aman à die in diem, & à mense ad mensem duodecimum, ipse est mensis Adar. Iosephus hujus sortis in urnam missæ non meminit.

COM-

COMMENTARIVS.

LOco explicationis accipiat Lector verba Saliani tomo quinto, anno Mundi 3601, Artaxerxis Longimani duodecimo, quæ sic habent.

Cùm fixum esset crudeli Amano sui contemptum omnium Iudæorum interitu vindicare, rei exequendæ tempus sorti committendum putavit, & descriptis mensium omnium nominibus, & in urnam conjectis, Dei sortes attemperantis nutu Proverb. 16 vers. 33, mensis duodecimus exiit: & rursum alterâ sortitione dies ejus mensis decimus tertius (ut hic vers. 13) sive, ut est in Græco, decimus quartus (ut infrà cap. 13, ℣. 6.)

Apparet autem hîc primùm temeritas hominis, qui prius sortitur, quo tempore sibi invisos Iudæos interfecturus sit, quam à Rege tanti, tamque ardui facinoris potestatem petierit, aut impetrarit.

Apparet deinde ejusdem cæcitas, quòd non viderit tantum temporis intervallum rebus suis parum convenire, cùm eo tempore Iudæi multa agere contra regem in tam multis ejus imperii locis, ex summâ animi desperatione possent; aut certè, quod minimum est, fugâ sibi consulere, & omnia ejus consilia irrita reddere.

Apparet etiam divina providentia, quæ longissimum tempus sortibus ordinarit, ut intra id tempus remedium imminenti malo adferri posset.

Adjungamus his Rupertum, eadem suis verbis edisserentem lib. 8, de victoriâ verbi Dei cap. 11, & 12. Sic ergo ad verba textus nostri illustranda scribit cap. 11: *Consideremus altitudinem cordis superbi in ipsâ præparatione malignitatis: Nondum sciebat stultus, utrum deberet gens Iudæorum interfici, & forte jam quærebat, quo die, quo mense deberet interfici, forte putabat se tantum, & tantus erat in oculis suis, ut in manu sua mors hominum & vita credi deberet constituta, & idcirco voluntatem suam satis esse judicans de interfectione quærendum censebat à sortibus solummodo de interfectionis tempore. At ille, cujus carnis originem secundum sortes illas putabat præcidere, jam dudum dicebat per os prophetæ*: (Psalmo 33, 15) *In manibus tuis sortes meæ.* Amani stultitia.

Reliqua quæ sequuntur, quia Allegorica sunt, hîc prætermitto.

Pergit porrò Rupertus cap. 12; cùm ea quæ dixerat cap. præcedente, repetiisset: *Deinde & in hoc illusus est Aman, quòd, dum susceptâ morâ tantæ dilationis interim pendet sententia mortis, opportunum facit universæ genti spatium, quod sufficere possit ad legationes mittendas in longinquum, id est, in altitudinem cœli; unde auxiliares copiæ deberent conduci, scilicet jejunia, lacrymæ, preces, quæ nimirum idoneæ legationes erant & sunt ad invitandum seu invocandum de cœlo auxilium Domini. Profectò etsi prope erat (ut est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate) nihilominus tamen erat necessarium tam longum à sortibus datum dilationis spatium, ut sufficeret tempus currentibus ad principes & populos tot provinciarum, ut novis epistolis veteres Aman litteræ infidiatoris & hostis Iudæorum, quibus eos in cunctis regis provinciis perire præceperat, corrigi possent, priusquam termino temporis concluderentur.* Huc usque Rupertus.

Igitur cùm à nuptiis Esther anni quatuor effluxissent, cujus patria & genus ignorabatur ab Amano & Assuero (alioquin numquam tam immane facinus vel ille tentare ausus fuisset in Iudæos, vel hic tam temerarium edictum sanxisset,) mense anni primo, qui dicitur Nisan, & Martio nostro respondet, ab aliquo, jubente Amano, jactæ sunt sortes in urnam, ut per has consuleret dæmones, quo mense & die expediret & commodum esset Hebræos perdere, primùm tamen super hoc fraudulenter Regis impetrato Rescripto.

Nota verò, Hebraicè non haberi *in urnam* sed Hieronym. illam vocem expressit, quia usitatius sortes in urnam mittuntur, & inde eximuntur, cùm de re aliquâ quæritur, vel disceptatur vel electio expectatur: alioquin, ut hîc observant Feuardentius, & Serarius, κληρονομία, vel etiam κληρομαντία variis modis fiebat, uti sortium jactu, cùm tesseras jacimus, ut sortiamur cujus res futura sit, vel mittuntur in hydriam, ut est apud Ciceronem Actione 4in Verrem, vel in galeam, Iliados H, vel in situlam, ut in Plauti Casinâ, vel in sinum, ut Proverb. 16. Sortiendi varii modi.

Nota 2, Interpretes pleroſque existimare vocem Phur, vel Pur esse Persicam, & sortem significare. Ita Cajetan. Liran. Serarius, Vatablus, Sa, & alii. Verùm dicendum est planè esse Hebraicam, ut ait hîc S. Hieronymus; & Pagninus illam deducit à פור id est, conterere; sic dicitur torcular, in quo uvæ conteruntur, & inde sors ipsa per metonymiam, qua accipitur continens pro contento. Ioannes tamen Furstellus in Lexico cùm derivari putat à radice פור id est, labi, cadere: unde dicta sors à lapsu & jactu calculorum in urnam. Phur vel Pur, id est sors, dicitur Hebræa.

Et probatur inde, quod dies festus posteà institutus in memoriam liberationis Iudæorum nomen accepit non à גורל Goral, sors, ut diceretur Goralim, sed à פור Phur, & appellaretur Phurim: licèt in quibusdam Græcis libris malè legatur Phrurim φρουρὶμ; delendum prius ρ, & dicendum, Phurim; etsi Iosephus, ut suo loco dicemus, vocet dies φρουραίους, alludens ad Græcam vocem φρουρὰ custodia & φρουρὸς, id est custos, quasi dicas dies servatorios: de his autem pluribus posteà. Ergo voces illæ Hebraicæ Goral & Phur idem significant, scilicet sortem.

Nihilominus, ut aliquid aliud sentientibus demus, dici potest linguâ Susianâ, quâ familia Amani utebatur etiam sortem appellatam esse Phur vel Pur, cujus tamen origo fluxerat ab Hebræo idiomate, quo communiùs sors dicebatur Goral: Nec hoc mirum, cùm linguæ Orientales fuerint affines.

Nota 3, ex textu Hebraicò colligi hunc modum sortiendi usurpatum ab Amano, ut primò de die in diem sors esset, id est, inquireretur, quo die mensis cædes patranda esset, an primo, secun-

cundo, & sic deinceps; postea verò de mensibus, an primo secundo tertio, & ita de reliquis; exivit vero mensis Adar, qui Februario nostro respondet, estque mensis duodecimus, & dies ejus decimus tertius, vel, ut est in Græco, decimus quartus, ita ut undecim integri menses inter sortem missam, & eædem conficiendam intercederent, quo medio spatio dabatur Iudæis vel fugiendi, vel se Hierosolomitanis civibus suis conjungendi, vel aliud quippiam moliendi opportunitas maxima: Interea etiam Deus dedit mentem Regi, ut præteritæ memoriæ commentarios consuleret, & honori, salutique Mardochæi, & Iudæorum consuleret. An verò nomina mensium & dierum numerus calculis, vel schedis, vel bacillis inscripta fuerint, & sic conjecta in urnam vel situlam, & inde educta, non liquet.

Dissertatio.

Quotuplex sors, quæ licita, quæ illicita?

QVoniam hoc de argumento scripserunt Scholastici Doctores cum D. Thomâ 2.2, q. 95. à 8. Interpretes passim, & inter alios fusè hoc loco Francisc. Feuardentius; Sed & omnium uberrime Francisc. Suarez tomo primo de Religione Tractatu tertio lib. 2, c. 12, & Martinus Delrio Disquisitionum Magicarum tom. 2, libro 4 cap. 2, cap. 2, quæst. 7 sect. 3 & sequentibus: ideo paucis hîc agendum.

79. Triplex est sors.

Nota autem est divisio in Scholis recepta, quâ dividitur sors in divisoriam, consultoriam & divinatoriam: ordinariè verò licitæ sunt sortes divisoriæ; divinatoriæ vero (sive sortilegium) cum divinatio in malam ferè partem jam accipiatur, ubi videlicet sortium directio & successus à Dæmone expectatur, & dicitur κληρομαντεία, natura sua sunt illicitæ: quia verò sors, coram Amano in situlam vel urnam missa, consultoria fuit, qua inquirebat quo mense & die Iudæi essent interficiendi, ideo de illâ dicendum.

Statuo ergò cum Theologis consultorias sortes, quibus inquiritur quid aut quo tempore agendum, esse vetitas; cum enim nefas sit illud, nisi à solo Deo inquirere, & Deus non velit nos suam voluntatem per sortes indagare, sed vel petere ab Ecclesiâ, vel scripturâ, vel nostris superioribus, vel viris virtute & doctrinâ præstantibus, liquet illud ordinariè non licere. Adde periculosum esse sortibus uti, quia facilè se illis dæmon immiscet & hominibus illudit. Vnde mortale est quando in illis aliquid superstitiosi adhibetur, vel sorti certa fides adjungitur, vel passim sortium jactu actiones suas quis dirigit: Veniale autem, si per sortes simpliciter voluntatem Dei inquirat, & debilem solum assensum iis adhibeat, vel putans esse Dei voluntatem, aliquid indifferens ex sortitione faciat.

80. Consultoriæ sortes sunt ordinariè illicitæ & aliquando in illis est mortale, aliquando veniale peccatum.

Adverte tamen licitum esse sortibus uti, quando humanum consilium non suppetit in re arduâ & ancipiti. Tunc enim merito sperare quis potest Deum sortes illas moderaturum juxta illud Proverb. 16, vers. 33. *Sortes mittuntur in sinum, sed a Domino temperantur*: hoc tamen casu magnâ cum reverentiâ & submissâ ad Deum precatione utendum. Quod certius est, quando ad hoc excitat divina inspiratio, ut accidit Iosuæ c. 7, ubi Achan proditus est reus sublati anathematis judicio sortium.

81. Quando licitum sorte consultoriâ uti.

Tale quid habemus de S. Francisco Seraphico apud Bonaventuram cap. 13 vitæ ejus, his verbis: *Immissum est ejus menti per divinum oraculum, quod in apertione libri Euangelici aperiretur ei à Christo, quod Deo in ipso, & de ipso maxime foret acceptum. Oratione itaque cum multâ devotione præmissâ, sacrum Euangeliorum librum de altari sumptum, in Sanctæ Trinitatis nomine aperiri fecit per socium, virum utique Deo devotum & sanctum. Sanè cùm in trinâ libri apertione semper passio Domini occurreret, intellexit vir Deo plenus, quod sicut Christum fuerat imitatus in actionibus vitæ, sic conformis ei esse deberet in afflictionibus & doloribus passionis, antequam ex hoc mundo transiret.* Hæc ibi.

82. S. Francisc. ejus apertione libri Euangelii discit Dei voluntatem.

Affine omnino huic puto, quod de S. Ignatio Lojolâ Societatis nostræ parente referunt Petrus Ribadeneira & Petrus Maffejus, cujus posterioris hîc verba refero ex libro primo vitæ ejus cap. 3: *Quo tempore Ignatius, cum seculum animo jam proposuisset deserere, ad montem Serratum religionis causâ proficisceretur, erant in Hispaniæ finibus Maurorum multæ reliquiæ: quos nefariæ superstitioni Mahometis addictos Fernandus Cæsar haud ita pridem è suo pepulerat regno. Ex eâ igitur fece quidam insidens mulo, Ignatium fortè assecutus, comitem se illi adjunxit: ac nonnulla primum (ut fit) de itinere sciscitantur; variis deinde sermonibus eò devenitum est, ut de singulari Mariæ virginitate disserrent, quam cum nefarius ille ante partum quidem integram, illibatamque fuisse fateretur, à partu verò nequaquam; contra verò Ignatius ab ejusmodi errore quibuscumque poterat rationibus hominem revocare contenderet: post multam altercationem magis, magisque obstinatus impius ille, cùm oblatam sibi veritatis lucem intueri nollet, repentè non sine rabie quadam subditis mulo calcaribus antecessit, seque celeriter ex Ignatii conspectu proripuit. Quo facto vehementius irritatus Ignatius, parum abfuit quin statò gressu persequeretur abeuntem, & pugione confoderet, facinus indignum existimans non tam contemptum relictumque superbe se, quam de summâ castimoniâ & sanctitate Reginæ Angelorum ausum fuisse vilissimum caput ore polluto detrahere; cumque militari etiam tum spiritu, religionis officiique momenta perpenderet, sese vix pietatis satisfacturum putabat, si tantas blasphemias pateretur inultas, neque ab impuro dæmonis mancipio pœnas petulantis linguæ reposceret. Verumtamen incitatum jam generosi pectoris impetum retardabat suspicio latentis in tam speciosâ cogitatione piaculi; metusque probabilis, ne per hanc animadversionem, & cælestè Numen, & eam ipsam, quam defendere conabatur, virginem offenderet. Cum igitur multa secum agitasset, motu corporis pariter atque animo varius; ad extremum, sanè quam præcipiti consilio statuit ad bivium usq; procedere, unde Maurum ex habito colloquio ad proximum pagum noverat divertisse. In eo bivio laxatis omnino mulæ, quâ vehebatur, habenis, ita de re totâ interpretari, ut si bestia ipsa per se Mauri vestigiis insisteret, non dubitaret, quin accepta futura esset ultio Majestati Divinæ: sin minus, pro certo putaret, nequaquam id officii à se Deum, Beatamque Virginem postulare. Hac ille mente processit ad bivium; cùmque pagus ille, quem diximus, abesset diverticulo passuum non amplius quadraginta,*

83. S. Ignatius Lojola similis sorti se committit in re dubiâ.

ginta, viâ facili ac spatiosâ, planè divinitus factum est, ut sponte suâ jumentum angustiore via Barcinonem versus iter arriperet. Atque hunc in modum Ignatius in re tam gravi nullo pia ipsius studia regente periclitatus, letalis noxæ crimen felicius effugit quam sapientius. Hæc Maffejus.

Mihi autem non dubium, quin divina providentia in re tam anceps mentem illius illustrarit, cum deesset, qui illum dirigeret, recti consilii Magister.

84. Similia exempla ex scriptura.

Sic Genesis 24 servum senorem Abrahæ adjuvit Deus oratione postulatus, ut sponsam futuram Isaaco agnosceret. Ita & 1 Regum 14, Deo haud dubie monente Jonathas ex verbis Philistinorum omen accepit eos cum armigero suo invadendi. Sic alii & in scripturâ & aliis historiis in re ardua & necessaria pertinente ad Ecclesiæ vel proximi utilitatem & Dei gloriam per sortes Deum supplicitèr consuluerunt sine peccato: unde & divinitus administratæ fuerunt. Sic facta electio Saulis ad regnum, & S. Matthiæ ad Apostolatum, de quâ sortitione videndus V. Beda in caput primum Actuum Apostolorum & Leonardus Lessius l. 2 de Justitiâ cap. 43, Dubitatione nona.

Ceterum divina providentia sic moderata est consultorias vel divinatorias sortes Aman, quibus a dæmone superstitiosis ritibus quærebat, quis mensis & dies cædi & internecioni Judæorum opportunus esset, ut in horum quidem emolumentum cederent, dum tempus illis datur sibi vel per humana præsidia, vel per divina prospiciendi ut & fecerunt; in caput verò ipsius consultoris, & inimicorum Hebræi nominis retorquerentur, dum ipse quidem patibulo affigitur, illi verò eodem die & mense trucidantur, ut suo loco dicetur.

85. Divina providentia etiam superstitiosas sortes moderatur.

Sic sortes divinatorias nautarum (de quibus habemus Jonæ primo ℣. 7: *Et dixit vir ad collegam suum: venite & mittamus sortes, & sciamus quare hoc malum sit nobis. Et miserunt sortes, & cecidit sors super Jonam.*) Deus ita temperavit, & direxit, ut Jonas reus deprehenderetur, culpam suam agnosceret, & ad Dominum reverteretur. Ita ibi S. Hieronymus: *Fugitivus sorte deprehenditur non viribus sortium, & maximè sortibus Ethnicorum, sed voluntate ejus qui sortes regebat incertas.* Sic gubernavit, & ordinavit omen superstitiosum, quod captabant Philisthæi ex vaccis tendentibus contra Bethsames, de quo primi Regum 6, ℣. 9.

Primum Documentum Morale.

Urna, in quam sortem conjecit Amanus similis Urnæ fortunæ, sive contractui sortium, quam vulgo Loteriam vocant.

86. Quid contractus sortium vel Loteria.

AGit de ludo ollæ vel urnæ Delrius tomo 2 Disquisitionum Magicarum lib. 4, cap. 4, quæst. 2, quem vocant contractum sortium vel Loteriam. Instituitur autem publicè consensu Reipubl. vel principis, hoc modo. Plura cemelia, v. g. supellex aurea vel argentea, annuli, specula, scyphi &c. proponuntur, sortienda vel sorte dividenda inter eos qui symbolas contulerunt, locantur autem duæ ollæ, situlæ vel urnæ, quarum unâ nomina continentur eorum qui symbolas dederunt, alterâ verò nomina cemeliorum, quæ exposita sunt; ut vero expositor mercium non faciat damnum, sed ad æqualitatem & justitiam pretii perveniat, quod mercibus suis respondeat, nominibus eorum plures schedulæ permiscentur, in quibus scriptum, *Nihil*. Atque ita fit sæpicule, ut qui pro symbolâ nummum unum duntaxat in urnam jactaverat, magni valoris pateram auream, vel vestem opere Phrygionico elaboratam sortiatur; is verò qui plures nummos situlæ vel ollæ immiserat, pulchrum *Nihil* educat, & toti coronæ ludibrium fiat.

87. Amanas ex urnâ fortunæ nihil eduxit, nisi proprium exitium.

Sic Amanus, dum menses & dies, quibus cædes Judæorum patranda foret, urnæ fortunæ committit nihil prorsus assecutus est, illi verò qui nihil illi injecerunt, sed sortes suas in manibus Dei habebant, periculum sibi paratum evaserunt, & maximis insuper honoribus cumulati sunt, Esthera & Mardochæus, Amani familia & opibus ditati. Quod etiam magis mirandum est; Amanus ex urnâ illâ non solùm nihil utilitatis eduxit, sed crucem altissimam sibi & filiis exitium comparavit, dum vice versâ Judæi superiores fiunt, & de ipso & adversariis vindictam sumunt.

Adferam huic Amanicæ urnæ similem, quam nobis describit Georgius Stengelius tomo 2 sui Labyrinthi parte priore cap. 8. § 4. n. 12. Anno 1613 Ratisponæ cum Cæsar Matthias cum Imperatrice versaretur, atque eodem plurimi undique proceres ad res imperii componendas, magnâ frequentiâ confluxissent, convenerunt etiam, ut ferè fit, post magna corpora magnæ umbræ, turba morionum, parasitorum, sycophantarum. Ibi dum quisque suas artes, suos ludos, ingeniumque promit, & sua deprædicat, ecce tibi prodit unus tam in Bavaricâ quàm in Cæsareâ aulâ celebris ludio, cui aliàs in hujusmodi spectaculorum certaminibus, præsertim verò in urbanitate jocandi ceteri facilè cedebant. Sycophantæ & ludiomi nomen erat Jonas. Hic instituismodi rem commentus est. In atrio aulæ Cæsareæ theatrum erexit, in circuitu verò collocavit abacos, extendit funes, perticas fixit. In perticis arma proposuit, de funibus vestes varias, pannosque versicolores suspendit, in abacis vasa aurea, argentea, torques, annulos, gemmasque & quidquid apud palatinos in pretio est, longâ serie collocavit. Dixisses eum mundo mundum ostendere voluisse, & curiosis oculis cupidisque animis irritamina reperisse.

His ita compositis, magnam hominum vim omnis sexus, ordinis, dignitatis sponte hujusmodi novitatum & amœnitatum avidam, insuper etiam tympanorum pulsu, & tubarum clangore convocavit. Non pauci etiam erant, quos lucri cupiditas excivit. Eam enim facié res habebat, ut haud difficili conjecturâ intelligi posset, urnam fortunæ esse quatiendam (sive Loteriam instituendam) quæ multis sæpe vilissimo nummo magna solet præmia comparare. Impleta jam erat vasta area spectatorum multitudine, fenestræ omnes, tectaque ipsa undique obsidebantur; cùm tandem & ipse Cæsar, & Imperatrix spectatū prodierunt (ipso Cæsare solo totius doli & technæ conscio.) Magna erat omnium expectatio, ingens cupido videndæ, experiendæque

for-

fortunæ. O spes inanes! ô stulta mortalium vota! Prodit ad extremum tamquam Rex Tragicus, ipse ludio, alter Roscius, grandem in manu gestans urnam, levique pretio ad ingentia lucra alliciens spectatores. Hic ergo quisque primus in theatrum conscendere, manumque in urnam immittere cupidissime gestiebat, ut inde vestem Attalicam aut poculum gemmis distinctum educeret.

Nocet aliquando vel officio vel dignitate alios anteire. Etenim qui etiam hic in honore primi habebantur, primi ibant ad suum ruborem quantoque manum injiciebant cupidius, tanto majores apud imperatorem excitabant cachinnos. Nam audite dolum, & sycophantiam inauditam. Morosophus ille vel ludio non schedulas præmiorum indices in urnam injecerat, sed vivam bestiam., echinum vel herinaceum mille spiculis horridum, mille aculeis fodicantem. Itataque quisquis in urnâ schedas nomine præmiorum inscriptas venabatur, plagas referebat, nec manu dumtaxat rubente redibat, sed etiam fronte, tantoque eo panurgeumate & artificio plures ludificabantur, quanto quisque dolorem suum amplius dissimulabat, ne solus rideretur, si fraudem impatientiæ signo prodidisset. Sunt qui dicant Imperatricem ipsam primam manus in Echinum latentem impegisse. Hæc de figmento Loteriæ Stengelius & sycophantæ lepida impostura.

88. Cujusdam Sycophantæ mira impostura.

Similis urna Amano objecta, in qua dum mensem & diem, quibus Iudæorum gentem internecione deleret, quæritat, echinum invenit, spinis horrentem, aculeis armatum, cujus contactu insciis se convulneravit, & dum eorum bonis inhiat, & se sanguine innocentum explere cogitat, ipse sibi patibulum, & suis affectis exitium parat. Sic fors, immo deus omnia versat. Menses & dies quos Iudæis fors illa ad mortem destinaverat, versâ vice, Amano, familiæ, filiis, & omnibus Iudæorum hostibus funesti fuerunt & infortunati. Multos hoc modo veteranus Sycophanta & Tartareus ludio in hujus mundi urna deludit, qui dum lucrum in eâ sectantur, pungentem echinum reperiunt, & periculum pro emolumento reportant.

Alterum Documentum Ethicum.

Ambitio improvida, cæca, temeraria.

Regina urbem regiam subiens magno nobilium matronarum & ingenuarum puellarum comitatu stipatur nec solitaria procedere solet. Hoc in mundo Ambitionem velut dominam & Reginam latè regnare, & sceptrum tenere dubitare nemo potest, qui legerit illud 1, Ioannis 2, 16: *Omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.*

Ambitio regina, cujus multæ pedisequæ.

His enim impotentibus heris vel potius tyrannis serviunt homines mundi hujus amatores; omnibus autem superemunet Ambitio, multis pedissequis stipata; ut crudelitate, de qua actum v. præcedente; temeritate vel cæcitate, de quâ modò tractandum.

Quis enim superbissimum Amanum excæcatum neget, quasi Iudæos in manu & potestate sua haberet, de illis sortes consulit, quo die & mense trucidandi forent, cùm

Multa cadant inter calicem, supremaque labra.

Adumbratum hoc est in Nabuchodonosore, qui cum divinos honores affectasset, in feram degeneravit Daniel. 4, 29, cum feris & bestiis vitam egit, in terram projectus fœnum ut bos comedit, &c. fumus enim & pulvis, vel potius igneus honoris clypeus, id est gloriæ immensa cupiditas prudentiæ & rationis lumen in eo exstinxerat; ideo & postea ibidem v. 31, cùm ad infimam bestiarum conditionem humiliatus resipuisset, sic loquitur: *Igitur post finem dierum ego Nabuchodonosor oculos meos ad cælum levavi, & sensus meus redditus est mihi: & Altissimo benedixi, & viventem in sempiternum laudavi & glorificavi.* Incredibilis fastus mentis ejus oculos antè obnubilaverat, quem Deus exteriorum corporis sensuum perturbatione & alienatione castigavit.

89. Nabuchodonosor ambitione excæcatus.

Pari modo densâ caligine Absalomus obtenebratus fuit, & robur exercitus ejus, ita ut Achitophelis consilium sibi rebusque suis opportunissimum, & ad patrem opprimendum maximè accommodatum non cognoverit, ut refert liber 2 Regum cap. 17, v. 14: *Domini autem nutu dissipatum est consilium Achitophel utile, ut induceret Dominus super Absalom malum?*

90. Ita etiam excæcatus Absalom.

Idem etiam manifestus apparet in Antiocho Epiphane sive Illustri, qui ignem spirans animo in Iudæos, sibi videbatur etiam fluctibus maris imperare, supra humanum modum superbiâ repletus, & montium altitudines in staterâ appendere, tandem insananabili plagâ à Deo percussus & humiliatus manifestam virtutem ejus in semet ipso contestabatur; ita ut de corpore impii vermes scaturirent, & viventis in doloribus carnes ejus effluerent, odore etiam illius & fœtore exercitus gravaretur. & qui paulò antè sidera cœli contingere se arbitrabatur, cum nemo poterat propter intolerantiam fœtoris portare. Hinc igitur cœpit ex gravi superbiâ deductus ad agnitionem sui venire divina admonitus plagâ, per momenta singula doloribus suis augmenta capientibus: & cum nec ipse jam fœtorem suum ferre posset, ita ait: *Iustum est subditum esse Deo sentire*, &c. Vide lib. 2 Machabæorum caput 9.

91. Antiochum etiam superbia excæcavit.

Homines typho fastuoso inflati, qui cùm parum aut nihil possint, majora viribus præsumunt, haud absimiles aviculæ exiguæ è genere carduelium, cui Taurus nomen, teste Plinio lib. 10 cap. 42, nasciturque in agro Arelatensi, sic autem dicta, quod taurorum boatus, mugitusque imitetur: addunt quidam etiam boando rumpi.

92. Ambitiosi similes avi, quæ Taurus vocatur.

Rana, ut est apud Phrygem Mythologum, & Horatium, in prato prope se ingentem bovem conspicata molem ejus se æquare posse præsumebat. Certatim igitur se magnâ contentione inflabat: Ad quam junior ranunculus, Non si te ruperis, inquit, mater, prævalebis. Sic arrogantia tumidi & insolentes magna moliuntur, exigua possunt.

93. Ambitiosa rana Æsopica.

Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus:

Instar utris vel vesicæ vento insolentiæ & spiritu jactantiæ turgescunt, sed, si vel aciculâ pungantur, detumescunt statim. Meritò in illos jactes illud Venusini in Arte Poëtica:

94. Vesica vento inflata.

Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?

De-

95. Similis Democratis.

Democrates, ut ajunt, multarum palmarum nobilis athleta, jam senior, & labore fractus arcem ascendens, cum crebro anhelitu pulsaretur, magnum spirare se dicebat, parum valere. Asthmata sunt, & spiritus anhelorum, qui frequenter animam reciprocant, non solidæ vires. Animi tumor & infirmitas hos flatus & spiritus effundit, non verum pectoris robur educit.

Semper jactabundus, & superbiâ inflatus stultitiæ & temeritatis suæ vestigia fœda reliquit.

96. Empedoclis cæca ambitio.

Empedocles Poëta & Philosophus Siculus clam relictis sociis Ætnam montem conscendit, & in ardentem ejus craterem se injecit, eâ mente, ut, cùm nusquam compareret, inter Deos assumptus crederetur. Sed vi & impetu ejectis forceis ejus crepidis, fraus deprehensa est. Breviter de eo Horatius sub finem libri de Arte Poëtica: *Deus immortalis haberi*

Dum cupit Empedocles, ardentẽ frigidus Ætnam
Insiluit.

97 Item Calani Brachmanæ.

Similia scribunt historici de Calano Brachmanâ apud Indos celebri, qui secutus Alexandrum Magnum, cum Pasagardis ægrotare cœpisset, facta pyrâ, & aureâ lectica superimpositâ in eâ exustus est. Vide Ciceronem de divinatione primo, Arrianum, Strabonem, alios.

Cupiebat scilicet quam spectatissimè, & Gymnosophisticè mori: sed gementem, qui spectaculo rogi aderant, irrisérunt.

VERSVS VIII, & IX.

Dixitque Aman regi Assuero: Est populus per omnes provincias regni tui dispersus, & à se mutuo separatus, novis utens legibus & cerimoniis, insuper & regis scita contemnens. Et optimè nosti, quod non expediat regno tuo, ut insolescat per licentiam.

Si tibi placet decerne ut pereat, & decem millia talentorum appendam arcariis Gazæ tuæ.

Hebraicè: Dixitque Haman ad regem Achasueros: Est ipse populus unus dispersus & divisus inter populos in omnibus provinciis regni tui, & leges eorum variantes (sunt diversæ) ab omni populo, & leges regis non ipsi facientes (faciunt) & regi non conducens dimittere eos (non est utile, ut dimittat, vel dimittatur.) Si regi bonum (si placet) scribatur ad perdendum eos (ut perdantur) & decem millia talenta argenti appendam super manibus facientium opus ad adferendum ad gazas Regis (ut adducant in thesauros.)

Iosephus sic refert: Igitur Aman adito rege orsus est accusationem; esse gentem quamdam malam, sparsam per universum ejus regnum, insociabilem, abhorrentem à ceteris hominibus, diversis ceremoniis & legibus utentem, infensam & moribus & studiis reliquorum populorum, & totius mortalium generis. Hanc gentem, inquit, si vis subditis tuis gratiam facere, extirpabis funditus, nemine vel captivo, vel servo superstite relicto: & nequid inde tributis tuis decedat, de meis bonis promitto tibi quadraginta talentorum argenti millia, lubenter tantâ pecuniâ carituras, modò regnum tuum repurgetur ab istâ hominum colluvie.

COMMENTARIVS.

His verbis summa continetur orationis, quâ Amanus Regi Assuero suadet, ut gentem Iudæorum funditus perdat, ut nullæ illius reliquiæ superstint. Argumenta autem profert à facili & utili. Pollicetur verò damnum, quod ex ipsorum cæde ærarium regium incurreret, aliunde se compensaturum.

Feuardentius eleganter & copiosè totum Orationis ejus artificium evolvit.

Ad majorem lucem hic adscribo, quæ ipsemet Assuerus de hac accusatione scribit in suo edicto ad universos principes sibi subjectos, conficto verisimiliter ab ipso Amano. Sic ergo dicitur inter alia cap. 13, ℣. 4, & 5.

Aman indicavit mihi in toto orbe terrarum populum esse dispersum, qui novis uteretur legibus, & contra omnium Gentium consuetudinem faciens, Regum jussa contemneret, & universarum concordiam nationum suâ dissensione violaret. Quod cùm didicissemus, videntes unam gentem rebellem adversus omne hominum genus perversis uti legibus, nostrisque jussionibus contraire, & turbare subjectarum nobis provinciarum pacem atque concordiam, jussimus, &c.

Ex quibus collatis inter se videre licet Amanum aggressum esse Regem duabus maximè machinis, ut persuaderet ei totum genus Iudæorum internecione delendum, nimirum quia populus ille, utpote rebellis & seditiosus, pacem & tranquillitatem perturbabat, cùm perversis legibus & moribus vivens à Persarum institutis toto cœlo dissideret & regiis mandatis non obsecundaret. Hæc prima machina.

Altera; ne autem Rex existimaret ex illius occisione, & extirpatione jacturam magnam publicum regni ærarium incursurum, cum populus ille vectigalis summam magnam quotannis Quæstoribus regiis persolveret, adjicit Amanus daturum se operam, ut illud dispendium abundè resarciatur, etiam si propriæ ipsius opes eo nomine nonnihil diminuendæ forent: pluris enim sibi esse publicam concordiam, & legum Persicarum observantiam, domesticarum facultatum exiguo detrimento.

Est populus per omnes provincias dispersus.

Per captivitatem ab Assyriis, & Chaldæis in exilium & servitutem à propriâ regione abductus, nec in ullam civitatem universim conve-

niens, sed per diversas urbes divisus, ita ut si malignari velit, ubique nocere, & tranquillitatem Reipub. perturbare possit. Sic modò Iudæos passim vagos & profugos conspicimus.

Et à se mutuo separatus. Iosephus videtur vertere, insociabilem, & abhorrentem à ceteris hominibus; noster accepit, quòd nullam magnam societatem inter se constituat, vel in unum cœtum multorum capitum conveniat: quo innuitur populum illū, ut putà dissociatum facilius à Persis opprimi, & ne arma conjungat, disjici posse.

Novis utens legibus & ceremoniis. Intellige novis & ignotis in Perside; verùm antiquissimis in suâ regione, quibusdam cum ipso orbe natis, aliis etiam post Cataclysmum datis, pluribus autem ipso regno Persarum mille annis antiquioribus.

Hebræa, ut observavit Cajetan. significant leges, mores, instituta, & ritus esse diversa & aliena à Persarum legibus & moribus, item abhorrere ab ipsorum ceremoniis.

Insuper & regis scita contemnens. Hoc probandum incumbit Amano: nisi fortè indicare velit, Mardochæum noluisse illi divinum cultum exhibere; sicut Imperator præceperat.

Ut insoleſcat per licentiam. Hebr. Chald. Græca ut dimittatur suæ libertati, ex quâ turbæ & seditiones in regno Persarum excitentur.

Eandem accusationem composuerunt hostes Iudæorum & miserunt ad Cambysen 1. Esdræ 4 ℣. 12. ubi inter alia: *Notum sit Regi quia Iudæi, qui ascenderunt à te, ad nos venerunt in Ierusalem civitatem rebellem & pessimam:* & ℣. 13: *Nunc igitur notum sit Regi, quia si civitas illa ædificata fuerit, & muri ejus instaurati, tributum & vectigal, & annuos reditus non dabunt, & usque ad Reges hæc noxa perveniet.* Et ℣. 15. *Et scies, quoniam urbs illa urbs rebellis est, & nocens regibus & provinciis, & bella concitantur in ea ex diebus antiquis: quamobrem & civitas ipsa destructa est.* Hæc populus terræ Iudæis infestus scripsit ad Artaxerxem, id est, Cambysen & ipsum hostem Iudæ.

Si tibi placet, decerne ut pereat. Pluribus additis suprà hæc amplificat Iosephus.

Et decem millia talentorum appendam arcariis gazæ tuæ.

Nota in Hebræo, Chaldæo, & Septuaginta addi argenti, ita ut fuerint talenta argenti, non auri.

Nota 2, Qualia hæc talenta fuerint, cujus valoris & ponderis difficile est æstimare. Feuardentius ex Budæo de Asse, dicit decem millia talenta conficere sexagesies centena millia coronatorum aureorum. Alii scribunt talentum hîc valere tria millia siclorum, id est, nostratium florenorum.

Nota 3, Iosephum non contentum immani illâ summâ decem millium talentorum, ad quadruplum illam auxisse, ad quadraginta videlicet millia; ut inde intelligeremus, quàm immensa fuerit pecuniæ vis, quam annui census nomine Iudæi arcæ regiæ imponerent, qui omnes vias norunt numis acquirendis. abundantissimè ergo damnum vectigalium regiorum illa massâ appensâ resarciebatur. Addit insuper Amanus apud Iosephum, *ne quid tuis bonis decedat, de mea bonis promitto tibi* 40, &c.

Quod si verum est, & si illa Amano steterit mens, perspicuè hinc apparet, quâ rabie furoris, invidiæ, odii, ambitionis Amanus correptus fuerit, qui tantam pecuniæ summam prodigere paratus fuerit, ut Mardochæi sanguine satiaretur, & pro libito toto Persarum imperio hominum innocentium carnificinam exerceret. Verùm similius vero est ex Iudæorum spoliis & facultatum direptione speravisse illum tam ingentem pecuniam se collecturum: nam, ut Regis edictum præfert non solum jussi sunt Iudæi occidi & deleri, sed etiam facultas data est, ut ipsorum bona diriperentur, hîc ℣. 13.

Nota 4, Audiendus hîc Iacobus Tirinus: Offert Aman regi quinque milliones aureorum in specie; si de Atticis talentis sermo est, ut videtur probabile: sin de Hebræis, dupla erit summa. Verisimile autem est ex prædâ Iudæorum hanc summam colligendam. Callido autem consilio defert eam summam Aman regi Assuero: nam sciebat, regem utcumque ad rem attentum, nullo alio argumento detineri posse, quò minus consentiret suæ petitioni de Iudæis simul omnibus jugulandis, quàm quod ingens quotannis summa regiis proventibus ex tributo Iudæorum colligi consueta, deinceps deperiret. Huic malo medendo summam offert, quæ multorum annorum damnis instaurandis sufficeret, nempe ex spolus eorundem Iudæorum. Quod si forte Rex seu pudore præpeditus, seu affectu in Amanum compulsus, oblatam summam non admitteret, in promptu esse sciebat, ut ea omnis in se unum devolveretur. Et ita accidit ex animi quidem Regis sententiâ, sed quò minus re ipsâ frueretur Aman, intercurrit è machinâ cælestis manus, quę pessimi hominis pessima consilia in ipsiusmet caput retorsit. Hæc Tirinus.

Nota 5, Exactè hîc Serarium supputare hanc decem millium talentorum summam sive Hebraicorum, sive Babylonicorum, ad quem Lectorem remitto.

Appendam arcariis gazæ tuæ. Arcarios vocat Quæstores seu præfectos ærarii regii, quos Hebræa nominant factores operum, Cajetan. explicat gestores negotiorum regis, alii præfectos regiis operibus, qui videntur simul fuisse thesauri regii custodes. Per Gazam verò hîc accipe thesaurum, ærarium vel thecam, in quâ pecuniæ regiæ servabantur; quam constat vocem esse Persicam, derivatam fortè, inquit Serarius, à voce Hebræâ quæ hîc habetur, & significat thecam, unde & Gazophylacium.

Monitvm Morale.

Superbia & ambitio profusi, prodiga, malorum extrema.

VT ex pestiferâ radice plura virosa proserpunt germina: sic ex fecundâ malorum superbiâ, & ambitu, si ea furor & odium foverit, tamquam ex multarum capitum Hydrâ teterrima nascuntur scelera; ita ut sapienter pronuntiaverit Sirachides Ecclesiastici cap. 10 ℣. 15. *Initium omnis peccati est superbia:* Et Tobias 4 ℣. 14: *In ipsa initium sumpsit omnis perditio.* Timon μισάνθρωπος ambitionem & avaritiam malorum elementa vocabat, & meritò; ut enim ex primis corporibus omnia generantur, sic ex illis omnia scelera proveniunt.

Hoc

Hoc argumentū deduximus suprà, cùm exemplis ostendimus ambitionem belluam esse efferam, crudelem, addimus esse temerariam, cæcam, improvidam.

Aman odio, & irâ in Iudæos exardescens, & superbiâ incredibili elatus etiam verbis suis declarat illam esse prodigam, & dum insaturabile pectus quadam tenus explerit cæde eorum, quos sibi infestos & adversarios suspicatur, immanes etiam opes profundere. Nec mirum: major enim & ardentior est cupiditas gloriæ, quam pecuniæ.

99. Generosus miles aurum postponit gloriæ.

Videmus siquidem glorioſi spiritus viros passim hanc præ illâ negligere. Ita refert Valerius lib. 8 cap. 14: *Cùm equitis fortis ex præda Gallica aurum T. Labienus largitus esset, Scipioque dixisset: habebis donum viri devitis; ille projecto ante pedes Labieni auro, vultum demisit. Idem verò, ut audivit Scipionem dicentem: Imperator te argenteis armillis donat: alacer gaudio abiit. Nulla est ergo tanta humilitas, quæ dulcedine gloriæ non tangatur.* Hæc ille. Viluit quippe & forduit militi aurum, cum se argento ab Imperatore donari accepit symbolo fortitudinis militaris.

Quid de Amano dicemus Assueri purpurato, inter nobiles Phœnici, fortunæ aureæ pullo, qui favoris regii scalis, vel alis potius ad summæ dignitatis Capitolium volitabat? Calcabat opes, quibus affluebat, dummodo supra se nullum sublimiorem susperet.

Quàm blandum verò nomen sit honos, quàm illecebrosa gloria, quod adjungo, satis indicat, de obscuro & ignobili capite Herostrato, de quo idem, qui suprà Valerius inter externa, §. 5. *Illa verò*, inquit, *gloriæ cupiditas sacrilega. Inventus est enim, qui Dianæ Ephesiæ templum incendere vellet, ut opere pulcherrimo consumpto, nomen ejus per totum terrarum orbem differretur. Quem quidem mentis furorem oculco impositis detexit. At bene consuluerant Ephesii decreto memoriam teterrimi hominis abolendo; nisi Theopompi magnæ facundiæ ingenium in historiis eum suis comprehendisset.* Hæc Valerius. Ergo opulentissimum terrarum fanum inter mundi miracula celebratissimum prodigere flammisque consumere Herostrato pro nihilo fuit, & plumâ levius, ut perenne nomen suo facinore sibi compararet.

100. Herostratus Dianæ Ephesiæ templum incendit gloriæ cupiditate flagrans.

Ex quo obiter colligat Lector, non debere quemquam nostris sacris initiatum putare se ingentia dimittere, cùm lautum patrimonium in sinus pauperum effundit, ut immarcescibilem gloriæ coronam in cœlestibus sibi acquirat.

Narrat liber secundus Machabæorum cap. 4 ℣. 7 & sequent. de Iasone homine scelerati ssimo.

101. Iasonis & Menelai ambitio.

Post Seleuci vitæ excessum, cùm suscepisset regnum Antiochus, qui Nobilis appellabatur, ambiebat Iason frater Oniæ summum sacerdotium, adito Rege promittens ei argenti talenta trecenta sexaginta, & ex reddibitibus aliis talenta octoginta, &c.

Sed operæ pretium est etiam addere quomodo Iasonem nefarium caput sacerdotio excluserit Menelaus de quo ibidem scribitur ℣. 23 & sequent. *Ex post triennii tempus misit Iason Menelaum Simonis fratrem portantem pecunias regi, & de negotiis necessariis responsa perlaturum. At ille commendatus regi, cùm magnificasset faciem potestatis ejus* (adulatus regi, ejus potentiam prædicasset) *in semetipsum retorsit summum sacerdotium; superponens Iasoni talenta argenti trecenta.* (supra illa quæ promiserat Iason.) *Acceptisque a Rege mandatis, venit, nihil quidem habens dignum sacerdotio: animos verò crudelis tyranni, & fera belua iram gerens.* Hæc ibi.

Sic homines scelestissimi, Iason, ante dictus Iesus, & Menelaus dictus Onias, nominibus gentis suæ rejectis, sacerdotium, tamquam fundum quempiam venum plus offerenti expositum nundinati sunt.

Porrò hi duo cum Simone, de quo ibidem c. 3 & 4. patriæ delatore, qui contra Oniam sacerdotem Regis Syriæ Seleuci accendit animum, & ad exhauriendum sacrum ærarium exhortatus est, populum Hebræum perturbarunt, & ad defectionem ab avitâ religione sollicitarunt, ut Græcorum mores sequerentur, & eorum Deos colerent.

S. Ioannes Chrysostom. homiliâ 43 ad Popul. Antioch. *ut sævi quidam venti in tranquillum mare delati totum ab imo subruunt, ut & arena cum undis misceatur; sic ambitio & turpis quæstus animam subeuntes omnia subvertunt. Excæcat mentis intuitum præsertim gloriæ furor. Nam pecuniæ quidem contemnere volenti satis est facile: honorem autem a multis collatum despicere, multi laboris indiget, magnæ sapientiæ, Angelicæ cujusdam animæ ipsum cœlestis testudinis verticem tangentis. Non est enim, non est, inquam, vitium ita tyrannicum, & ubique dominans.*

Cyprianus sermone de jejunio & tentatione Christi. *Etiam in sinu sacerdotis ambitio dormit, ibi sub umbra recubat, in secreto thalami se fraudulenter occultat. Simon Apostolorum temporibus venalem putans Spiritum Sanctum Petrum donis aggreditur, & tentat emere potestatem, per quam plura lucretur. Hæc sacrilegi forma per omnia officia, graduſque discurrit, & nihil intentatum ambitio prætermisit. Nec dubitet quisquis diaboli hæc esse negotia, & nundinatores ejus, quicumque hæc exercens commercia.*

S. Ambros. lib. 4 in Lucam c. 4: *Hoc ipso pernicioſior ambitio est, quòd blanda quædam est conciliatricula dignitatum, & sæpe quos vitia nulla delectant, quos nulla potuit movere luxuria, nulla avaritia subruere, facit ambitio criminoſos: Habet enim forensem gratiam, domesticum periculum, & ut dominetur aliis, prius servit, curvatur obsequio ut honore donetur.*

Est ambitio illecebrosa, & blanda animorum raptrix & victrix, à vitiosâ naturâ nobis insita honorum execranda sitis, quæ etiam in senili & effœto corpore sæpe magis exardescit, unde illam dixit Thucydides φιλότιμον ἀγήρων, id est, *honoris amorem senii expertem.* Observatum enim est etiam morti vicinos hac insopitâ flammâ fuisse correptos.

102. Ambitio non senescit; sed in morte durat.

Verè Atticâ eloquentiâ nobilis dixit Plato amorem gloriæ esse ὑστελευταῖον χιτῶνα, *quasi ultimam subuculam vel interulam, quam animus poneret, cùm rejectis corporis exuviis in felicis vitæ lucem penetrat.*

103. Gloriæ amor ultima hominis interula & exuviæ.

Nec minus eleganter scripsit Tacitus loquens de Helvidio Prisco homine sapientiæ laude celebri: *Appetentior*, inquit, *famæ videbatur quandò etiam sapientibus cupido gloriæ novissima exuitur.*

Legendus Cassian. lib. 11 de spiritu Cenodoxiæ, & 12 de spiritu superbiæ. Inter alia verò cap. 3. l. 11 secutus magistrum suum S. Ioannem

104. Amanus periculosus scopulus.

Chrysostom. lib. 3 de sacerdotio cap. 9 Cenodoxiam vocat *perniciosissimum scopulum, improvisum ac miserabile naufragium secundo navigantibus vento, dum non cavetur, nec prævidetur, invehentem.*

Ejus autem indolem paucis describit ibidem cap. quinto:

Pulchrè, inquit, *Seniores nostri naturam morbi hujus in modum cepæ, bulborumque describunt, quæ uno decorticata tegmine alio rursùm inveniuntur induta, totiesque reperiuntur obtecta, quoties fuerint exspoliata.* Hæc Cassianus.

105. Ambitio est similis cepis.

VERSVS X & XI.

Tulit autem rex annulum, quo utebatur, de manu suâ, & dedit eum Aman filio Amadathi de progenie Agag, hosti Iudæorum:

Dixitque ad eum: Argentum, quod tu polliceris, tuum sit: de populo age quod tibi placet.

Hebraicè: Et removit Rex annulum suum de super manu suâ, & dedit illum Haman filio Hammedatha Agagæi angustiatori Iehudæorum:

Dixitque Rex ad Haman: argentum datum tibi sit: & populus, ut facias de eo secundum quod bonum in oculis tuis.

COMMENTARIVS.

TAntum gratiâ & auctoritate apud Imperatorem valebat Amanus, ut quidlibet ab eo impetraret, & quidem ad quælibet obsignanda suo nomine illi daret à manu suâ detractum annulum sigillatorium, potestatis regiæ pignus; quo facto satis indicavit eum sibi in corde hærere, esseque carissimum. Insuper ait se illi condonare immensam illam decem millium talentorum argenti summam, ut illam in usus suos converteret.

Multa porrò sunt, quæ quilibet in hoc Imperatoris facto meritò reprehendat.

Primum, quod nimis faciles, & credulas aures bipedum nequissimo concesserit, quo modo pectoris sui levitatem abunde declarat.

Alterum, quod unius hominis judicio tantum tribuerit, ut illi permiserit impunè in capita innoxia pro libito debacchari, ipsorum bona deripere, & sanguinem innocentem fundere, cum tamen cap. primo ℣. 13, antequam Vasthi regitam repudiaret, convocarit sapientum concilium, eorumque sententias postularit.

Tertium, quod ne quidem populi, quem ad internecionem Aman deposcebat, nomen umquam interrogarit, aut unde in Persidem devenerint, petierit.

Quartum; quod inauditum, ad unius delatoris calumniam, nullis testibus examinatis morti dediderit; cùm tamen cap. 2 suprà ℣. 25, quando eunuchorum conjuratio ad illum perlata fuisset, quæstionem de tanto facinore instituerit, & legitimè examinatos in crucem agi jusserit.

Quintum; quod solùm semel ab accusatore & quidem hoste Iudæorum capitalissimo interpellatus, sine morâ, quod petebat, concesserit, & sententiam suam præcipitaverit.

Sextum; quod plures qui de regno, deque ipso rege bene meriti fuerant, tamquam nefandis sceleribus notatos, proditores, & sicarios sævissimo tyranno pro ipsius arbitrio cruciandos, jugulandosque tradiderit.

Postremum; apparet hîc Monarchæ summi summa etiam & principe indignissima socordia, qui suo loco (quandoquidem ipsè causam cognoscere non volebat) nullum judicem constituerit, qui populum criminum objectorum convictum, si vera essent, condemnaret.

Credebat scilicet Amanum virum esse totius regni sapientissimum, Argo oculatiorem, insuper famulum fidelissimum, cui patriæ salus juxta ac sibi cara esset. Hinc tanti mali causâ processit. Sed Deus socordiam Regis suâ providentia correxit.

Dissertatiuncula de Annulo sigillari sive signatorio.

NIhil hîc dico de annulorum antiquitate, usu, materiâ, formâ, de quibus varii multa tradiderunt, solùm ago, quod est ad propositum nostrum, de annulo sigillari, qui & signum & signaculum, Græcè σφραγὶς, sigillum vocatur.

Fuit usus annuli signatorii vetustissimus: nam illius fit mentio Geneseos 38 ℣. 18. ubi Thamar à Iudâ Patriarchâ pro arrhabone petit annulum ejus; quem de sigillari ibi accipiunt Interpretes. Iterum manifestius Genes. 41, v. 42: *Tulit itaque* (Pharao) *annulum de manu suâ, & dedit eum in manu ejus* (Ioseph.)

106. Usus antiquissimus annuli signatorii.

Hunc autem fuisse etiam sigillatorium dubitat nemo. Hoc enim utebatur Rex ad litteras, & decreta sua obsignanda, eratque symbolum summæ potestatis. Addit Philo etiam hunc fuisse indicem desponsationis: despondet enim hoc sibi Rempublicam princeps. Erat autem Plinius, cùm libro 33. c. primo scribit Isaacis temporibus nullos fuisse annulos.

Sed ad alia loca pergamus. Clarè ejusdem meminit liber tertius Regum c. 21 v. 8. *Scripsit Iezabel litteras ex nomine Achab & signavit eas annulo ejus.*

1 Machabæorum 6 vers. 15: Antiochus Epiphanes dat Philippo amico suo diadema, stolam suam, & annulum; quæ sunt insignia regia. Sed peculiare fuisse Persarum Monarchis sigillatorium annulum manu gestare, vel liber Esther imprimis ostendit, ut hoc versu. Item cap. 8. v. 2. *Tulitque rex annulum, quem ab Aman recipi jusserat, & tradidit Mardochæo.* Rursùs ibidem v. 8. *Scribite*, inquit rex, *ergo Iudæis, sicut vobis placet, regis nomine, signantes litteras annulo meo. Hæc enim consuetudo erat, ut epistolæ, quæ ex regis nomine mittebantur, & illius annulo signatæ erant, nemo auderet contradicere.*

107. Proprium fuit Persarum regibus annulo signatorio uti.

Quod verò Rex ablatum sibi annulum alicui principi concedebat, signum erat summæ dignitatis, quam in illum conferebat, & amicitiæ, quâ se illi devinctum ostendebat, & fiduciæ quam de

ipsius

108. Annulus à rege alicui datus symbolum dignitatis & amicitiæ erat.

ipsius fide conceperat: Rectè siquidem Tullius scripsit ad Q. fratrem lib. 1: *Sit*, inquit, *annulus tuus, non ut vas aliquod, sed tamquam ipse tu: non minister alienæ voluntatis, sed testis tuæ.* Talibus ergo credebat Rex annulum suum, quos existimabat eo non abusuros, vel in suum, vel Reipub. detrimentum.

Vide Herodotum lib. 9, qui meminit σφραγίδος & sigilli regis Darii.

Quæret quis, quod signum in gemmâ palæ annuli inclusâ insculptum Persarum reges habuerint.

109. Signum annuli regis Persarum quodnam?

Respondet Thucydidis Interpres ἐπισφράγισμα sive characterem & signum hujusmodi fuisse. *Annulus signatorius*, inquit, *Regis Persarum habebat ex quorundam opinione formam seu imaginem ipsius Regis*; alii vero putant Cyri primi Persarum regis figuram fuisse signo sive sigillo impressam; alii Darii equum, cujus hinnitu Rex creatus fuit.

Alexander Macedo & annulum signatorium digito gerebat tam suorum, quam etiam Persicorum Regum exemplo. Sic de illo Curtius:

110. Alexandri Magni annulus.

Litteras, quas Alexander in Europam mitteret, veteris annuli gemmâ obsignabat; iis, quas in Asiam scriberet, Darii annulus impromebatur. Iterum idem Curtius lib. 10 cap. 7 loquens de Alexandro animam agente sic memorat: *Alexander propius adire jussis amicis (nam & vox deficere jam cœperat) detractum annulum digito, Perdiccæ tradidit, &c.* Idem refert Iustin. lib. 12, Diodorus & alii. Videbatur autem hoc indicio ab Alexandro morituriente imperium Perdiccæ traditū. Nam sic tradit suprà Iustinus: *Quæ res*, inquit, *gliscentem amicorum dissensionem sedavit, nam etsi non voce nuncupatus heres, indicio tamen electus videbatur.* Verùm Alexander quærentibus amicis, cui relinqueret regnum, respondit, ei qui esset optimus, id est præstantissimo, dignissimo, κρατίστῳ. Ita Diodorus, Arrianus, Curtius, Iustinus. A Græcis ad Romanos sigillaris annuli usurpatio transiit; fere autem in pala annuli gemmam aut lapidem pretiosum characteribus quibusdam Emblematicis, hieroglyphicâ aliqua notâ, aut insignibus gentilitiis cælatum habebant, quibus vel avorum suorum, vel alterius cujuslibet rei admonerentur. Videndus Plinius l. 33 cap. primo; & 37, capite etiam primo.

111. Quales annuli Romanorum.

Nobilitatus est Sardonyx insertus annulo Polycratis tyranni Samii, quem in mare dejectum captus piscis reddidit.

Simili gemmâ signavit & Scipio Africanus, quod illa sola è gemmis ceram non auferret. Ita Plin. lib. 37 c. 6.

Traditur & Pyrrhus rex, qui adversùs Romanos bellum gessit, habuisse in annulo Achatem, in quâ novem Musæ & Apollo citharam tenens spectarentur, non arte sed sponte naturæ ita discurrentibus maculis, ut Musis quoque singulis sua redderentur insignia. Vide Plinium suprà cap. 1. Augustus inter initia sphinge signavit, postea tamen ad evitanda convitia sphingis, Alexandri Magni imaginem impressit.

112. Pyrrhi Regis Achates & aliorum sigilla.

Seleuci regis annulo fatali anchora insculpta. Arius Lacedæmoniorum rex aquilæ signo utebatur draconem unguibus prementis, auctore Iosepho lib. 12 Antiquit. c. 5. Solebant etiam Veteres effigiem ejus, quē in oculis & corde gerebant, in annulis circumferre. Alii verò imaginem majorū, ut Africanus Iunior patris, P. Lentulus, avi. Quidam in gemmâ insculptum ensiferum Leonem, alii quadrigam, alii aliud symbolum.

Annulus hic signatorius in scriptura solet vocari signaculum, ut Cantic. 8, 6: ut *signaculum super brachium tuum*; Aggæi 2 ℣. 24. *Ponam te quasi signaculum.* Ecclesiastici c. 17 ℣. 18: *Eleemosyna viri quasi signaculum cum ipso*; ubique autem semper Græcè est σφραγὶς id est sigillum vel annulus sigillaris; quo etiam postremo loco diximus veteribus annulum illum fuisse summo in pretio tum materiæ, & formæ, tum usus gratia; nec dabatur à summis principibus, nisi illis, quos ipsi eximiè colebant, & à populo coli volebant.

113. Dicitur hic annulus in scripturâ signaculum vel signum.

Appellatur etiam idem annulus in divinis literis nomine signi, ut Ecclesiastici 49 ℣. 13. *Quomodo amplificemus Zorobabel? nam & ipse quasi signum in dexterâ manu.* Vbi rursùs Græcè est σφραγὶς id est, sigillum, vel annulus sigillaris. quo etiam loco diximus Sirachiden respicere ad locum Aggæi suprà; & etiam ad locum Ieremiæ 22 ℣. 24, ubi clara ingeritur mentio annuli signatorii, his verbis: *Vivo ego, dicit Dominus, quia si fuerit Iechonias filius Ioakim Regis Iuda annulus in manu dexterâ meâ, inde evellam eum.*

Sermo autem ibi est de annulo sigillari.

Nota vero varium fuisse apud principes annuli sigillatorii usum; primarius erat regias epistolas obsignare, & alia omnia, quæ ipsi sancta & inviolata volebant, ut patet locis suprà notatis, & insuper ex Daniel. 6, 17.

114. Varius usus annuli signatorii apud veteres.

Deinde serviebat ornatui, maximè cùm palæ smaragdus, aut magni valoris margaritum includeretur. Sic ait Plinius Romanos in digitis opimo censu fuisse oneratos. Vnde & annulus erat equitum insigne: hinc illud Martialis lib. 2 Epigram. 25.

114. Serviebat ornatui.

Rufe vides illum subsellia prima tenentem,
Cujus & hinc lucet sardonychata manus.

Et illud ejusdem lib. 5 Epigram. 11.

Sardonychas, smaragdos, adamantas, iaspidas uno
Portat in articulo Stella, Severe, meus.
Multas in digitis, plures in carmine gemmas
Invenies: inde est, hæc, puto, culta manus.

Plura de annulo vide apud Alexandrum ab Alexandro lib. 2 Genial. Dierum c. 19, & in Andreæ Tiraquelli notis. Item apud Silvestrum Petra sancta libello integro de hac re inter Symbola Heroica.

Paræneſis, ad viros Principes & Optimates.

CONtra nimiam quorundam Regum, & Reipub. moderatorum levitatem in judicando, in delatoribus fidem adhibendo &c. Incredibilis imprudētia, & socordia sē prodit Assueri Regis, cùm Amanum omnium, quos Persia ferebat, sceleratissimum, primùm exaltat dignitate supra omnes Satrapas; deinde magis etiam arguitur animi illius levitas, dum ad nudam ejus delationem non solùm aures, sed & fidem adhibet, & contra omnem juris ordinem, populum omnis noxæ expertem illius immanissimæ truculentiæ exponit.

Hoc nimiæ credulitatis, & facilitatis vitium toxat Sirachides cap. 19 Ecclesiastici vers. 4 his verbis. *Qui credit citò, levis corde est, & minorabitur,*

115. Arguitur animi levitas in credendo delatoribus.

bitur; & qui delinquit in animam suam, insuper habebitur. Sententia autem dicta primariò est a Sapiente in eos qui facile præbent aures & animum calumniatoribus; quod signum est insignis inconstantiæ & mentis levitatis; qui vero hujusmodi est, judicio minorabitur & deficiet, & minor erit ejus existimatio apud viros cordatos; quocirca multum sibi obest, dum ab homine fraudulento verba sibi dari permittit.

Rectè proinde dixit quidam: *Ad pœnitendum properat, cito qui judicat.* Et alius: *Vix bonæ fidei fides sit sine fidei dispendio.*

Prudentis est non temere cuilibet credere: scit enim plerosque affectibus duci, facilè decipi, & decipere; maturitatis ergo est rem delatam prius examinare, antequam de eâ judicium feratur; juxta illud præclarum Epicharmi pronuntiatum: *Nervi atque artus sapientiæ sunt, non temere credere:* & alterius: *Nil spernat auris, nec tamen credat statim: Quandoquidem & illi peccant, quos minimè putes: Et qui non peccant, impugnantur fraudibus.* Facilitas hæc ad credendum multos principes pessumdedit.

116. David hac levitate peccavit.

Sic David rex alioqui sanctitate & sapientiâ nulli secundus, cùm 2 Regum 16 Sibæ servo Miphiboseth Dominum suum calumnianti aures credulas præbet, paternam hæreditatem illi abjudicat. Confer caput 16 libri 2 Regum versibus 4 primis cum cap. 19 ejusdem libri ℣. 24 & quinque sequentibus. ubi Abulensis quæst. 29 Davidem non liberat à peccato, quia injustè judicavit, deceptus videlicet à Sibâ.

117. Sic deceptus Theseus, & Constantinus Magnus, Prœtens, Putiphar.

Notæ sunt Tragœdiæ Crispi, & Hippolyti, dum hunc Theseus ab uxore in fraudem inductus equis indomitis mandavit distrahi, illum Constantinus Magnus ab Augustâ item deceptus innocentem occidi. Testis Prœteus in fabulis, qui Stenobœæ conjugis delationi falsæ temerè credens Bellerophontem, quantum in se fuit, nihil tale promeritum, trucidandum ad Iobatem misit, datis ad eum codicillis; unde Adagio extat, *Bellerophontis litteræ.* Testis Putiphar & ipse uxorius, qui castimoniæ specimen Iosephum in custodiam dedit. Sic habes Genes. 39 ℣. 19: *His auditis Dominus, & nimium credulus verbis conjugis, iratus est valde: tradiditque Ioseph in carcerem, & erat ibi clausus.*

Memorabilem hujus argumenti historiam producit Ioannes Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii Aprilis secundo, de Sifrido Palatino. Res ita se habet. Sifrido Romani Imperii Palatino Genovefa nupserat Ducis Brabantiæ filia, quæ velut altera Susanna emicuit pudicitiâ, patientiâ, devotione erga Dei matrem, cujus precibus masculam prolem ex marito suscepit, antequam ipse ad barbaras gentes magno cum belli apparatu proficiscereturr. Interea uxorem & familiam commendat Goloni militi. Sed miles primùm blanditiis, & fictis de morte mariti litteris, deinde variis molestus ejus pudicitiam exagitavit; reduci autem marito omnia prospera dixit præter torum adulterio maculatum. Quare eam cum prole mergendam suggessit. Quod mox maritus irâ percitus fieri imperavit. Sed famuli eam in nemore deseruerunt, & pro linguâ ejus ad Golonem canis linguam retulerunt. Interim velut altera Agar cum prole per desertum vagatur, aquâ & herbis vitam sustentans; quam Dei Mater ut piè colebat, multiplici solatio affecit, cujus auxilio etiam cerva filiolo ubera lacte turgentia præbuit sedula nutrix. Tandem sex annis, & mentibus tribus elapsis maritus inter venandum uxorem cum prole reperit, & ex cicatrice vulneris in Brabantiâ accepti, aliisque signis & verbis eam agnovit. Noluit autem ipsâ Marito cohabitare, nisi prius sponderet templum eo loci Dei Matri suæ conservatrici ædificare. Quod ipse mox extrui curavit. Supervixit autem à die sexto Ianuarii usque ad Aprilis secundum omnem cibum delicatiorem respuens, & in solitâ abstinentiâ perseverans; quo die feliciter ad cœlos migravit, corpusque ejus in templo recenter extructo conditum est, ubi etiam per Virginis Matris merita plura patrantur miracula. Hæc Doctor Molanus ex antiquis monumentis.

118. Sifridus credulus Goloni uxorem occidi jubet.

Scitè dixit Euripides in Helenâ:

σώφρον' ἀπιστίας
Οὐκ ἔστιν οὐδὲν χρημα κερδαλεώτερον βροτοῖς.
Prudente diffidentiâ
Nil quidquam est utilius mortalibus.

Nocet nimia credulitas.

Quo sensu dixit Clemens Stromateus l. 4 Stromatum: *Multa incredulitas bona facit, fides verò mala.* Loquitur autem non de fide, quæ nobis ab Ecclesiâ proponitur, sed de facilitate, quâ creditur quidlibet de quolibet sine justâ ratione, & examine: quâ fit, ut amicos à nobis, vel nos ab ipsis alienemus, & proborum virorum jacturam faciamus: quæ animi mobilitas etiam sæpius pecuniæ, famæ, honoris & vitæ dispendio luitur.

Magno hanc simplicitatem, socordiam vel imprudentiam optimorum subditorum suorum damno Assuerus solvisset, nisi Numinis providentia per Mardochæum & Estheram fraudulentissimi Amani consilia & machinationes in Iudæos detexisset. Vnde ipse dolos tandem agnovit, ut fatetur in epistolâ suâ, quam pro Iudæis ad totius regni sui provincias misit, & habetur cap. 16.

Cùm autem delatoribus & calumniatoribus aulæ principum refertæ sint, sedulâ providentiâ curandum est Regibus, & iis, qui ad Reipub. clavum sedent, ut non solùm aures, sed & mentes contra hujusmodi fraudes obarment.

S. Bernardus gnarus hoc malo non modò summos populi in temporalibus moderatores, sed & Pontificali infulâ conspicuos Hierarchas laborare, sic scribit ad discipulum suum Romanum Pontificem Eugenium lib. 2 de Consideratione extremo. 119. Facilitas credendi rarò abest etiam ab Ecclesiæ Præsulibus. *Est*, inquit, *vitium, cujus sis te immunem sentis, inter omnes, quos novi ex his qui cathedras ascenderunt, sedebis me judice solitarius; quia veraciter, singulariterque levasti te suprate, juxta prophetam: facilitas credulitatis hæc est: cujus callidissimæ vulpeculæ, magnorum neminem comperi satis cavisse versutias. Inde eis ipsis pro nihilo iræ multæ, inde innocentium frequens addictio: inde præjudicia in absentes. Gratulor autem tibi (nec enim assentationis apud te vereor incurrere notam) gratulor, inquam, præsidere te usque adhuc absque horum omnium querelâ multâ; an & sine culpâ, tu videris.* Hæc sanctitate & prudentiâ insignis Doctor. Idem lib. 4 de Consideratione eundem Ecclesiæ Romanæ Præsulem instruit, indicium suggerens quo vera à falsis discerni queant, his verbis: *Clandestinas & susurratas delationes ne recipias,*

cipias, magis detractiones censueris. Et hanc velim generalem tibi constituas regulam; ut omnem qui palam veretur dicere, quod in aure locutus est, suspectum habeas. Quod si te judicante dicendum coram ille venerit, delatorem judices, non accusatorem. Hæc ille.

Magna quidem culpa est insontes coram Rege deferentium, sed illam promtat in Rege audiendi, credendique facilitas.

Cetèrum his dentatis larvis frons caperata obvertenda. *Hilari vultu qui audit, adjuvat*, ait S. Hieron. ad Nepotianum.

120. Exemplo Dei docentur Principes maturè causas discutere.

Notant Interpretes in illa Genes. 11, vers. 5. (*Descendit autem Dominus ut videret civitatem & turrim, quam ædificabant filii Adam*: & iterum, vers. 7: *Venite igitur descendamus, & confundamus ibi linguam eorum &c.*) Scripturam loqui de Deo Anthropopathēs, id est, more humano, ut indicet Deum omnia seriò, maturè pervidere & quasi tardo gradu ad judicandum & vindicandum procedere: quem modum etiam homines præsertim Iudices & reges, qui etiam dii in litteris sacris vocantur, convenit imitari, exactè scilicet prius causam inspicere, & postea judicium de ea ferre, & punire.

Clarius hoc etiam liquet Genes. 18, vers. 21. *Descendam*, inquit Dominus, *& videbo, utrum clamorem qui venit ad me, opere compleverint* (Sodomitæ,) *annon est ita, ut sciam.*

Vtitur verò his verbis Concil. Lateranense primum cap. 8, admonendum Iudices, ne facilè accusationibus fidem adhibeant, sed eas exactè & maturè excutiant, & ponderent, antequam de reis sententiam ferant.

Audi Philonem de confusione linguarum. *Deus*, inquit, *dicitur ad visendum descendere, qui omnia priusquam fiant, provisset manifestissimè, ut doceamur, ne quis homo de absentibus & futuris & incertis putet se posse conjecturam facere, sed prius maxime prospicere debet; visus enim certus, potius quàm fallax auditus, testis adhibendus est.*

120. Et S. Iobi & Iosaphati

Imitentur principem sanctissimum & sapientissimum Iob, qui ait c. 29, ℣. 16: *Causam, quam nesciebam, diligentissimè investigabam*: quem locum egregiè ibi explicat S. Gregorius. Sequantur paræneſim Iosaphati regis Iuda religiotissimi; qui inter alia Iudicibus a se constitutis data monita, hæc profatur 2 Paral. 19, ℣. 7. *Sit timor domini vobiscum, & cum diligentiâ cuncta facite*; &c.

Finem huic Paræneticō sermoni imponet historia, quam narrat Nicephorus l. 24, c. 23, quæ monet principem, ut non facilè vel annulo suo signatorio, vel manus inscriptione subsignet, quæ ab eo petuntur, ut libellos supplices, privilegia, &c. Theodosius Iunior Imperator vix ulli secundus pietate, & morum honestate, subsignare solebat omnibus litteris sibi oblatis etiam non perlectis, fidem scilicet habens aulæ suæ ministris. Non ignorabat hanc fratris sui levitatem & incogitantiam virgo Pulcheria morum ejus vitæque moderatrix, cœlesti sapientiâ prædita. Hunc ergo errorem castigatura schedulam conscribit, in qua charissimam sibi conjugem Eudociam alteri venumdabat, quam sibi propriâ syngraphâ consignat. Cùm verò postea illam ad se acciri juberet, negat Pulcheria eam sui juris esse, quam alteri addixisset, & mox conventionis litteras profert. Hac sororis suæ solertiâ excitatus Theodosius resipuit, & imprudentiâ suâ correxit.

121. Pulcheria levitatem Theodosii Augusti egregio commento castigat.

VERSVS XII, & XIII.

Vocatique sunt scribæ regis mense primo Nisan, tertiâ decimâ die ejusdem mensis: & scriptum est, ut jusserat Aman, ad omnes Satrapas regis, & judices provinciarum, diversarumque gentium, ut quæque gens legere poterat, & audire pro varietate linguarum, ex nomine regis Assueri, & litteræ signatæ ipsius annulo,

missæ sunt per cursores regis ad universas provincias, ut occiderent atque delerent universos Iudæos, a puero usque ad senem, parvulos & mulieres, uno die, hoc est tertio decimo mensis duodecimi, qui vocatur Adar, & bona eorum diriperent.

Hebraica ita: Et vocati sunt scribæ regis in mense primo in tertiâ decimâ die in eo (id est, ejusdem) & scriptum est juxta omnia, quæ præcepit Hamau ad proceres assistentes conspectui regis, & ad duces, qui super provinciam & provinciam, & ad principes populi & populi, (singulorum populorum) provinciæ & provinciæ, secundum scripturam ejus (uniuscujusque propriam) & populi & populi juxta linguam suam, in nomine regis Achasueros scriptum, & signatum in annulo regis.

Et mitteremus epistolas (ut mitterentur epistolæ) in manu cursorum ad omnes provincias regis ut dissiparent, & occiderent, & disperderent omnes Iudæos à puero & usque ad senem, parvulum & mulieres in die unâ, in decimâ tertiâ mensis duodecimi (ipse mensis Adar) & spolium eorum ad prædandum (& ut spolia prædarentur.)

Iosephus hæc consequenter: Aman autem voto potitus confestim edictum nomine Regis per omnes nationes evulgat in hanc sententiam. Rex magnus Artaxerxes, &c.

Subjicit exemplar epistolæ Artaxerxis missæ ab Amano in omnes Persidis provincias, quæ hoc in libro habetur cap. 13, & hìc poni deberet, ut & in Græco habetur consequenter posita.

Adverto porrò S. Hieronymum in notulis suis sub finem capitis 12, hæc habere: *Quæ sequuntur, in eo loco posita erant, ubi scriptum est in volumine, Et diripuerunt bona, vel substantias eorum.* Iam tamen & in Hebræo & Latino hìc v. 13 habetur: *& bona eorum diriperent.* Vnde putat Salianus, ex textus nostri verbis corrigendum *to diripuerunt*, & legendum in illis notulis *diriperent*.

COM-

COMMENTARIVS.

QVamvis Numinis fortissima & suavissima providentia & erga populum suum clementia sic sortes ab Amano missas in urnam, attemperaverit, ut scelestissimi hominis conatus eliserit, ne ad destinatum finem illos perduceret: nihil tamen prætermisit gentis Hebrææ hostis eorum, quæ ambitio odio & furore inflammata illi suggereret ad Mardochæum, & gentem sibi inimicam quàm citissimè exscindendam. Itaque acceptâ à Rege auctoritate & potestate, cujus symbolum datus illi erat annulus sigillaris eodem mense Nisan, quo sors missa fuerat, tertia decima die ejusdem mensis publicos scribas, qui regiis edictis scribendis vacabant, statim accersit, quibus literas quas ipse fastu & sævitiæ felle tinctas formaverat, dictat, mittendas ad omnes Satrapas, duces, principes, judices, præfectos provinciarum centum viginti septem Assuero subjectarum, quibus ex nomine regis cædes Iudæorum patranda imperaretur. Vt autem epistolæ inviolabile robur acciperent, ipse verò invidiam omnem à se removeret, & sine ullâ hæsitatione prædones ad Iudæorum necem impunè se accingerent, Regis annulo eas communit. Præterea ne conscriptis nomine regis decretis mora ulla vel obex interponeretur, advocantur cursores, quos Persæ Angaros, nos veredarios, barbari postas vocant, qui velocissimè Regis mandata ad omnes deferant provincias. Nec mora: Nam hi quasi talaribus calceati, quaquaversum per vastissimum Persarum imperium discurrunt, ubique per præfectos crudele & barbarum Rescriptum de Iudæis trucidandis propalari curant, & ut nullæ eorum reliquiæ vel vestigium extaret jubentur omnes promiscuè occidi. Fatalis porrò omnibus dies unicus indicitur, tertius decimus nempe mensis duodecimi, idque consilio vaferrimo, nequis fugâ saluti suæ consuleret, si uno loco hoc mense vel die, alio verò loco die altero cædes patraretur. Quia verò occisio hominum per se inhumana & sæva, si nulla lucri illecebra invitet, pluribus odiosa & ingrata est, jubentur interfectorum facultates diripi, ut merces sceleris fiant spolia innocentũ.

Observat Serarius litteras scribi diverso charactere & linguis pro populorum diversitate, & destinari ad Satrapas, & ad Iudices, quibus Hebraicè adduntur Principes provinciarum, ut significetur ordo & modus, quo litteræ istæ promulgandæ, & executioni mandandæ. Addit Sanctius Amanum, quamvis inter decretum obsignatum, evulgatumque & ejus executionem annus integer intercesserit, voluisse tamen, ut erat callidus, statim decretum illud regum edere, & omnibus provinciis esse notum, ne Rex, cujus ingenium sciebat benignum & facile, mutaret animum adactus pœnitentia, & improbaret, quod antè tam inconsideratè concesserat.

122. Angari sive cursores Persarum instituti à Cyro similes ferè nostris postis.

Præterea docet hos cursores vel tabellarios omnibus provinciis regiis fuisse notos, de quibus ante diximus ex Herodoto lib. 8: quibus jam addo verba Xenophontis lib. 8 Pædiæ Cyri. *Didicimus*, inquit, *aliud Cyrum excogitasse ad imperii magnitudinem, ex quo celeriter sentiebat, quomodo ea haberent, quæ permultum etiam distarent. Cùm enim considerasset quantum itineris equus faceret die equitans quantum sat esset, fecit equorum stabula tantumdem distantia, in quibus equos constituit, & qui equorum diligentiam haberent, virumque quolibet in loco ordinavit, qui aptus esset ad accipiendas litteras, quæ ferebantur, easque tradendas, quique reciperet equos defatigatos atque homines, recentesque alios mitteret: interdum etiam ferunt, nec dies quidem sufficere huic itineri, sed diurno nuntio nocturnum succedere. Quibus rebus ita gestis ajunt quidam hoc itineris celerius perfici quam grues volatu.* Ista ex Xenophonte. Addit Herodot. lib. 8, Nihil his nuntiis velocius fuisse in rebus humanis.

Vbi Lector videt expressum exemplar nostrorum Pegasorum sive veredariorum quos Postas nostrates appellant, qui certis sedibus & intervallis equos identidem novos & vegetos, accipiunt, delassatis relictis; hoc solo discrimine, quod cursor noster idem per totam provinciam iter conficit, equis solummodo permutatis. Fortè consilium & institutum Cyri Reipublicæ fuit commodius, expedientius, & expeditius, quo voluit etiam cursores ad certa interstitia & domicilia variari.

Dissertatio Hvc Pertinens.

De urso, qui apud Danielem capite septimo symbolum fuit prognosticum regni, regum Persarum, nostrique Assueri.

INter bestias grandes, quas Daniel vidit capite septimo ascendentes de mari, fuit & ursus, de quo ipse sic vaticinatur vers. 5: *Et ecce bestia alia similis urso in parte stetit: & tres ordines erant in ore ejus, & in dentibus ejus, & sic dicebant ei: Surge, comede carnes plurimas.*

123. Quale regnum Persarum fuerit simile urso exponitur à S. Hieron.

In quem locum sic commentatur S. Hieronymus: *Bestia secunda urso similis, ipsa est de qua in visione statuæ legimus: Pectus ejus & brachia de argento: Hæc ob duritiam & ferocitatem urso comparatur. Rigidum enim & parcioris victus, in morem Lacedæmoniorum, regnum Persarum fuit: ita ut in pulmento sale uteretur, & cardamo. Legimus Cyri majoris infantiam. Quodque dicitur: in parte una stetit: sic Hebræi interpretantur, nihil eos adversum Israel crudele gessisse. Vnde & in Zacharia propheta equi albi appellantur, c. 1. Tres autem ordines sive versus, qui erant in ore ejus, & in dentibus; quidam sic interpretatus est, ut regnum Persarum diceret in tres principes esse divisum. Alii autem, tres reges post Cyrum Persarum fuisse autumant, & quæ illis sint nomina reticent. Nos verò cùm post Cyrum qui regnavit annis triginta, sciamus apud Persas regnasse Cambysen filium ejus, & deinceps alios usque ad Darium Arsami filium qui ab Alexandro superatus est (numero simul quatuordecim) quomodo tres reges Persarum fuisse dicemus: nisi forte eligamus aliquos sævissimos, quos ex historiis repetire non possumus. Ergo tres ordines in ore regni Persarum & in dentibus ejus, tria regna debemus accipere, Babyloniorum, Medorum atque Persarum, quæ in unum redacta sunt,*

Ela sunt regnum. quodque infertur: Et sic dicebant ei: Surge, comede carnes plurimas: illud tempus significas, quando sub Assuero quem Septuaginta Artaxerxem vocant, ad suggestionem Aman Agagitæ, una die omnes Iudæi jussi sunt trucidari. Et pulchrè non ait devoravit eos, sed sic dicebant ei; ut conatus tantum fuerit, & nequaquam rei exitus sit consecutus. Hucusque S. Hieronym.

Ex quo conjicit Lector ad hos versus pertinere vaticinium & prædictionem Danielis: præcipitur enim edicto Regis ad postulationem Amani edito, ut uno die omnes Iudæi interficiantur; quod executioni mandatum fuisset (tantâ enim odii acerbitate in gentem illam exarserat Amanus) nisi Numen divinum per Mardochæum & Estheram malum hominis deterrimi consilium & votum in ipsius auctoris, & Hebræi nominis hostium capita retorsisset.

Solùm differendum hîc nobis uberius cur regnum sive Monarchia Persarum cum urso comparetur à Spiritu sancto pleno prophetâ.

123. Tres Vrsi proprietates.

Pererius noster lib. 8 in Danielem ait hoc convenire ob tres ursi proprietates, quæ colliguntur ex Aristotele lib. 8 Historiæ animalium cap. 17, Æliano lib. 6 de Animalibus cap. 3. Plinio lib. 8, c. 36. Recensebo autem illas hîc breviter, (non quod eas ut potissimas probem,) sed quia pertinent ad historiæ de Persis illustrationem.

124. Vrsus tolerantissimus inediæ, ut primi Persæ.

Prima ergo proprietas est, quod ursus sit laborum patientissimus, tolerantissimus inediæ, cibi parcissimus: adeo, ut, teste Aristotele suprà, magnam hiemis partem sine ullo pastu, cibatuque transigat, & solo suctu priorum pedum vivat. Antiquos Persas fuisse cibi continentissimos, & vilissimo, faciléque parabili victu contentos hîc tradit S. Hieronym. & fusius lib. 2, contra Iovinianum, & nos alibi ex Xenophonte ex professo docuimus. Hanc similitudinem ego improbare non possum, cùm eam S. Doctor Hieronym. sequatur suprà in Comment. Danielis, ubi ait Persas urso similes ob duritiam & victus parsimoniam. Vide Herodotum lib. primo.

125. Vrsa parit informem fœtum, quem lambendo politum reddit: ita rudes Persarum regnum crevit.

Altera ursi proprietas est, quod editus in lucem nihil præferat nisi candidam carnem, massam videlicet vilem & informem, cassam oculis, depilem, ungues dumtaxat prominentes emittentem, quam lingendo & lambendo ursa paulatim polit, & in speciem ursi conformat. Ita Plin. suprà, quod adeò verum est, ut Proverbio locum dederit, quo scriptorem operis sui limantem dicimus imitari partum ursæ. Indicat hoc primordia Persarum fuisse abjecta & rudia, sed posteà industriâ, prudentiâ, arte militari, præsertim Cyri regis, claritatem illis, potentiam, & Monarchiam accreviisse. Non est rejicienda hæc similitudo, quia ita Persas provectos fuisse docent Historici.

126. Vrsus aciei debilis & capite infirmo.

Tertia proprietas est, quod ursus visu sit admodum infirmo & vitiis ophthalmiæ obnoxio, quique sæpe acie oculorum heberetur. Est præterea capite debilissimo. Itaque non semel in spectaculis Romanis, auctore Plinio, ursus infracto colapho exanimari visus est. Hinc fit, ut si urgente vi cum præcipitare se ex rupe contingat, capite manibus tecto se dejiciat. Addit & Plinius suprà oculis jam obtusis ursos ideo alvearia expetere, ut convulneratum os ab apibus levetur gravedine. Insuper eos somno ita gravari interdum, ut ne quidem vulneribus concisi excitentur, mirum verò dictu est, quantâ adipe hoc veterno oppleantur, ut videmus glires somno pingescere.

127. Persæ multitudine alias gentes, non industriâ vicerunt.

Hoc symbolo significatum est Persas in bello non tam solertiâ ingenii, aut prudentiâ disciplinæ militaris, aut corporum viribus, quàm innumerabili hominum turbâ, vel eorum, quibuscum bellum gerebant, ignaviâ prævaluisse, & Monarchiam occupasse. Adde ex Herodoto ossa Persarum qui in acie pugnâ cum Ægyptiis commissâ ceciderant, cùm jacerent fusa ut ab initio distincta fuerant, seorsum erant Persarum, seorsum Ægyptiorum. Sed Persarum capita adeò fragilia sunt, ut si velis ferire, vel solo calculo perforare possis, Ægyptiorum autem firma, ut ea vix ictu lapidis elidas. Hæc ipse in Thaliâ.

Eadem cum Pererio habet Cornelius à Lapide, qui tamen rectè adfert & aliam ursi proprietatem, scilicet à *Naturâ insitam ferocitatem*, & *sævitiam*; cum quâ confert immanem Persarum crudelitatem: Hanc non agnoscit Pererius. Non enim, inquit, ursus ferocior leone aut pardo, nec legimus etiam tantam in suppliciis inferendis truculentiam Persarum umquam fuisse.

128. Vrsi crudelitas item & Persarum.

Nihilominus ita sentit S. Hieron. dum scribit regnum Medorum & Persarum ob ferocitatem ursò comparatum. Idem tenet in hunc locum commentans Theodoretus, dum ait Persas omnes barbaros immanitate superasse, exquisitissimis & acerbissimis supplicus reos vel hostes afficiendo. Nam vel ipsam pellem hominibus detrahebant, & membratim corpore secando lentâ morte necabant: Ita & Rupertus infrà citandus. Cornelius hoc ostendit ex crudelitate Saporis, Isdegerdis & aliorum Regum Persarum, qui Christianos atrocissimis pœnis cruciarunt, de quibus Theodoretus lib. 5 Historiæ cap. 18, & Socrates lib. 7, cap. 18.

Sed nihil opus est ad posteriora tempora confugere, quibus translatâ per Alexandrũ Macedonem ad Græcos Monarchiâ, Persarum imperium *in parte stetit*, ut dicitur apud Danielem, id est, ut ego cum quibusdam interpretor, stetit quidem, sed valde attritum & imminutum, solùm continens Persidem, vicinam Mediam, & Assyriam. Duo nobis hîc solùm per transennam indicanda.

Primum: ursos belluas esse indole suâ atroces & feras satis ostendit scriptura. Vt autẽ nihil hîc loquar de sævitiâ ursæ raptis catulis, de quâ frequens sermo est apud Prophetas, ut Osee 13, ℣. 8, & alibi; habemus hujus rei testimonium Proverb. 28, ℣. 15. *Leo rugiens & ursus esuriens Princeps impius super populum pauperem.*

Vbi rex Sapientissimus agit de Principe tyranno, quem asserit more leonis famelici vel ursi inediâ prope enecti in subditum sibi populum sæviendo debacchari. Certè scribit S. Hieronym. in locum Osee 13, his verbis: *Ajunt qui de bestiarum scripsere naturis inter omnes feras nihil esse ursâ sævius cùm indignerit cubis.* Est ergo ursus animal avidissimum cujuslibet escæ, maximè cùm post hibernam inediam, quam tolerat, è latebris prodit, ideoque in omnia fame rabidus grassatur animantia, teste Aristotele lib. 8 de Historiâ animalium cap. 5. *Vrsus*, ait, *animal omnivorum est, quippe qui & fructus arborum,*

128. Vrsi esurientis sævitia.

quas conſcendit corpore lubrico, edat, & legumina & apes perfringens alveos, & cancros & formicas, carne etiam veſcuntur: viribus enim ſuis confidens invadit non ſolum cervos, ſed etiam ſues feros, ſi clam repentéque poterit agere, tantos aperto Marte aggreditur; &c.

Fixum igitur eſto, urſis maximè fame ſtimulatis non deeſſe ſuam ferocitatem, quibus meritò quis aſſerat ſimilem fuiſſe Amanum cruoris Iudaici ſitientiſſimum, & omni bellua implacabiliorem.

129. Perſarum reges immanitate barbari.

Alterum eſt, quod mihi demonſtrandum; ſcilicet, Perſarum reges immanitate planè fuiſſe barbaros & regnandi cupiditate inflammatiſſimos. Vt autem ab ipſo Perſicæ Monarchiæ conditore ducam exordium; Cyrus, quamvis in unam Iudæorum gentem effuſæ fuerit humanitatis & benevolentiæ (unde & Rabbini ſic accipiunt illa Danielis ſuprà, *In parte ſtetit*, id eſt, partibus Iudæorum propensè favit) nihilominus in alios populos ſævitiam ſuam ſatis extendit.

Teſtabitur hoc Tamyris Scytharum animi planè virilis Regina, quæ copiis ſuis ducenta millia Perſarum cum ipſo rege trucidavit, amputatum verò Cyri caput in utrem humano ſanguine repletum conjici juſſit cum hac exprobatione crudelitatis: *Satiate*, inquit, *ſanguine quem ſitiſti, cujuſque inſatiabilis ſemper fuiſti.* Ita præter alios Iuſtinus lib. primo. Quorſum crudelitas & ſanguinis inſana cupido objicitur Cyro, ſi ab hoc barbaræ feritatis vitio immunis fuit? Et tamen inter reges hic humaniſſimus fuiſſe fertur.

129. Vt Cyrus.

Quid de filii ejus Cambyſis crudelitate dicam? qui etiam manus impias in fratrem armare non dubitavit, ut ſupra Iuſtinus; ſed gladio ſponte evaginato in femore graviter vulneratus occubuit, pœnaſque luit imperati parricidii, licet non patrati; ſororem, eamdemque uxorem & prægnantem calcibus arietavit & abortu edito necavit; Satrapas Perſarum nullâ fere de causâ interfecit vivos in caput defodiens, Crœſum regem, niſi celeri curſu ſe proripuiſſet, transfodiſſet. Sed plura de Cambyſe Perſâ, Aſtyage Medo, Dario Hiſtaſpide, Xerxe, ſuprà à nobis commemorata ſunt cap. primo, Animadverſione primâ ad verſum 13, ex Senecâ, & Herodoto, ut non ſit opus diutius his recenſendis immorari.

129. Vt Cambyſes, & alii.

Quis non barbarum morem fateatur, de quo Stobæus Sermone 12? Cùm Perſæ, qui omnes mancipia Regum erant, ipſorum juſſu, flagris cædebantur, gratias agebant, quod eo facto Reges eos in memoriâ habere oſtenderet. Et quæ cauſa tam atrocium verberum? Aperit Ælianus lib. 12 Variar. Hiſtoriarum cap. 12, quia Regibus contrariam ſententiam pronuntiarant. Qui Regis imperium detrectabat auctore Strabone lib. 15, et dextera cum capite præcidebatur.

Pœnæ reorum ordinariæ apud eos erant decollatio, crux, in quam agebantur etiam maximâ dignitate prædîti, crematio, vivi hominis ſepultura, vel terræ infoſſio, lapidatio, pellis detractio, &c. de quibus legendus Barnabas Briſſonius lib. 2 de regio Perſarum principatu p. 258, & ſequent. & ex veteribus Heliodorus lib. 8 Hiſtor. Æthiopum, Cteſias in Perſicis, Plutarch. in Artaxerxe Mnemone, Herodotus lib. 3, & 8. & alii. Maximè verò Valerius, qui inter exempla crudelitatis lib. 9, cap. 2, adfert Ochum qui poſtea Darius appellatus eſt, item alterum Ochum cognomine etiam Artaxerxem, de quo hæc breviter: *Hic patruum ſuum cum centum amplius filiis ac nepotibus vacuâ aream deſtitutum jaculis confixit, nullâ injuriâ laceſſitus: ſed quod in his maximam apud Perſas probitatis & fortitudinis laudem conſiſtere videbat.*

Nota apud Perſas ferociam, ut virtutis opus, pro laude habitam.

Audiamus Rupertum libro 8. de victoriâ verbi Dei cap. 3, ubi hanc quæſtionem agitat: Quas ob cauſas regnum Perſarum in priore viſione Danieli per urſum, in poſteriore per arietem ſignificatum fuerit. Et ad rem noſtram ita reſpondet, *quia urſus rapto & cruore vivit, quod in promptu eſt, ſi reſpicias regnum illud ſecundum Aman, quam crudele fuerit. Aman quippe moribus veracissimè urſus truci furore, immani rabie, Iudæorum genus univerſum ore aperto hians devorare voluit. Sed fortè dicat quis, ipſam perſonam regis Aſſueri per urſum in illâ viſione oportere intelligi, quia ſcriptum eſt: Et ſic dicebant ei; videlicet urſo: Surge, comede carnes plurimas. Et hoc ſignat illud dictum Aſſuero regi: Si tibi placet, decerne de populo ut pereat. Ad hæc, inquam, non ſolum regis perſonam, ſed totum regni corpus ſignavit urſus, nec ſoli regi dictum eſt, decerne ut pereat populus, ſed toti regno mandatum eſt per omnes Satrapas & judices provinciarum, ut occiderent atque delerent univerſum Iudæorum populum. Igitur ſecundum Aman, & ſecundum omnes qui Iudæis nocere voluerunt, urſus ferociſſimus fuit regnum illud.* Hæc Rupertus ſummatim. Ammianus Marcellinus libro 30 ſcribit, Perſarum nationem ſemper crudam ſupplicíorum varietates exercuiſſe.

Aman Vrſus.

Similem tyrannidem exercuit quondam Mithridates Pont. Rex in Romanos, de quo hæc accipe ex Valerio lib. 9, cap. 2, § 3, *Mithridates Rex unâ epiſtolâ* (Aſſuerus uno edicto) *Octoginta millia Romanorum civium per urbes in Aſia negotiandi cauſa diſperſa interemit: tantæque provinciæ hoſpitales deos injuſto, ſed non inulto cruore reſperſit.*

130. Mithridates ſimilem Aſſuero immanitatem exercuit in Romanos.

Idem referunt Livius lib. 78, Plutarchus in Pompejo, Appianus in Mithridatico, Cicero pro lege Manliâ & alii, qui addunt hoc patratum facinus uno die, uno nuntio. Nec carnificina hæc ſe abſtinuit à mulieribus aut liberis qui Romani ſanguinis eſſent; omnes ſiquidem trucidati, inhumatique derelicti; eorum facultates Regi & interfectoribus in prædam ceſſerunt, ſupplicio illis propoſito qui vel ſepeliſſent vel occultaſſent.

Nota hîc ex Cælio Rhodigino, lib. 18. Antiqu. Lection. cap. 19, Perſidem ſterilem & confragoſam urſos plures alere & ferociores quam aliæ regiones: hinc & ſymbolum Perſidis eſt urſus.

VER-

VERSVS XIV & XV.

Summa autem epistolarum hæc fuit, ut omnes provinciæ scirent, & pararent se ad prædictam diem.

Festinabant cursores, qui missi erant, regis imperium explere. Statimque in Susan pependit edictum, rege & Aman celebrante convivium, & cunctis Iudæis, qui erant in urbe, flentibus.

Hebraicè: Exemplar scripturæ erat ad eandem legem in omni provincia & provincia (id est, ut poneretur in qualibet provinciâ) apertam omnibus populis ad existendum paratos ad diem hanc. Clarius sic; ut daretur lex in omnibus provinciis manifesta omnibus, ut essent parati ad diem illum, quo strages edenda erat.

Cursores egressi sunt, impulsi in verbo regis, & lex data (posita) est in Susan metropoli: & Rex & Aman sederunt ad bibendum, & civitas Susan perplexa erat.

Iosephus recitatâ Assueri epistolâ, de qua nos capite 13, hæc ordine subjicit. Hoc edicto oppidatim per totam regionem sparso, omnes ad Iudæorum internecionem in diem præscriptum sese expediebant, idemque studium erat & Susis in urbe regiâ. Rex interim & Aman conviviis vacabant & compotationibus, perturbatâ civitate, & futuri exspectatione suspensâ.

Alii reddunt ex Hebr. Chald. Græcis. Civitas Susan turbata erat, nempe Iudæi tristes, reliqui rei novæ eventu perculsi.

COMMENTARIVS.

POnitur hîc summa sive compendium edicti vel epistolæ, quæ habetur infrà cap. 13, quo loco illam explicabimus, & discrimen eorum quæ ibi habentur, & quæ hic narrantur, aperiemus. Monebantur autem omnes istis litteris manifestè & clarè, ut se accingerent ad diem illum destinatum cædi Iudæorum, & parata arma haberent, ut omnes stricto ferro obtruncarent. Hæc summa erat. Hebraicè pro summâ, est exemplar, Græcè ἴνωσις, forma, vel etiam compendium.

Angari verò sive Persici cursores nullâ morâ interpositâ dicto fuerunt audientes: sunt enim Persæ Regi obsequentissimi; dum autem illi citatis equis, mulis, dromedariis & camelis provincias pervagantur, interea regium edictum palam Susis in urbe regiâ vel metropoli, ut habetur Hebraicè, affixum proponitur, ut omnibus de voluntate regis constaret. Interim Assuerus & Aman quasi re bene gestâ more Persico convivium & symposium securi agitant. Græcè compotant, comessantur, ἐκπωματίζονται, à κώθων id est poculum, comessatio. Videbantur enim Iudæos jam devorasse, unde exultant quasi partâ victoriâ. Sed Iudæi, in quorum capita faba & fabula cudebatur, in sordibus, fletu & lacrymis jacebant. S. Hieronymus majoris explicationis gratiâ Iudæos expressit, simulque, ut magis eluceret Antithesis, cum Hebraice & Græcè solùm habeatur, turbabatur civitas, addidit, flentibus Iudæis

Explicat Cajetan. Novitas tam crudelis edicti animos civium tali admiratione affecit, ut circa causam perplexi redderentur, non absque animi perturbatione; quod etiam expressit Iosephus cùm scribit, turbatam fuisse civitatem, & futuri expectatione suspensam. Potest ergo textus Hebræus & Græcus ad utrosque referri, ut videlicet Hebræi fuerint turbati luctu & inexpectatâ afflictione, Persæ verò & Susiani commoti graviter tam atrocibus litteris, præsertim, cũ illarum causam ignorarent, & hæsitaret quò res tenderet.

DOCVMENTVM MORALE:

In hoc sæculo convivantur, & genialis dies agunt improbi; viri verò justi lacrymis & luctui indulgent.

VErba hujus capitis postrema: *Rege & Aman celebrante convivium, & cunctis Iudæis, qui in urbe erant, flentibus*, quia manifestam Antithesin continent, imaginem nobis ob oculos proponunt hujus mundi, in quo conspicimus Dei amicos, qui per Iudæos indicantur, quia assidua Numinis laus & confessio in ipsorum ore resonat, (Iuda enim laudatio interpretatur) oppleri lacrymis, acerbo luctu commoveri, sceleratos verò, quos nomine suo Aman exprimit, quod significat iniquitatem & conturbationem, læta agitare convivia, poculis indulgere, & voluptatibus affluere.

Observans Interpretes Christum idipsum suis discipulis hisce verbis prædixisse Ioannis 16 ℣. 20: *Amen, amen dico vobis; quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit:* Tertullian. lib. de spectaculis c. 28, *Vicibus*, inquit, *dispositæ res est. Nunc illi lætantur, nos constristamur. Lugeamus dum Ethnici gaudent, ut cum lugere cœperint, gaudeamus.*

131. Antithesis reborum & improborum in hoc mundo, hi gaudent, illi lugent.

Simile contrapositum est in colloquio Abrahæ cum divite purpurato Lucæ 16 ℣. 25: *fili, recordare, quia recepisti bona in vitâ tuâ & Lazarus similiter mala; nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.*

Nec multum dissimilia sunt illa Isaiæ cap. 22 ℣. 12, *Et vocabit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum & ad planctum, ad calvitium, & ad cingulum sacci.* (cui Mardochæus, Esther, Iudæi obaudierunt.)

Vers. 13. *Et ecce gaudium & lætitia, occidere vitulos, & jugulare arietes; comedere carnes & bibere vinum &c.* Hoc fecere Assuerus & Amanus, hostesque Iudæorum.

Magis etiam hunc locum illustrant illa quæ

propheta Amos exprobrat Iudæorum optimatibus & proceribus, cap. 6. v.4 & sequentibus.

Qui dormitis in lectis eburneis, & lascivitis in stratis vestris: qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti.

v. 5. *Qui canitis ad vocem psalterii: sicut David putaverunt se habere vasa cantici.*

Vers. 6. *Bibentes vinum in phialis, & optimo unguento delibuti: & nihil patiebantur super contritione Ioseph.*

131. Explicatur locus Amos.

Certè locus hic prophetæ, si rectè examinetur, plurimum lucis adfert huic sententiæ nostræ, quam hic proponimus enucleare. Verba hæc prima prophetæ plures enarratores, maximè recentiores non capiunt de lectulis, in quibus somnus capitur, & lascivis Veneris vacatur deliciis, de quibus Apostolus ad Roman. 13 v. 13; *Non in cubilibus & impudicitiis:* sed de toris sive lectulis triclinaribus, & discubitoriis, quos quidem optimates & Iudices Iudæorum ex rapinis pauperum sibi parabant, erantque confecti ex ebore, lignis exoticis, vel pretioso metallo, insternebantur verò veste stragulâ sericâ, & peristromatis belluatis & Babyloniis; in his lasciviebant, id est, deliciis affluebant, magno luxu epulabantur, lautissimis & opiparis ferculis ventres ad lasciviam usque & luxuriam distendebant: unde & Hebræa sic verti possunt: qui cubatis in toris eboris, & superfluitis in lectulis vestris. Et certè connexio verborum hunc potius sensum requirit. Non enim pingues dapes, vinum generosum, aut unguenta peregrina patantur cubilibus, sed potius mensis & toris, in quibus cubantes cibos capiebant. Dicuntur verò hujusmodi convivæ in stratis vel lectis hujusmodi mollibus & ostro instratis lascivire; quia epularum luxus & deliciæ animos solvunt in jocos, sermones venereos, turpia & Fescennina carmina, gestus libidinosos, & viam sternunt ad libidinem; venter enim, & quibus luxuria exercetur membra, ut loco, ita & flagitiis vicina sunt. Aptè verò hæc quadrant instituto Persarum, qui hujusmodi toris discumbere assueverant. Sic habes Esther primo, v. 6. *Lecti quoque aurei & argentei super pavimentum smaragdino & pario stratum lapide dispositi erant: quod mira varietate pictura decorabat.* Solitos etiam Persas, & ipsum Regem splendidissimo apparatu & exquisitissimis epulis instructa convivia frequentare, unguentis sub illa se perfundere, vino delicatissimo se ingurgitare, sæpius supra demonstravimus.

131. Loquitur Amos de lectis discubitoriis.

Interim Ioseph, id est, ad litteram, decem tribus, & regnum ipsum Israel, vel certè pauperes & inopes è populo conteruntur, affliguntur, toti in lacrymas ob calamitates, quibus afficiuntur, eunt, ægritudine & luctu opprimuntur; quibus tamen satrapæ & principes non compatiuntur, quin potius egentis plebeculæ spolus opima excitant convivii, pergræcantur, belluantur, & eorum ærumnas rident, insultant ipsorū miseris.

131. Contritio Ioseph, fratrum convivium.

Si ad sanctissimum Patriarcham Iosephum hæc detorquere velis, habes Genesis 37 vers. 25, quomodo eo exuto tunicâ talari & polymitâ, missoque in cisternam veterem, utique lacrymis madente & luctu gravissimo oppleto, fratres ejus sederunt ut comederent panem, nihil pensi habentes carissimi fratris sui dolorem, & cum totus visceribus erga fratrem suum commoveri debuissent, pectus ferreum induerunt, & fibras adamantinas.

Divet purpuratus, Lazarus mendicus.

Revocanda huc Historia de Lazaro mendico, & divite purpurato, ex Lucæ 16 vers. 19 & sequent. *Homo quidam erat dives, qui induebatur purpurâ & byssо, & epulabatur quotidie splendidè. Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus ulceribus plenus, cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa divitis, & nemo illi dabat: sed & canes veniebant, & lingebant ulcera ejus.*

Sicut Assuerus & Amanus in communi Iudaici populi luctu poculis indulgentes, & intempestivâ lætitiâ gestientes in ejus contumeliam & irrisionem hoc facere videbantur; ita & asotus ille epulo tinctus murice & sericis vestibus fulgens, hilares & genniales dies agens Lazari pannis imò ulceribus obsiti, fameq; confecti quodammodo ærumnis illudebat.

Exacerbant miseros intempestiva lascivientium gaudia, &, ut oleum camino additum, & flammæ injectum, acriorem excitant in lugentibus tristitiam animosque penitus ægrescere faciunt.

132. Fulvius argentarius intempestivè rosis coronatus à Senatu Romano punitus.

L. Fulvius argentarius, auctore Plinio libro 21 cap. 3, *bello Punico secundo cum corona rosacea interdiu e pergula sua in forum prospexisse dictus, ex auctoritate Senatus in carcerem abductus, non ante finem belli emissus est:* Hæc Plinius. Indignum namque erat & insolens mœrore turbatis civium animis, & Româ trepidante, hominem opificem rosis ludere, lætitiis incessere, palam lascivire.

133. Polemonis lascivia in scholâ Xenocratis.

Non minus suâ importunâ lascivîâ animos discipulorum Xenocratis proritavit, perditæ luxuriæ Athenienſis adolescens Polemo, qui postea oratione Xenocratis sanatus, ex infami ganeone maximus evasit Philosophus. Hic cùm è convivio, non post occasum solis, sed post ortum surrexisset domumque repetens Xenocratis Philosophi patentem januam vidisset, vino gravis, unguentis delibutus, sertis capite redimito, pellucidâ veste amictus, refertam turbâ doctorum hominum scholam ejus intravit: nec contentus tam deformi introitu, consedit etiam, ut clarissimum eloquium & prudentissima præcepta temulentiæ lascivîis eluderet. Orta est, ut par erat, omnium indignatio. Quomodo verò gravitate sermonis Xenocratis resipuerit, refert Valerius lib. 9 c. 6 § 1, inter externa. Incredibile dictu est, quantum mentes non modo rebus seriis intentas, sed ægritudine & mœstitiâ prostratas exulcerent importuna hominum temulentorum & lascivientium gaudia, tripudia, & indecora spectacula.

134. Capto Samsone celebrant convivia Philisthini.

Lugebat quondam Herculeus Samson Iudicum 16 exoculatus, vinctus catenis à Philisthæis, claudebatur carcere dux fortissimus, & in pistrino molere cogebatur. Interim conveniebant principes Philisthiim ut hostias immolarent Dagon Deo suo, & epularentur, dicentes: *Tradidit Deus noster inimicū nostrū Samson in manus nostras.* Quod etiam populus videns laudabat Deum suum, eadem cum principibus carmina concinens. Lætabantur per convivia, & sumptis epulis præceperunt adduci Samson, ut coram eis luderet. Sic capto illudere certant. Sed caro illis stetit ludus iste, ut exitus declaravit: oppressi sunt

sunt & contriti & principes eorum & populus, & gaudium in tristitiam versum. Sic Amani insolens lætitia, & gestiens lasciva dignam mercedem recipit, dū speciosō patibulo muneratur.

Capitis hujus ex Hugone de S. Victore suprà & Ruperto Allegoria.

REx Assuerus exaltavit Aman. Designantur per Aman tam Iudæi quàm potentes hujus mundi. Sicut enim Aman epistolas suas Regis annulo munivit ut votum suum expleret: sic Iudæi libros legis, in quibus Dei est lignaculum, assumunt ad confirmandos errores suos contra Euangelium quasi Dei præcepto contrarium. Potentes quoque seculi divinis beneficiis abutentes, quos consortes habent naturæ dedignantur habere consortes gratiæ, & honores Deo debitos in se transferunt, & sibi non consentientes odio prosequuntur, sed justo judicio suis insidiis capiuntur, justus de angustia liberatur, & traditur impius pro eo.

Rupertus lib. 8 de victoria verbi Dei cap. 11 ostendit sortes quas in urnam misit Aman pertinuisse ad sortes Christi, quas Deus Pater moderatus est, ad Amani sive Diaboli perditionem, & gentis suæ liberationem. Verba ejus hæc sunt, *Christus, cujus carnis originem secundum sortes illas parabat præcidere, jamdudum dicebat per os prophetæ Psal. 30. In manibus tuis sortes meæ. Voces quippe illius trecesimi Psalmi, voces sunt verbi Incarnati, cujus incarnationis fides & spes secundum promissionem sic erat in corde illius gentis, sicut infans in utero mulieris. Quantæcumque vel qualescumque sortes ejus fuerint, vel sint, quas commemorans Deo Patri dicit ipse: In manibus tuis sortes meæ: nullo modo debent excipi sortes, quas misit Aman, quin ad sortes ejusdem pertineant. Et revera sicut in alio Psalmo jam tunc dicebat: Super vestem meam miserunt sortem; Psalmo 21. ita constanti veritate ipsi dicere conveniebat: Et super matrem meam, super gentem istam, de quâ nascituras eram, miserunt sortem. Igitur ille perditus, & à suâ superbia deceptus, unâ sortium consultatione, de duabus rebus existimavit sibi responsum vel satisfactum esse, scilicet & de interfectione, & interfectionis tempore. Sed in manibus tuis, inquit, sortes meæ: quod sic rectè intelligitur, ac si diceret: Iam de isto maligno sortitore Aman hostis & inimicus mens pessimus misit sortes ut interficeret. Tu autem in manibus tuis habens potestatem vitæ & mortis, sortes easdem commutasti ad illius interfectionem, & meæ gentis eruptionem.* Ita Rupertus.

CAPVT QVARTVM.

ARGVMENTVM.

Perculit graviter Mardochæi animum crudele regis edictum, ita ut dolorem suum etiam exterius & palam variis signis prodiderit, scissione vestium, assumptione cilicii, aspersione cineris, plurimis lamentis & magno ejulatu. Par quoque mœror totâ Persidè Iudæos subiit; cùm se omnes neci destinatos audirent: unde similia quoque luctus argumenta dederunt. Novitate insuper rei turbata Esthera per eunuchum missum ad Mardochæum discit causam ab eo tam insolitæ tristitiæ, & ululatus. Respondet verò Mardochæo se sine vitæ periculo non posse adire regem non vocatam, ut commune malum Iudæis imminens deprecetur, urget Mardochæus ut postbabito privato incommodo ad Regem nihilominus ingrediatur precibus suis publicum malum aversura. Resumit animum Regina, & Iudæorum orationibus, triumque dierum & noctium expetito jejunio, quod & ipsa cum gynæceo suo se præstituram pollicetur, significat se atrium regium ingressuram lege vetante, vitæ suæ discrimine communem cladem redemptura. Hæc summa.

TEXTVS.

QVæ cùm audisset Mardochæus, scidit vestimenta sua, & indutus est sacco, spargens cinerem capiti: & in platea mediæ civitatis voce magna clamabat, ostendens amaritudinem animi sui, 2 & hoc ejulatu usque ad fores palatii gradiens: Non enim erat licitum indutum sacco aulam regis intrare. 3 In omnibus quoque provinciis, oppidis, ac locis, ad quæ crudele regis dogma pervenerat, planctus ingens erat apud Iudæos, jejunium, ululatus, & fletus, sacco & cinere multis pro strato utentibus. 4 Ingressæ autem sunt puellæ Esther & eunuchi, nuntiaveruntque ei. Quod audiens consternata est: & vestem misit, ut ablato sacco induerent eum: quam accipere noluit. 5 Accitōque Athach eunucho, quem rex ministrum ei dederat, præcepit ei ut iret ad Mardochæum, & disceret ab eo cur hoc faceret. 6 Egressusque Athach, ivit ad Mardochæum stantem in platea civitatis, ante ostium palatii: 7 qui indicavit ei omnia quæ acciderant, quomodo

Aman promisisset, ut in thesauros regis pro Iudæorũ nece inferret argentum, 8 exemplar quoque edicti, quod pendebat in Susan, dedit ei, ut reginæ ostenderet, & moneret eam, ut intraret ad regem, & deprecaretur eũ pro populo suo. 9 Regressus Athach, nuntiavit Esther omnia, quæ Mardochæus dixerat. 10 Quæ respondit ei, & jussit ut diceret Mardochæo: 11 Omnes servi regis, & cunctæ, quæ sub ditione ejus sunt, norunt provinciæ, quod sive vir, sive mulier, non vocatus, interius atrium regis intraverit, absque ulla cunctatione statim interficiatur: nisi forte rex auream virgam ad eum tetenderit pro signo clementiæ, atque ita possit vivere. Ego igitur quo modo ad regem intrare potero, quæ triginta jam diebus non sum vocata ad eũ. 12 Quod cum audisset Mardochæus, 13 rursum mandavit Esther, dicens: Ne putes quod animam tuam tantum liberes, quia in domo regis es præ cunctis Iudæis: 14 si enim nunc silueris, per aliam occasionem liberabuntur Iudæi: & tu, & domus patris tui, peribitis. Et quis novit, utrum idcirco ad regnum veneris, ut in tali tempore parareris? 15 Rursumque Esther hæc Mardochæo verba mandavit. 16 Vade & congrega omnes Iudæos, quos in Susan repereris, & orate pro me. Non comedatis, & non bibatis tribus diebus, & tribus noctibus: & ego cum ancillis meis similiter jejunabo, & tunc ingrediar ad regem, contra legem faciens, non vocata, tradensque me morti & periculo. 17 ivit itaque Mardochæus, & fecit omnia, quæ ei Esther præceperat.

VERSVS I & II.

Quæ cùm audisset Mardochæus, scidit vestimenta sua, & indutus est sacco, spargens cinerem capiti, & in plateâ mediæ civitatis voce magnâ clamabat, ostendens amaritudinem animi sui,

et hoc ejulatu usque ad fores palatii gradiens: Non enim erat licitum indutum sacco aulam regis intrare.

Hebraicè: Et Mardochai cognovit omne quod gestum fuerat, & scidit vestimenta sua, & indutus est sacco & cinere, & egressus est in medium civitatis, clamavitque clamore magno & amaro.

Et venit usque ad facies portæ regis (id est, usque ad locum qui erat coram portâ) quia non intrare in portam regis in veste sacci, id est, non erat fas ut intraret regiam, cùm esset indutus sacco.

Consentit Iosephus secutus Septuaginta. At Mardochæus re cognitâ, scissis vestibus, opertus sacco, & sparsus cinere ferebatur per urbem, iniquum facinus clamitans, maximam gentem internecioni esse addictam: & vociferando talia usque ad regnum palatium delatus, ibi demum constitit. Non enim fas erat illum tali habitu in illud ingredi.

COMMENTARIVS.

SPectavimus tamquam in theatro superbissimi & crudelissimi capitis, Amani, inquam, studia, conatus, fraudes, machinationes contra innoxium & profugum Iudæorum genus, Assueri regis imprudentiam & socordiam, ne quid gravius dicam, populum innocentem & inauditum barbaro edicto, morti addicentis. Restat jam contemplandus alter Tragœdiæ actus, compotationi & epulationi Regis & Amani oppositus, ubi inversâ scenâ, & mutato choragio inducuntur luctus, squalor, lacrymæ, suspiria, sordes Mardochæi non privata, sed publica. Non enim hæc celare vel poterat vel debebat. Strangulat enim inclusus dolor, & publica calamitas publicâ etiam tristitiâ & fletu demonstranda erat. Quamvis verò hæc ægritudinis animi & ingentis mœstitiæ argumenta, quæ edidit Mardochæus, maximè in basilicâ Assueri danda erant, unde tamquam Hydra quædam multorum capitum bellua Amanus venenum, luem, pestem in Iudæos effuderat, & à quâ etiam tantis malis remedium petendum & expectandum erat; prohibebatur tamen in regiam penetrare Mardochæus funesto illo amictu coopertus; Ergo quia illi hoc lugubri apparatu instructo in terrenam regis Assueri curiam ingressus præcludebatur, ocyus aggreditur ipse gentis suæ; communisque boni studiosissimus, cœlestis Augustalis pulsare fores, à Deo infimis precibus supplicitèr postulare auxilium rebus deploratis, in acerbissimâ totius Reip. Iudaicæ ærumnâ, cujus se occasionem dedisse animo prælagire poterat. Noverat summum illum cœlorum Imperatorem oratione & lacrymis suorum exoratum solere dissipare consilia gentiũ, reprobare cogitationes populorum, & consilia principum, Psal. 32 v. 10.

Insolitum hoc schema & apparatus in viro principe erat, ideoque civium animos in admirationem rapuit. Primò itaque in luctus indicium scidit vestimenta sua.

Secundò, indutus est sacco sive cilicio.

Tertiò, cinerem capiti inspersit. Hebraicè dicitur cinere indutus.

Quartò, in plateâ civitatis mediæ voce magnâ clamat. Hebraicè dicitur egressus in medium civitatis; Iosephus, per urbem ferebatur: sensus est illum progressum in forum, in compita maximè publica & parentia.

Quin-

Quintò, ibidem clamat clamore magno & amaro, & sic ejulando usque ad vestibulum palatii pervenit.

Sexto, ajunt Septuaginta illum hæc vociferando dixisse: *Tollitur gens, quæ nihil injuste egit.* q.d. Sortem miseram & indignam deploro, qua video populum nihil tale promeritum acerbissimæ neci devotum. Iosephus: *Indignè facinus clamitans maximam gentem internecionis esse addictam.* Addere debuisset cum Septuaginta, & quidem innocentem, quæ nihil mali perpetrarit; quamvis enim flebilis casus sit gentem maximam ad cædem rapi; lamentabilius tamen est, illam esse sine culpa. Sed de his doloris & luctus symbolis sigillatim agendum.

Sectio Prima.

Vestimentorum scissio tessera luctus.

135. Constat ex scriptura vestiū scissionem esse luctus symbolum.

IN confesso est vestium lacerationem apud Hebræos notam fuisse summi doloris, ut constat ex scripturis sacris, quarum aliqua testimonia sedulò legi. Genes. 37 ℣. 30: Non invento Iosepho fratre in cisterna Ruben vestes scindit: similiter & Iacob visâ ejusdem tunicâ sanguine hœdi intinctâ, & indutus est cilicio, lugens illum multo tempore, ibidem ℣. 34. Iosue cap. 7 ℣. 6 scidit vestimenta sua, & pronus cecidit in terram coram arcâ, tam ipse quam omnes senes Israel, miseruntque pulverem super capita sua, cùm cæsi essent Israelitæ ab hostibus. Iephte, cum occurrisset ei reduci è victoriâ filia unigenita, scidit vestimenta sua. Iudicum 11 ℣. 35. primi Regum 4 ℣. 12, capta arca Dei ex acie quidam currens venit in Silo, scissâ veste, & conspersus pulvere caput: 2 Reg 13 v. 19, Thamar vitiata ab Ammone fratre suo, & foras ejecta, aspergens cinerem capiti suo, scissâ talari tunicâ impositisque manibus super caput suū, ibat ingrediens & clamans. Vide similia 2 Reg. 1 ℣. 11. 4 Reg. c. 5, v. 7, & rursus cap. 6 v. 30, item c. 18, v. 37 & cap. 19 v. 1, primi Machab. 2 v. 14: *Scidit vestimenta sua Mathathias & filii ejus, & operuerunt se cilicis & planxerunt valde.* Actorum denique 14 v. 13 Barnabas & Paulus conscindunt tunicas suas, clamantes &c.

135. Idem mos obtinuit apud gentes.

Eumdem morem obtinuisse apud gentes constat ex Iob cap. 1, v. 20, ubi Iob auditâ filiorum suorum morte scidit vestimenta sua, & corruit in terram. Et cap. 2, v. 12 amici Iob exclamantes ploraverunt, scissisque vestibus sparserunt pulverem super caput suum in cœlum, &c.

135. Assyrios.

De Assyriis habemus in libro Iudith, cap. 14 v. 14, Vagao eunuchus cùm vidisset cadaver Holofernis absque capite in suo sanguine tabefactum jacere super terram exclamavit voce magnâ cum fletu & scidit vestimenta sua. Ibidem v. 17: *quod cum audissent principes virtutis Assyriorum scidерunt omnes vestimenta sua; &c.*

135. Persas.

De Persis idem tradunt Curtius variis locis, & Herodotus. Satis erit unum ex illo locum notasse ex lib. 10 cap. 8, ubi sic refert: *Ad Darii quoque matrem celeriter fama de Alexandri morte perlata est. abscissa ergo veste, qua induta erat, lugubrem sumpsit, lacerasisque crinibus humi corpus abjecit.* Ita Curtius. Idem à Persis factum scribit Herodotus lib. 3 in morte Cambysis.

135. Romanos etiam.

De Romanis etiam certum est: unum citabo Tranquillum in vita Iulii Cæsaris c. 33: *Cæsar pro concione fidem multitudinis flens, ac veste a pectore dississa invocavit.*

Disruptionem vestium symbolum esse interni doloris, pœnitentiæ, perturbationis, manifestum est; cur verò ad ea significanda assumpta olim ab omnibus ferè gentibus fuerit, non ita perspicuū.

Mihi hujus tres rationes se offerunt:

135. Rationes, cur vestis scissio sit signum interni doloris. Prima.

Prima, Vestis corporis nuditatem obtegit, eáque prima est ejus institutio. Qui verò amictum dilacerat, absconditi non vult, sed publicè patere omnibus inclusum animo mœrorem, angustias & ægritudinem cordis, non dissimulat molestias, quas patitur, sed expromit.

Secunda.

Altera est, quod vestis postmodum etiam adhibita fuit ad decentiam & ornatum; unde hominem honestat & quasi gloriosum reddit. Qui ergo amictum lacerat, significat se honorem, gloriam, pompam & omnem apparatum contemnere, & quasi rem vilem frangere, q. d. *Non est conveniens luctibus illa decor.* Pari modo olim vestes auro & purpura intertextas & magnificas exuebant, & saccum vel vestem lugubrem accipiebant, ut lætitiam simul se abjicere ostenderent, & luctum aggredi. Sic habes Ionæ 3 v. 6, de Rege Ninives: *Et surrexit de solio suo & abjecit vestimentum suum a se, & indutus est sacco, & sedit in cinere:* Iæ fuere notæ veræ in Rege isto pœnitudinis, & resipiscentiæ, regium videlicet paludamentum, & gemmis fulgentem trabeam, & margaritis radians diadema detrahere, & indumentum luctui aptum sibi circumdare. Ita & Regina nostra hîc cap. 14, 2, *cùm deposuisset vestes regias, fletibus & luctui apta indumenta suscepit:* cilicium scilicet & saccum.

Ex adverso vestire se mollibus, pretiosis & cultioribus indumentis, exuere habitum lugubrem, &c. symbolum est hilaritatis & gaudii. Iudith c. 10 ℣. 2 & 3 *abstulit a se cilicium, & exuit se vestimentis viduitatis suæ, & induit se vestimentis jucunditatis suæ &c.* Similiter & Esther cap. 15 v. 4 *deposuit vestimenta ornatus sui* (cultus lugubris) *& circumdata est gloria sua.*

Tertia.

Tertia causa est, quod scissio vestium adumbrat internam cordis scissionem per dolorem & pœnitentiam & scelerum detestationem, quibus cor quasi gladio finditur & dissecatur. Vnde Dominus ad pœnitentiam populum suum adhortans Ioëlis 2, 13 ait: *Scindite corda vestra & non vestimenta vestra:* q. d. quamvis externa illa ceremonia & ritus disruptionis vestium à summo ad pectus videatur signum interioris pœnitudinis & cordis contriti & humiliati, potius tamen velim vos scindere corda vestra per verum dolorem & integram ad me conversionem. Ibi enim vera est & fons, ex quo per oculos postea tamquam per torrentes dimanant lacrymæ.

Leginus quosdam vi contritionis & doloris ob præterita peccata concepti subitò exspirasse, corde videlicet deficiente, cujus rei symbolum est illa vestium ante pectus discissio. Vide Hieronym. Platum lib. 2 de Bono status religiosi cap. 5 & cap. 32.

Sectio

Sectio II.

Pœnitentiæ & mœroris argumentum olim gestatio sacci cilicini.

SAccus, vestis aspera, baltheus setis hircorum hispidus, lumbare pilis camelinis hirsutum semper fuêre arma sacræ militiæ tam in castris Hebræorum, quàm Christianorum.

136. Scriptura hoc indicat. Sacci cilicini usum indicant passim volumina divina. Vt autem omittam, quæ superiore sectione ex sacro tabulario deprompsi ex Genes. 37 v. 34. 4 Reg. cap. 19 v. 1, & 1 Machabæorum 2 v. 14, & aliis, accedunt & hæc 3 Regum c. 21 v. 27. *Cum audisset Achab sermones istos* (comminationes Domini per Eliam) *scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, jejunavitque & dormivit in sacco & ambulavit demisso capite.* Esdræ 2. c. 9. ℣. 1. *Convenerunt filii Israel in jejunio & in saccis & humo super eos*; id est pulvis consparsus super eorum capita. Iudith 4 ℣. 9. *induerunt se sacerdotes cilicio, & altare Domini operuerunt cilicio.* 4 Regum 6 ℣. 30 *Rex Israel Ioram scindit vestimenta sua, vidit que omnis populus cilicium, quo vestitus erat ad carnem intrinsecus.* Erat hic habitus vel schema luctus & pœnitentiæ, quod peccatores resipiscere, & converti ad Deum proponêtes, vel etiam in communi aliqua vel privatâ calamitate assumebant. Ad eundem cultum suscipiendum excitant sacri vates: Ieremias cap. 6, v. 26: *filia populi mei, accingere cilicio & conspergere cinere.*

136. Prophetæ ad cilicii gestationē hortantur. Ioel primo v. 8: *Plange quasi virgo accincta sacco super virum pubertatis suæ.* & v. 13 *Cubate in sacco ministri Dei mei.*

Baruch propheta cap. 4 v. 20 sic inducit loquentem Iudæorum gentem: *Exui me stola pacis, indui autem me sacco obsecrationis, &c.*

Nec omittenda hic Iudith vidua cap. 8 v. 6; quę *habens super lumbos suos cilicio jejunabat omnibus diebus vitæ suæ præter Sabbata, &c.* Forma hæc est & typus seriò pœnitere volentium, omnem luxum & delicias abjicientium, coram Deo se demittentium & humiliantium, ad gratiam Dei & misericordiam impetrandam aspirantium, carnis lasciviētis titillationes refrenantium, se macerantium. Vt enim vestium mollities luxuriæ læna est, animumque & corpus emasculat, & utriusque robur elidit; ita etiam ex adverso earundem durities & horror castimoniæ nutrix & conciliatrix est, corporique & animo vires cœlestes subministrat.

Cilicium titillationes carnis edomat.

136. Cilicii usus etiam gentibus communis. Hunc ritum in luctu publico vel privato sacceos vel cilicia gestandi apud alias etiam gentes usurpatum multa demonstrant. Vide 3 Reg. 20 v. 32, ubi Syri accinxerūt saccis lumbos suos &c.

Clarius idem apparet in Ninivitis Ionæ 3 v. 5. *Et crediderunt viri Ninivitæ in Deum: & prædicaverunt jejunium, & vestiti sunt saccis à majore usque ad minorem.* Et v. 6. *Et pervenit verbum ad Regem Ninive: & surrexit de solio suo, & abjecit vestimentum suum à se, & indutus est sacco, et sedit in cinere.* & v. 7. *Et clamavit et dixit in Ninive ex ore regis, et principum ejus dicens: Homines et jumenta et boves et pecora non gustent quidquam: nec pascantur, et aquam non bibant.* & v. 8. *Et operiantur saccis homines et jumenta, etc.*

Quia verò ritus & ceremonia disrumpendi vestes jam ferè dissuetudine exolevit, corpus verò veste setis & pilis durioribus contextâ (quam cilicium vocamus) edomandi maxime in usu est, semperque fuit apud Christianos, vel præterita peccata hac asperitate indumenti castigare cupientes, & pœnas à se repetentes, vel carnis titillationes, & Veneris illecebras refrenantes, vel magnum aliquod malum publicum vel privatum deprecantes, ideo pluribus hoc de argmento disserere operæ pretium duxi.

Sectio III.

Frequens in Ecclesiâ Christianâ omni seculo sacci cilicini usus, & qua fini assumptus.

SIcut terreni alicujus principis palatium non constructur nisi è lectis, quadratis, politis lapidibus, & saxis, plurimis malleorum percussionibus tunsis & limatis: ita Ecclesia, domus Dei, 1 ad Timoth. 3 v. 15, *columna et firmamentum veritatis*, non coaluit, nec augmentum accepit & ornamentum suum, nisi à viris tentationibus variis probatis, afflictionibus gravibus explonatis, corporis macerationibus subactis. Apostolica enim & Euangelica vita constabat corporis δουλαγωγίᾳ, ut Sancti Patres loquuntur, servitute videlicet, quâ spiritus illud comprimit, & sibi servire facit.

3. Ecclesia Christiana viris crevit variis pressuris expertis.

Fuerunt Apostoli, & qui eorum vestigia pressius sunt secuti domus eburneæ, de quibus Psalmus Psal. 44. v. 9. Ebur autem nisi radatur limis, dividatur serris, perforetur subulis, obscurum & horribile est: sic & Apostoli erant, antequam à Domino vocarentur, & à Spiritu ejus inhabitarentur: Sed postquam vocati sunt, serris secti, ungulis rasi, scalpellis sculpti, flammis igniti, ac diversis supplicus elimati, facti sunt domus Dei. S. Paulinus epist. 10 ad Severum inducit hujus palæstræ primipilos Eliam & Baptistam, *quorum alterum* (Eliam) *hispida setis zona cingebat; alterum pili camelorum hirto tegmine vestiebant*: quibus verbis cilicium Prodromi Christi expressit. Hi fuerunt magistri vitæ Ascēticæ, quæ non solùm consistit in meditatione rerum cælestium, quibus animus exercetur, sed etiam in severiore conversatione, quam mortificationem vocant spiritualium rerum tractatores, quibus corpus exercitatur. Asceta enim Latinè exercitator dicitur, & Asceſis, exercitatio: unde & eadem austerior disciplina meritò nomine σωματικῆς honestatur, quæ denotat corporis, ejusque contrarationem insurgentium certaminum exercitam, sollicitam, constantemque edomationem. Hac excelluerunt exercitatione magni illi veteris legis Prophetæ, de quibus scribit Apostolus ad Hebr. 11 ℣. 37. *Circuierunt in melotis* (cingula gestabant & vestes ex ovinis pellibus, quæ sunt argumenta humilitatis & mortificationis) *in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus.*

4. Viri Apostolici domus eburneæ; & quare.

5. Principes vitæ Asceticæ Elias & Baptista.

6. Quid sit vita Ascetica.

Tertullian. in Apologet. c. 40 agens de Christianis aureo illi Apostolorum seculo proximis sic scribit: *Jejuniis aridi, & omni continentiâ vitæ expressi, ab omni fruge vitæ dilati, in sacco & cinere volutantes &c.* Hæc erat veterum ταπεινοφρόνησις id est, humiliatio, vel, demissi animi & corporis status,

status, carnisque afflictio, & σκληραγωγία, id est dura carnis tractatio, quâ spreto omni luxu, delicijs, mollitie, in duritia corpus continetur.

Hujusmodi asperitates sunt jejunium, chamæunia, (quo vocabulo Patres significant humi cubationem) perophagia, esus scilicet ciborum aridorum, omophagia, crudorum fructuum vel aliorum sumptio, potus frigidæ, nudipedalia, volutationes in terra & cinere, gestatio ponderosæ crucis, diverberatio per catenas, flagella, uncinos vel murices ferreos, constrictio lumborum per funiculos; inter quæ vitæ severioris genera maximè usitatus, ut dixi & probavi, semper fuit saccus sive cilicium. Hæc enim pro eodem in scripturâ usurpantur, ubi enim nos habemus cilicium, Græcis & Hebræis est saccus.

Sed me hoc de argumento commentantem è memoriâ suprà excideràt Rex sanctissimus David, qui calamitatibus fatigatus & circumdatus non solum è sacro armamentario adhibuit orationem & jejunium, sed etiam pro loricâ accinxit se cilicio Psal. 34, 13. *Ego autem*, ait, *cum mihi molesti essent, induebar cilicio.* Et Psalmo 68, ℣. 12. *Et posui vestimentum meum cilicium.*

Solet autem scriptura frequenter conjungere gestationem cilicii, & jejunium, hac enim armaturâ & panopliâ, divini furoris spicula retunduntur: Sic fecere Ninivitæ; sic Achabus, sic David suprà: sic Iuditha, sic prophetæ, quorum habitus fuit saccus vel cilicium, ut populum ad pœnitentiam provocarent, ut S. Hieron. in 13 Zachariæ docet.

1. Cilicium vestis Ecclesiæ.

Denique tam commune fuit olim apud Christianos cilicium, ut vestimentum Ecclesiæ vocaretur, teste Ruricio Episcopo Lemovicensi Epistolâ 20. in Bibliothecâ S. Patrum.

2. Cilicium instrumentũ agendæ pœnitentiæ.

Ex dictis colligimus finem varium hujus usus. Nam primo assumebatur, ut instrumentum seriò agendæ pœnitentiæ ad priora scelera expiandæ: undè & lugubris vestis appellatur, & metanœæ symbolum. Sic S. Hieronym. cum à Licinio Betico munera quædam accepisset, ciciciola illi remittens scribit: *Ego insignia paupertatis, quotidianæ symbola pœnitentiæ tibi & sorori tuæ misi, quatuor ciciciola apta propositio & usibus vestris.*

Idem de S. Paulâ loquens Epist. 27, quæ se reprehendentibus quòd corpus suum severius afflingeret, ait inter alia sic eam respondisse: *Mollia linteamina & serica pretiosissima asperitate cilicii commutanda.*

3. Item ad aliquid à Deo impetrandum.

Deinde solita fuere semper carni cilicia applicari ad commune vel privatum aliquod bonum à Deo impetrandum, ut docet S. Cyprian. de jejunio & tentatione Christi, ubi de viris sanctis, *Cilicio*, ait, *carni hærentibus supplices beneficia postularunt.* S. Fulgentius epistolâ 2, cap. 12: *Castigatione*, inquit, *corporis acquire pulchritudinem cordis, vilibus caro tegatur operimentis, & pretiosis anima vestibus induatur*, &c. Sed de hoc fine plura infra; Hinc est quod Baruch cap. 4, ℣. 20, cilicium vocat saccum obsecrationis his verbis. *Indui me sacco obsecrationis, & clamabo ad Altissimum in diebus meis.* Ecce indicat cilicii usurpationi adjungi orationem solitam, quamvis & ipsâ horrens vestis possit dici ad Deum clamare.

Sed audi effectum sacci obsecrationis. *Et venit*, ait, *mihi gaudium à sancto super misericordiâ, quæ veniet vobis ab æterno salutari nostro.* Ita S. Baruchus.

Tertiò, vel maximè servit cilicium ad pravæ cupidinis sagittas repellendas, & vitiorum illecebras comprimendas; præcipue in adolescentibus, in quibus spurcitiæ carnalis motus ebulliunt, aculeis enim & cilicii setis cum caro compungitur, lascivire minus audet. Sic S. Cæcilia cilicio membra domabat. Sic apud S. Hieron. epistolâ 3 sub chlamyde gerebat cilicium in palatio Nepotianus. *In palatio*, ait, *militia sub chlamide & candenti lino corpus ejus cilicio tritum.* Sic B. Franciscus Borgia vernante juventâ cùm matronas nobiles officii gratiâ visere oporteret, hirsutum, pilisque asperum induerat cilicium, ut hoc tamquam clypeo munitus tela dæmonis ignea, carnisque illecebras extingueret. Ita ejus habet vita lib. 1, cap. 3. 11. Servit carnis edomationi.

Sic pia Mater S. Edmundo Lutetiæ litteris operam danti inter linea indumenta etiam cilicium missitabat, ut hac disciplinâ novus tiro futuræ sanctitati viam pararet. Vide Surium in vitâ ejus cap. 2, Novembris 16.

Scitum est quondam mœnia urbium obsessarum ciliciis obtegi solita, ad ignes hostiles arcendos & ad impetus machinarum refringendos. Vis, Christiane, hostis Tartarei in carne tuâ per libidinis sensum nidulanti vires debilitare? Hoc crudo & spinoso texto te obvalla, & victor Dei gratiâ evades. 12. Cilicium vim hostis arcet tam corporalis, quam spiritualis.

Denique gestatio cilicii functio est religiosa, quâ vel Christo patienti compatimur, vel hoc pietatis exercitio Deo placere contendimus. Sic videmus viros religiosos, tam Ascetas & solitariam vitam agentes, quàm Cœnobitas, ut Carthusianos multosque alios, tam sacerdotes quàm laicos hoc vestimento horridiore membra fodicare, & comprimere, quia hoc ipsorum instituto convenit ad majorem Dei gloriam, & propriam salutem. Cilicium vestis religiosa.

Sanctus Martinus Sacerdotum corona hac aculeatâ togâ corpus conterebat, teste S. Paulino de vitâ S. Martini lib. 2, in Bibliothecâ Patrum ultimæ Edition.

Quin & contexto setis coopertus amictu
Exesa assiduo compunxit acumine membra.

13. S. Martinus mortuus in cilicio, assistente SS. Basilius, Nazianzenus, Elzearius, Thomas Morus.

Quod etiam pietatis officium adeo illi fuit familiare, ut teste Severo in epistolâ ad Bassulam, quæ est de transitu S. Martini, & habetur apud Surium 11 Novembris, etiam moriens nobili illo strato suo, in cinere & cilicio recubaret; & cùm à discipulis rogaretur, ut saltem vilia sibi sineret stramenta supponi: *Non decet*, inquit, *filii, Christianum nisi in cinere mori. Ego si vobis aliud exemplum relinquo, ipse peccavi.* Hæc sanctissima illa anima.

S. Basilius Magnus, pio dolo ad ostentationem fugiendam de nocte cilicinam vestem, & hispidam induebat, sua conscientia & Deo inspectore contentus, ut oratione vigesimâ de eo scribit Nazianzenus. Quin etiam idem ipse Nazianzenus Carmine 4 de se faciens sermonem: *Somnum, ait, repello lugubri veste squalida membra tegens.*

S. Elzearius comes Arriani horrente pilis hircorum aut equorum sacco carnem fodiebat.

Thomas Morus singulis sextis feriis, vigiliis Sanctorum & quatuor temporibus cilicium gerebat, etiam cùm Cancellarii munere fungeretur: quod pridie mortis misit ad Margaritam filiam

liam suam. Fuit autem cilicium per modum reticuli valde nodosum. Ita testis oculatus Thom. Stapletonus Vitæ ejus cap. sexto.

Sectio Quarta.

Ritus caput cinere conspergendi vel in cinere jacendi symbolum luctus, humiliationis, pœnitentiæ.

REs hæc clarior luce meridianâ est ex divinis litteris; in quibus calamitosi, piis quoque veræ Metanœæ exercitiis dediti præter jejunia & cilicia etiam cinerem capiti inspergunt vel pulverem, aut etiam sibi substernunt.

13. Constat ex scriptura & aliis.

De calamitosis habes locum 2 Reg. cap. 13, vers. 19, ubi Thamar à fratre vitiata in signum acerbissimæ animi ægritudinis sparsit cinerem capiti suo. 2 Regum cap. 15, ℣. 32, occurrit Chusai Davidi *scissa veste, & terrâ pleno capite.*

Hîc Mardochæus quidem cinere conspergit caput, Iudæi verò reliqui vers. 3 cinere pro stratu utuntur, de Estherâ hîc infra dicitur c. 14, vers. 2. *Cúmque depositsset vestes regias, fletibus & luctui apta indumenta suscepit, & pro unguentis variis, cinere & stercore implevit caput, & corpus suum humiliavit jejuniis*, &c. Iob 16, vers. 16. *Saccum consui super cutem meam, & operui cinere carnem meam*, &c. Threnorum 2, vers. 10: *Sederunt in terrâ, conticuerunt senes filiæ Sion: conspersérunt cinere capita sua, accincti sunt ciliciis, abjecerunt in terram capita sua filiæ Ierusalem.* Omitto alia. Hinc qui luctui ob miserias, quibus opprimuntur, se dant, vocantur sordidati & squalidi.

Sicut verò unguenta exotica & suavem odorem spirantia, vestes sericæ & auro intertextæ, torques & baccata monilia animos exhilarant, deliciarum & lætitiæ conciliandæ gratiâ assumuntur; sic vestimenta atra, sordes, pulvis & cinis, sacci ciliciaque pariunt tristitiam, lacrymas, & symbolum sunt animi amaritudinis atque luctus. Solemne quoque fuisse pluribus aliis populis, ut in luctu cinere caput deturparent, & etiam tunicam discinderent, docet ex professo Tiraquellus in Alexandrum Neapolitanum Annotationibus lib. 3, cap. 7. Præterea ritus jacendi in cinere, vel caput pulvere deturpandi argumentum est animi demissi, & vilitatem suam coram Deo agnoscentis.

Hino etiam fluxit laudabilis illa ceremonia in Ecclesiâ usitata in Capite quadragenarii jejunii, cinere capillos operiendi, vel frontem cruce cinereâ notandi; &, ut eo fine indicetur morem hunc receptum, additur hoc Mnemosynon: *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Dies verò hujus ritus à Cineribus nomen accepit.

14. Aspersio cinerum nota est humiliationis, & mortalitatis, & hominem deprimit.

Quis verò nesciat nihil ita arrogantiam, & mentis tumorem humanæ deprimere, quàm si homo & originem & exitum suum attentè consideret, ut Abraham qui dicebat Deo Genes. 18, vers. 27: *Loquar ad Dominum meum, cùm sim pulvis & cinis.*

Hæc cogitatio de cinere mortalitatis & infirmitatis nostræ altè in pectus demissa instar cineris ignem amoris divini in corde nostro fovet, qui alioquin auræ expositus extingueretur.

Sicut locus sublimis cor hominis exaltat, ita locus depressus idem dejicit. Sirachides Eccles. cap. 40, vers. 3. *A residente super sedem gloriosam usque ad humiliatum in terrâ & cinere.* Vnde corruere in terram, vel humi sedere, cubare in pulvere habitus est humilium.

Cinis res est mortua, exsucca, vigore, virtute, & splendore carens. Sic homo, animo abscedente, qui instar igniti carbonis est, in cinerem resolvitur. Sapientiæ 2, ℣. 2. *Cinis erit corpus nostrum.* Vide dicta à nobis tum Ecclesiastici c. 17, vers. 31, tum cap. 10, vers. 9, ubi homo dicitur terra & cinis.

16. Sanguisuga est superbia, quam cinis repellit.

Scribunt quidam hirudinem vel sanguisugam si cinere conspergatur, ab hominis carne, quam apprehenderit, avelli. Superbia sanguisuga est bonum virtutum sanguinem exsugendo depascens, hanc vel maximè à corde nostro repellit mortalitatis & vilitatis nostræ attenta meditatio.

17. Specula ex cineribus.

Specula & vitra ex cinere conficiuntur. Nullum speculum præstabilius inveniemus nostræ mortis commemoratione, nullum quod clarius objiciat quid fuerimus, quidve futuri simus, quod efficacius nos commonefaciat maculas animi eluendas.

18. Apes pugnantes jactu pulveris compescuntur.

Depugnantes magnis animis & stridoribus apes & totâ acie concurrentes novimus exiguo pulveris aut cineris imbre superinjecto conquiescere. Sic enim canit Poëta Georgicôn 4:

His motus animorum, atque hæc certamina tanta
Pulveris exigui jactu compressa quiescunt.

Omnis populorum & Regum animositas, bellorumque tumultus, omnis privata simultas & inter cives inimicitia, denique omnis intestina affectionum in animis nostris dissidentium contentio comprimetur, si hunc mortalitatis cinerem mentibus rebellantibus & seditiosis injecerimus.

15. Cineris aspersio typus est conversorum se ad Deum.

Postremò, hæc cineris sordidatio & deturpatio schema est & forma seriò & ex animo se ad Deum convertentium per pœnitentiam & cordis contriti amarum dolorem.

Res aperta est ex Iudith 4, v. 16, ubi dicitur de sacerdotibus offerentibus sacrificia Domino, quòd essent præcincti ciliciis, *& erat cinis super capita eorum.* Idem fecerunt Iudith 7, ℣. 4, filii Israel prosternentes se super terram, *& mittentes cinerem super capita sua, unanimes orantes*, &c. 2 Esdræ 9, ℣. 1: *Convenerunt filii Israel in jejunio & in saccis, & humus super eos.* Iob cap. 42, ℣. 6. *Idcirco*, ait; *ipse me reprehendo & ago pœnitentiam in fæcibus & cinere.* Vide similia Isaiæ 58 vers. 5, Ieremiæ 6, vers. 26. & 25, ℣. 34, Ezechiel. 26. vers. 10. Daniel. 9, vers. 3. Ionæ 3, ℣. 6. 1 Machabæorum 3, vers. 7, & cap. 4, vers. 39. Matth. 11, ℣. 21, & alibi sæpe.

Idem factitasse Christianos docent tum alia, tum ea quæ diximus sectione præcedente de S. Martino, qui non nisi in cilicio & cinere mori voluit. S. etiam Franciscus Seraphicus teste S. Bonaventurâ in ejus vitâ, veste saccinâ depositâ nudus in humo nudâ spiritum Deo reddidit.

19. Cinis, cineratum luctuum symbola sunt purgationis animæ per pœnitentiam.

Convenienter etiam cinis tamquam nota Hieroglyphica assumitur ad pœnitudinis & animi contriti demonstrationem. Cinis enim ob acrimoniam insitam vim habet abstergendi & sordes eluendi, si cum aqua decoquatur, quod cineratum vocari potest: Præterea aqua per cinerem

nerem colata singulari virtute prædita est ad linea indumenta purganda, quæ dicitur lixivia vel lixivium ab antiqua dictione lix, quæ teste Varrone & Plinio, olim cinerem significabat; licèt Nonius Marcellus velit aquam à priscis sic appellatam; unde & lixæ dicti, qui aquam ad castra militum ferebant, & caro elixa vocatur. Quidquid tandem sit, constat cineres etiam in lege Moysis ad expiationem legalis immunditiæ valuisse, ut insinuat Apostolus ad Hebræos 2, ℣. 13. *Si enim*, inquit, *sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis*; &c.

Cinis vitulæ in veteri lege.

30. Expiationes apud gentiles.

Denique apud gentes piacula sive expiationes omnibus fiebant elementis, non solùm igne & aquâ, sed etiam terrâ. Vnde quia parricidium apud eas inexpiabile censebatur, parricidis aquâ, igne & terrâ interdicebatur. Testatur Cicero Oratione pro Roscio Amerino; *Majores nostri*, inquit, *parricidas vivos insuto culeo, atque ita in flumen demergi voluerunt*. Hæc ille.

Exempla eorum qui anteactæ vitæ maculas hujusmodi asperitatibus, & prostrationibus, ac piaculis eluerunt, multa extant. Sufficiat nobis hoc loco in medium producere Invictissimi Cæsaris Caroli quinti gymnada & exercitationem, qua se ad exitum hujus vitæ præparavit.

31. Pia exercitatio Caroli quinti ante mortem.

Describit hanc auctor recens Famianus Strada decadis primæ de bello Belgico libro primo, hisce verbis:

Carolus quintus cùm omnium regnorum administrationem in filium suum Philippum rejecisset, & Imperium Ferdinando fratri transmisisset, è Zelandiâ cum sororibus solvens, ubi Laredum Cantabriæ portum ingressus est, & primum littus attigit, prostratus in genua, osculo terram libavit, & illud addidit: Salutari à se communem matrem reverenter, utque nudus è matris olim utero prodierat, ita ad alteram hanc matrem libentissimè reverti nudum.

Præterea in S. Iusti cœnobio, secessu suo, flexo è funiculis tormento exigere à se anteactæ vitæ pœnas severè cœpit: quos inde funiculos, à Philippo secundo Rege piè habitos, ab eoque morti proximo afferri ad se jussos, &, ut erant cruore Caroli patris aspersi, Philippo tertio filio traditos inter Austriacæ monimenta pietatis asservari fama est.

32. Exequias ante mortem sibi celebrari jubet.

Idem, exequiarum occasione, quas matri anniversarias persolverat, & suas celebrari, apparariique sibi funus quam primum jussit. Ergo excitatur in templo tumuli moles, funalibus illuminatur, atrati circumstant famuli, mortuale sacrum mœsto Monachorum cantu peragitur. Ipse funeri superstes suo spectabat in illo imaginario munere, veras suorum lacrymas: audiebat exequiale carmen, placidam sibi requietem beatas inter sedes implorantium. Denique ipse sibi suffragia psallentibus ministris exposcebat. Tradit deinde sacrificanti, quam gestabat accensam facem, obsecrans ut Deus sic ejus animam in manus suas acciperet. Tunc exutus pullâ veste humi procubuit, revocatisque omnium, qui aderant, lacrymis, quasi depositus supremâ lamentatione compleratus est. Altero ab exequiis die febri est correptus, eâque paulatim consumptus. Sic ibi.

Sectio Quinta.

Clamor & ejulatus vehementis & amaræ ægritudinis signum.

EX sacris & profanis litteris constat lugentes internum animi sui dolorem valido clamore, gemitu & aliquando etiam ululatu prodere & in publicum dare. Iosue cap. 7, vers. 6. videns suos percussos à viris urbis Hai, scidit vestimenta sua, & pronus cecidit in terram tam ipse quàm omnes senes Israel, miseruntque pulverem super capita sua, & dixit Iosue: *Heu Domine Deus*, &c. Iephte Iudicum 11, vers. 35, visâ filiâ suâ unigenita sibi victori occurrente, scidit vestimenta sua, & ait: *Heu me, filia mea, decepisti me & ipsa decepta es.* Ibidem cap. 18, vers. 24, clamat Michas ablatis suis idolis: *Deos meos, quos mihi feci, tulistis, & dicitis, quid tibi est?* Vide de Davide 2 Regum cap. 15, ℣. 30, & ibidem cap. 18, vers. 33.

33. Ieremias lamentatur & ejulat.

Mardochæum threnodiâ suâ, & lugubri ejulatu præivit Ieremias propheta, de quo sic scribitur initio Lamentationum; quæ verba sunt Canonica & de textu sacro: *Et factum est, postquam in captivitatem redactus est Israel & Ierusalem deserta est, sedit Ieremias Propheta flens & planxit lamentatione hac in Ierusalem, & amaro animo suspirans & ejulans dixit: Quomodo sedet sola civitas plena populo*, &c. Ad hujusmodi planctum & lamenta idem vates populum excitat ibidem cap. 6, vers. 26: *Filia populi mei accingere cilicio, & conspergere cinere; luctum unigenito fac tibi, planctum amarum: quia repentè veniet vastator super nos.*

34. Item Mathathias.

Similiter primi Machabæorum 2, vers. 7, & sequentibus plangit Mathathias. *Et dixit Mathias: Væ mihi, ut quid natus sum videre contritionem populi mei, & contritionem civitatis sanctæ, & sedere illic, cùm datur in manibus inimicorum? Sancta in manu extraneorum facta sunt: templum ejus sicut homo ignobilis, &c. Quo ergo nobis adhuc vivere? Et scidit vestimenta sua Mathathias & filii ejus: & operuerunt se cilitiis & planxerunt valde.*

35. Persæ publicis in malis ululatus & clamores edebant.

Ceterùm quia apud Persas Mardochæus versabatur verisimile est eum in ipsorum mores ivisse quoad hoc, eorumque ritum in lamentis & questibus æmulatum. Vsitatum verò Persis fuit publicis in malis ululatus edere, clamores magnos ciere, omnia planctibus complere, ut constat ex Herodoto lib. 3, 8, 9, & Q. Curtio l. 4, 5, & decimo.

Porrò de luctu Persarum legendus Alexander Neapolitanus lib. 3, Genial. dier. c. 7, & in eum Annotationes Andreæ Tiraquelli.

Curtius lib. 10, c. 8, ex distinctione Raderi, loquens de luctu, quem Persæ exhibuerunt extincto Alexandro, sic scribit: *Persæ comis suo more detonsis in lugubri veste conjugibus ac liberis, non ut victorem & modò hostem, sed & gentis suæ justissimum regem vero desiderio lugebant*, &c.

Herodotus lib. 9, ubi de morte Masistii scribit, hæc habet: *Ubi in castra rediere, ingens luctus, cùm omnem exercitum, tum verò Mardonium cepit extincti Masistii, viri secundum Mardonium honoratissimi, tam apud Persas, quàm apud regem, ita ut ejulatus eorum omnem Bœotiam pervaderet,*

& seipsos & equos & jumenta totonderunt. Vide etiam Plutarchum in Alexandro.

Hunc morem etiam usurpatum ab aliis gentibus ostendit suprà Alexander ab Alexandro, ut Romanis, Lacedæmoniis, &c. & de funere Pallantis canens Poëta Æneidos 11 ait,

ululatusque ore dedere.

Sectio Sexta.

Non enim erat licitum indutum sacco aulam Regiâ intrare. vers. 2.

Documentum morale primum.

Ærumnosi, sordidati, pannosi aulis Regum arcentur.

AVla Persarum regis belluatis & Babyloniâ acu textis vestiebatur peripetasmatis, laquearia auro rendebant, purpurati flavo metallo rigentes, unionibus & lapillis, pretiosis regis interspersis induti, baccatis torquibus splendentes; floribus, rosis, unguentis & pigmentis, peristylia, & conclavia fragrabant, tibiarum, fidium & vocum concentu melico atria personabant. Quis inter hæc locus Mardochæo accincto sacco, & habitu lugubri, cinere sordidato, flebili ejulatu cœlum replenti? Hoc schemate paratus ad fores usque palatii graditur: Hucusque progredi datur, Regis aulam intrare nefas. Vociferatur janitor,

Odi profanum vulgus & arceo.

Sic est: In aulam Regum admittuntur cincinnatuli, calamistrati, unguentis delibuti, myrrhâ madentes, semiviri, deliciis fracti, sericis & aureis palliis decori, deniq; lenones, sycophantæ, mimi, ludiones, aretalogi, assentatores, scurræ, & hujusmodi hominum probra: at verò viri sanctitate eximii, quibus dignus non est mundus; quia vilibus indumentis cooperti, sæpius sordidati, pannosi, ob pulverem, sudorem & lacrymas ingratum spirantes à vestibulo palatii removentur. Non enim ferunt fastidiosi illi aulici in pœdore jacentes, eorum aures flebiles querimonias & planctus non admittunt assuetæ citharæ; & vocum mulcedini: Oculi non sustinent videre vestes saccinas, & setis horrentes, assueti margaritis & smaragdis aspectum pascere: nares peregrinis odoribus oppleri solitæ sordes & gravem odorem refugiunt. Denique verissimum est illud Christi servatoris pronuntiatum Matth. 11: vers. 18. *Ecce qui mollibus vestiuntur, in Domibus Regum sunt.* Excluditur ergo Ioannes, qui quoniam mollibus non vestiebatur, in deserto videndus erat. *Habebat* enim, inflt Matthæus cap. 3, vers. 4, *vestimentum de pilis camelorum* (cilicium scilicet) *& zonam pelliceam circa lumbos suos* (meloten.) Exulat ergo Herodis Tetrarchæ curiâ ad quam admittuntur principes Galilææ, quia magnifico & splendido vestitu ornati, subiit illam adulteræ filia saltatricula, quia mollium brachiorum gestu, & pedum ad numeros motibus Regi placet. Profani Baalis sacrificuli Reginæ Iezabelis epulis vescuntur; at veri Dei cultor & ejus legis zelotes ardentissimus Elias, quia *vir pilosus* (hircorum setis contexto pallio horridus) *& zonâ pelliceâ accinctus renibus*, 4 Regum primo v. 8, exiguum panis subeneritii frustillum a piâ Sarephtanâ viduâ mendicare cogitur. Moses & Aaron, inquit hîc Feuardentius, divino spiritu afflati Pharaonis palatio propelluntur, Exodi 3, 4, 5. Interim Iannes & Mambres maleficus infames magi ibi in deliciis sunt: Lucæ 16, vers. 19, Lazarus pannosus & mendicus, famelicus, ulceribus plenus ad januam jacebat divitis purpurati, splendidè epulantis. Recubare ante propylæum miser compellebatur. Si enim ad triclinium aditus illi fuisset, etiam de micis, quæ cadebant de mensâ divitis, satiari potuisset. Sed purpurâ indutus & byssо pannosum & lacerâ veste pauperem non sustinebat, nauseabundus, & fastidiosus pœdorem, & ulcerum purulentiam non admittebat.

26. S. Ioannes Baptista, Elias aulis arcentur, ut etiam Moses & Aaron, Lazarus.

27. Rex Abenner in palatium Iosaphat filii nihil luctuosum admitti vult.

Rex Indiæ Abenner, ut refert S. Ioan. Damascenus in vita Barlaam & Iosaphat cap. 3 filio suo Iosaphato pulcherrimum palatium extruxit, addidit illi pædagogos & ministros ætate florentes, & rarâ forma præditos, quibus præcepit, ut nihil eorum, quæ in hac vitâ molesta sunt, perspectum ipsi facerent, non mortem, non senectutem, non morbum, non paupertatem, nec quidquam aliud miseriæ, quod illi oblectationem interrumpere & turbare posset: verum omnia jucunda, & cum suavi fructu conjuncta proponerent, ut in his ipsius animus cum voluptate occuparetur. Quod si ministrorum aliquem in morbum incidere contigisset, eum statim illinc ejici jubebat, alterumque nitidum, optimèque valentem ipsi substituebat, ne quid omnino acerbi in filii oculos incurreret. Hæc ibi.

Hæc eadem mens fuit Regum Persarum, ut nihil miserabile, aut luctuosum in curiam eorum penetraret.

Documentum Secundum Anagogicum.

Calamitosis, afflictis, lugentibus patet aula regni cœlestis.

LAcrymis infusi, & miserabiles, veste asperâ & lacerâ amicti terrenorum principum palatiis excluduntur; sed gaudete, & bono este animo; vobis & hujus vitæ tempore aperitur via ad cœlestis regis gratiam, & post decursum hujus sæculi stadium patet introitus ad æternum regnum.

Et quidem hujus etiam vitæ tempore vestros clamores & gemitus admitti intra divinæ exauditionis sacrarium quis ambigat?

28. Patent aures Regis cœlestis audicodis clamoribus miserorum.

Sirachides Ecclesiastici 35, vers. 21. *Oratio humiliantis se nubes penetrabit: & donec propinquet, non consolabitur: & non discedet, donec altissimus aspiciat.*

Exodi 3, vers. 9. *Clamor filiorum Israel venit ad me: vidique afflictionem eorum, quâ ab Ægyptiis opprimuntur.*

Iacobi 5, vers. 4: *Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est a vobis, clamat; & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit.* Quis Iudithæ viduæ oratorium suum ingressæ, cilicio se induentis, cinerem super capur

put ſuum ponentis, Dommo ſe proſtementis, ad cum clamantis (Iudith 9, verſ. 1.) ſupplicationem ſuſcepit, niſi maximus orbis moderator?

Quis Mardochæi calamitoſiſſimi, ſacco aſperrimo induti, cinere conſperſi, ejulantis preces benignus auribus excepit, niſi idem miſerator & miſericors Dominus?

Quis Eſtheræ hîc cap. 14, verſ. 1 & 2, fletibus & luctu apta indumenta ſuſcipienti, cinere & ſtercore caput implenti, corpus ſuum humiliánti jejuniis, intra cœleſte adytum dedit locum, niſi magnus Dominus, de quo dictum eſt Pſal. 144, verſ. 18, & 19. *Prope eſt Dominus omnibus invocantibus eum in veritate. Voluntatem timentium ſe faciet & deprecationem eorum exaudiet, & ſalvos faciet eos?*

Quis denique Ninivitis Ionæ 3 ad pœnitentiam & lamenta converſis, media ſe macerantibus, ſaccis carnem operientibus, in cinere ſe volutantibus, cœleſtes fores reſeravit, niſi ille ipſe, qui ibidem dicit ℣. 10: *Et vidit Deus opera eorum, quia converſi ſunt de viâ ſuâ malâ: & miſertus eſt Deus ſuper malitiam, quam locutus fuerat ut faceret eis, & non fecit?*

Proinde præclare ſcribens in eum locum ait S. Hieronymus: *Inanis venter & habitus luctuoſus ambitioſius Dominum deprecantur.*

Nec ambigendum eſt hujuſmodi calamitoſis & afflictis ubi ex corporeis gurguſtiis evolarunt, cœleſtem Baſilicam valvis bipatentibus reſerari.

29. Calamitoſis & cilicio opertis cœli porta aperitur, ut Lazaro.

Dubitare nos non ſinit illud Euangelii oraculum ſuper mendico ulceroſo Lazaro editum Lucæ 16, ℣. 22: *Factum eſt, ut moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ.*

Nec de primo eremi cultore Paulo, ambigere ſubeſt. Hic in ſpelæo orationibus vacans ætatem duxit, cibum & veſtimentem ei palma præbente, vitam autem ad centum & tredecim annos prorogavit, cùm interim ſexaginta annis dimidii panis fragmentum per alitem corvum ei Dominus ſubmiſiſſet, potum verò è vicino fonte frigida dediſſet.

Putamuſne huic ſeni jejuniis confecto, ſeminudo clauſum fuiſſe cœli domicilium? Abſit. Audi Hieronymum.

30. Vt S. Paulo primo Eremitæ.

Cùm S. Antonius ad corpuſculum beati Pauli obvolvendum pallium ſibi ab Athanaſio donatum referret, *vidit inter Angelorum catervas, & inter Prophetarum & Apoſtolorum choros niveo candore Paulum fulgentem in ſublime conſcendere.*

Vt autem Antonius demonſtraret quanto in pretio veſtimentum Pauli haberet, illam tunicam ſibi vindicavit quam in ſportarum modum ex palmæ foliis Paulus contexuerat, & præcipuis feſtis eâdem veſtiebatur.

Non me teneo quin hîc inſeram verba S. Hieronymi, quæ in fine vitæ ejuſdem ſubjungit, *Libet*, inquit ipſe, *interrogare eos, qui patrimonia ſua ignorant, qui domos marmoribus veſtiunt, huic ſeminudo quid unquam defuerit. Vos gemmâ bibitis, ille naturæ concavis manibus ſatisfecit: vos in tunicis aurum texitis, ille ne viliſſimum quidem habuit indumentum mancipii veſtri. Sed è contrario illi quidem pauperculo Paradiſus patet; vos auratos gehenna excipiet: ille veſtem Chriſti nudus licèt tamen ſervavit: vos veſtiti ſericis indumentum Chriſti perdidiſtis. Paulus viliſſimo pulvere cooper-*

tus jacet, reſurrecturus in gloriam, vos operoſa ſepulcra premunt cum veſtris opibus arſuros. Parcite, quæſo, vobis, parcite ſaltem divitiis, quas amatis? Cur ambitio inter luctus, lacrymaſque non ceſſat? An cadavera divitum niſi in ſerico putreſcere neſciunt? Obſecro quicumque hæc legis, ut Hieronymi peccatoris memineris: cui ſi Dominus optionem daret, multo magis eligeret tunicam Pauli cum meritis ejus, quàm Regum purpuram cum regnis ſuis. Quidam legunt, *cum pœnis ſuis.* Hucuſque Hieronymus.

Similia de S. Antonio, qui ab adoleſcentiâ uſque ad extremam ſenectutem in ſolitudine vitam traduxit, dicere in promptu eſt; patuiſſe videlicet illi ſorditato, & cilicino ſacco veſtito ſublimem illam regiam. Hæc de eo S. Athanaſius ſub finem vitæ ejus.

Antonius moriturus hæc de veſtibus ſuis diſpoſuit. Veſtimentorum meorum ſit iſta diviſio: meloten, & pallium meum, cui ſuperjaceo, Athanaſio epiſcopo date, quod mihi novum ipſe detulerat. Serapion epiſcopus aliam accipiat meloten: vos cilicinum habetote veſtimentum, & valete viſcera mea. Antonius enim migrat, & jam non erit in ſeculo vobiſcum. Et paulo inferius. *Antonius nec veſtimentum mutavit, nec pedes lavit: nec eſcam ſeſtatus eſt molliorem.*

Eumdem ad aſtra cum cœleſtibus ſpiritibus conſcendentem videamus.

31. Vt S. Antonio.

Verba finierat (quæ paulò antè præmiſimus) *& oſculantibus ſe diſcipulis, extendens paululum pedes mortem lætus aſpexit; ita ut ex hilaritate vultus ejus, Angelorum ſanctorum, qui ad perferendam animam ejus deſcenderant, præſentia noſceretur. Hos intuens tamquam amicos videret, animam exhalavit, & additus eſt patribus ſecundum ordinem ſcripturarum.* Hæc ille & plura.

De Hilarione quondam locorum deſertorum incolâ, nunc cœleſti civitati adſcripto hæc in ejuſdem vitâ ſcribit S. Hieronymus, cap. 3:

32. Et Beato Hilarioni.

Hilarion ſacco tantùm membra coopertus, & pelliceum habens ependytem, quem illi proficiſcenti beatus Antonius dederat, ſagumque ruſticum; inter mare & paludem, vaſta & terribili ſolitudine fruebatur, quindecim tantùm caricas poſt ſolis occaſum comedens, &c.

De corpore verò ejus poſt decem à morte menſes integro reperto hæc habet in fine c. 38: *Repertum eſt corpus totum integrum quaſi adhuc viveret, illæ ſatunica cuculla & pallio tantis fragrans odoribus, ut delibuti unguentis putaretur.* Hæc ibi.

Non ambigendum ſummo ætheris palatio exceptam animam, cujus corpus tanto miraculo in terris Deus honoravit.

33. Eliæ, Ioannis Baptiſtæ.

An non *vir* ille *piloſus, & zona pellicea accinctus renibus*, Elias, inquam, cui clauſa Achabi regia, igneo curru, & equis igneis in ſublime raptus aſcendit?

Et alter Elias ſpiritu & virtute, qui *habebat veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos ſuos*, Matth. 3, ℣. 4. extortis Herodis curiâ, ab æterno regno exulabit?

Quid dicam de antiquis vatibus qui pallio ſaccino & cilicio operti ad pœnitentiam populos provocabant? Quid de Apoſtolis, qui piſcatu vitam toleravere, & manibus laborantes victum quæſierunt, ſeminudi & inſtabiles verbum deduſſe nunquam verunt, tamquam purgamenta hujus mun-

mundi, & omnium peripſemata æſtimati ſunt? ſempiterni regni aditu excludentur?

Ergo ſancti, quorum album confecit Apoſtolus ad Hebræos ſcribens c. 11. *qui circuierunt in melotis* (ovinis pellibus) *in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes in montibus & speluncis & in cavernis terræ* verſ. 37 & 38, abauratis illis palatiis & purpuratis tabernaculis, quæ Deus diligentibus ſe præparavit, arcebuntur?

34. S. Thomas Cantuarienſis poſt martyrium inventus eſt horribili in intus cilicio.

S. Thomas Cantuarienſis Archiepiſcopus, Angliæ præſidium & decus, crudeliter ab impiis ſicariis & ſacrilegis percuſſoribus ſacro in loco obtruncatus, cùm die poſtero poſt cædem ad lavandum corpus ejus detegeretur; inventus eſt ad nudam carnem ferre cilicium adeò pediculis refertum, ut martyrium, quod pridie perpeſſus fuerat, iſto cruciatu tolerabilius videretur. Porrigebatur autem iſtud cilicium uſque ad genua, eoque admodum ſtricto femur cinctum erat.

Sic Sancti Antiſtitis virtus & vitæ rigor, qui ante latuerat, in lucem prodiit, & piis quidem lacrymas, ſceleratis vero parricidis pudorem peperit & excuſſit. Ita apud Surium continent ejus Acta cap. 24, Decembris 29.

Sic Eccleſiæ Anglicanæ propugnatori acerrimo, cui in regnum Britanniæ ingreſſus negabatur, aperientibus & plaudentibus Angelis cœleſtia capitolia patuerunt.

Documentum Tertium Anagogicum.

Corporis ſaccus exuendus, & caro hîc longâ maceratione caſtiganda, ut ſpiritus ad ſupremi regis admittatur palatium.

Gloſſa & Hugo Carenſis hoc nobis ſuggerunt, hiſce verbis:

Nullus cum corruptione præſentis vitæ poteſt aulam cœleſtem intrare: ſed ante obitum debet quiſque corporis caſtigatione & cordis compunctione regni pulſare introitum, ut ſupremum intret palatium. Duo innuunt hæc verba; Primum; corporis ſaccum ante diſcindendum, quod in morte fit, ut jucundo Dei aſpectu animus perfruatur: Alterum hîc media, vigiliis, crebris afflictationibus carnem mortificandam, & veram cordis pœnitentiam exhibendam, ut ſpiritus inter beatos recipi mereatur.

Dum hæc fiunt anima veſte nuptiali & byſſino ſplendenti & candido cooperiatur, ut ad nuptias Agni proficiſcatur, & gemmata palatia ſubeat.

35. Corpus animæ indumentum, & cingulum.

Corpus eſſe quaſi quoddam animæ indumentum, adeò perſpicuum eſt, ut ſepulcretum, vel locus, in quo cadavera conduntur, Græco vocabulo Cœmeterium dictus fuerit, quaſi cubile & dormitorium, in quo exuviæ mortalitatis reponuntur, & putant quidam eodem idiomate vocatum corpus σῶμα, quaſi ζῶμα, cingulum, quod ſpiritus eo cingatur.

σῶμα quaſi ζῶμα.

Intellexit hoc Eminentiſſimus Card. Reginaldus Polus, qui cùm audiviſſet præmium aureorum quinquaginta millium ab Henrico Octavo Angliæ Rege conſtitutum ei, qui ſibi necem inferret, & cum Senatu Belgico actum magnis promiſſis, ut ſe traderet, miratus Regis amentiam dixit Everardo à Marchia Cardinali & Epiſcopo Leodienſi, jam dudum ſe vitæ hujus tædio affectum mortem cupiviſſe corporiſque depoſitionem: & proinde cùm Henricus tanto ſtudio & incommodo ſuo illud ipſum efficere conetur; nihil aliud facere, quam ſiquis dormitum ire cupienti veſtem ipſam velit detrahere. Ita ſcribit Nicol. Sanderus de Schiſmate Anglic. lib. 1. p. 132.

36. Reginald. Pol. apophthegma Chriſtiano dignum.

Vide interpretes in Epiſtol. 2. ad Corinth. cap. 5 verſ. 4, & Chryſoſt. Homil. 5, ad Hebr. cap. 2. in morali, ubi inter cetera: *Cum tantâ facilitate carnem exuere debemus, cum quanta veſtimentum exuimus.*

Canit Pſaltes regius Pſal. 29, ℣. 12. *Convertiſti planctum meum in gaudium mihi: conſcidiſti ſaccum meum, & circumdediſti me lætitiâ.*

Quamvis autem hoc ad litteram conveniat Davidi, qui periculo omni amoto (præſertim peſtilentiæ, in quo cilicio ſe cinxerat) & ſanitate reſtitutâ veſtibus ad lætitiam & hilaritatem confectis ſe induerat: & Chriſto etiam in reſurrectione mortalitatis ſacco exuto, & gloriosâ immortalitatis ſtolâ veſtito, ut quidam Patres Allegoricè interpretantur:

37. Saccus corporis in morte ſcindimur.

Non malè tamen adſcribitur electis quibuſlibet, quos è valle lacrymarum poſt longos fletus, & pœnitentiæ planctum ad gaudium ſempiternum Dominus aſſumſit & à miſeriâ hujus vitæ ad ſupernam tranſtulit felicitatem corporis mortalis poſitis exuviis.

His prædicitur per Iſaiam cap. 61, gaudium & conſolatio danda per Chriſtum ℣. 1, & ſequentibus.

Spiritus Domini ſuper me, eò quòd unxerit Dominus me: ad annuntiandum manſuetis miſit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam & clauſis apertionem, &c. & ℣. 3. *ut conſolarer omnes lugentes: ut ponerem lugentibus Sion* (id eſt, copioſè reponerem quod ſequitur) *& darem eis coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro ſpiritu mœroris.*

Lugentibus promittitur in cœlo gaudium.

Egregiè hæ promiſſiones noſtro ſerviunt propoſito. Chriſtus Dominus verè pœnitentibus, ſacco tam mortalitatis, quàm pœnitentiæ exutis, qui luctu & lacrymis confecti ſua peccata defleverunt, promittit conſolationem; pro cinere, quo capita inſperſerunt, coronam, pro luctu verò, quo ſe macerarunt, oleum ſive unguentum odoriferum, quo gaudentes in cœleſtibus nuptiis, & æternæ beatitudinis feſtiviſſimo epulo perfundantur; denique pro ſpiritu mœroris, quem veſte lugubri teſtabantur, pallium laudis, id eſt, jucundum & decorum, quo amicti Deum laudent, ejus gloriam celebrent.

38. Nicephorus Phocas ſub paludamento cilicium gerebat.

Intellexerat hoc Nicephorus Phocas Græcorum Imperator, qui, auctore Conſtantino Manaſſe in Annalibus, uſque adeo ſtudioſus animæ pulchritudinis comparandæ erat, quâ ad cœnam nuptiarum Agni admitti mereretur, ut corpuſculum ſuum veſte aculeatâ & ſpinarum in morem lancinante attereret, & ſub trabeâ purpureâ tunicam moleſtiorem, & cilicium tegeret.

S. Ignatius, cujus ſanctiſſima membra fame rabidi diſcerpſere leones, paulò ante amphitheatralem agonem fervente ſpiritu exclamabat: *Ignis, crux, beſtiæ, confractio oſſium, membrorum diviſio,*

S. Ignatius Martyr ut panis mundus heret leonum dentibus molitur.

divisio, & totius corporis contritio, & tota tormenta Diaboli in me veniant: tantùm Christo fruar. Cumque jam damnatus esset ad bestias, & rugientes audiret leones; ardore patiendi ait: Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar.

Ita S. Hieronym. de scriptorib. Ecclesiasticis.

Granum frumenti in terræ gremio putrescit & moritur, excutitur & flagellatur in area, in molendino frangitur, in pistrino cribatur & subigitur, in furno coquitur, ut tandem purgatissimum libum in mensam regiam inferatur.

39. Lacrymæ in gemmas vertuntur.

Felices pœnitentium lacrymæ, quæ in gemmas cœlestes mirabili Metamorphosi Dei benignitate convertuntur, quibus sanctorum in stellato palatio tempora coronantur.

Eleganter Chrysostom. homilia 30 in Genesin. *Quidnam*, ait, *ero, oculis illis formosius, perpetuo Lacrymarum imbre, & quasi margaritarum decore ornatis?* Hæc ille.

Venuste quis dixerit pium illum oculorum torrentem vel piscinam propitiando numini fluentem esse alterum Pactolum vel Chrysorrhoam, Erythræi maris gemmeam opulentiam longè pretio suo excedentem. His lapillis pretiosa nobis in cœlo corona conferetur, his quasi pyropis & carbunculis capita beatorum collustrantur.

40. Fletus piorum finalis est herbæ Lithospermo.

Scribit Scaliger herbam quamdam nasci Lithospermum dictam, quæ cum specie ut ingratior atque horridior, fert tamen in foliis margaritas (unde nomen apud Græcos obtinuit; Lithospermus enim idem est, quod lapillos ferens) & resticulam veluti unionum. Simile ferè de Lithospermo Plin. lib. 27, cap. 11.

Sic quamquam lacrymatio, & pius oculorum fluxus, atque pœnitentia triste quiddam & inamœnum præterre videntur, ex lacrymis tamen glorioſum decus petitur, ac palma omni ambitione prehendenda.

Ergo fortunatissimi illi supremi Augustalis cives pro sordidis pulveris & cineris gloriosâ corona donantur à justissimo Agonotheta, pro fœtore & pœdore pœnitentiæ, suavissimo unguento perfunduntur; pro horrente & duriore cilicii sacco, honorifico paludamento vestiuntur, denique dum carnem suam hîc crebris contusionibus & flagellationibus castigant, & macerant, byssino splendenti & candido cooperiuntur.

Sciendum tamen est, quòd antequam byssus, quæ est genus lini subtilissimi, in vestimentum paretur, longum subeat tormentum, de quo argumento copiosè & acutè disserit Ioan. Goropius Becanus l. 3 Hermathenæ p. 39, & sequent. ex quo hæc pauca Lector accipe.

Linum naturâ suâ durum, rude & intractabile est, quod etiam manus lædit, priusquam multo hominum labore scabras, duraſque squamas exuat, quibus horrescit. Nihil est omnino, quod majora tormenta ab hominibus, quàm linum patiatur; ut jure optimo à patiendo nomen duxerit (linguâ Belgicâ lieu, i. pati, unde linum.)

41. Linum, ut in vestem paretur plerumque tormentis afficitur, unde &

Primùm ad pœnas ejus natura accelerat, ut minimum temporis ei in genitalibus terræ visceribus concedatur; nam vere satum ipsâ statim æstate vellitur, vultum ardenti caniculâ torretur, tostum in contrarium ignibus elementum submergitur, & gravi pondere depressum ibi tenetur, dum cortex computrescat. Belgicè à patiendo dictum putatur. Inde ad hominum injurias rapitur, stupario malleo diu multumque contunditur, postea cortice exuto, medullæ jam fere nudæ ferreis dentibus acutissimis miserrimè dilacerantur, & ita linum carminatur, donec in tenuissima fila distrahatur. Deinde mulierum manibus contorquetur, contortum in lixivium detruditur, & magnâ lignorum strue ignibus injectâ ebullire cogunt: ulterius, ut ex eo tela conficiatur, a textoribus in leiatorio involvitur, & distenditur magno molimine, & tandem post multa tormenta jam contextum soli exponitur ut dealbetur; cùm antea tamen multos calcium ictus, multos fustes pertulerit. Iam nive candidius forficibus discinditur; infinitis acuum puncturis terebratur. Cum vero sordibus variis infectum fuerit corpori humano adhibitum, rursùs nova pœnarum oritur carnificina, acri sapone illinitur, lixivio maceratur, aliquando etiam lixatur, manuum vi tunditur, fricatur, torquetur, aquâ frigidâ mergitur, exemptum inde sole torretur: & sic labor lino redit in orbem, noviſque semper molestiis afficitur, & perenni quadam Ixionis rotâ, ad nova semper & vetera tormenta devolvitur; Dies me & verba deficiant priusquam omnes injurias lini queam recensere.

42. Linum symbolum animi Christiani.

Satius fit de lini exemplo illud ad animum nostrum transferre, ut quo pluribus in hujus vitæ ergasterio calamitatibus affligimur, eò semper meliores evadamus, quod Plinius de lino dixit, illud melius injuriâ evadere.

Ante quem de eo scripsit Isaias cap. 43, ℣. 17, dum infit: *Contriti sunt quasi linum*: quâ naturæ suæ notâ symbolum præ se fert ad vitam bene instituendam utilissimum. Lini enim monitu ad patientiam instruimur, per quam solam virtutem animam nostram & lucramur & possidemus.

Qui autem se finit externis malis aut injuriis turbari, is non habet animam in sua potestate, sed velut Triton quidam ventorum index, modò in hanc modò in illam rapitur partem, numquam suus futurus, nisi patientiæ anchorâ se firmet.

43. Patientia via ad perfectionem & æternam felicitatem.

Hæc patientia Christo per fidem, spem & caritatem inhærens nos reddit omni lino candidiores, per quam etiam omnis animis nostris contingit perfectio, non secus, atque linum tanto melius evadit, quanto pluribus pœnis fuerit excarnificatum. Et hæc una de præcipuis causis fuit, Vsus linearum vestium in sacris. ut sacerdotes lineis vestibus in sacris uterentur, quò nimirum memores essent, omnem animis nostris munditiem per tormenta esse quærendam, & quæcumque in sacris fierent, ea omnia ad Christi passionem esse referenda; qui tamquam solidissimo fundamento patientia nostra stabilita, nos eò perducit, ubi lino mundo & candido vestiti, in splendidissimâ luce, felicitate perfruemur sempiternâ.

Hæc & plura Goropius diserte & eruditè; Ex quibus etiam colligere est ea quæ hactenus diximus, scilicet corpus nostrum instar lini duriter habendum, macerandum & diutùrnâ contusione & tortione domandum, ut stolâ candidâ, & albis vestibus amiciatur in cœlis.

Documentum Quartum Moratum.

Religiosi viri, & qui pietatem profitentur, ab aulis principum arcentur.

NE quis hoc documentum à me profectum putet, sciat hoc esse Hugonis Cardinalis in hunc locum, qui ita scribit: *Quid ergo facit Monachus cucullatus in curiis. Abusio est, ut dicit, S. Bernard.* Ita Hugo.

Non enim erat licitum indutum sacco aulam Regis intrare. Quæ participatio pietati cum vanitate? Aut quæ societas paupertati cum deliciis? Quæ autem conventio Psalmodiæ cum tripudiis? Aut quæ pars pannosis, & cilicio coopertis cum indutis byssо & purpurâ. Qui autem consensus lacrymis & fletibus cum risu & hilaritate? Quæ conjunctio esse poterit candori & simplicitati cum simulatione & fuco?

Si quilibet Dei cultor & salutis suæ studiosus imis insculptum medullis tenet illud Lucani,

Exeat aulâ
Qui volet esse pius. Virtus & summa potestas
Non coëunt:

quomodo Regum palatia insidet Asceta, Therapeutes, monachus, qui nomine, & habitu pietatem & religionem profitetur?

44. Thomas Morus facere ostendit se invitum in aulâ commorari.

Thomas Morus, ut mihi auctor est Stapeltonus in vitâ cap. 7, vinculo conjugii alligatus, & liberos habens, quia tamen gloriæ Dei, & saluti animæ suæ velificabatur & studebat, cùm Ioan. Fischerus Roffensis Episcopus ordinem & dignitatem in Angliæ aulâ ei gratularetur, more suo lepidè & argutè respondit: *In aulam, ait, invitus veni: & in eadem non minus malè hæreo, quam quisquam equitandi insolens hæret in sellâ.* Aptet sibi dictum hoc ordinem sacrum professus, qui non nisi coactus adire curiam debet; cùm verò ibidem gravi de causâ commoratur, existimet se in equuleo sedere, aut imperitum equitandi in ephippio magnis affici molestiis. Vide plura apud Stapeltonum suprà, quomodo Morus vitæ aulicæ pertæsus fuerit.

Aula mare inquietum.

Aula mare est undabundum, naufragiis infame; fretum est periculosissimum, solâ inconstantiâ suâ constans; Euripi more sexies die noctuque fluit, refluitque, æstus reciprocat multorum morte nobilitatos: Turbarum plenus circus, & theatrum. *Quid facit in turbâ, qui solus est? Interpretetur Monachus nomen suum.* Ita ferè S. Hieronym. epist. ad Heliodorum. Quanto securius, quietius, commodius, dulcius in cellâ, quæ multis Ascetis & Anachoretis cœlum fuit, resideret, illud Senecæ repetens: *Me dulcis saturet quies?*

Quis in aulâ pietati locus, ubi scelera omne cum Deo commercium excludunt? Vbi incuria salutis, ubi amor rerum, quæ in regno speciosa videntur, ubi occupationes vanæ quæ germen devotionis à Deo satum suffocant? Sunt hæ veluti defluxiones, quæ fauces animæ obsident, spiritusque intercludunt. Auget hunc morbum periculosum otium & segnities, ex quâ inane negotium oritur.

45. S. Antonius nec favere aulæ, nec

Præclari sanctitate Anachoretæ quàm flocci aulam, ejusque gloriam fecerint, ostendit S. Antonius in vitâ apud S. Athanasium cap. 50. *Hoc*, inquit Athanas. *in Antonio mirabile fuit, ut hominem in extremo mundi limite conditum & favor principum, & omnis celebraret aula regalis. Nam & Constantinus Augustus & ejus liberi Constans atq; Constantius talia cognoscentes, crebrò ad eum, quasi ad patrem, missis litteris obsecrabant ut reciprocis eas scriptis hilararet. At ille nec salutatione principum movebatur, & tamquam non acceptis litteris, convocatis monachis ajebat: Reges seculi epistolas ad nos miserunt; quæ hic Christianis adhibenda mirabilia est? Licèt enim diversa sit dignitas, attamen eadem nascendi moriendique conditio est. Illa sunt veneratione omni percolenda, illa toto animi affectu retinenda sunt, quòd hominibus Deus legem scripserit, quòd per filium suum proprias ecclesias dissaverit eloquiis. Quæ monachis est ratio cum epistolis regum? cur accipiam litteras quibus consueta nesciam reddere salutationis obsequia? Nec quidem litteris ipsorum respondere in animum inducebat, nisi ab universis fratribus rogatus, ne scilicet per silentium ejus asperarentur.* Hæc Athanas. Cæsarum litteris movetur.

Illene aulam Imperatorum adiret, vel frequentaret, qui nec epistolas ipsorum responso dignas judicabat, qui omnem ipsorum gloriam pro nihilo habebat, qui nullâ hujus mundi dignitate movebatur, sed solùm cœlestia suspiciebat, & ad ea toto cordis conatu adspirabat?

Quid æstuum, curarum, molestiarum haberet vita aulica, quantum impedimentum injiceret Deo serviendi, prudenter viderunt egregii illi & generosi palatini, quos dicebant Agentes in rebus, qui lecto codice, in quo continebatur vita Magni Antonii, aulæ Cæsareæ nuntium remiserunt, affixerunt cor cœlo, & remanserunt in casâ. Quorum unus alterum his verbis affatus narratur à Potitiano apud S. Augustin. lib. 8 Confession. cap. 6: *Dic, quæso te, omnibus illis laboribus nostris quò ambimus pervenire, quid quærimus? cujus rei causâ militamus? Majorne esse poterit spes nostra in palatio, quàm ut amici Imperatoris simus? Et ibi quid non fragile, plenumque periculis? Et per quot pericula pervenitur ad grandius periculum. Et quamdiu istud erit? Amicus autem Dei si volnero esse, ecce nunc fio.* Et paulò pòst: *Ego jam abrupi me ab illâ spe nostrâ, & Deo servire statui, & hoc ex hora hac, in hoc loco aggredior. Te si piget imitari, noli adversari.* Hæc quidem ille apud Augustinum aulam cum pretiosis suis periculis exire certus. Tu verò Monache, aut Asceta, hisce periculis erutus, aut procul remotus, ultrò te in illa ingeris, atque in interitum properas voluntarium?

46. Duo palatini lectâ vitâ S. Antonii aulæ valedicunt.

47. Arsenius aulam fugit.

Arsenius antequam ad Theodosii Senioris aulam invitaretur, ibidemque liberos ejus ad omnem virtutem informaret, vitam inculpatam agebat: insuper in palatio quasi monachus Deo vacabat: nihilominus ubi Dei vocem audivit; Arseni, fuge tumultus, & salutem assequêris; nihil cunctatur, moratur nihil, vestes splendidas, & habitum superbum statim exuit, pauperem verò, & suo proposito convenientem assumit, navemque conscendit, Alexandriam navigat, & inde detonsâ capitis cæsarie, & cum eâ etiam humanarum curarum reliquiis, monasticum induit amictum, & ad Scetem solitudinem properat, ibi Deo securiùs vacaturus. Ita metaphrastes in ejus vitâ apud Surium, cap. 8, Iulii 19.

Tu

Tu cellæ incola, Cœnobita, quæ Arsenius fugit, avidè persequeris, & in compedes te induis volens & sciens, quas ille se evasisse gratulatur; Domino decantans illud Davidicum: *Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis?*

48. Cassiodorus vitæ palatinæ valedicit.

Cassiodorum etiam virum clarissimum turbarum aulicarum tædium cepit: de quo hæc pauca accipe ex Baronii Annali septuno, anno Christi 562. Doctissimus æquè ac sanctissimus vir, decus Romanæ nobilitatis, præfecturis innumeris donatus, Aurelius Cassiodorus ad monasterium, quod extruxerat, se contulit, ubi velut in portu residens post naufragia Regum Gothorum, quorum regna Prætoria Præfecturâ curarat, Deo & litteris vacans, reliquum vitæ tempus ad obitum usque traduxit.

Et inferius: Cassiodorus, qui à tempore Theodorici Amali Regis usque ad Vitigem itidem Italiæ regem, apud ipsos Gothorum Reges florentissimè vixit, summis semper honoribus auctus, exsaturatus ad nauseam usque continuatione amplissimorum magistratuum, quò turbulentum mundi pelagus magis expertus est, eo libentius tenui cymbâ contulit se in solitudinem, exoptatum diu portum tranquillitatis, nempe in monasterium à se constructum, de quo ipse in libris de divinis lectionibus meminit, appellatque Monasterium Vivariense sive Castellense. Ita Baronius.

Sic plures viri nobilitate, sanctitate, eruditione conspicui palatia Asceterus Monachorum posthabuerunt.

Interdum fas est Monachis palatia regum adire.

Sed quia causæ incidunt, quæ etiam Monachos sive solitariè, sive in communi degentes, in aulas Principum properare cogant, cum videlicet vel privata Monasteriorum negotia, vel Dei gloria, & Ecclesiæ salus periclitatur; ideo non omnino illos inde semovemus, cùm & plures alios, & adducere possint in sui patrocinium sanctum Aphraatem Anachoretam, de quo hæc narrat Theodoretus lib. 4 historiæ Ecclesiasticæ capite 24.

Aphraates salutem gregis Domini suæ ipsius tranquillitati anteponens, gurgustio, in quo vitam monasticam exoluerat, relicto ad confirmandos Orthodoxos Antiochiam se contulit. Hunc viâ publicâ transeuntem cum ex sublimi porticu vidisset Valens Imperator pallio vili ac sordido indutum, & cum gradu, licèt confectum pœne ætate, incedentem, & cum quidam ei dixisset: hic est ille Aphraates, ex cujus nutu pendet civitas universa: ibi tum Imperator: Cedo, inquit, quo te conferas: Tum ille prudenter: Pro tuo, inquit, regno precaturus: Tum Imperator: At domi, inquit, tibi manendum est, & intra cellam, uti lex monastica postulat, erandum. Cui divinus ille vir: Præclarè admodum, inquit, dicis Imperator: Istud sanè mihi faciendum, & hactenus feci, dum oves Servatoris pace fruerentur. Verùm quoniam jam magnopere conturbantur, & multum illis impendet periculi, necesse est omnes viat persequi, non modò ne à feris capiantur, sed etiam ut conserventur incolumes. Nam dicito mihi quæso, ô Imperator; Si filia alicujus essem, & sederem in conclavi, uti ædes curarem, atque, deinde cernerem flammam in eas incidisse, ædesque paternas jam conflagrare: dicito mihi; inquam, quid me facere oportet: intusne manere, & ædes incensas negligere, expellarenque donec flammæ impetus longius pervaderet: an relicto conclavi, sursum, deorsumque cursitare, & aquam asserre, quâ flammam restinguerem? Hoc certe te responsurum constat. Nam hæ sunt partes filiæ prudentis ac providæ. Atque hoc ipsum nos agimus, ô Imperator. Etenim cùm tu jam in Patris nostri ædes flammam injeceris, nos circumcursitamus, quò eam maturè possimus extinguere. Quæ cùm locutus esset Aphraates, Imperator ei interminatus, conticuit. Verùm unus ex ejus cubicularibus, graviores contra hominem divinum jactavit minas, qui propterea talem plagam accepit, ut de potestate mentis deturbatus in aquam balnei calidissimam se præcipitaret.

49. Aphraates solitudinem relinquit, & ad urbem properat causâ fidei urgente.

Hæc Theodoretus, qui etiam cap. 25 sequente refert S. Iulianum eadem de causâ reliquisse solitudinem, & Antiochiam venisse; itemque Magnum Antonium tempore Constantii eremo abiisse & Alexandriam se contulisse, quò omnes doceret tum Athanasium præconem veritatis, tum Arianos veritatis hostes esse.

Cùm igitur talia se obtulerint tempora, licebit Anachoretis & Cœnobitis solitudinis & cellæ quieti Dei negotia præponere.

50. Quæ cavenda religiosis & Monachis, cum pietatis causâ in palatia agunt.

Cavendum tamen magnopere tunc temporis, ne religiosus Asceta suam potius, quam Dei causam agat, & gratiam, favoremque Principum ambitiosè captet, & nimis abjectè in familiaritatem purpuratorum se insinuet, & putidè aulicismis vili tunicâ opertus utatur, ne pluris facere incipiat congressus aulicorum, vana & urbana eorum colloquia, jocos & seculares recreationes, quàm tranquillitatem animi, cellæ quietem, religionis suæ exercitia, obedientiam suis moderatoribus debitam, ne ægrè, & vehementi cum renisu à virorum principum consortio avellatur, ne non sine fastidio de reditu ad monasterium cogitet, ne mensas eorum potius quàm salutem, & bonum spirituale affectetur & diligat, ne eorum rebus, & curialibus negotiis tamquam propriis se capi & affici sentiat, ne meditationes, Psalmodia, & monastica disciplina sordeant, strepitus verò plausus & salutationes aulicæ adlubescant, alliciant, perplaceant.

Societas Iesu prospexit focos in aulis principum versantibus.

Quisquis hujusmodi est Monachus, noverit se cucullâ & tunicâ religiosum & regularem, animo verò & spiritu aulicum & curialem. Captus est, & tenetur ab antiquo serpente, & intentio sua eum decepit.

Societas nostra vel maximè providit, ne hic Aulicismi morbus & grave malum paulatim in nostros irrepat: Scripsit admodũ R. Pater noster Claudius Aquaviva contra id in libro Industriarum cap. 15, quod ab illis qui aulas adeunt, diligenter legendum. Insuper extat ejusdem P. Generalis inter Instructiones vigesima prima, quæ est pro Confessariis Principum, quæ docet quomodo cum illis agendum.

VERSVS III.

In omnibus quoque provinciis, oppidis, ac locis, ad quæ crudele regis dogma pervenerat, planctus ingens erat apud Iudæos, jejunium, ululatus & fletus, sacco & cinere multis pro strato utentibus.

Hebraicè: Et in omni provinciâ & provinciâ (id est, qualibet provinciâ) & loco, quem verbum Regis, & lex ejus attigit, luctus magnus fuit Iehudæis, & jejunium & fletus & planctus; saccus & cinis sternebatur multis.

Iosephus sic expressit: Nec alius erat Iudæorum habitus aut affectio in ceteris urbibus, quacumq; regiæ litteræ perlatæ fuerant, omnibus ob denuntiatam sibi cladem lugentibus & lamentantibus.

COMMENTARIVS.

RElIqui, qui in centum viginti septem Persidis provinciis versabantur Iudæi, partim exemplo Mardochæi incitati, partim multóque magis tam horribili proposito edicto attoniti & consterrati, cùm in omnium oculis mors oberraret, certatim omnes ad arma genti suæ consueta perfugiunt, quibus & dolorem suum significent, & Deum, quem suis sceleribus exacerbatum non sine causâ formidabant, sibi propitium redderent. Ergo: *Magnus ubique Luctus, ubique pavor, & plurima mortis imago.*

Signa autem animorum turbatorum, & mœrore confectorum hæc recensentur. Planctus, dum palmis & pugnis pectora omnes percutiunt, mulieres etiam capitis ornatu neglecto crines dilacerant, & ubera crebris ictibus feriunt. Hebraicè est luctus magnus: accedit fletus & oculorum defluus imber, clamor & ejulatus, saccus & cinis, pro molli lecto; denique jejunium præsentissimum Numini placando remedium.

Quid dogma?

Circa litteram textus nota primò, Epithetum (*crudele*) ab Interprete appositum, energeticῶς, quia crudelissimum illud erat statutum: similiter & additum est, *oppidis*, cùm in Hebræo non habeatur.

Secundò; *Dogma* hîc accipitur pro edicto vel decreto & placito regis, quod ita regi videatur. Ajunt verò Grammatici illud derivari ab antiquo verbo δόκω, quod idem est cũ δοκέω id est video, unde à præterito passivo δέδογμαι fit δόγμα id est, decretum, placitum: Sic dicimus dogmata philosophorum, id est, eorum placita. dogma ergo non est doctrina, ut fortè quidam volunt, sed id quod alicui placet & videtur. Sic accipitur passim apud auctores: unde τὰ δεδογμένα sunt quæ alicui videntur, & probantur. Hebraicè hic est דת Dath, quod redditur nunc statutum, nunc scitum, nunc lex.

Tertiò; Pro cinere Hebr. hîc est אפר Epher pulvis, & sic sæpè redditur à S. Hieronymo, sed sententia est eadem.

Quartò: להרגם Rabim, quod noster vertit, *multis*, potest etiam reddi, proceribus, vel primoribus: q. d. etiam ipsi viri principes sibi cinerem vel pulverem substernebant & eo lecti loco utebantur; ut Isaiæ 58, 5. *saccum & cinerem sternere.*

Quintò: causâ tanti luctus, & lamentationis, clarius indicatur hic c. 13 ℣. 18 his verbis: *Omnis quoque Israel pari mente & obsecratione clamavit ad Dominum, eo quòd eis certa mors imminere.* Eandem hic insinuat Iosephus, dum ait: *Omnibus ob denuntiatam sibi cladem lugentibus & lamentantibus.*

Ethologia Prima.

Vsus & virtus deprecationis & pœnitentiæ seu afflictionis publicæ.

ORationis & publicæ afflictionis usum nemo ignorat, nisi qui divinarum litterarum, & Ecclesiæ rituum prorsus inscius & negligens est.

Ritum hujus & efficaciam habes 1 Reg. 7 v. 6 & sequentibus. *Et convenerunt* (Israelitæ) *in Maspha: hauseruntque aquam et effuderunt in conspectu Domini, et jejunaverunt in die illa, atque dixerunt ibi: Peccavimus Domino.* Effectum autem publicæ illius orationis & conversionis ad Deum, cùm simul Samuel sacrificium pro Israel obtulisset, postea habes ℣. 10 & sequentibus, victoriam reportatam de communi hoste Philistino.

52. Ritus publicæ pœnitentiæ & orationis in veteri lege.

Fuit hæc deprecatio publica ad Deum honestata internâ compunctione & dolore de ante actæ vitæ sceleribus, satisfactione, & cõfessione.

Res explicatione non indiget. Solùm ritus ille & ceremonia obscura est aquam hauriendi & effundendi, quâ sacram esse tum ex verbis illis constat (*in conspectu Domini*, qui testis erat piæ ipsorum mentis & doloris propter se concepti, idololatriæ & aliorũm piaculorum detestationis) tum ex circumstantiis rei gestæ.

53. Ceremonia hauriendi & effundendi aquã cujus rei symbolum.

Vt autem Hebræorum fabulationes omittam, aliqui hujus loci enarratores per aquæ haustũ & effusionem lacrymas accipiunt, quæ ex fonte cordis dolore contriti per oculorum scatebras erumpunt. Ita in hunc locum notat S. Gregor. *Quid est*, inquit, *aquam haurire, nisi de profundâ animæ pœnitentis confusione lacrymarum fluenta producere, velut enim aquam haurimus dum, quam profundâ iniquitate cecidimus, considerantes plangimus. Quam profectò aquam in conspectu Domini effundimus, si, cùm pœnitendo compungimur, de ejusdem compunctionis fletu non quærimus favorem seculi, sed solum fructum divinæ placationis. Sed & dum mens flendo compungitur, necesse est, ut etiam caro, quæ delectationibus subjacuit, affligatur. Vnde & subditur: & jejunaverunt in die illa &c.* Hæc S. Gregorius lib. 3 Expositionis in libr. Reg. cap. 5. Consentit Chaldæus Interpres: effuderunt, ait, cor suum in pœnitentiâ ante Dominum, scilicet in lacrymas solutum. Sed vere haustam a populo aquam, non tropicè, mihi certum est, sed in symbolum rei arcanæ. Vnde dicendum cum quibusdam expositoribus aquam illam effusam Hieroglyphicum fuisse humilitatis, & altæ considera-

54. Haustus aquæ sunt lacrymæ.

siderationis propriæ vilitatis; vel certè argumentum fuisse ipsius animæ per internam conversionem & orationem penitus in Deum effusæ, ut erat anima illius insignis oratricis, quæ dicebat primi Regum primo ℣. 15: *Effudi animam meam in conspectu Domini*; quod mox explicatius effert ℣. 16: *Ex multitudine doloris & mœroris mei locuta sum, &c.*

55. Aquæ effusio hieroglyphicum veræ pœnitentiæ.

Quamvis etiam & hoc addi possit, per sinceram animi pœnitudinem placula ex animâ ita effundi, ut ex situlâ aqua in terram non reditura projicitur.

56. Publica pœnitentia Ninivitarũ.

Nec prætermittenda hîc pœnitentia, inaudita usque ad illud tempus, Ninivitarum acceptâ prædicatione Ionæ terrificum intonantis: *Adhuc quadraginta dies & Ninive subvertetur*: quæ describitur Ionæ 3 v. 5 usque ad finem. Mox verò commiseratio & clementia Dei adjungitur, cum dicitur versu postremo: *Et vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala: & misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat, ut faceret eis, et non fecit.*

Meritò verò publicam pœnitentiam Ninivitarum cum solenni & communi Iudæorum, duce Mardochæo, luctu & conversione ad Deum conjungo; sic enim mihi præscripsit & prævenit S. Augustin. tomo 4, de quæstionibus veteris & novi testamenti quæst. 120, ubi agens de utilitate jejunij, sic inter alia ait: *Sub Esther regina cum Iudaicus populus in periculo positus esset, jejuniis suffragantibus liberatus est. Et Ninivitæ cum eversionis suæ præscriptum diem audissent, jejunio indicto evadere meruerunt.* Hæc S. Augustin. Multa de publicæ hujus exomologesis sive pœnitentiæ ritibus, & fructibus, ex sanctis Patribus & divinis litteris proferre promptum esset, nisi alii nos isto labore sublevassent. Consulat Lector Franciscum Feuardentium docte & copiosè de hoc argumento scribentem suis in Ionam commentariis.

Ad hanc publicam exomologesin & pœnitentiam hortatur nos Dominus passim. Solùm nota locum Ioelis 2, ubi inter cetera dicit v. 15 & sequent. *Canite tubâ in Sion, sanctificate jejunium, vocate cœtum: Congregate populum, sanctificate Ecclesiam, coadunate senes, congregate parvulos, et sugentes ubera: egreditur sponsus de cubili suo, et sponsa de thalamo suo. Inter vestibulum et altare plorabunt sacerdotes ministri Domini, et dicent: Parce Domine, parce populo tuo: etc.*

Præterea plurimi & eximii fructus ab antiquis Patribus proferuntur deprecationis communis & publicæ in Ecclesiastico conventu & templis Deo dicatis institutæ.

57. Oratio publica armatura & propugnaculum Ecclesiæ.

Epiphan. Oratione in Resurrect. Christi: *Magna sunt, fratres, arma preces Ecclesiæ, magnus est murus consentientium inter se plurimorum oratio.* Ita ille: & rectè: siquidem hæc arma semper ferè laureata sunt, palmæ victricis et olivæ pacalis ramus incincta: hoc publicæ precationis propugnaculum nulli Tartareorum bellatorum arietes eruere aut effringere possunt. Testabitur hoc Amphilochius in vitâ S. Basilii, qui magnus Ecclesiæ Cæsareensis Pontifex, cùm in templum evocasset tum sacros Liturgos & ministros, tum etiam Deo devotum populum, & ad communis orationis præsidium animasset, potenti illâ & invictâ supplicatione illaqueatus

58. Oratione publicâ coactus dæmon restituit scriptum, quo juvenis se illi devoverat.

Dæmon coactus fuit, luce palàm, & in omnium conspectu scriptum restituere, quo miserandus juvenis scelere inexpiabili se illi devoverat. Vide vitam S. Basilii cap. 8 apud Roswydum.

59. Vi orationis publicæ ex societate orantũ.

Maximum ad hanc publicam deprecationem momentum adfert societas ipsâ, communioque orantium, quæ conjunctis animis, & affectibus se totam in lacrymas, orationesque effundit. Ecclesia enim Dei sponsa carissima cùm orat, semper ferè exorat.

Dat huic rei testimonium Tertullian. in Apologet. adversùs gentes c. 39. Verba ejus sunt: *Coimus in cœtum & aggregationem, ut ad Deum quasi manu factâ, precationibus ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata est.* Cum *vim* dicit, sine dubio judicat piorum cœtum simul supplicantium invictam, imò fulminatricem esse legionem, quæ decorâ & sanctâ violentiâ, ut Moses quondam, omnipotentem quasi liget, & de cœlo triumphum agat.

S. Thomas 2, 2, quæst. 84. a. 3 ad 2, inter alios fructus, quos adipiscitur hæc supplicatio in commune orantium, & hunc ponit, quod eorum oratio fiat magis exaudibilis, juxta illud Matth. 18: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo &c.*

Sed quoniam orationis in commune prolatæ, vel publicæ emolumenta produximus, ejusque fontes aperuimus passim in libris de Horis Canonicis, maximè verò lib. 1 cap. 11, hic diutius non hærendum.

60. Oratio Ecclesiæ S. Petrum à carcere liberavit.

Breviter dico aurei oris Oratorem homiliâ 79 ad populum, huic in cœtu fidelium collectæ orationi tribuere Apostolorum Principis ex Herodiano carcere liberationem, cùm ita concionatur: *Quid hac oratione potentius sit, quæ columnam & Ecclesiæ turrim adjuvit.* Perlege quæ ibidem subjungit.

Et meritò hoc à S. Chrysostomo dictum. Siquidem habemus Actor. 12, *Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo*: Paulò autem pòst subjungit Lucas S. Petri catenarum solutionem, & felicem per Angelum ejus è custodiâ liberationem.

61. Muri Hiericho vi orationis publicæ eversi.

Origenes Homilia 7 in Iosue confirmat vim impetrandi, quæ est in unanimi oratione, ex oppugnatione Hierichontis Iosue 6; ubi omni populo vociferante idque jussu ducis sanctissimi Iosue, muri corruerunt; ubi Origen. expendit verbum Græcum ἀλαλαγμός, (cui in nostrâ vulgatâ editione respondet *tò vox*) propriè significare vocem illam, quâ conflictus tempore exercitus clamorem seu consonum celeusma tollens unanimiter se ad fortiter prælhandum hortari solet.

Tunc verò communis hæc oratio singularem virtutem habet ad Dei placabilitatem & clementiam eliciendam, cùm fuerit comitata pœnitudinis & mortificationis functionibus, quas præstiterunt tum Ninivitæ apud Ionam, tum Mardochæus & Esthera cum Iudæis hîc: quando, inquam, fuerit armata lacrymis, condita jejuniis, aspersa cinere, cilicio convestita. De his antiquis ritibus scribit Tertull. lib. de pœnitentiâ c. 9. *Exomologesis, prosternendi & humilificandi hominis disciplina est, conversationem injungens misericordiæ illicem. De ipso quoque victu ac habitu, sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare,*

animum dejicere mœroribus, illa quæ peccavit, tristi tractatione mutare. Cetèrum, pastum & potum pura nosse, non ventris sed animæ causa: plerumque verò jejuniis preces alere, ingemiscere, lacrymari, & mugire dies noctesque ad Dominum Deum tuum, presbyteris advolvi, aris Dei adgeniculari, omnibus fratribus legationes deprecationis suæ injungere. Mox verò hujus exomologeseos fructum subdit. *Cùm igitur provolvit hominem, magis relevat, cum squalidum facit, magis mundatum reddit, cùm accusat, excusat, cùm condemnat, absolvit. In quantum non pepercèris tibi, in tantum tibi Deus, crede, parcet.* Hæc Tertullian.

His ritibus offerti sunt Patrum tractatus, Hieron. Paciani, & aliorum. Vide S. Ignatium epistolâ ad Magnesianos, ubi eos monet, ut sit una communis precatio, una mens, una spes in caritate; &c.

Ethologia Altera:

Quantum ponderis orationi addant ex corde simul & oculis effusæ lacryma.

VErè illa scripsit in suâ Heroidum epistolâ:

Hæ lacrymæ pondera vocis habent.

Ite ergo piæ lacrymæ, quæ etiam mutæ in Dei auribus magno clamore insonatis, & à terrâ in cœlum vocem vestram exaltatis, quemadmodum vox sanguinis Abeli ad Deum de terrâ clamabat.

Clarè hoc indicat Sirachides Ecclesiastici 35 v. 18, 19. *Nonne lacrymæ viduæ ad maxillam descendunt, & exclamatio ejus super deducentem eas? A maxilla enim ascendunt usque ad cœlum, & Dominus exauditor non delectabitur in illis.*

Lacrymæ aliæ fructuosæ, aliæ inanes.

Sermo enimverò hîc nobis est de piis lacrymis ex ægritudine & mœstitiâ animi erumpentibus ad Dei misericordiam extorquendam, quibus etiam dolor amarus permixtus est ob præteritas culpas, quibus ira Dei exarserat: Hæ enim dicuntur gratiam & veniam extorquere, nedum impetrare: aliæ lacrymæ funduntur inanes, quas luctus ob mortem carorum, vel bonorum caducorum detrimentum elicit: cadunt illæ in terram, cùm aliæ alatæ in cœlum evolent. Harum lacrymarum auctor, & quasi Aquilex Deus est, qui cordis clavem habet, & catarrhactas ejus laxat, cùm voluerit.

62. Fontes factitii ficci conversâ claviculâ inundant aquis. His simile cor humanum.

Reperire est fontes quosdam factitios & artificiales, qui sicci sunt, & aquâ destituti, quousque adveniat is qui claviculam novit, quâ conversâ uberrimæ statim exiliunt scatebræ, & ex occultis latebris aquæ copiosissimæ per siphunculos & tubos subterraneos & latentes scaturiunt.

Arcanas has claviculas noverat Christus, qui illis motis Magdalam natare fecit aquis lacrymarum, quibus pedes ejus rigavit. Hic respexit Petrum cordis ejus secretum feriens & convertens, qui flevit confestim amarè.

Hic etiam Augustini penetralia tetigit, cujus contactu solo emanarunt flumina lacrymarum acceptabile sacrificium, cum quibus bene illi erat, quas & postulat lib. Meditation. c. 36. *Da mihi*, inquit, *Domine irriguum superius, & irriguum inferius: ut sint mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte.* Vide sequentia.

Rectè Spiritui Sancto, qui dextræ Dei digitus dicitur, donum tribuitur lacrymarum, quo recessum pectoris commovente, quæ erat arida anima, fit in stagnum, & *sitiens in fontes aquarum* Isaiæ 35 v. 7. *Habit spiritus eius, & fluent aquæ*, Psal. 147 v. 18. Ipse Auster est. Psal. 146, v. 8. *Qui operit cœlum nubibus, & parat terræ* pluviam.

61. Donum lacrymarum à Spiritu Sancto.

Delideremus & voveamus ex animo cum Cantore Regio Psal. 125 v. 4. *Converte, Dne captivitatem nostram, sicut torrens in Austro*, fluant nobis lacrymæ uberrimæ & celerrimæ, sicut cùm Austro flante & pluviæ solutis nubibus deferuntur, & tepore ejus nives solvuntur.

Hæc nobis unica sit oratio cum carissimâ Spiritus sancti sponsa Cantic. 4, 16: *Surge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum & fluant aromata illius.* Fremente infelice Boreâ conglaciat & obdurescit cor peccatis assuetum, instar Pharaonis; sic enim habes Ecclesiastici 43, 22. *Frigidus ventus Aquilo flavit & gelavit crystallus* (glacies) *ab aquâ, &c.* Ab Aquilone enim Tartareo omne malum. Contra adspirante Noto, cum flaverit Auster, Spiritus sanctus, fleverint & oculi, & aromata lacrymarum hortum animi copioso fluxu fecundabunt.

64. Fabula Midæ omnia inaurantis.

Midas (ut est in fabulis, de quo vide Ovidium Transformationum lib. 12) Phrygiæ Rex, quidquid corpore contigisset in aurum transformabat; unde cùm in Pactolo flumine se abluisset, arenas ejus divite Metamorphosi inauravit. Lacrymas nostras sæpicule aqueas, id est, fluxas, inutiles, steriles, perituras, quia frivola & futilis earum causa & finis, Spiritus Dei, Deus ipse virtute gratiæ suæ aurifluas reddit, pretiosas, fertiles meritorum, quæ perennis vitæ fructus parturiunt.

65. Lacrymæ piæ sunt botrus Strepton.

Plinius lib. 14 c. 3 scribit botrum reperiri succi vinei plenum, quem Græca voce vocat Strepton, ἀπὸ τὸ στρέφειν, à vertendo, q. d. versatilem, quia mirabili modo ad solem convertitur instar floris Heliotropii. Desinent & abibunt lacrymæ nostræ in uvam Strepton, si ad solem justitiæ Orientem suspiciant, in pium & sanctum finem referantur. *Spumabit plenis vindemia labris*, & in torculari pectoris premetur vinum, quod per canaliculos oculorum effluet, vinum inquam, quod in regno Dei simul cum Christo plenis poculis hauriemus, propinantibus Angelis: de quibus meritò dixit Bernardus Sermone 30 in Cantica: *Vinum Angelorum sunt lacrymæ pœnitentium.*

66. Vinum Angelorum.

Ajunt Sancti Patres lacrymas honestas & pias pro nobis tamquam oratores & caduceatores apud Deum legatione fungi, ut illum provocent ad clementiam, ut pacem & gratiam mentibus nostris infundat, ut vitam æternam, quam promisit, largiatur. Vide Ambros. in Psal. 37, Hilarium in Psalm. 55. Elingues lacrymæ sunt & mutæ, & tamen coram summo Imperatore plusquam vocales sunt & eloquentissimæ, ita ut sæpe causam desperatam extorqueant, & victoriam obtineant. Psaltes egregius Israel Psalmo 36, v. 16 hoc sibi impresserat, cum sic perorat. *Auribus percipe lacrymas meas.* Ergo loquuntur elingues, mutæ causam perorant, cùm per Isaiam vatem Regi Ezechiæ dicat Deus cap. 38, 5. *Audivi orationem tuam, & vidi lacrymas tuas.*

67. Legatione apud Deum funguntur.

Audi S. Ambrosium de lacrymis S. Petri ratiocinantem. *Non invenio*, ait, *quid dixerit, invenio quod fleverit. Lacrymas ejus lego, satisfactio-*

nem

nem non lego (intellexit excusationem peccati, nam ipsæ lacrymæ satisfactio fuerunt, unde & subjicit: *Sed quod defendi non potest, ablui potest*) *Lacrymæ crimen sine offensione verecundiæ confitentur. Lacrymæ veniam non postulant, sed merentur.* Ita ille lib. 10 in Lucam & plura.

63. Lacryma gratum Deo sacrificium.

Sacrificium pro peccato ἱλαστικὸν sive expiatorium, & piacularis hostia Deo gratissima sunt lacrymæ, spiritu contribulato erumpentes; de quo S. August. Epist. 199. *Sacrifica lacrymas tanquam vulnerati sanguinem cordis. Vilescit Deo sanguis taurorum & vitulorum præ hujus cruoris pretio.*

69. Juxta tabernaculum Alexandri duo fontes eruperunt, aquæ & olei.

Cùm, auctore Arriano lib. 4 de rebus Alexandri Magni, victoriis ille clarissimus Monarcha circa Oxum flumen castra posuisset, juxta ejus tabernaculum, fontes duo scaturierunt, quorum alter aquam fundebat, alter oleum. Res prodigiosa omnibus habita. Sed hoc ostentum quotidie inter Christianos videre est. Cùm enim exitus aquarum gemebundi oculi dederint, continuò etiam divinæ bonitatis fons oleo placidior, lenior, & tranquillior erumpit.

70. Hydrophobi quinam?

Ne simus similes hydrophobis à cane rabioso morsis, qui metuunt & fugiunt aquam (unde & vocantur) ex quâ tamen salutem consequuntur. Ne devita peccator, quem Cerberus Infernalis trifaux insanabili vulnere momordit aquas salutares lacrymarum; à quibus præcipuum irremediabili plagæ tuæ paratur antidotum, quæ tibi alterius Baptismatis vicem suppleant. Sic enim commendat Magnus Leo sermone 9 de Domini Passione S. Petri lacrymas: *Felices*, inquit, *Apostole Petre, tuæ lacrymæ, quæ ad diluendam culpam negationis, virtutem sacri habuere Baptismatis.* Hæc est Theurgica & divina lacrymarum vis, quâ veluti spongiâ omnia delentur delicta, & animorum sordes.

71. Lacrymæ antidotum criminum.

Semper non solùm peccatoribus seriò ad Deum conversis sed etiam viris eximiâ sanctitate, & virtutum insignibus præstantissimis lacrymæ dulces fuerunt. Testes sunt Magdalis oculorum imbres, quibus Lucæ 7 *cœpit rigare pedes Domini.* lacrymarum ejus exordiû legimus, finem non legimus, has enim quam diu vixit fundere non desit.

Testes sunt fletus Archiapostoli, de quo dicitur Marci 14, 72, *cœpit flere.* Et principium. Interim verò de eodem refert Nicephorus lib. 2. c. 17 historiæ, assiduo aquarum exitu oculos ejus perpetuo irrubuisse, & prodit Clemens Romanus in libr. Recognitionum, cum, quoties galli cantum personantis audiret, in lacrymas solutum, & ea de causâ semper paratum habuisse linteolum ad pupillarum torrentem extergendû. 72. Lacrymæ S. Petri.

Testes sunt Augustini flumina oculorum, quibus non solùm initio conversionis suæ S. Pauli epistolas legens, inundabat, sed etiam ante vitæ exitum, Psalmos Davidis pœnitentis volvens perfundebatur. 73. S. Augustini. Arsenii.

Testes sunt aquæ jugiter manantes Arsenii, quibus exsiccandis sudarium semper circumferebat. Maximè verò ad Dei Liturgos & Mystas, Archimandritas & Cœnobiarchas pertinet, propitiando Numini pro suis, totiusque populi criminibus in fletus erumpere. Hinc aliqui (ut S. Cassius Narniensis de quo S. Gregor. lib. 4 Dialogor. c. 56.) numquam Deo salutarem hostiam immolarunt, quin acceptabile lacrymarum sacrificium Deo Patri offerrent. Vnde ortum fuit ut sacrificantes semper in sinistrâ sudarium ferrent: de quo Amalarius Fortunat. lib. 2 de Ecclesiast. officiis c. 24. ita scripsit: *Propter effusionem lacrymarum tergendam fertur sudarium.* Beda mappulam vocat, cui verosimiliter Manipulus successit, quem accipiens ante Liturgiam, Mysta sic orat: *Merear, Domine portare Manipulum fletus & doloris.* Quidam putant Manipulum dictum quasi manus mappulam, quodque in locum mappulæ, deficiente devotione & lacrymis sacerdotum, pervenerit: unde & inter vestes sacras quidam non manipulum, sed sudarium collocant. Vide Amalar. suprà. Hinc etiam factum aliqui ajunt, ut Abbatibus & Cœnobiorum Præsulibus è pastorali lituo (pedum communiter vocamus) præferatur appensum sudarium; quod denotat illis ad perfectionem tendentibus assiduè lacrymandum, cùm Episcopis utpote jam perfectis nudus lituus anteferatur. 74. Ecclesiæ sacerdotibus tempore sacrificii lacrymandum, quod significat ipsorum manipulus.

VERSVS IV.

Ingressa autem sunt puellæ Esther, & eunuchi, nuntiaveruntque ei. Quod audiens consternata est; & vestem misit, ut ablato sacco induerent eum: quam accipere noluit.

Hebraicè: Et venerunt puellæ Esther, & eunuchi ejus, & indicaverunt ei: & indoluit regina valde: & misit vestes, ut faceret induere ipsum Mardochai, & ut removere faceret saccum ejus ab eo; & non recepit.

Iosephus sic prosequitur: Vt verò reginæ annuntiatum est, Mardochæum in tam miserabili habitu stare pro foribus palatii, perturbata hoc rumore, misit qui ei vestimenta mutarent. Qui cum id recusaret facere, quod nondum cessasset causa propter quam eum habitum sumpserat, vocatum ad se eunuchum misit ad eum, &c.

COMMENTARIVS.

IGnara tanti mali, & patruo suo carissimo totique populo suo paratæ & impendentis calamitatis, in Gynæceo recessibus latebat Esthera, nunc cœlestium rerum meditatione, & oratione animum pascens, & divinâ voluptate delibuta, nunc purpuram, & lanæ pensa inter ancillas suas dividens, & tædium, quod ex Persicis deliciis accipiebat, levans; cùm ecce repentè præter omnem opinionem suam, durum, acerbum & horrificum illi adfertur nuntium à suis puellis honorariis, & eunuchis illi ministrantibus, Mardochæum sordidatum sicco cilicino coopertum per forum & compita questus & lacrymabiles ejulatus integrare, & iterare, Iudæosque

in mœrore & sordibus volutari. Percellitur & attonatur tam inexpectato & luctuoso rumore, & intimis visceribus commovetur; Nihilominus, tum ut Mardochæus decenter ornatus in regiam adveniret, &, si liceret, cum eo ipsâ conferret, & caulam tantæ ægritudinis & mœroris ediscceret, splendidam vestem misit, ut abjecto vili habitu, & sacco, illam assumeret. At Mardochæus eam rejecit, probè sibi conscius ingenti animi sui dolori, & præsentium rerum statui molles, delicatos, & Persicos ornatus non convenire. Quod factum satis indicat angorem pectoris Mardochæi, ejusque mœstitudinem fuisse vehementissimam, & amarissimam.

Dubitatur verò hîc, an qui de domo & familiâ Reginæ erant, quique illi à cubiculis ancillabantur, vel famulabantur, conscii essent cognationis, quæ inter illam & Mardochæum intercedebat, & generis ejus, quod nimirum ex Iudæis originem duceret. Plures putant, ut Salianus, Menochius, nihil illos sciviſſe de genere Estheræ, aut consanguinitate cum Mardochæo; præsertim cùm Esthera usque ad hoc tempus nullis mortalium genus suum & prosapiam prodidisset. Significarunt ergo Reginæ Mardochæi & Iudæorum luctum, tantùm ut rem lugubrem, novam, insolentem & inauditam, nihil suspicantes an res illa ad ipsam pertineret. Sic illi. Verùm alii, ut Feuardentius, Sanctius, Serarius in contrarium inclinant, scilicet, illis cubicularis & ancillis aliquid suboluisse de progenie Reginæ. Sic igitur scribit Serarius: Videntur ancillarum, & eunuchorum aliqui jam sciviſſe Mardochæi & Estheris genus & cognationem, ut mirum sit quomodo ignorarit Rex. An non dubitabant, quin ipse sciret, ideoque nihil illi significabât? An potius tanta erat Estheris apud omnes gratia (suprà cap 2 ℣. 15: *Erat omnium oculis gratiosa & amabilis*) ut cùm ab iis, ne hoc ipsû efferrent, petiisset, conticerent omnes? Ita Serarius.

Suspicabantur Estheræ familiares conjunctionem inter illam & Mardochæum intercedere.

Quamvis ergo ipsa suum genus non prodidisset, ex variis tamen conjecturis ariolari, & conjicere in proclivi erat Mardochæum & Reginam inter aliquam necessitudinem, & conjunctionem intercedere.

Videbant enim eum deambulantem quotidie ante vestibulum Parthenonis, sive domus, in quâ ipsa cum electis virginibus servabatur, suprà c. 2 ℣. 11, observabant cum singularem curam agere ejus salutis, frequenter per internuntios quærere, quî valeret, quid rerum ageret &c. ut ibidem dicitur: notabant in dies mandata invicem deferri, hinc virginibus & eunuchis accipientibus, illinc verò Mardochæo famulis & ministris dante. Crevit interim suspicio & conjectura, cùm cernerent Reginam ad famam de Mardochæi luctu & lamentatione consternatam exalbuisse, maduisse lacrymis, ferè exanimem corruisse. Minus ambigebant ut adverterunt à Reginâ vestem elegantiorem & cultiorem mitti, ut exuto sacco illum inducrent, ut absterso cinere & sordibus, & nitido indumento decorus ad regiam veniret.

Est hæc sententia propter has rationes verisimilior.

Quæri etiam potest, an fortè honestiorem illum habitum miserit Regina, ut illo patruus ejus contectus in regiâ cum illâ sermonem conferret, & illius miserabilis ejulatus originem cognosceret.

Dubitat Salianus anno Artaxerxis 12, n. 11 & 12: Nam mulieres regiæ, inquit, magnâ curâ clausæ tenebantur propter incredibilem Persarum zelotypiam, quâ de re suo loco fusius agendum.

Persarum & aliorum principum putida mundities, & infamelos mimos viridos saevus.

Observat hîc Sanctius mollitiem Persicam, & principum ferè omnium exquisitas, putidasque delicias, qui omnia præstò sibi esse volunt munda, culta & lauta, nihil quod oculos non capiat, vel sensus alios non mulceat & oblectet, nihil quod molestiam, tædium aut fastidium pariat. Non sustinent lamenta audire, aut querimonias, nihil admittunt tetrum aut sordidum, putant enim hujusmodi inauspicatum quid portendere. Ideo etiam in suis ministris & palatinis singularem exigunt munditiam & ornatum eximium, quo in genere si quem peccare contingat, non fert impune, sed illius vel injuriæ, vel socordiæ pœnas duras exolvit: de quibus scribit Ammian. Marcellin. lib. 23. *Cutes vivis hominibus detrahunt particulatim vel solidas. Nec ministrantes apud eos famulo mensæque astanti hiscere vel loqui licet: ita vastratis pellibus labia vinciuntur.* Hæc Sanctius ex Ammiano.

Plura morum instituta & documenta circa hunc versum apponit Feuardentius.

Estheræ modestia.

Primum, de insigni Estheræ modestiâ, verecundiâ, pudicitiâ, gravitate, quæ rerum, quæ foris agebantur, ignara, intra conclave sinum sola cum puellis se continebat, nec in publicum prodibat, vel per cancellos palatii in transeuntes oculos emittebat, minimè vaga erat, & curiosa. Exemplum præclarum matronis vinculo matrimonii astrictis.

Alterum, de ejusdem pio affectu & commiseratione erga Mardochæum lacrymis & mœrore confectum. Noverat ipsa justum esse flere cum flentibus.

Tertium, de fidelitate ancillarum & servorum erga Dominam suam; qui existimantes Mardochæum Reginæ sanguine junctum vel carum, ejus miserabilem statum significant, & apud illam munere Admissionalium vel internuntiorum funguntur.

Postremum, de Mardochæi in squalore, sordibus & luctu constantiâ, qui speciosum cultum à Reginâ missum rejecit; obstinaverat enim animum consolationem non admittere, nisi malum, quod capiti suo & totius gentis imminebat, depulsum esset. Hæc virtus à Christianis Perseverantia dicitur, de quâ S. Bernard. epistolâ ad Genuenses: *Perseverantia sola virtutum coronatur. Sola meretur justis gloriam, coronam virtutibus. Sine hac nec qui pugnat victoriam, nec palmam victor consequitur. Hæc vigor virium, virtutum consummatio, nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium.* Hæc ibi.

75. Laus Perseverantiæ ex S. Bernardo.

Digressiuncula Moralis.

Viri justi & pii in hac vitâ lugere & lacrymari non desinunt, donec Dei misericordiam exorent.

MArdochæus cultiorem & elegantiorem amictum sibi ultrò ab Esthera oblatum non admi-

admisit, quamdiu crudele edictum Susis appensum vidit. Sic etiam vir pius considerans sæpius se Numinis vindictam suis peccatis promeritum, agere se procul a patriâ in loco exilii, in medio laqueorum ingredi, incedit demisso capite, corde compuncto, obvolvitur cilicio, sedet in cinere, adgeniculatur pedibus Servatoris, illos lacrymis rigat, cæsariæ tergit: ruminat lamentabile illud carmen exulum Babylone ab Hebræis quidem fidicine lyræ modulatum, Ieremiæ vero modulis decantatum, Psalmo 136: *Super flumina Babylonis, illic sedimus & flevimus; cum recordaremur Sion: In salicibus in medio ejus suspendimus organa nostra.* Et ℣. 4. *Quo modo cantabimus canticum Domini in terrâ alienâ?*

76. Lamentatio eorum qui exulibus.

Exul ille & proscriptus ab Augusto Poëta librum in Vrbem multurus illi hoc appingit:

Vade, sed incultus, qualem decet exulis esse;
Infelix habitum temporis hujus habe.

Dicit Strachides cap. 22 ℣. 6. *Musica in luctu importuna narratio.*

77. Carmen molestum & luctum non mitigat mœrorem.

Quò pertinet & illud Salomonis Prov. 25 v. 20: *Acetum in nitro qui cantat carmina cordi pessimo*, id est homini male affecto, vehementer afflicto.

In quem locum commentans Cajetan. asserit se experientia comperisse, si nitrũ permisceatur aceto, non obtinere vim quam habebat vestium sordibus abstergendis: hic, inquit, si carmina occinantur cordi vehementer mœrenti, privantur efficacia suâ, quia intempestive ingeruntur.

Carmina illa dolorem non lenunt, sed potius exacerbant, quia importuna.

In scripturâ sacrâ remedium doloris.

Lugentes loca solitaria quærunt magisque oblectantur gemitu turturis, quàm lusciniæ minuritione. S. Hieron. epist. 34 ad Iulianum mortem conjugis & filiarum lugentem, *Musica in luctu*, inquit, *intempestiva narratio. Vnde & nos leporem artis Rhetoricæ contemnentes, & puerilis atque plausibilis eloquii venustatem, ad sacræ scripturæ gravitatem confugimus, ubi vera vulnerum medicina est, ubi dolorum certa remedia.* Hæc S. Hieron.

Dulce hic est inferorum cruciatus fletu & gemitu, lamentisque redimere.

78. Hic locus est flendi.

Scriptum est in libro quinto de vitis Patrum, auctore Græco incerto, Interprete verò Pelagio, libello 3, qui est de Compunctione, numero 9, apud Heribertum: *Miserunt aliquando senes de monte Nitriæ ad Abbatem Macarium in Scithi, rogantes, ut veniret ad eos: alioquin sciret, omnem multitudinem ad ipsum esse venturam, quoniam desiderabant videre eum antequam migraret ad Dominum. Qui cùm venisset in montem congregata est omnis multitudo fratrum ad eum. Rogabant autem eum senes, ut faceret verbum ad fratres. Ille autem lacrymans ait: Ploremus fratres, & producant oculi nostri lacrymas, antequam eamus hinc, ubi lacrymæ nostræ corpora comburunt. Et fleverunt omnes, & ceciderunt proni in faciem dicentes: Pater, ora pro nobis.*

Rem dixit Macarius. *Hic lacrymæ nos lavant, consolantur, dulcescunt; ibi cruciant, urunt, & exasperant.*

79. Infernî incendia recogitata lacrymas excitant.

S. Ioannes Climacus gradu 4 Scalæ, qui est de obedientiâ, post initium, narrat se in visitatione monasteriorum fratrem quemdam ministerio culinæ deputatum reperisse peculiari lacrymarum dono præditum, quem cùm sedulò interrogasset, quo pacto gratiam illam acquisivisset, tandem precibus B. Climaci inductus respondit, se ex ignis, quem perpetuò cernebat, aspectu, vastissima inferorum incendia animo versâsse: quæ contemplatio uberes ex oculis ejus lacrymarum fontes elicicbat.

Sed plures nobis rationes ad manum sunt, quæ silentium non dent pupillis nostris, & omnes oculorum nostrorum fracto obice cataractas laxent. Varias commemorat Seneca libro de consolatione ad Polybium, ubi cap. 23 hæc inter alia: *Omnes agedum mortales circumspice: Larga ubique flendi & assidua materia: alium ad quotidianum opus laboriosa egestas vocat, alium ambitio numquam quieta sollicitat: alios divitias, quas optaverat, metuit, & voto laborat suo* (torquentur eo quod optaverat) *alium solicitudo, alium labor torquet, alios semper vestibulum obsidens turba: Hic habere se dolet liberos, hic perdidisse. Lacrymæ nobis deerunt, antequam causæ dolendi: Non vides qualem vitam nobis rerum natura promiserit, quæ primum nascentium omen fletum esse voluit? Hoc principio edimur, huic omnis sequentium annorum ordo consentit: sic vitam agimus*, &c. Vide eiusdem Consolatione ad Marciam cap. 11. & Plinium Natur. hist. prooemio lib. 7.

80. Multa hic flendi materia.

S. Hieronym. epistola ad Heliodorum, quæ continet Epitaphium Nepotiani, hæc ad rem nostram ex Herodoto refert:

81. Xerxes deflet suorum militum brevi futuram mortem.

Xerxes, inquit, *rex ille potentissimus, qui subvertit montes, maria constravit, cùm de sublimi loco infinitam hominum multitudinem, & innumerabilem vidisset exercitum, flesse dicitur, quòd post centum annos nullus eorum, quos tunc cernebat, superfuturus esset. O si possemus in talem ascendere speculam, de quâ universam terram sub nostris pedibus cerneremus: jam tibi ostenderem totius orbis ruinas: gentes gentibus, & regnis regna collisa: alios torqueri, alios necari, alios absorberi fluctibus, alios ad servitutem trahi: hic nuptias, ibi planctum: illos nasci, istos mori: alios affinere divitiis, alios mendicare: & non Xerxis tantùm exercitum, sed totius mundi homines, qui nunc vivunt, in brevi spatio defuturos.* Hactenus sanctus Doctor.

Sermo nobis hic est de piis lacrymis, quarum irriguum est vel infernus vel superius; quæ progignuntur causâ honestâ, utpote cœlestis patriæ desiderio, vel ex dolore culparum; Sunt itaque lacrymæ devotionis, contritionis, commiserationis, pietatis, amoris.

Nihil nobis cum vanis & non profuturis lacrymis, quales suas fuisse deflet Augustin. lib. 1 Confes. c. 13, *quibus plangebat Didonem mortuam, cùm non plangeret animam suam.*

Peccata nostra lacrymis delenda.

Felices illi, qui cum Christo Lucæ 19 flente super Ierusalem, ex affectu humanitatis & amore erga aliorum salutem illacrymant, vel cum Apostolo Petrò peccata sua aquarum humentium rivis expungunt, vel cum S. Ignatio Lojolâ, qui hostiam expiatoriam Deo immolans vel penitum lorarium persolvens uberrimo fletu perfundebatur, pio affectu largiter ex oculis imbrem depluunt, de his S. Augustin. in Psal. 127: *Dulciores sunt lacrymæ orantium, quam gaudia theatrorum.*

Lacrymis, tamquam spongiis crimina nostra obliterantur; Ita S. Chrysostom. in Psal. 50. *Peccata tua in libro scripta sunt, spongiæ autem instar sunt lacrymæ. Flora & ea deleveris.*

Gilimer Wandalorum rex à Tribuno militum conclu-

conclusus, quem Dux Belisarius obsidioni præfecerat, cum omnium rerum penuriâ laboraret, postulavit ab hoste beneficii summi loco spongiam ad lacrymas abstergendas. Ita Procop. & Zonaras.

83. Scipio Africanus, M. Marcellus, Titus Imperatores desient excidium urbium à se captarum.

P. Scipio Africanus cùm Carthaginem in cineres redactam videret, adeo immaduit fletibus, ut fumantia adhuc incendia oculorum rivis decurrentibus restinguere velle videretur. Idem Iosephus prodidit de Tito, Hierosolymâ captâ. Idem de Marcello Syracusis in Romanorum potestatem redactis scribunt.

Hîc flendum, risus in futurum servatur.

Cui exploratum non est illud sapientiâ eminentissimi Regis effatum Ecclesiastæ 3, vers. 4: *Tempus flendi & tempus ridendi?* Hîc quamdiu vivimus, flendum; meliora ridendi tempora æternitati transcribimus. Sequimur auctorem Christum, cum illud agimus; qui Lucæ 6, 21 infit: *Beati qui nunc fletis, quia ridebitis.* Ergo, ait Augustin. sermon. 9, de verbis Apostoli: *In ploratu officium est, in risu præmium sapientiæ.* Contrà Christus dicit suprà ℣. 25: *Væ vobis qui ridetis nunc: quia lugebitis & flebitis.*

Fletum passim & ploratum divini codices nobis prædicant. Vnus sufficiat Apostolus Iacobus cap. 4, vers. 9. *Miseri estote & lugete, & plorate* (peccatores alloquitur) *risus vester in luctum convertatur, & gaudium in mœrorem.*

Mirum est nobis sæpenumero deesse lacrymas, cùm tamen exules in valle lacrymarum hîc degamus, immo volutemur. Dicebat quondam Samaritis illa Ioan. 4, vers. 11. Christo: *Domine, neque in quo haurias habes, & puteus altus est; unde ergo habes aquam vivam?*

Aqua hæc domi nostræ est, haustrum illius oculi, puteus hic mundus materiam proferens assiduarum lacrymarum. Audi Davidicam chelym Psalmo 83, vers. 6. *Beatus vir, cujus est auxilium abs te; ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum, in loco quem posuit.*

84. Mundus vallis lacrymarum.

Felix illius hereditas, & aurei funiculi, qui quamdiu hoc in mundo versatur, qui est vallis lacrymarum, quotidie ascensiones & gradus in animo suo disponit ad altiorem virtutum profectum, in valle, inquam, lacrymarum, quam habitationis locum, è voluptatis amœno viridario, quod Deus illi plantaverat, extorris, suis peccatis hîc sibi constituit. Reddit S. Hieronym. ex lingua primigeniâ: *Transeuntes per vallem fletus, fontes ponent eam*, vel, ut alii; *Transeuntes vallem fletus, fontibus abundantem reddent.* Dicunt illi gemebundi cum prono ad lacrymas Prophetâ: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie; ubi est Deus tuus?* Psal. 41, vers. 4. Cui lacrimemus, nisi illi, qui ex lacrymarum valle nos potest eripere, & dicere: *Euge serve bone, intra in gaudium Domini tui?* Quamdiu verò gaudium illud differtur, dulcescant nobis lacrymæ; fortè olim illis in vinum commutatis, dulcius inde bibemus. Igitur: *Venite, adoremus, & procidamus; & ploremus ante Dominum, qui fecit nos.* Psal. 94, ℣. 6.

VERSUS V, VI, VII, VIII, IX, X, & XI.

Accitoque Athach eunucho, quem rex ministrum ei dederat, præcepit ei, ut iret ad Mardochæum, & disceret ab eo, cur hoc faceret.

Egressusque Athach, ivit ad Mardochæum stantem in plateâ civitatis, ante ostium palatii:

Qui indicavit ei omnia, quæ acciderant: quomodo Aman promisisset, ut in Thesauros regis pro Iudæorum nece inferret argentum.

Exemplar quoque edicti, quod pendebat in Susan, dedit ei, ut reginæ ostenderet, & moneret eam, ut intraret ad regem, & deprecaretur eum pro populo suo.

Regressus Athach, nuntiavit Esther omnia, quæ Mardochæus dixerat.

Quæ respondit ei, & jussit, ut diceret Mardochæo:

Omnes servi regis, & cunctæ, quæ sub ditione ejus sunt, norunt provinciæ, quod sive vir, sive mulier, non vocatus, interius atrium regis intraverit, absque ullâ cunctatione statim interficiatur: nisi fortè Rex auream virgam ad eum tetenderit pro signo clementiæ, atque ita possit vivere. Ego igitur quomodo ad regem intrare potero, quæ triginta jam diebus non sum vocata ad eum?

Hebraicè; Et vocavit Esther Hathach ex eunuchis regis, quem stare fecit coram se & præcepit ei super Mardochai, ut sciret quid hoc esset, & propter quid hoc. Et egressus est Hathach ad Mardochai ad plateam civitatis, quæ erat ante portam regis: & indicavit ei Mardochai omne quod acciderat sibi, & expositionem argenti, quam dixit Haman appendere gazis regis per Iehudæos ad perdendum eos. Et exemplar scripturæ regis, quæ posita erat in Susan, ut faceret disperdere eos, dedit ei ut ostenderet ipsi Esther: & indicaret ei, & mandaret ei ut ingrederetur ad regem, ad precandũ eum, & ad quærendum à facie ejus pro populo suo. Et venit Hathach, & indicavit ipsi Esther verba Mardochai: dixitque Esther ad Hathach, & præcepit ei, ut diceret Mardochai. Omnes servi regis, & populus provinciarum regis sciunt, quod omnis vir & mulier, qui ingressus fuerit ad regem in atrium interius, qui non vocatus fuerit, una lex ejus est ad interficiendum nisi quod extenderit ad eum rex sceptrum (virgam) auri, & vivat: & ego non vocata sum, ut ingrediar ad regem jam triginta diebus.

Iosephus sic: Esther vocatum ad se eunuchum Achratheum, qui tum forte aderat, misit ad Mardochæum, scitatum quid mali accidisset homini, ut talem cultum sumeret, ac ne ipsâ quidem rogante vellet

let deponere. Ibi Mardochæus omnem cauſam eunucho exponit ordine, & quod edictum regium per univerſam ditionem eſſet divulgatum, & quantam vim pecuniæ pollicitus ſit Aman, ut internecionem ejus gentis à rege redimeret. Ad hæc exemplar edicti Suſis propoſiti ad reginam perferendum ei tradidit, adjectis mandatis ut ſupplex regem adiret ſuper hoc negotio, nec gravaretur pro incolumitate ſuæ gentis ad tempus infra dignitatem ſeſe demittere, & deprecari ejus periculum. Amanem enim, cujus ſecunda ſit poſt regem dignitas incitare eum crebris contra Iudæos accuſationibus. Hoc cognito regina rurſum Mardochæo nuntiat, nec vocatam ſe à rege, & capitale eſſe invocatum ad eum irrumpere, niſi ipſe incolumitatem donare volens virgam auream protenderet. His enim ſolis impune eſſe, quibus hòc fortè contingeret.

Vides autem Lector, Ioſephum ſuo arbitrio, quædam verboſius explicare, quædam verò omittere.

Idem etiam ſuprà, cùm enarraſſet nuptias Eſtheræ cum Rege, ſtatim ſubjunxit legem latam, ut nemo ad eum ſedentem in ſolio ſuo non vocatus accederet, cujus verba ſunt hæc:

Rex autem legem tulit, ut nemo è domeſticis invocatus eum accederet, tantiſper dum ſederet in regio ſolio: adhibitis etiam in hoc lictoribus cum ſecuribus, ut ſiquis contra faceret, plecteretur capite. Rex interim virgam tenebat auream, quam quoties aliquem ex invocatis ſervare vellet porrigebat ad eum; iſque virgæ contactu eximebatur periculo. Ita Ioſephus.

COMMENTARIVS.

His & ſequentibus aliquot verſibus indicat ſacer ſcriptor, quid actum ſit per nuntium Athachum, miniſtrum fideliſſimum, inter Mardochæum & Eſtheram, dum hæc prudenter tanti luctus & ſqualoris cauſam ſigillatim ab ipſo inquirit, ille contrà fraudes & crudelitatem Amani in Iudæos aperit, & periculum genti ſuæ impendens per Reginam depellendum ſuggerit. At Regina rurſus lege ſe prohiberi ſignificat, ne Regem adeat non vocata, nec poſſe ſine aperto vitæ diſcrimine ad Baſilicam Regis properare. Hæc his verſibus.

Obſervandum hunc miniſtrum Athachum, quem Septuaginta & Ioſephus Achrathæum vocant, per Epentheſin, & Metatheſin, fuiſſe famulum longè fidiſſimum, utpote cui & Eſther & Mardochæus genus ſuum manifeſtant, quod quidem & Regi occultum eſſe volebant.

Exemplar edicti hic vocatur, quod cap. 3, verſ. 14 dicitur Summa epiſtolarum.

Quod v. 8 hîc habemus, ut Athach moneret Eſtheram, Hebraicè, Græcè, Chaldaicè, eſt præciperet ei; utrumque autem verum eſt, tum quia Mardochæus in eam utebatur jure paterno, tum quia benevolè & amicè eam hortabatur.

Duplex atrium aulæregiæ, interius & exterius.

Circa interius atrium, quod dicitur ℣. 11, notant Interpretes in palatio Aſſueri duplex fuiſſe atrium; unum exterius, quod aulici terebant, alterum interius, ubi Rex in aureo ſolio reſidebat, ad quod nullus aulicorum penetrare poterat niſi à rege advocatus.

Sed quid dicimus ad ea, quæ dicuntur cap. 6, verſ. 4? *Aman quippe interius atrium domus regiæ intraverat*: & tamen non erat in atrio, in quo Rex reſidebat, quia curat illi dici Rex, ut ingrediatur ℣. 5. Deinde ibidem, ubi nos habemus interius atrium cap. 6, verſ. 4 ſupra, Hebraicè eſt & Chaldaicè, exterius.

Ad hæc dicendum, illud atrium, in quo verſabatur Aman, antequam à rege vocaretur, rectè dici interius, quia intra palatium erat, exterius verò reſpectu interioris, in quo Rex ſolus erat, & ad quod nulli aditus patebat, niſi à rege vocaretur. Deinde in Baſilicâ & regiâ Aſſueri atria plura erant, alia aliis interiora, & ſecretiora.

Vlterius obſervant enarratores atrium palatii præcipuè fuiſſe duplex ex Plutarcho, Xenophonte & aliis. Vnum exterius, in quo palatini morabantur, de quo fit mentio cap. 6, verſ. 4, licet ibi vocetur interius atrium, propter alia exteriora, in quibus ipſorum famuli erant.

Quod autem regi proprium erat, dicebatur atrium interius Regis, quod totum auro erat obtectum, & in eo ſpatium aliquod diſtinctum, quod peripetaſmatis belluatis & auro intextis erat circumdatum, quod cap. 5, verſ. 1 vocatur baſilica, & conſiſtorium palatii, in Hebræo verò domus regni. In illo autem erat ſolium aureum, in quo Rex reſidebat, dum per Admiſſionales externorum regum legatos vocabat, virgam auream manu tenens.

Verſu 11, verba illa Hebraica; una lex ejus ad interficiendum, rectè exponuntur à Cajetano; communis eſt cuilibet una lex mortis.

Quare lex lata de regè non adeundo, niſi quis vocaretur?

Primò, Quæritur circa legem illam, de non adeundo Regem, niſi quis nominatim fuerit vocatus; quo fine lata fuerit?

Duplicem finem videntur ſibi propoſuiſſe Imperatores Perſæ hujus legis ſanciendæ.

84. Ne perſona regis vileſceret.

Vnus, ne perſona Regis vileſceret, quin potius ut majeſtas ejus quaſi occultata ad majorem venerationem populum permoveret. Ita principes plerique barbari rarò in publicum prodire ſoliti. Vt Aſſyriorum reges; de quorum noviſſimo ita prodit Iuſtinus lib. primo cap. tertio. *Poſtremò*, ait, *apud eos regnavit Sardanapalus* (quod ſignificat dominum excelſum, & putatur fuiſſe is, qui Ninivæ præerat, cùm in eâ Ionas Propheta cap. 3, prædicavit) *vir muliere corruptior. Ad hunc videndum* (*quod nemini ante eum permiſſum fuerat*) *præfectus ipſius, Medis propoſitus, nomine Arbactus, cùm admitti magnâ ambitione ægrè obtinuiſſet; invenit eum inter ſcortorum greges purpuram colo nentem, & muliebri habitu, cùm mollitia*

85. Ita Sardanapalus occultabatur, & alii Barbari reges, ut Medi Sabæi, Indi, Sinæ,

corporis, & oculorum lasciviâ omnes feminas anteiret, pensa inter virgines partientem, &c.

Idem rursus agens eodem libro de Regibus Persarum & regno Magorum: *Apud Persas*, inquit, *persona regis sub specie majestatis occultatur.*

Idem insinuare videtur de Regibus Indiæ Curtius lib. 8, cap. 17. Idem refert Herodotus l. 1, de Deioce Medorum rege his verbis: *Primus Deioces cavit, ne cui ad Regem ingredi liceret; sed per internuntios cunctâ transigerentur: adeo ut ne conspici quidem à quoquam regem fas esset. Hæc ideo faciunt apud Regem, ne videlicet cum cernentes æquales, & unà cum eo educati strenui ac fortes indoleant atque insidientur: quin potius quoddam à reliquis hominibus diversum ipsis esse videatur, si coram ipsum non intuentur.*

Idem Diodorus Siculus de Regibus Sabæorum his verbis; *Infelix horum conditio est, quatenus nunquam è regiâ exire illis licet, si contra egerint, plebs lapidum jactu, jussu veteris oraculi, eos obruit.*

Apud Sinas idem ferè mos obtinuit, qui tamen ceteros omnes populos, præter sè, pro barbaris habent.

Sic enim scribit Nicolaus Trigantius lib. primo de Christianâ expeditione apud Sinas: *Regem nemo alloquitur præter eunuchos illos, qui in palatii penetralibus famulantur, regiosque propinquos, qui intra ejusdem palatii fines commorantur, quales sunt filii ac filiæ. Omnes omnino extra palatium magistratus Regem non nisi libellis supplicibus conveniunt.*

Et paulò pòst: *Rex porrò, cùm olim in tribunal prodibat, è loco superiore ad ingentem fenestram comparebat, & manu eburneam quoque tabulam gestabat, ad vultum contegendum, nec non & aliam in capite tabulam medio cubito latam, integro longam, supra regium diadema, frontemque, è qua tabulâ lapilli complures, magnique pretii ita in fila inducti dependent, ut frontem ex omni parte ac faciem tegant, & intuentium oculis etiam præsentem subducant.* Hæc Trigantius.

Commemorare autem hæc visum fuit, ut Lector videat in multis mores Sinarum cum Persarum ritibus convenire.

86. Abductio à publico simonica fit, venerationem affert.

Non dubium est, quin remotio illa Principis à publico venerationem & majestatem apud vulgus conciliet. Sic enim ait Apulejus de Socratis Deo: *Parit conversatio contemptum, raritas conciliat ipsa rebus admirationem.* Sed, ut infrà dicemus, debet hæc abductio à populo habere modum; alioqui principem officio suo reddit indignum. Non enim illi sequendi, de quibus sic scribit Panegyris ad Theodosium: *Intra secretum palatinæ domus inclusi tamquam aliquod Vestale secretum consuluntur.* Fastidiosum illud & tumidum agendi genus; cujus interdum arguuntur & servilis conditionis homuli, quibus principes summa concedunt. Sic scribit Tacitus de Pallante Claudii, 13 Annalium. *Numquam*, ait, *domi aliquid, nisi nutu aut manu significavit, vel plura demonstranda essent, scripto usus; ne vocem feciaret.* En quo indulgentia principum deduxit tumidos!

Alter finis, cur suæ personæ conspectum ferè publico Persarum reges denegabant, videtur fuisse metus insidiarum, quibus, ut plurimum, vita principum obvia est, dum omnibus promiscuè ad illorum usque solium aditus patet.

Metus insidiarum causa fuit Persis Regibus facessus à populo.

Fortè Iosephus huc intendit, cùm statim post narrationem de nuptiis Estheræ subjecit hanc legem sancitam, antequam recenseat machinationes Eunuchorum contra regem à Mardochæo detectas, quasi dicat: Miranda fuit eunuchorum dementia in Imperatorem conspirantium, cùm tamen severissimum extaret edictum, ne quis Regem adiret, nisi ultro accerseretur, & parati essent lictores cum securibus, qui statim temeritatem illam capite plecterent.

Scimus Imperatorum & Regum vitæ multos insidiari, præsertim si per injuriam populum opprimant, & pro libito Rempublicam administrent nullâ æqui habitâ ratione, ut hîc Feuardentius ostendit exemplis allatis, ut Eglonis regis Moabitarum, quem Aod ficâ suâ confodit, Iudicum tertio.

Quando lex illa lata?

Secundò; quæritur ulterius, quando lex illa concepta & promulgata fuerit.

Putant aliqui legem hanc apud Persas antiquam fuisse, & non primò latam ab Assuero sive Artaxerxe, sed solum ab ipso revovatam, & severius observari jussam.

Ego verò concedo quidem non licuisse absque Regis permissu regiam ingredi, sed qui regis adeundi copiam postularet, pro foribus regiæ stare debuisse & per internuntios adventum suum Regi significare, vel negotia sua per illos transigere, ut ex Herodoto lib. primo & 3, & ex iis quæ suprà memoravi constat. Ceterùm dico Artaxerxem vel Assuerum nostrum primum fuisse, qui severissimum hoc decretum edidit, ne quis sub pœnâ capitis atrium Regiæ interius intraret non vocatus, quam pœnam subiturus erat, nisi rex auream virgam porrexisset, ut satis significat textus noster sacer & Iosephus apertè, & videri potest Brisson. lib. primo de regio Persarum dominatu.

Lata est ab Assuero.

Dubium an Amanus illius ferendæ auctor fuerit.

An verò Amanus hujus pœnæ legi additæ auctor fuerit, dubium est, nec quidquam certi illâ de re invenio apud auctores. Sunt qui putent Rupertum sensisse hujus severitatis Amanum fuisse suasorem importunissimum. Hoc tamen manifestè ex ipso colligere non potui. Referò ejus verba ex libro octavo de victoriâ verbi Dei cap. 10: *Cur*, inquit, *tanta erat difficultas adeundi Regem? Nimirum hoc venerat ex nimiâ ventositate miseræ vanitatis, ut rex magni imperii plus homine putaretur habere aliquid, nec vilior fieret ex usu publicæ visionis, maximè apud Persas mos iste lege sancitus fuit, ut persona regis occultaretur sub specie majestatis. Eâ lege diabolus per Amanum abuti voluit, ut dum ille accusator tam familiaris Regi immineret, & ad excusandum nullis aditus pateret, ad exorandum nullus accessus fieret, emuncta regis sententia curreret irrevocabilis, atque ita draconi illi devorare liceret non solum conceptum, sed etiam totum corpus mulieris in utero habentis, id est, gentem universam delere, penes quam erant promissa; quemadmodum idem Mardochæus ad Deum orans, dicit: & nunc tua volunt mutare promissa, & delere hæreditatem tuam, & claudere ora laudantium te, & extinguere gloriam templi, & altaris tui.* Hæc Rupertus. Verba sunt Estheræ non Mardochæi.

Ex sententiâ Ruperti Aman hac lege abusus est.

Solùm autem tradit Amanum lege illâ severissimâ abusum ad malum & exitium Iudæorum certissimè & sine obstaculo inferendum. Credibile tamen est eumdem supplicii decreto adjuncti

Credibile est Amanum auctorem fuisse pœnæ legi adjunctæ.

ĉti fuisse incentorem & causam, & ita tenet Lyranus, videlicet Amanum illius legis regi ferendæ fuisse auctorem post decretum adversus Iudæos editum, ne quis interveniens illud impediret. Ita etiam sentit Feuardentius.

87. Fraus Candidiani Comitis Nestorio faventis in Concilio Ephesino.

Sic, inquit Serarius hic, potentes Palatini omnes vias obsepire solent ad aures vel oculos regis, ut fecit Candidianus Comes, de quo Cardinal. Baronius tomo 5, anno Christi 431, Theodosii Iunioris anno 24.

Hic enim, cui à Theodosio pacis publicæ cura commissa fuerat, ut cum tranquillitate Ephesi synodus ageretur, studens Nestorio, ejusdemque patronus effectus, primùm omnium terræ, marisque vias solerti industriâ custodiri, asservarique tyrannico officio jubet, ne de his, quæ in Synodo gesta essent, litteræ perferrentur ad Imperatorem vel alios: ipse verò, ad illum scribit adversus Cyrillum & reliquos, calumnians illos, quòd præpostere nimis, non expectato Ioanne Antiocheno Episcopo convenissent; mentitus insuper, non omnes, qui Ephesi erant Episcopi, Synodo interfuisse, vocatosque minimè esse, adjecitque illud quoque mendacium, eos qui convenissent, discordes inter se fuisse. Ita S. Cyrillus Alexandrin. Epistolâ 20, apud Baron. suprà.

88. Quid virgâ aurea? Eadem cum sceptro.

Quæritur tertiò, quid fuerit virga aurea Assueri. Sed indubitatum est virgam auream idem esse cum sceptro, quod in scripturâ sanctâ passim virga dicitur, ut Psalmo 44 vers. 8. *Virga directionis, virga regni tui*, id est; sceptrum tuum erit rectissimum, sive, justissimè & æquissimè gubernabit: Psal. 109. vers. 3. *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion*, id est, sceptrum regalis potentiæ tuæ, vel potentissimum imperium tuum Deus Pater extendere incipiet ex urbe Ierusalem, & ex ipso monte Sion, & propagabitur regnum tuum, id est, Ecclesia fidelium, inde usque ad fines terræ per Apostolos tuos. Ad Hebræos 11, vers. 21. *adoravit Iacob fastigium virgæ* Ioseph, sive sceptri ejus, id est veneratus est in Iosepho regiam potestatem. Cap. 8, vers. 4, hæc Assueri virga sceptrum vocatur: *At ille*, inquit, *sceptrum aureum ex more protendit manu, quo signum clementiæ monstrabatur.*

89. Quare sceptrum virga dicatur.

Ajunt quidam sceptrum vocari virgam in litteris sacris, eò quòd Reges sint quasi Pastores populorum, & ita ab Homero appellantur: notum est enim illud, ἀγαμέμνονα ποιμένα λαῶν. Agamemnonem pastorem populorum.

90. Ars pastoritia præludium ad regnum.

Quin etiam Deus ipse Reges veræ religionis expertes pastores vocat. Isaiæ 44, ℣. 28. *Qui dico Cyro: Pastor meus es, & omnem voluntatem meam complebis.* Et rectè quidem: siquidem similitudo non parva est inter pastores ovium, & moderatores hominum, estque ars pastoritia prolusio quædam ad regnum. Sic namque ratiocinatur Philo de vita Moysis. *Est*, ait, *pastoralis ars præludium ad regnum, hoc est, ad regimen hominum gregis mansuetissimi. Solus potest rex esse usquequaque perfectus, qui bene callet artem pastoritiam, & curando minora animalia didicit, quomodo præesse debeat præstantioribus.* Hinc summi, sanctissimique duces & principes ovium fuere pastores: Moysis annis quadraginta gregem pavit, totidem postea populi Hebræi rector fuit. Et David Psal. 77 canit sublatum se de gregibus ovium, ut pasceret Iacobi posteros.

91. Multi principes antea ovium fuere pastores.

Prætereo alios Patriarchas potentiâ & religione præstantes, qui haud paulò majore curâ dominatum exercuere in homines quàm in pecudes. In pastoribus censentur (ut gentilium etiam strictim mentionẽ faciam) Proteus, Apollo, Mercurius, Argus Heroes apud illos indigetati, Priamus, Paris, Remus & Romulus urbis Romanæ conditores, Diocletianus & Iustinus Imperatores, &c, ut ex Persicis Annalibus quippiam proferam, Cyrus Persicæ Monarchiæ parens & auctor.

92. Similitudo inter virgam pastoris, & sceptrum regis.

Sed ad institutum redeo. Exploratum est ovium curatores pecudes moderari virgâ, pedum vocamus sive baculum pastoralem. Indicat hoc, Reges & populorum moderatores pastorum mansueti gregis officio fungi, qui virga, sceptro vel lituo, quod est imperii insigne, sibi subjectos debeant regere.

Porrò munera virgæ vel baculi pastoralis hoc versu antiquo describuntur:

Dirige sustenta, stimula, vaga, morbida, lenta.

Item alius extat his verbis:

Attrahe per summũ, medio rege, punge per imum.

Habebat enim superius uncum ad trahendum, rectus erat in medio ad regendũ, inferius stimulos ad urgendum, ut nunc baculus Episcopalis.

Quæ forma virgæ pastoralis?

Erat olim pedum virga incurva, sic dictum, quod eo pecudum pedes detinerentur; jam verò bacillum rectum est, cui in imo præfixum ferreum quasi cochleare, quo glebæ assumuntur, & in oves à grege segreges jactantur.

Officium Regis.

Est ergo Regum & Imperatorum cura sceptro vel virga suâ populos solutos & palantes interdum more pecudum, optimis legibus & institutis moderari, & coërcere, oppressos ab hostibus, & sceleratorum calumniis, insidiis, violentiâ, liberare, sustentare, consolari, animos verò reside, & justi imperii jugum aliquando excutientes, legumque publicarum prævaricatores excitare, subjugare, punire.

93. An sceptrum olim habuit formam lituî

An sceptrum regale olim formam habuerit lituî seu baculi incurvi (quem Gellius lib. 6, c. 8, definit *virgam brevem, in parte quâ robustior est, incurvam*, & Cicero lib. primo de Divinatione, *incurvum, & leviter à summo inflexum bacillum*) non disputo. Videri potest quondam fuisse hujusmodi, ex illo Virgilii Æneidos 7, ubi de rege Pico ita cecinit:

Ipse Quirinali lituo, parvâque sedebat
Succinctus trabeâ, lævâque ancile gerebat.

94. Olim sceptra Regum hastæ fuerant.

Sunt, qui sceptra vel scipiones Regum priscis temporibus hastas fuisse putent: quod colligunt ex Iustino lib. 43, qui scribens de origine urbis Romæ sic infit §. 3. *Per ea adhuc tempora Reges hastas pro diademate habebant, quas Græci sceptra dixêre: Nam & ab origine rerum, pro diis immortalibus veteres hastas coluerè: ob cujus religionis memoriam, adhuc deorum simulacris hastæ adduntur.* Et libro 23, loquens de Hierone Siciliæ Rege, quem parvulum expositum, congesto circa jacentem melle apes multis diebus aluere, sic refert: *Huic quoque adolescenti prima bella incunti, aquila in clypeo, noctua in hastâ consedit. Quod ostentum & consilio cautum, & manu promptum, regemque futurum significabat.* Pausanias etiam in Bœoticis, Chæronenses ait ex diis sceptrum colere, quod Vulcanus Iovi fabricavit, & id hastam vocare. Inde Homero reges σκηπτοῦχοι. Et Euripides

pides in Hecubâ: λαὸν δίδυναν δορὶ, populum regens hastâ; ubi hastæ nomine videtur sceptrum intelligi. Sic Latinus Rex de hastâ loqui videtur, cum sic jurat lib. 12 Æncidos:

Vt sceptrum hoc (dextrâ sceptrum nam fortè gerebat)
Numquam fronde levi fundet virgulta nec umbras,
Cùm semel in silvis imo de stirpe recisum
Matre caret, posuitque comas & brachia ferro.
Olim arbos, nunc artificis manus ære decoro
Inclusit, patribusque dedit gestare Latinis.

Accipio ego hastam, orichalco vel auro inclusam vel ornatam.

Sceptrum insigne regum.

Quidquid tamen fuerit, certum est, purpuram, diadema, sceptrum, regni, Regumque fuisse notas & insignia. Sic Florus scribens de M. Antonio Triumviro lib. 4 cap. 11: *Aureum in manu baculum, ad latus acinaces, purpurea vestis ingentibus obstricta gemmis, diadema aderat ut reginá rex ipse frueretur.*

Quondam aureum.

Sceptrum etiam Imperatorum fuisse aureum indicat Carolus Magnus apud Monachum Sangallensem lib. 1, cap. 19. *Sceptrum*, inquit, *quod pro significatione regiminis nostri aureum ferre solemus.*

Diodorus Siculus lib. 18, pag. 660. Hæc imperii insignia in aureo Alexandri throno ponit: diadema, sceptrum, coronam.

Quin etiam triumphantes gessisse sceptrum, & auream coronam, non tamen fasciam candidam, seu diadema, quod proprium regni insigne, significat Iuvenal. Satyrâ decimâ:

Magnæque coronæ,
Tantum orbem, quanto cervix non sufficit una;
Da nunc, & volucrem sceptro quæ surgit eburno.

95. Varia materia & forma sceptri.

Reperio sceptri variam fuisse materiem & formam.

Siculis purpurea vestis, argenteus baculus, & corona gemmis extructa cum diademate, regia nota erat. Vide Livium Decade 3, lib. 4.

Alexander Neapolitanus lib. 1 Genial. c. 28 notat apud priscum seculum Reges tenuisse hastas, quas sceptra nuncupant, pro majestate, easque illis pro diademate fuisse ferunt, etiam milites in exercitu Pharaonis, tumultuariâ coactâ manu latiorem illi scirpum, dum ipsum in Regem assumunt, pro diademate dedisse.

Antigonus, quòd Patrem Liberum referret insolenti dominatu eò vanitatis excessit, ut hederam capite suo pro diademate, pro sceptro thyrsum gestaret. Ita Plin. lib. 16 cap. 4.

96. Sceptris regum ciconia & Hippopotamus affingebantur: & quare.

De regali sceptro, inquit Alexander suprà, illud proditum est, externorum regum sceptra in summo ciconiam, in imo hippopotamum habuisse effictum: quo argumento Regem justitiæ obsequi oportere, atque feritatem & indomitas libidines, ne ira desæviat, emollire significabant; quòd Ciconia summæ pietatis, Hippopotamus violentissimum animal foret: Lydiæ verò Reges sceptri loco securim habuisse feruntur, sicut Labradæcis Iupiter in Carià pro sceptro & fulmine securim ferebat ut Plutarch. in Problemat. cap. 158.

Auctore Iacobo Meyero libro 4. Annalium Flandriæ Comes 15 fuit Balduinus cognomento Securis, sic dictus, quod veterum more Regum maximam omnis temporis partem securim manu gestare consuevisset; fortè etiam quòd severus esset legum vindex; vulgo, Grave Haphey.

Romanis autem Regibus lituus cuspide incurvâ, qui etiam virga auguralis erat sceptri loco est habitus. Vide Livium Decade 1 libro 1. Ciceron. 1 de Divinat. Gell. lib. 5, cap. 8. Tarquinio Prisco sceptrum fuit eburneum in summo aquilæ figuram habens. Vide Dionys. lib. 3. Indis nisi ex ebeno sceptra sumere non licebat. Babylonii, auctore Herodoto lib. primo tanto studio sceptra prosecuti sunt, ut extra domum sine sceptro prodire, aut conspici nefas ducerent, in quibus diversas effictas species, figurasque habebant, quippe mali, rosæ vel lilii, aut aquilæ alteriusve avis in summo insignia ferebant. Vide & Interpretem Aristophanis in Avibus. Lego apud Diodorum lib. 3, cap. 3. Ægyptiorum sceptrum olim aratri similitudinem retinuisse.

Videmus in sceptro Galliæ Regum radiare lilium summo in apice fastigiatum.

Fortè quis dixerit in virgâ aureâ Assueri Regis verticem coronatum fuisse effigie Cyri Monarchiæ Persicæ conditoris, vel equi simulacro; quia suo hinnitu Dario imperium asseruerat.

Verisimile in sceptro Assueri fuisse effigiem Cyri vel equi.

Documentum Primum Morale.

Reges & Rerumpublicarum moderatores non ita se abdere debent, & velo Majestatis personam suam obnubere, ut populo ad illos sint inexorabiles accessus.

A Page à nobis Monarchas Assyrios, Medos, Persas & hujusmodi dynastas barbaros, qui, ut luxui vacent aut ne vilescant, publicum fugiunt, conspectum suum populo negant, intra Basilicæ, tamquam res sacræ, penetralia recondunter.

Aula regia tamquam commune miserorum & afflictorum asylum omnibus aperiatur, omnibus usui sit, Princeps in omnibus, ut ignis & aqua.

97. Princeps instar Solis omnibus luceat.

Ve magnum illud lumen (solem vocamus) splendorem, vigorem, calorem, & virtutem suam omnibus conditis rebus impertit, omnia vegetat, & fecundat: ita princeps tamquam salutare & beneficum sidus, benignæ & liberalis naturæ suæ sinum omnibus expandat, vultum suum ut jucundum & gratum jubar omnibus serenet; sic eum Principem omnes sereniſſimum & optimum jure, Patremque patriæ dicent.

98. Instar fontis omnibus scaturiat.

Fontibus perennibus, & puteis patentibus æmuli sint reges, ex quibus quò plus laticum hauseris, eò semper puriores & uberiores aquæ scaturiunt. Refert Philostratus lib. 5, cap. 10 in vitâ Apollonii hoc memorabile præclari Imperatoris elogium.

99. Vespasianus se Nilo parem ob sui copiam dicebat.

Vespasianus cùm recens Romani imperii sceptra obtinuisset, & Ægyptum lustraret, fertur Ægyptiis pro concione hæc verba pronuntiasse: *Hausite à me tamquam à Nilo.* Eleganter & appositè hoc dictum. Siquidem Nilus, ut est inter celebria orbis flumina facilè princeps, ita Reges significabat. Ille steriles & aridos Ægypti agros exundantibus aquis irrigat, & fecundat. Hi quoque beneficentiam suam in publica com-

commoda derivare, & pleno alveo in omnes emittere debent.

100. Manuel Comnenus mare beneficentiæ.

Ait talem fuisse Manuelem Comnenum Nicetas in ejus vitâ, quem dicit Θάλασσαν φιλοδωρίας, ἀπλοῦν ἔλεους ἄβυσσον, *mare beneficentiæ, misericordiæ abyssum.* Addit fuisse morum suavitate congressuque facilem, & regiâ virtute inimitabilem, ab avaritiæ sordibus immunem.

101. Thronus Leucophrynes imago benevoli Principis.

Similem meritò quis pronuntiarit hujusmodi principem Throno Leucophrynes, de quo Pausanias in Laconicis: Thronum hunc Horæ duæ, & Charites totidem sustinebant (sunt hæ sorores) à sinistrâ Typhon & vipera effecto schomate visebantur, à dexterâ verò Triton Neptuni tubicen erat cum plurimis aliis emblematis. Adumbrat hæc imago Majestatem regiam, cujus solium sustinetur ab Horis & Gratiis, id est, à munificentiâ opportunâ, sive beneficiis tempestivè collatis. Horum beneficentiam Tritones velut præcones & buccinatores lituis & tubis toto regno promulgant & prædicant; linguis intoxicatis, improbis, & audaciâ protervis frustra felicitatem regno invidentibus, quæ monstra per Typhones & viperas demonstrantur.

102. Agesilaus populo semper præsens dissimilis Persarum regibus ferè abditis.

Laudatur à Xenophonte Lacedæmoniorum moderator Agesilaus, Oratione de eodem, & confertur cum Persarum Rege, hisce ferè verbis: *Rex*, inquit, *Persarum gravitatem quærebat ex eo quòd raro conspiceretur; Agesilaus eo ipso delectabatur, quòd semper hominum in conspectu versaretur: Existimabat enim decere vitam facinorosam ac turpem, in obscuro latere, honestæ verò & cum virtute actæ lucem ipsam majus ornamentum conciliare. Gravitatem ille præ se ferebat ex eo, quòd difficilis ad ipsum accessus pateret: Hic contrà gaudebat omnibus ad se aditum dare. Putabat ille regium, & splendidum esse, quòd negotia tardius conficeret: Hic maximè tum lætabatur, cùm homines ad quod petebant celerrimè confectos dimitteret.*

103. Talis Titus Imperator, orbis deliciæ.

Hi mores profectò sunt magno Imperatore digni. Talis Titus Romanus Imperator, nihil solitus supplicibus negare, de quo, Interprete Radero nostro, canit Martialis libro Spectaculorum Epigrammate 2:

Reddita Roma sibi est, & sunt te præside, Cæsar,
Deliciæ populi, quæ fuerant domini.

Vbi alludit ad elogium commune Titi, quem *orbis delicias* appellavere, quippe qui toti orbi delicias fecerat. *Spectacula* enim *sæpe non ad finem sed populi arbitrium edidit, nihilque potentibus negavit, lavit in thermis suis non exclusâ plebe, nihilque popularitatis*, ut ait Suetonius, *prætermisit.* Vide illum in Tito cap. 8.

Fuit hic certè omni virtutum Imperatoriarum genere admirabilis, omnium gentium consensu appellatus *Amor generis humani*, ut auctores sunt Victor, Eutropius, Tranquillus; *qui etiam solus in Imperio dicitur factus melior.*

Calamum non teneo quin quædam ex hoc suprà strictim attingam. *Naturâ erat benevolentissimus. Cùm ex instituto Tiberii omnes debinc Cæsares beneficia à superioribus concessa Principibus aliter rata non haberent, quàm si eadem iisdem & ipsi dedissent; primus præterita omnia uno confirmavit edicto, neque à se peti passus est. In ceteris verò desideriis animum hominum obstinatissimè tenuit, ne quem finis spe dimitteret. Quin & admonentibus de-*

104. Titi beneficentia.

mestici, quasi plura polliceretur, quàm præstare posset; non oportere aut quemquam a sermone Principis tristem discedere. Atque etiam recordatus quondam super cœnam, quòd nihil cuiquam toto die præstitisset, memorabilem illam meritóque laudatam vocem edidit: Amici, diem perdidi. Idem, cap. 9, *se paraturum potius quàm quemquam perditum ab se dimittere.*

Instar tenere oportet Regem Palmæ Indicæ, quæ nascitur in Maldivis Insulis, quam stilo suæ elegante describit Ioan. Petrus Maffejus Historiarum Indicarum libro septimo.

105. Palma Indica sit princeps, quam describit Maffejus.

Hæc non proceritate solùm & pulchritudine excellit, verùm etiam tota prorsus in usu est ita multiplici, ut vulgo, siquem frugi & industrium laudibus efferre velint, palmâ utiliorem appellent. Lege Maffejum suprà.

Talem se regem populo præstet, qui ad imperium assumitur, & inter principes palmam tulerit. Iure suo acclament hujusmodi Imperatori populi illud tritum usurpari solitum in Regum inauguratione: *Te unum habentes, in te omnia habemus.*

106. Rex sit arbor fructifera.

Ligna silvarum, ut est in Apologo Ioathami Iudicum 9, primùm quidem unctum supra se regem ierunt ad uberes & fructuosas arbores, olivam, ficum, vitem; quo Apologo satis nobis insinuatur clavum Reipubl. tenentes, & sceptro populos regentes, subditorum commodis studere debere, illis esse oportere instar prædii fructiferi, vel fertilis agri, lignique pomiferi.

107. Regis effigies depicta in arbore, quam vidit Nabuchodonosor.

Populi moderator sibi persuadeat effigiem suam expressam esse in arbore quam vidit per somnium Rex Babylonis Nabuchodonosor Daniel. 4, ℣. 7 & sequent. *Videbam*, inquit ipse, *& ecce arbor, in medio terræ, & altitudo ejus nimia. Magna arbor & fortis: & proceritas ejus contingens cœlum: aspectus illius erat usque ad terminos universæ terræ. Folia ejus pulcherrima, & fructus ejus nimius: & esca universorum in eâ. Subter eam habitabant animalia & bestiæ, & in ramis ejus conversabantur volucres cœli: & ex eâ vescebatur omnis caro.*

Nemo sanæ mentis ambigit hoc esse nobile Regis Emblema, & Hieroglyphicam notam, cujus quidem partem priorem non evolvo, sufficit illuminatissimi vatis eodem capite de hac verba notasse ℣. 17, & sequent. *Arborem, quam vidisti, Tu es Rex, qui magnificatus es, & invalusti; & magnitudo tua crevit & pervenit usque ad cœlum, & potestas tua in terminos universæ terræ.* Hæc ille.

Solùm paucis illustro partem somnii mystici posteriorem, quæ indicat regem, ut arborem patulam & frugiferam beneficia sua & fructus in omnes derivare, omnibus communicare, beneficentiæ suæ sinu omnes complecti: *fructus illius* arboris *nimius, & esca universorum in eâ.* Princeps, ut alter Titus, neque neget quidquam petentibus, &, ut petant, ultro adhortetur: *Subter eam* (humi scilicet) *habitabant animalia* (bruta, quibus signantur ruricolæ, opifices,) *& bestiæ*, (id est, idiotæ, quibus parum sapientiæ) *& in ramis ejus* (locis sublimioribus, suo ordine usque ad nubes distinctis) *conversabantur volucres cæli* (sapientiâ præstantes viri, consiliarii, qui ingenii & eruditionis alis subvecti altiora penetrant) *& ex ea vescebatur omnis caro* (omnes omnino subditi sub tanto principe sibi propriis gaudeant emolumentis. Princeps enim sapientibus & insi-

108. Princeps omnium commodis consulat.

pientibus & insipientibus debitor est.

Nihil ita animos civium, popularium que conciliat atque Principis benevolentia, nihil etiam è contrario ita exacerbat atque eorum inhumanitas. Exempla quædam hìc suggerit Feuardentius.

109. Phili. pus Macedo à vetulâ sui muneris monetur.

Cùm Philippum Macedonem vetula quædam infimis precibus rogasset, ut se benigne audiret, illeque subjecisset, sibi per occupationem non licere, intulit illa: *Ergo nec imperare debes.* Tantum aniculæ verba apud illum valuerunt, ut non eam solùm, sed omnes postmodum pronis auribus exceperit.

110. Et Trajanus à viduâ.

Tradunt Trajanum à viduâ interpellatum, ut ei de unico filio unique peremptò jus diceret, respondisse, ubi rediero (ad bellum quippe properabat) causam tuam cognoscam. Tunc illa: Et quid si, inquit, non redieris, quis causæ meæ patrocinabitur; aut pro me judicabit? Tam alte viduæ querimonia in pectus Cæsaris descendit, ut ibidem loci statim eidem satisfecerit.

Demetrius animos Macedonum suâ inhumanitate avertit.

Referunt contrà regem Demetrium eo potissimum nomine Macedonum animos à se alienasse, quod multorum supplices libellos, ipsis spectantibus, in profluentem abjecerit.

111. Alexandri Magni & Trajani humanitas.

Laudandus Alexander Magnus, de quo refert Iustinus lib. 15, quod, cùm equo desiliens, casu Lysimachum vulneratum, medendi vulneris causâ sibi diadema detraxerit, (nam candida fascia erat) illoque Lysimacho vulnus alligaverit.

Idem ferè memorant Sabellicus & alii de Trajano, qui cùm vulneribus militum sanciorum fasciæ & lintea deessent, paludamentum suum præbuerit in lacinias discindendum, quibus eorum vulnera obstringerentur.

112. Iobi humanitas, Davidis Salomonis, & S. Ludovici in causis pauperum audiendis.

Divinæ litteræ plura etiam specimina proferunt Regum, qui viduarum, calamitosorum, & & vilium personarum causis benevolas aures dederunt, ut videre licet in Jobo principe viro, cujus ostium omnibus apertum erat.

Pervolvat lector caput 29, ℣. 12, 13, 14, &c. Ita vero habet ℣. finali 25: *Cùm sederem quasi Rex circumstante exercitu, eram tamen mœstentium consolator.*

David quoque Rex humanissimus fuit, quod tum alias, tum præcipuè eluxit, cùm mulierem Thecuitidem figurato sermone Absalomo fratricidæ veniam deprecantem attentissimè & benignissimè excepit 2 Regum 14.

Nec filio ejus potentia & sapientiâ nulli secundo vel comitas, vel placabilitas defuit, dum vilissima scortilla coram se disceptantia, & mutuò convitiantia benevolè audit, vel incredibili prudentiâ eorum controversiam dirimit 3 Reg. 3, ℣. 16 & sequentibus.

Cùm S. Ludovicus formidaret causas pauperum Consiliariis non magnæ curæ esse; ut minimum bis per hebdomadam in loco publico residens audiebat eorum querelas: & tum justitiâ tum misericordiâ eas expendens celeriter eos expediebat. Ita vita ejus cap. 19, Augusti 25 apud Surium.

Documentum Morale Alterum:

Inter homines plerumque familiaritas, & convictus contemptum parit, cum Deo verò assidua communicatio & amicitia majorem venerationem concilias.

Diximus Persarum & quarumdam Barbarum gentium reges majoris gravitatis & Majestatis sibi comparandæ gratiâ, fugisse publicum, rarò se populo dedisse, difficiles ad illos fuisse aditus, ne vilescerent; divinum quid sibi hoc modo affectabant, dum à consuetudine hominum abstinent, juxta illud quod Chaldæi & Magi dicunt Regi Nabuchodonosori, Daniel. 2, vers. 11, *exceptis diis, quorum non est cum hominibus conversatio.*

Sic arioli illi putabant; & bene si de falsis diis sermo sit, qui rarenter se hominibus manifestabant.

Nimia familiaritas noxia sæpe est cum subditis, tum rectoribus.

Et certè nimia illa consuetudo & privata familiaritas sæpiculè noxia & periculosa est tum subditis, tum principibus; illis quidem frequenter magnum malum accersit, dùm principes facilè moribus eorum offenduntur, suspicantur, formidant, &c. unde suadet Sirachides Ecclesiastici cap. 9, ℣. 18: *Longè abesto ab homine potestatem habente occidendi, & non suspicaberis timorem mortis*, & vers. 19. *Esi accesseris ad illum, nihil aliquid committere, ne fortè auferat vitam tuam.* Et vers. 20. *Communionem mortis scito: quoniam in medio laqueorum ingredieris, & super dolentium arma ambulabis.* Videat Lector pluscula quæ pro loci illius illustratione attulimus.

Ad magnates accedendum non nimis propè, sicut ad ignem.

Damnosa regibus nimia popularitas.

Regibus verò plerumque damnosa est nimia populatitas, consuetudo, vel commercium cum suis, ne ipsorum persona paulatim apud subjectos in despectum, & vilipensionem transeat.

113. Vulpes primùm viso leone deficit, sæpius visum familiariter alloquitur.

Significavit hoc nobis fabulator Phryx sub hoc figmento. Vulpes numquam leonem ferarum regem conspexerat. Itaque cùm illi aliquando ex improviso occurrisset, ita ad ejus intuitum, majestatem vultus, gravitatemque incessus, rugitum, flammeos oculos & scintillantes consternata est, ut parum abfuerit, quin animo linqueretur, penitusque deficeret. Cùm verò aliàs iterum regium illud animal, quod horrifico suo fremitu silvas attonat, obviasset, terrore quidem correpta est, sed non tanto, ut prius. Tertiò demum, dum leonem fuisset intuita, non modò non expavit, verùm etiam ultrò accedens cum eo sermocinari, & blanda colloquia miscere coepit.

Innuit hæc fabula consuetudine & assiduâ conversatione fieri, ut magnates ad quorum conspectum antea exalbescebant, & metu dirigebant cives & officia Palatina, postmodum non formidentur, nec honorentur eo cultu, quem ipsorum dignitas postularet. Hæc affabulatio est.

114. Ratio, cur inter homines familiaritas contemptum pariat.

Hujus rei ratio, quî videlicet fiat, ut nimia familiaritas cum hominibus minus sapientiâ vel prudentiâ præstantibus contemptum pariat, hæc adferri solet. Convictus, frequens commercium, ser-

sermonum libera communicatio, negotiorum præcipuè & arcanorum collatio plerumque detegit vitiositates animi, propensiones minus honestas, levitates & improbitates, quibus homines tenentur. Nam

Vnicuique dedit vitium natura creato.

Hæc omnia observata magni nominis existimationem, quam quis de principe vel magnate conceperat, elevant, & minuunt reverentiam, & sæpe etiam despicientiam & aspernationem in quorumdam animis generant.

115. Sunt homines picta tabulæ.

Sunt mortales expositi oculis mutuis, ut pictæ tabulæ, quas cum poëti confert Horatius in Arte Poëticâ, dum ita monet:

Vt pictura, poëtis erit: quæ si propius stes,
Te capiet magis, & quædam si longius abstis,
Hæc amat obscurum, volet hæc sub luce videri,
Iudicis argutam quæ non formidet acumen.

116. Princeps virtute & sapientiâ præstans est tabula Apellis manu picta.

Vir quispiam vel princeps omnibus virtutis & sapientiæ numeris absolutus (sed quis est hic, & laudabimus eum?) locum tenet tabellæ manu Zeuxidis vel Apilles depictæ, quæ propius conspecta placebit, nec lucem aut oculos etiam perspicacissimi, peritissimi, curiosissimi artificis aut pictoris erubescet aut reformidabit. Dynasta verò aliquis, cui plures boni & perfecti moderatoris partes & dotes desunt, aut in quo plura vitia & malæ notæ cautius & attentius collimanti aperiuntur, magis te capiet, magisque placebit, si procul cernatur, & quasi per obscurum.

In Sapiente, si cum eo agere fortè contigerit, semper plura insignis doctrinæ & probitatis puncta notabuntur, plures reconditæ eruditionis, & honestatis ex luminoso ejus pectore stricturæ absistent, emicabunt radii, quo fiet, ut indies magis illum suspiciat, & ut Numen aliquod veneretur quispiam. Contrà, insipiens, si cum eo versaris, maximè si aliquot salis modios cum eodem esitaris, plura dabit temeritatis, stultitiæ, improbæ naturæ indicia. Hinc opinionem, expectationem, spem, quam de illo hauseras, paulatim depones, & quod majus est, despicere, & nihili facere inceptabis.

117. Familiaritas cum Deo, quia pelagus est omnis sapientiæ & perfectionis, semper majorem venerationem parit.

Longè aliter sè res habet in familiari cum Deo communicatione, & amicitia, quam hominem inter & magnum illud numen intercedere posse vera Philosophia & Theologia docet. Siquidem, quia pelagus est immensum vel potius abyssus omnis sapientiæ, bonitatis, perfectionis, *Cui par est nihil, & nihil secundum*; quo penitius in intima benevolentiæ & familiaritatis cum eo penetralia pertigeris, eò etiam ampliorem & sublimiorem existimationem obtinebis, submissiore cultu & reverentiâ prosequeris, quod non solùm apparet in Angelicis spiritibus, & beatis animis, qui in abditissima ipsius sapientiæ adyta penetrarunt, sed etiam locum tenet in plerisque mortalibus, qui gustarunt *quoniam suavis est Dominus, & quod non habeat amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiam, & gaudium*; qui denique meruerunt esse è primâ cohorte amicorum illius.

Quia verò argumentum hoc copiosè explicant rerum spiritualium tractatores & scriptores Ascetici, ideo censui non diutius huic inhærendum. Sufficiet unum & alterum caput tetigisse.

Notum est Seraphinos Deo proximos esse, tantoque illius amore flagrare, ut ab ardore nomen acceperint. Est enim שרף saraph linguâ nostrâ accendit, adussit. Sunt ergo Seraphim ardentes & accendentes, & ob hoc quidem maximè, quod charitas eorum erga Deum sit ardentissima, & Deo, qui lux & ignis, sint conjunctissimi, & instar ferri igniti toti in ejus amorem quasi conversi, luciferi simul & igniferi. Seraphim igitur cùm tales & tanti sint, ut etiam proximi Dei solio assistant Isaiæ 6, vers. 2. *Seraphim stabant super illud*, Hebraicè מעל juxta vel circa solium veluti primi ejus in aulâ & templo principes & stipatores: Cùm inquam, hujusmodi sint Seraphim, tamen de illis ibidem dicitur; *duabus* (alis) *velabant faciem ejus, & duabus velabant pedes ejus*, &c.

118. Seraphini Deo familiaritate proximi maximè tamen illum venerantur.

Nota verò Hebraicè illa verba significare tam facies suas, quam facies ejus, scilicet Dei; & tam pedes suos, quam pedes ejus; & utroque modo reddi possunt & transferuntur à diversis Patribus Græcis & Latinis, estque utraque lectio verissima, & una ex alterâ sequitur. Vt enim optimè Cornelius à lapide exponens illa verba visionis Isaiæ: Seraphini alas supernè conjungebant, itaque iis quasi umbellâ facies suas obnubebant ac consequenter iisdem hoc modo oppansis sibi quoque & conspectui suo velabant faciem Dei. Alæ enim interpositæ inter faciem ipsorum & faciem Dei, eis tam faciem Dei, quàm suam propriam tegebant. Eadem est ratio de alis pedum: conjungendo enim alas, quæ erant infernè, iis pedes suos cooperiebant, illisque coopertis consequenter etiam sibi velabant pedes Dei, præsertim cùm facies jam esset obvelata.

118. Seraphim velabant tam faciem Dei, quam facies suas: & quare.

Quid autem nobis indicat quòd coram Deo vultum suum obtegant Seraphini, nisi profundissimam venerationem, & incredibilem stuporem & extasin, quâ supra modum admirantur radiantissimum illud divinitatis jubar, quod nec audeant, nec possint irreflexo oculo intueri, cujus splendore immenso præstringantur ipsorum lumina, & cùm sint perspicacissimâ intellectus acie, attonentur, & quasi cæcutiant.

Ita Exodi 3, vers. 6, Moyses audiens Deum loquentem de medio rubi, *abscondit faciem suam: non enim audebat aspicere contra Deum.*

Vlterius Seraphini pedes etiam suos contegebant præ pudore: verecundabantur enim nō majore se amore & affectu in Deum ferri, ut rectè S. Chrysostom. sermone 4, de visione Isaiæ.

Postremò obvelant etiam Deo faciem & pedes, ut nobis demonstrent summum illud numen ejusque æternitatem abyssum sibi videri imperscrutabilem, cujus nec faciem, id est, principium, nec pedes, id est, finem attingere valeant; nec posse se ejus celsitudinem, quâ Deus est ante secula, nec humilitatem, quâ in fine seculorum homo factus est, satis suspicere: tantùm ideo alter ad alterum clamant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, ut indicent Sanctissimam Trinitatem esse omnis sanctitatis fontem profundissimum; ex quo & ipsorum & omnium creaturarum sanctitas derivetur.

119. Homines sancti quò Deo conjunctiores, eò ipsius reverentiores.

Quod si à cælestibus illis, Angelicisque spiritibus ad homines descendamus, perspiciemus & hos quò Deo amore conjunctiores fuerint, & familiariores, eò semper amplius illum coluisse, suspexisse, coram eo cum 24 Senioribus in Apocalypsi se prostravisse. Testes sunt Virgo Mater

Christi

Christi præcursor, & alii plurimi intimè divinæ majestati per caritatem agglutinati.

Quod hactenus diximus, in hominibus, eò magis augeri & crescere erga Deum reverentiam, & admirationem, quo profundius majestatis & sapientiæ ejus abscondita penetraverint, & per contemplationem, orationem & similes religionis functiones illi supremæ naturæ se conjunxerint, observarunt viri spirituales in Samaritide muliere Ioannis 4. Hæc primùm, cùm Christus ab illâ potum petiisset, tamquam cum homine plebeio & rusticano agebat. *Quomodo tu, Iudæus cum sis, bibere à me poscis, quæ sum mulier Samaritana?* Quid postea? cùm ulterius cum Christo sermocinatur, & colloquitur, crescit ejus erga illum veneratio, & quem Iudæum vocaverat, Dominum appellat: *Domine, da mihi hanc aquam.* Paulatim progrediens eum prophetam dicit, *video*, inquit, *Propheta es tu.* Postremò tandem illum & Christum sive Messiam agnovit. Tantum ergo abest, ut frequenti & decenti cum Deo collatione per pietatis exercitia, submissio & reverentia erga Deum minuatur, ut potius in dies majora sumat incrementa. Major enim Dei cognitio majoris est venerationis accessio.

119. Testis hujus est Samaritana mulier in Euangelio.

VERSVS XII, XIII & XIV.

Quod cùm audisset Mardochæus rursum mandavit Esther, dicens:

Ne putes, quod animam tuam tantùm liberes, quia in domo regis es præ cunctis Iudæis:

Si enim nunc silueris, per aliam occasionem liberabuntur Iudæi: & tu, & domus patris tui peribitis. Et quis novit, utrum idcirco ad regnum veneris, ut in tali tempore parareris?

Hebraicè: Et indicaverunt ipsi Mardochai verba Esther: Dixitque Mardochai ad referendum ad Esther (ut responderent ipsi:) Ne imagineris (ne putes) in animo tuo, ad eruendum te (ut eruas te) in domo regni præ cunctis Iehudæis.

Nam si silendo silueris in tempore isto, respiratio & liberatio stabit Iehudæis ex loco alio: & tu, & domus patris tui peribitis. Et quis scit si in tempore sicut hoc (simili) perveneris ad regnum?

Iosephus sic expressit: Quibus Mardochæus auditis rursum per eundem eunuchum orat eadem, dicens, non oportere eam habere respectum salutis propriæ, sed potius universi generis: si enim nunc hoc facere negligat, Deum quidem omnino laturum suis auxilium, ipsam verò cum suâ familiâ daturam pœnas eis, quos tunc contemneret.

COMMENTARIVS.

GAspar Sanctius hæc meo judicio arctius hoc modo exponit. Nuntiat, ait, Mardochæus Estheræ non minus illi quam aliis Iudæis capitale imminere periculum. Nam licèt habeat magnum præsidium in nomine regio, & in regis erga se amore, si tamen nunc, dum non adeo est inclinata Iudæorum fortuna, vitæ periculum, adito rege, subire recusaverit, eò adducetur ipsa, ut si maximè velit, studeatque, extremam fortunam declinare non possit. Neq; enim tam erunt inertes Iudæi, ut non se ipsos, suosque à Persico ferro & furore defendant, aut aliis modis à Deo jam placato provisis sibi consulant, ex quo fiet, ut in illam à Persis concitetur odium, aut à Iudæis in Amanum & Regem, à quo ipsa non erit immunis, vel quia à Persis aliquid hostile in illam tentabitur, qui suspicabuntur conjurationis esse conscium, vel fortasse auctorem, aut à Iudæis, cùm viderint tam vilem illi fuisse suam salutem, ut propter illam regium vultum subire noluerit. Nec videri absurdum, si quis credat illam ad regiam dignitatem assumptam, ut ad eam in hoc necessitatis articulo afflicta Iudæorum fortuna paratum haberet fidum præsidium. Ita Sanctius. Vberius Feuardentius, quem Lector consulat.

Mihi sensus hic esse videtur. Ne tibi persuadeas, Esther, te tot è millibus Iudaici sanguinis unam ad thronum, thalamumque Persarum Regis evectam, ut ingruente quapiam adversâ & inimicâ Iudæis fortunâ te solam periculo eximas, id est, eximere & liberare debeas, vel liberatura sis: quod sic reddunt Septuaginta: Ne dixeris tibi, quod salvaberis sola in regno præter omnes Iudæos, q.d. Non negligas aliorum gentis tuæ hominũ salutem, arbitrans te extra omne discrimen, eò quòd consors sis regii & tori & solii, quasi tu certissimè sis evasura; Iudæi verò certissimè sint perituri.

Subjicitur verò litteræ sic explicatæ ratio: Præsto enim sunt Deo variæ viæ, quibus Iudæos, te etiàm ipsorum salutem negligente, præsenti periculo eruat, & diversi etiam modi, quibus & te & familiam tuam puniat, eò quòd salutem tuam solius communi incolumitati prætuleris.

Addit & hoc: Noveris te divinâ providentiâ singulariter ad altissimum Persici principatus culmen sublatam, ut præsenti periculo totam gentem tuam liberares, & opportuno auxilio subvenires. Hæc videtur sententia.

Non omnino ab hac Mardochæi ad Estheram Paræneſi & adhortatione dissidet oratio Magni Leonis Romani Pontificis, quâ Pulcheriam virginitatis Deo devotæ & vitæ sanctimoniâ illustrem Augustam partim commendat, partim excitat ad fidem Orthodoxam contrà Nestoriũ & Eutychetem Hæresiarchas propugnandã. Ita ipse ad illam scribit Epist. 39: *Quod*, inquit, *semper de sanctæ pietatis vestræ mente præsumpsimus, id plenissimè experiendo cognoscimus, Christianam fidem quamvis diversis pravorum appetatur insidiis, vobis tamen præsentibus, & in defensionem ejus à Domino præparatis non posse turbari.* (Convenit verbis Mardochæi de nostra Regina: *Et quis novit, utrum idcirco*

120. Similis oratio Mardochæi exhortationi S. Leonis ad B. Pulcheriam Augustam.

circò ad regnum veneris, ut in tali tempore parareris? Non enim Deus aut suæ misericordiæ sacramentum, aut vestri laboris deserit meritum, quod dudum subdolum sanctæ Religionis hostem (Nestorium) *ab ipsis visceribus Ecclesiæ depulistis. Nam hæresim suam tueri Nestoriana impietas non potuit; quia non fefellit famulam Dei & discipulam veritatis, quantum simplicibus infunderetur veneni per illa loquacis hominis colorata mendacia.*

Rursus idem Pontifex ad eandem Reginam Epist. 45. *Offertur ergo pietati vestræ digna materia, quâ placitam Domino eorum sanctis cordis exerceat, & præcedentium meritorum coronas etiam de præsentis erroris abolitione multiplicet. Sicut enim Nestoriana impietas, ita & Eutychiana blasphemia ab omnium est Catholicorum eliminanda consortio.* Hæc gravissimus ille Pontifex.

Rursus, sicut Mardochæus Estheram neptem suam repentino nuntio de populi sui cæde delignatâ turbatam, & animo titubantem vehementibus monitis accendit, ut pro Iudæis perituris Assiduo humiles preces offerret; ita & Cyrillus Præsul Alexandrinus libris suis ad Reginas scriptis, in quibus Pulcheria altius eminebat, eidem Augustæ calcar admovit, ut contra Nestorium, alterum Amanem excitaret Theodosium fratrem suum Imperatorem, & toto pectore ad defensionem doctrinæ Catholicæ incumberet. Ne autem Lectorem hîc diutius morer, melius judicavi eum ad Tomum quintum & sextum Annalium Cardinalis Baronii remittere.

Hæc oratio Mardochæi referta est pluribus egregiis virtutibus. Spirat enim ardens studium erga gentem electam, prodit magnam de divinis promissis generi Iudæorum factis fidem, erectam fiduciam declarat de Numinis providentiâ suo populo, opportuno tempore non defuturâ.

Hac animum Estheræ metu contractum, ne fortè indignationem Regis incurreret, vel capitis discrimen adiret, excitat, animat, terret, minatur divinam vindictam, nisi omni timore excusso Regem pro populo suo deprecetur, & Amani nefarios autus reprimat. pro quo Deus illam potissimum ad tantæ dignitatis fastigium evexit. *Quis novit*, inquit, *utrum idcirco ad regnum veneris, ut in tali tempore parareris?*

An verba Mardochæi ad Estheram fecerint dubitantis an affirmantis?

Vbi nota Feuardentium docere verba illa Mardochæi non esse dubitantis, sed affirmantis. q. d. Non dubito, quin Deus te ex humili loco evexerit ad regiam dignitatem, ut in hoc miserrimo tempore, populo tuo afflictissimo succurras. Sed hoc mihi incertum est, verosimile tamen est, Mardochæum hoc speràsse & existimasse, & Deum orationibus & jejunis placatum fui populi, per Estheram illum periculo exempturum planè sibi persuasisse.

Quod autem idem Auctor ad suum propositum probandum adfert illa ex Iohel. cap. 2 ℣. 14. *Quis scit si convertatur, & ignoscat?* (Deus) & Ionæ 3 ℣. 9, ubi similia leguntur: quæ ait esse affirmantis; quia certum est quod Deus seriò pœnitentibus ignoscat: minus rectè probat.

121. Quare Deus pœnitentibus sub dubio promittit veniam?

Siquidem enarratores istorum locorũ, & Doctores accipiunt illa, prout sonant per modum dubitantis: quamvis enim certum sit Deum pœnitentibus ex animo condonare culpam, non tamen exploratum est, eum simul condonare pœnam temporariam maximè extraordinariam, & accidentalem, qualis erat eversio Ninives.

Deinde, etsi certissima sit Dei promissio, quâ pœnitentibus veniam offert, non tamen constat nobis an impleamus conditionem, quam requirit Dei promissio, verum nimirum, & perfectum dolorem ex Dei amore profectum. Ita Theologi. Addit D. Hieronym. in locum Ionæ citatum. *Ideo*, ait, *ambiguum ponitur, ut, dum homines ambigui sunt de salute, fortius pœnitentiam agant, & magis ad misericordiam provocent Dominũ.*

Verba illa: *Ne putes quod animam tuam tantùm liberes &c.* Emman. Sa duobus modis explicat, q. d. Ne sis contenta salute tuâ solâ: vel, ne persuadeas pereuntibus Iudæis te evasuram: addit: quia præ cunctis Iudæis excellis, potes facilè te salvare.

Cajetan. verò ex Hebræo sic interpretatur: Non tacebis omittendo preces apud regem pro Iudæis, sciens vitam tuam salvam, quia domus regis exempta est ab hujusmodi necis decreto, prælata omnibus Iudæis. Carthusian. autem sic intelligit: Noli tibi persuadere quod libera sis à morte, per hoc duntaxat, quod regina sis, & ideo non cures pro populo tuo rogare.

Item: *si enim nunc silueris &c.* sic effert ex Hebræo Cajetan. Quod si tacendo tacueris in tempore isto, latitudo & evasio stabit Iudæis ex loco alio, vel aliunde.

Magna, ait idem, fiducia Mardochæi in Deo: eleganter deinde dicitur: latitudo & evasio; tamquam Iudæi edicto illo angustati, & mortis periculo expositi, in amplum spatium educendi sint & evaluri, providente Deo ipsis per aliud medium.

Æquè etiam exponunt omnes illa. *Et quis novit, utrum idcirco ad regnum veneris, &c.* Quis novit, utrum non à Deo præparata sis ad hoc, ut in tali, vel simili huic tempore tuis esses præsidio?

Hugo Cardinalis ex hoc loco: *Ne putes quod animam tuam tantùm liberes, &c.* colligit arguì illos, qui non curant nisi seipsos, & aliorum salutem negligunt: quibus minatur S. Iudas epistolæ suæ ℣. 11: *Væ illis, quia in viâ Cain abierunt*: qui dicebat Genes. 4 ℣. 9. *Num custos fratris mei sum ego?* Documentum utile, sed nimis arctè accipit Hugo illa verba S. Iudæ: Via enim Cain ibi significat omnem ejus sceleratam vitam, & mores improbos, invidiam, Dei contemptum, parricidium, desperationem, & etiam infelicem ejus exitum; ut eo loci Interpretes.

Quæ via Cain?

Allegorica Verborum Istorum Expositio:

Quis novit, utrum idcirco ad regnum veneris, ut in tali tempore parareris? Virgo mater electa & Regina cæli terræque constituta, ut mortalibus esset salutare præsidium.

QVilibet Christianus magnâ fide, & animo spei pleno, Deiparæ hæc dixerit: Quis novit? imo, quis est, cui non exploratum sit, quòd idcirco ad regnum veneris, ut mihi in tempore angustiæ & afflictionis parareris tamquam singulare perfugium, & salutifera Esthera?

Non mihi modò propositum est ostendere, quomodo sanctissima virgo apud Deum invene-

rit gratiam, quâ intáminatum Agnum, qui tolleret mundi peccata, obumbrante virtute Altissimi nobis conciperet, pareret, lactaret, nutriret. Hoc nunc ago, ut ob oculos Lectoris proponam, illam à Deo mundo paratam, ut illi calamitatum & afflictionum Iliade laboranti, opportunis auxiliis subveniat, quod ipsa semper & dum hìc viveret, præstitit, & jam in cœlis imperans præstat, præstabitque. Et si enim jam pati non novit, ut olim, compati tamen & misereri non negligit, dicitque illud: *Non ignara mali miseris succurrere disco.* Hoc Ecclesia apertè profitetur in Pervigilio ejusdem Assumptionis in Oratione secretâ, quâ sic precatur: *Munera nostra, Domine, Dei genitricis commendet oratio, quam ideirco de præsenti sæculo transtulisti, ut pro peccatis nostris apud te fiducialiter intercedat.*

122. Quatuor anni partes festis Virginis coronantur, & quare?

Observarunt Doctores Canonum in tertiâ parte decreti de Consecratione, d. 3 cap. primo, quatuor anni tempora, distingui & quasi coronari quatuor præcipuis, & toto orbe observatis Deiparæ festivitatibus. Autumnus gaudet ejus Nativitate, hiems ejusdem Purificatione illustratur, Ver illius Annuntiatione aperitur & efflorescit, æstas postremò gloriosâ ejusdem ad cœlum Assumptione decoratur. Adferunt hujus instituti rationes duas; quarum prior est; ut nulla anni portio laudibus ejus vacet, sed ut mortales omni tempore ejus præconiùm celebrent. Sed de hac modo non ago. Altera ergo ratio est, ut annus totus beneficiis ejus ut coronâ cingatur; & nullum prorsus tempus sit, quod ejus luce non gaudeat, meritis non protegitur, præsidio non muniatur.

Sed parum est, annum & ejus partes festivis ejus diebus insigniri. Videmus etiam & singulos propè menses ejus privatis & singularibus feriis honorari, nec modo menses, sed & hebdomadam quamque Sabbato illi dicato ornari; nec hoc modò, cum audiamus ter diebus singulis æra campana ad Angelicam Salutationem personare, ut quilibet illi devotus pronuntiet jure istud: *Vespere & manè, & meridie narrabo, & annuntiabo, & exaudiet vocem meam*; Psal. 54 ℣. 18.

Sancti Patres passim ideo ejus opem in festivitatibus ejusdem implorant.

Sufficiat hic pauca scripsisse ex B. Petri Damiani sermone primo in ejus Nativitate sub finem: *Subveni, Domina, clamantibus ad te jugiter. Numquid quia ita Deificata, ideo nostræ humanitatis oblita es? Nequaquam, Domina. Scis in quo discrimine nos reliqueris, ubi jaceant, quantum delinquant servi tui. Non enim convenit tantæ misericordiæ tantam miseriam oblivisci: quia etsi subtrahit gloria, revocat natura: non enim ita memoratus justitiæ Dei solius, ut misericordiâ non habeas; neque ita es impassibilis, ut sis incompassibilis. Naturam nostram habes, non aliam: & justum est, ut de rore tantæ pietatis diffusus infundamur.* Et paulò inferius. *Accedis ante illud aureum humanæ reconciliationis altare, non solum rogans sed imperans; Domina non ancilla. Moveat te natura, potentia moveat; quæ quanto potentior, tanto misericordior esse debebis; potestati enim cedit ad gloriam, injurias ulcisci nolle, cum possis.* Et rursùs. *In manibus tuis sunt thesauri miserationum Domini, & sola electa es, cui gratia tanta conceditur. Absit, ut cesset manus tua, cùm occasionem quæras salvandi miseros, & misericordiam effundendi. Neque enim tua gloria minuitur, sed augetur, cùm pœnitentes ad veniam, justificati ad gloriam assumuntur.* Hæc ille & plura.

Virginis subsidium.

In sacro Epithalamio cap. Cantic. 4 ℣. 4 de ejus collo, id est, patrocinio, Christo capiti proximo, à quo in omnia membra influxus gratiarum descendunt, dilectus Domini Rex concinit. *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis; mille clypei pendent ex eâ, omnis armatura fortium.* Est ejus patrocinium arx & propugnaculum impenetrabile & insuperabile ad repugnandum hostibus, & eosdem oppugnandum.

123. Est propugnaculum & vallum fidelium.

Deinde; *omnis armatura fortium*, duo nobis insinuant, nimirum, ejus præsidium tam esse potens, ut in protegendo omnes sanctorum vires exsuperet. Insuper omnes qui hactenus robore animi præstiterunt, palmamque de triumphatis hostibus retulerunt, ab eâ panoplìam suam sumsisse, ejus beneficio à Deo constantiam animosque ad resistendum obtinuisse.

Nulla umquam mater tanto amore prosecuta est filios suos, ut mater viventium Maria in commune hominum bonum intenta est.

Dei Mater πολυόφθαλμος, oculatissima.

S. Epiphanius Oratione de laudibus Virginis, eam nominat πολυόφθαλμον, id est, pluribus oculis præstantem; Et rectè quidem, ipsa namque Argo oculatior, in omnium curam pervigilat, & infopitam sollicitudinem extendit in universos. Vt verò ipsa in omnes mortales misericordiæ suæ lumen & radios evibrat, sic in illam etiam omnium ora vultusque convertuntur. Eleganter S. Bernardus Sermone 2 de Pentecoste: *Christus*, inquit, *de Spiritu Sancto conceptus jam tunc operabatur salutem nostram in medio terræ, in utero videlicet Virginis Mariæ, qui mirabili proprietate terræ medium appellatur. Ad illam enim sicut ad medium, sicut ad arcam Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium sæculorum, respiciunt, & qui in cœlo habitant, & qui in inferno, & qui nos præcesserunt, & nos qui sumus, & qui sequentur. Et nati natorum, & qui nascentur ab illis. Illi qui sunt in cœlo, ut reficiantur: & qui in inferno ut eripiantur; qui præcesserunt, ut prophetæ fideles inveniantur: qui sequuntur, ut glorificentur.* Et quibusdam interjectis, sic rursùs ad illam se convertens. *Ex hoc ergo*, inquit, *beatum te dicent omnes generationes, quia omnibus generationibus vitam & gloriam genuisti. In te enim Angeli lætitiam, justi gratiam, peccatores veniam invenerunt in æternum. Meritò in te oculi respiciunt omnis creaturæ, quia in te, & per te, & de te benigna manus omnipotentis, quidquid creaverat, recreavit.* Hæc S. Pater, planè divinè.

124. Uterus Mariæ medium terræ, ad quem omnes respiciunt.

Est ergo Virginis uterus mundi medium, umbilicus & centrum. Vt plenius ergo Dei clementiam hauriamus, ad illam concurramus, ut in ejus protectionis umbrâ requiescamus. Omnes lineæ concurrunt & colliguntur in centro: nos omnes benignissimo ejus sinu excipiamur. Ipsa tamquam sacra ara & asylum tuebitur omnes.

Ad matrem communem ut parvuli filii convolemus. Lib. primo Institutionum Imperialium Titulo 11. §. 10 dicitur. *Fœminæ, adoptare non possunt, quia nec naturales liberos in suâ potestate habent, sed ex indulgentiâ principis ad solatiũ liberorũ amissorum adoptare possunt.* Ita Lex Imperatoria. Igitur Virgini matri filio suo unigenâ per mortem avulso, alios liberos adoptare concessum est. Extat in sacro Euangelii codice hoc privilegium summi Imperatoris sigillo munitum: *Mulier: Ecce*

125. Dei Mater ex lege potuit filios adoptare quorum onera ad eam transeunt.

Ecce filius tuus. Sub cruce celebrata est adoptio: ad Mariam ergo juxta crucem stantem ut filii ejus adoptivi feltinemus.

Quidquid molestiarum, ærumnarum, onerum, debitorum nos prægravat, illa sublevabit. Non enim frustra Lex ista Iuri civili inserta est. *Onera ejus, qui in adoptionem datus est, ad patrem adoptivum transferuntur.* Eadem lex in Matre etiam locum habet, cui per prærogativam adoptare licuit. Cùm ergo mater data nobis est, nullum è familiâ suâ onerari, opprimi, concuti patietur. Ecclesia illam Advocatæ nostræ titulo prænotat, & honorat. Et jure quidem, cùm omnibus opis indigis ultrò, gratisq; patrocinetur.

126. Dei mater ex jure nostra est advocata, & quidem princeps.

Quamvis autem Iura vetent L. fœminæ ff. de Regulis Iuris, ne mulieres ad officium patrocinandi admittantur tam in civilibus quam criminalibus causis, conceditur tamen, ut in causis pupillorum, viduarum, pauperum & calamitosorum femina intercedat, & suffragetur.

Hoc autem Dei matris in cælesti curiâ singulare est, quod inter omnes divos ipsa præcipuum teneat locum, ut humani generis causam ante supremi Regis tribunal tueatur. Regina nostra Luna dicitur Cantic. sexto. Plinius verò lib. 2 cap. 99 de Lunâ scribit: *haud frustra spiritum sidus Lunæ existimari; hoc esse, quod terras foveret, accedensque corpora impleat, abscedens nutret. Ideo cum incremento ejus augeri conchylia, & maximè spiritum sentire, quibus sanguis non sit. Sed & sanguine hominem etiam cum lumine ejus augeri ac minui: frondes quoque ac pabula sentire: in omnia eâdem penetrante vi.* Virginis salutifero astro irradiante divinâ replemur gratiâ, spiritum de cœlo ducimus, abscedente verò, quasi spiritu destituimur, & occidimus.

127. Quare Lunæ similis.

Auctor quidam pietate & eruditione clarus, qui se Idiotam demissionis gratiâ vocat, lib. Contemplationum de Virgine cap. 5. alloquens eam, & nominis ejus præconia celebrans, inter alia sic infit. *Hoc nomen super omnia sanctorum nomina reficit lassos, sanat languidos, illuminat cæcos, penetrat duros, ungit agonistas, jugum Diabuli extrudit. Tantæ virtutis & excellentiæ est, ut ad ejus invocationem cælum videat, terra lætetur, Angeli congaudeant, Dæmones contremiscant, & infernus conturbetur. Dicitur* Prov. 20 ℣. 27 *Lucerna Domini spiraculum hominis, quæ investigat omnia secreta ventris. Sic etiam tibi dicere possumus. Lucerna Domina id est, Maria, quæ doctrix es magistra maris interpretaris spiraculum hominis, quia peccator per te respirat in spem veniæ & gratiæ.* Hæc pius ille scriptor non solum sanctè sed & argutè: q. d. Sicut animâ interceptâ, & halitu impedito homo vivere non potest; ita nec peccator vitam spiritualem agit è medio sublato virginis subsidio. Pari modo dixerat in suâ Threnodiâ cap. 4 ℣. 20 sanctus ille ab utero vates: *Spiritus oris nostri Christus Dominus &c.* Vt enim spiritu deficiente, & erepto, etiam vivere homo desinit, ita Christi gratiâ negatâ, intercipitur animi vita. Locum autem istum de Christo Patres accipiunt.

128. Dei mater hominis spiraculum & vitæ spiritualis causa. & signum.

Eodem spectat S. Germani Patriarchæ Constantinopolitani in homiliâ quadam de Dei genitrice illustris gnome: *quomodo*, inquit, *corpus nostrum vitalis signum operationis habet respirationem: ita etiam sanctissimum tuum nomen, quod in ore servorum tuorum versatur assiduè in omni tempore, loco & modo, non solum Lætitiæ & auxilii est signum, sed ea etiam procurat & conciliat.*

VERSVS XV, XVI & XVII.

Rursumque Esther hæc Mardochæo verba mandavit:

Vade, & congrega omnes Iudæos, quos in Susan repereris, & orate pro me. Non comedatis, & non bibatis tribus diebus & tribus noctibus: & ego cum ancillis meis similiter jejunabo, & tunc ingrediar ad regem, contra legem faciens, non vocata, tradensque me morti & periculo.

Ivit itaque Mardochæus, & fecit omnia, quæ ei Esther præceperat.

Hebraicè: Dixitque Esther ut responderet ipsi Mardochai.

Vade, congrega omnes Iudæos inventos in Susan, & jejunate pro me, & ne comedatis neque bibatis tribus diebus nocte & die: etiam ego, & puellæ meæ, jejunabo sic: & tunc ingrediar ad Regem, quod non est secundum legem, & quomodocumque peream, peream.

Et progressus est Mardochai, & fecit juxta omnia, quæ præceperat Esther.

Iosephus sic historiam prosequitur. Tum Esther non mutato nuntio jussit patruum Susis concionem Iudæorum convocare, & pro reginæ salute triduanum jejunium indicere: se quoque idem facturam pollicita cum ancillis domesticis, ac tum demum vel contra legem adituram Regem, & mortem etiam libenter perlaturam, si ita usus veniat. Paruit ille reginæ, & indicto suis publico jejunio, ipse quoque supplex Deum precatus est, &c.

COMMENTARIVS.

REgina Esther caritate populi sui ad necem destinati divinitus accensa, & patrui sui patriæ salutis studiosissimi iterata oratione vehementius etiam animata, totam se ejus voluntati, quam Dei existimabat, offert, & paratam se demonstrat non vocatam, ultro ad Regis basilicam accedere, lege quantumvis Persicâ, & confirmatâ consuetudine id prohibente; etiamsi certâ morte occumbendum foret. Dulce enim sibi suo periculo populi sui salutem redimere.

Quia tamen res ardua erat, quam aggrediebatur, & aliquid magnum sibi juvenculæ teneræ & imbelli audendum, obnixè flagitat, ut oratio-

nibus & jejuniis, aliisque in hujusmodi negotio vitæ asperitatibus adhiberi consuetis pro se Dei clementiam promereantur, cujus in manu sunt regum corda, qui illa nutu suo a furore in placabilitatem potest convertere. Itaque jubet convocatis Iudæis in Synagogam, qui Susis agebant, hoc, quod aggressura erat, novum facinus, significari, & præmitti triduanam inediam, polliceturque idem cum gynæceo familiaribusque ancillis suis se facturam, & sic quod animo præceperat, tentaturam.

Placuit Mardochæo inflammatum lectissimæ & sanctissimæ Reginæ studium & amor boni publici, quo ardebat & ipse, & omnes Iudæi tam Susis quam totâ Persidè agentes, eratque Estheræ præceptum nihil aliud quàm sponte currentibus calcar additum, ut quod ipsi inceperant, alacrius perficerent. Indixit itaque Mardochæus suo & Reginæ nomine Iudæis publicum & solenne jejunium, ut quod plerique privatim & sponte præstiterant, jam in commune peragerêt.

Ad singula jam oculos intendamus. Petit primò Esthera congregari omnes Iudæos Susis commorantes, ubi Septuaginta legunt ἐκκλησίασον, id est convoca, Iosephus verò dicit illam jussisse εἰς ἐκκλησίαν συναγαγεῖν id est in Ecclesiam, vel concionem cogi vel congregari: nec Hebræa hanc notionem respuunt, quæ significant convocandos illos in Synagogam vel domum Orationis, ut notat Serarius. Certum enim est Iudæos etiam tempore exilii & captivitatis suæ habuisse synagogas, Ecclesias, oratoria seu domos orationis, ad quas orationis publicæ causâ, & legis audiendæ gratiâ conveniebant, & id ipsum asserunt hîc Interpretes. Vocabantur autem hujusmodi loca, ad quæ concio vel cœtus Iudæorum conveniebant, non solùm Ecclesiæ vel synagogæ, sed etiam προσευχαὶ, Proseuchæ, quod ibidem proseuchæ, id est orationes à populo fundebantur. Sic Ecclesia, apud nos vocatur non solùm cœtus fidelium qui signo aliquo ad preces vel sacras conciones & conventus congregatur & evocatur, sed etiam ipse locus, ad quem conveniunt. Habes Iudith. 6 ℣. 21. *Convocatus est omnis populus, & per totam noctem intra Ecclesiam oraverunt.* Sic postea primi Christiani in suas Ecclesias conveniebant, in quibus præter jejunia consucta etiam in orationibus pernoctabant; unde nomen profluxit pervigilii & sacrarum vigiliarum.

Quod autem hujusmodi oratoria dicerentur proseuchæ tam intra quam extra Iudæam, probant sequentia. Iosephus in vitâ suâ. *Populus convenit in proseuchas, quam vocant precationis domum.* Philo in vitâ Moysis cap. 3. *Apud Iudæos destinata oppidatim sacris precationibus loca, quas proseuchas vulgus nominat.* Actor. 16 ℣. 13. *Die Sabbatorum egressi sumus foras portas juxta flumen. Ubi videbatur oratio esse, & sedentes loquebamur mulieribus quæ convenerant.* Græcè autem pro Oratio est προσευχὴ, proseucha, & accipitur pro loco orationis, sicut & oratio Latinè: sic cœnatio significat cœnaculum vel cœnationis locum, & concio etiam concionis locum: Meminit etiam Iuvenalis Satyra 3 loquens de Iudæorum conventiculis Romæ, hoc versu:

Ede ubi consistas, in quâ te quæro proseuchâ.

Est verisimile Iudæos à Mardochæo convocatos in hujusmodi unam vel plures proseuchas, Ecclesias vel synagogas, ad orationem & Dei invocationem, ut colligitur ex textu Græco & Iosepho suprà. Negat autem coactos fuisse Iudæos in unum locum Sanctius, quia, inquit, tanta congregata multitudo aliquam conjurationis speciem præbuisset, quod Mardochæo cavendum erat.

Sed hoc non obstat, non enim ambigere possumus, quin tam Susis, quàm totâ Persidè publicè Iudæi convenerint flentes & ululantes, suamque calamitatem deplorantes, ut patet ℣. ultimo cap. 3 hic, & cap. 4 ℣. 3. Deinde de ipso Mardochæo dicitur hîc ℣. primo, *quod in plateâ mediæ civitatis voce magnâ clamabat, ostendens amaritudinem animi sui, & hoc ejulatu usque ad fores palatii gradiens*: & in Græco & Iosepho dicitur, illum vociferatum fuisse; *Innocentes ad mortem rapi.*

Adde orationem communem eodem in loco habitam multiplicatis intercessoribus velociorem, copiosioremque Dei clementiam efficacius provocare. Vt enim ex multâ materiâ ardentior ignis accenditur, & ex multis lucernis lumen clarius refulget, & in pluribus armatis majus robur inest ad hostem profligandum; sic etiam validior vis ad impetrandum, in plurium oratione existit.

Sequitur: *Et orate pro me:* Textus alii, Græci, Hebræi, Chaldæi legunt: *Jejunate pro me*, quin etiam quidam textus Latini utrumque habent: *orate & jejunate pro me*; sed posterius omittunt Romana Biblia. Quidquid sit, bene advertit Cajetan. hîc, cum ait: *jejunium apud Deum quasi suffragium orat:* Deinde dirigebatur istud commune jejunium ad Deum exorandum, & satis constat illi conjunctam fuisse orationem, ut patet ex deprecatione Mardochæi cap. 13 ℣. 8, & ardentissima Estheræ oratione cap. 14 v. 3 & sequentibus.

Hic mos apud omnes insigni religione viros & feminas semper obtinuit, ut magnum aliquod, & quod ipsorum vires excederet opus susceptri, non solùm ipsi propriis se supplicationibus præmunirent, sed etiam aliorum sibi adjungerent, & adjungi postularent; ut hîc probat Feu-ardentius allatis exemplis Ezechiæ 4 Regum 19, Iosaphati 2 Paralip. 20. Daniel. cap. 2 & aliorum. Apostolus certè ereberrimè pro se aliorum preces flagitat, ut videre est ad Roman. 15 v. 30. *Obsecro vos fratres per Dominum nostrum Iesum Christum, & per charitatem sancti Spiritus, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum: &c.* 2 ad Corinth. 4, 11: *Adjuvantibus & vobis in oratione pro nobis:* 1 ad Thessal. 5, v. 21: *fratres orate pro nobis:* Ita & Iuditha heroicum illud ausura facinus contra Holofernem c. 8, sic ait v. 31 presbyteris Bethuliæ: *Orate ut firmum faciat Deus consilium meum*; & rursum v. 33. *usque dum renuntiem vobis, nihil aliud fiat, nisi oratio pro me ad Dominum Deum nostrum.*

Non comedatis, & non bibatis tribus diebus, & tribus noctibus. Explicat quale & quàm diuturnum exigat jejunium: vult enim illud per triduum & trinoctium durare, & constare continuâ inediâ. Excusatur verò tam rigidum & asperum jejunium ab omni imprudentiâ inquit Cajetan. propter instans gravissimumque periculum. Et certè non excedebat hæc abstinentia cibi & potionis admiranda in Euangelicâ lege virorum sanctitate præstantium, præsertim Anachoretarum

129. Habebant Iudæi etiam tempore exilii Synagogas & Oratoria.

129. Ecclesiæ illæ vel Synagogæ vocabantur etiam Proseuchæ, quod ibi orationes habebantur.

130. Verisimile Iudæos in eundem locum orationis convenisse, ut facilius à Deo impetrarent.

130. Sancti aggressuri rem magni momenti, suis orationibus etiâ aliorum jungi postulant.

Excusatur jejunium Iudæorum ab imprudentiâ ob imminens periculum.

rum jejunia; de quibus infra erit dicendi locus. Putat tamen Lyranus hic potuisse eos pauxillum aliquid delibare, quia parum pro nihilo computatur: Sed propter ejus dictum à verborum proprietate non recedendum.

Videtur tamen triduanum Estheræ jejunium per Synecdochen sumendũ more scripturæ quia pars pro toto accipitur: dicitur enim cap. sequenti ℣. primo, & cap. 15 ℣. 4 die tertio induta regalibus vestibus ad regem intrasse, & eodem die cum eo & Amano convivata ℣. 5.

131. Abstinentia Estheræ formam non minuit.

Et ego cum ancillis meis similiter jejunabo. Rarum hic plurimarum virtutum specimen in illustri feminâ elucet egregium rigidæ abstinentiæ decus in adolescentulâ tenellâ & delicatâ, quæ formam suam integram & illibatam Regi marito, quem ad clementiam flectere parabat, servare debebat. Sed meminerat Iuditham viduam juvenculam quotidiano jejunio, ciliciique gestatione, pulchritudine tamen non viduatam, Iudith. 8; immo verò Dominum illam ampliasse, *ut incomparabilis decore omnium oculis appareret. Contulerat enim ei Dominus etiam splendorem*, ibidem cap. 10. ℣. 4. Noverat Danielis & sociorum ejus post cibationem leguminum, & sobrium frigidæ potum *vultus apparuisse meliores & corpulentiores præ omnibus pueris qui vescebantur cibo regio*, Danielis primo ℣. 15. Proluxitas orationis & fervor oblivionem illi cibi & potionis inducebat, & ut rectè Glossa in tertium Tobiæ: *Solâ oratione pinguescit, quem macies corporis pascit.*

132. Estheræ virtutes.

Præterea, auctore Cajetano, ostenditur hîc magna Reginæ fiducia, quam conceperat de virtute & efficaciâ abstinentiæ; adde, & orationis præsidiis, quibus tamquam spirituali panoplia se obarmaverat.

Tertiò, eminet eximia erga populum suum caritas & amor patriæ, dum corpusculum suum excruciat & extenuat, ut illi bene sit; qui etiam magis refulget, dum seipsam mortis discrimini exponit, ut significat verbis sequentibus.

Postremo, ut Iudæos ad corporis maceratione̅m & supplicationem amplius accendat, dicit se idem facturam; & quidem non solam; spondet se ad eandem victus asperitatem etiam gynæceum suum, & familiares puellas inducturam. Non inquit, imponam vobis onus, quod ferre nolim. Ad ardua & honesta faciem præferam. In exempli mei luce ambulate. Præibo, sequimini. Absit, ut ego mihi & ancillis meis indulgeam, dum vos affligitis animas vestras.

sitsat, quicumque bibentem
Viderit, esuriat, pastum qui viderit esca.

133. Exemplo debet is qui monet præire.

Profert pro hoc Feuardentius hîc verba Tertulliani lib. de patientiâ. *Oportet constantiam commonendi propriæ conversationis auctoritate dirigere, ne dicta factis deficientibus erubescant.* Item S. Bernardi Sermone 59 in Cantica: *dabis voci tuæ vocẽ virtutis, si quod suades, prius tibi illud videris persuasisse. Validior operis quam oris vox: fac quod loqueris, & non solum me facilius emendas, sed te quoque gravis liberas probro. Non jam pertinebit ad te, si quis dicat: Tu qui alios doces, teipsum non doces?* ad Romanos 2.

Sed petes, quales fuerint hæ ancillæ, quas spondet Esthera secum etiam eamdem abstinentiam toleraturas, quæ genus, unde domo?

Nihil hîc explorati respondere possumus. Probabilius est omnes Persidas fuisse, sed operâ, oratione, conversatione, exemplo, & insigni Estheræ honestate, modestiâ, pudicitiâ ad veri Dei religionem, & vitæ etiam mutationem traductas, factasque proselytas. Ita omnes ferè Interpretes. Et hoc datur intelligi ex cap. 2 ℣. 9, ubi traduntur ei septem puellæ speciosissimæ vel pedissequæ de domo Regis.

Ancillæ Estheræ videntur fuisse Persides, sed ejus ope factas proselytas verisimile.

Fieri etiam potuit, ut aliquæ earum, quæ nondum ad veri Dei cultum trantierant, sed adhuc genticæ superstitioni adhærebant, ejus verbis & factis ad hanc continentiam majorem cibi & potionis fuerint excitatæ, utpote ad actionem honestam pro patriæ salute susceptam. Pronus enim est sexus ille ad hujusmodi temperantiæ exercitia. Et, ut Ninivitæ gentiles divinitus imminentem cladem suo jejunio, & habitu lugubri assumpto averterunt; sic & illæ Deum placare isdem functionibus potuerunt, ad quas tamquam pias & fructuosas Regina eas adhortabatur.

Credibile insuper est quasdam ex Estheræ gynæconitide puellas intimâ familiaritate illi devinctas fuisse Hebræas, quarum genus ignorabatur, quæ simul cum illâ adoleverant, & in Persidem natæ fuerant & educatæ, & ut Persides ab omnibus habebantur. Nec contra hanc opinionem quidquam solidi opponi potest. Si enim Esthera serva & captiva in Reginam evecta fuit, cur non aliquæ virgines ex eadem gente in palatium Regis adduci potuerunt, quæ eidem famularentur, eunuchis planè insciis, qui aliquamdiu & Reginæ & regiarum puellarum stirpem in incerto habebant?

Et tunc ingrediar ad Regem: q. d. orationibus & jejuniis publicis munita audebo ad regem ingredi.

Contra legem faciens. Videtur non factura fuisse contra legem; quia cap. 15 ℣. 13 dicit illi Assuerus: *Non morieris: Non enim pro te; sed pro omnibus hæc lex constituta est.* Sed de hac re eo loci videbimus. Quidquid sit, tenebatur Esthera pro communi salute populi se morti exponere.

Tradens me morti & periculo. Est Hendiadys usitata in scripturis, pro mortis periculo.

Porrò illa verba textus Hebræi: *Et quando peribo, peribo*: sic rectè cum Interpretibus exponas: Etiam si perire oporteat, libens mortem amplectar, vel quomodocumque me perire contingat, non recuso mori, offero me morti pro salute populi mei.

Dulce & decorum est pro patria mori;
Si pereundum est, me vel sic perisse juvabit.

Ardentissimâ ergo caritate se victimam offert Deo immolandam pro multis.

Hoc loco interponenda multa ex cap. 13 & 14 inferius.

Meminerit Lector hic interserenda ex textu Græco & Latino quæ habentur inferius cap. 13 à versu 8 usque ad finem, quibus continetur oratio Mardochæi, quâ deprecatus est Dominum pro incolumitate populi sui. Nam dicit S. Hieronym. se orationem illam reperisse in editione vulgatâ & Græcâ post illa verba: *Pergensque Mardochæus fecit omnia quæ mandaverat ei Esther*: quæ verba eundem sensum continent cum iis quæ capite 4 ℣. 19 hic: *Ivit itaque Mardochæus & fecit omnia quæ ei Esther præceperat.*

Notanda etiam sunt ea quæ leguntur sub finem capitis 13 ℣. 18: *Omnis quoque Israel pari mente*

mente & obsecratione clamavit ad Dominum, eò quòd eis certa mors impenderet. Ex quibus colligis, Lector, illo triduo fuisse publicam, & universalem jejunationem & supplicationem.

Præterea interponenda etiam hîc sunt, quæ leguntur in editione vulgatâ cap. 14, quo describitur partim religiosus apparatus, quo se Esthera armavit ad Dei misericordiam impetrandam, & Assueri animum in mansuetudinem convertendum.

Sequitur deinde ejusdem deprecatio ad Dominum.

Postremò etiam adjungendi hîc tres primi versus cap. 15, quibus summa continetur eorum, quæ hoc capite quarto rogavit Estheram Mardochæus per interruntium Athachum eunuchum.

Hæc omnia hîc cum textu Græco essent exponenda; sed quia postea in textu nostro occurrunt, ad majorem utilitatem Lectorum ea suo loco explicare proposui inferius.

Prima Digressiuncula:

Prolixitas & rigor jejunii olim à verè pœnitentibus, & viris, vitæ sanctimoniâ præstantibus, usurpata.

FRanciscus Feuardentius eruditus & pius hujus libri Interpres, hoc loco uberrimam digressionem inseruit de jejunio, ejus varietate, ritibus, usu & fructu; unde non exiguo nos labore levavit. Solùm de hoc duo attingemus capita, Primum quidem de ejus duritiâ, & diuturnitate, quæ in eodem observando veteres tenuerunt: Alterum, de ejus mirificâ virtute ad avertendas à Deo intentatas calamitates, & flagella ob peccata, jamjam impendentia.

Primum paululum deducamus, ab Esthera hîc c. 4 ℣. 16. *Non comedatis, & non bibatis tribus diebus, & tribus noctibus: & ego cum ancillis meis similiter jejunabo.*

Cetenùm videtur Esthera vestigiis institisse Ninivitarum, quos cruciabili suo jejunio meminerat excidii divinitus prænuntiati vindictam exiisse: valde autem credibile est publicum hoc & solenne, indictumque Ninivitarum jejunium triduum tenuisse, ita ut nec homines, nec jumenta quidquam cibi, pabuli aut aquæ gustarent per tres dies, ut S. Ioannes Chrysost. docet Homiliâ prima de Pœnitentiâ; & Clemens Roman. lib. 5 Constitut. c. 19. Fortè illos movit lectio Septuaginta Interpretum, qui habent Ionæ 3. v. 4, vatem proclamasse: *Adhuc tres dies, & Ninive subvertetur:* quam lectionem & Chrysostom. & plures alii Græci Patres sequuntur. Nos autem lectionem illam habemus pro vitiatâ, quandoquidem Hebræa, Chaldæa, Latina exemplaria constanter reddant: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur:* & ita etiam vertant Aquila, Symmachus, & Theodotion.

132. Per triduum jejunarunt apud Ninivitas homines & jumenta.

Nos nihilominus, quibus vulgata editio est sacrosancta, putamus Ninivitas per triduum à cibo & potu se abstinuisse; nec hoc modò, sed censemus, eos minis Ionæ attonitos, qui spatium illis dierum quadraginta præfinierat, quo vel ad Deum converterentur, vel everterentur, quadragenariam inediam & pœnitentiam continuasse; sic tamen ut certo tempore, v. g. quolibet die, ad vesperam, aliquid cibi & potionis sumerent, quò possent vitam fugientem sustinere, & in pio opere facilius perseverare. Nemo enim naturaliter tamdiu escæ expers vivere potest. Vide Cornelium nostrum Ionæ 3. ℣. 7.

Nihil itaque hîc dico de supra naturam jejunio vel Moysis vel Eliæ, qui divinis colloquiis & virtute pasti, Quadragesimam cœlestem peregerunt. Sed quid dicemus de S. Simeone Stylite sive Columnario, qui, teste Antonio ejus discipulo in rebus ipsius gestis apud Heribertum, cibum, quem simul cum fratribus accipiebat, tacitè pauperibus erogabat, fratres ergo ad vesperam, ille verò septimo die cibum sumebat: Erat ergo ejus jejunium hebdomadarium. Sed audi majora ex Theodoreto in Philotheo; ubi scribit eumdem Simeonem, magnum illud orbis miraculum, per annos viginti octo mansisse jejunum per dies quadraginta, quos sine cibo & potu transegit, ita ut perdius & pernox octoginta annos in columnâ eodem pede stans non tam homo, quam Angelus esse videretur.

133. S. Simeon Stylita primum per septem, postea per 40 dies jejunabat.

Sed in hunc Oceanum longius progrediamur. Scribit S. Nazianzenus de sui temporis monachis ad Hellenium, quæ sequuntur: *Alii ferarum ritu parvis, angustisque domibus inclusi, ne mortales quidem cujusquam vultum inspiciunt: ac sæpe etiam totos viginti dies, totidemque noctes, à cibo abstinent, dimidiaque ex parte Christi jejunium imitantur.* Hæc Nazianz. Sed pergit: *Vique nonnihil ipse gloriosæ prædicem, quidam illorum gregis mei ovis erat, hinc parvo quodam oppido egressus.* Et paulò pòst: *Est etiam, qui annos integros in templo stans, puras ad Deum manus expanderit, nec; quod vix cuiquam factum est vel tantillum obdormierit, sed vivi lapidis instar, Christo defixus fleterit ac velut obriguerit. Huic porro exigui cibi reliquias vicinus corvus impertiebat, panemque integrum, si forte duo simul essent, afferebat.* Hæc & plura ibi, de mirâ Monachorum tolerantiâ magnus Theologus.

134. Monachi quidam per dies viginti jejunaverunt integro anno, sine somno in templo stantes.

Quin & Lucianus, Christi & Christianorum flagellum, testis est in Philopatre, Christianos sic solitos Quadragesimæ observare jejunium, ut decem soles sine cibo transigerent. S. Augustin. epistolâ 86, ad Casulanum, tradit aliquos sibi notos, qui ultra hebdomadam perpetuum tenerent jejunium; & subdit à fratribus fide dignis se accepisse, ad ipsum quadragenarium numerum quendam abstinendo pervenisse.

134. Alii per decem dies jejunium extendebant, vel per hebdomadam & amplius.

In vitâ SS. Monachorum & Martyrum Epicteti & Astionis apud Heribertum in vitis Patrum lib. primo, sic traditur cap. 15. Latronianum tyrannum jussisse, ut ad carcerem, quo tenebantur, per dies triginta nullus introiret, neq; ab aliquo cibus potusque deferretur. *Sed ablata Christi de plenitudine verbi divini, & de illo pane, qui de cœlo descendit, quotidie reficiebantur.* Visitata verò fuisse apud Anachoretas quotidiana, biduana, triduana, & etiam hebdomadaria jejunia, ex eorum vitis exploratum est.

Jejunium in pane & aquâ.

Legendus S. Augustinus lib. 1 de moribus Ecclesiæ cap. 32, de Monachis, qui in duos, tres, quatuor dies jejunia protrahebant solo pane & aquâ contenti. Vide eumdem etiam cap. 33.

S. Athanasius scribit S. Antonium biduo vel triduo sæpe, & etiam quatriduo jejunia protraxisse,

132. Continuarunt insuper jejunium per quadraginta dies.

xisse. ante solis occasum cibo se non recreasse umquam, nullum obsonium præter salem ad panem adhibuisse, sitim aquâ extinxisse. S. Hieronymus auctor est B. Hilarionem continuum tenuisse jejunium. Accipe verba cap. 3 vitæ ejus: *Herbarum succo & paucis caricis post triduum vel quatriduum, deficientem animam sustentabat, &c.*

Idem scribens de Asellâ ad Marcellam ait, eam cùm per annum biduo, triduoque jejunaret, in Quadragesimâ tamen omnes pœne hebdomadas vultu lætante conjungentem, ita ad quinquagenariam pervenisse ætatem, ut non doleret stomachum, nec viscerum cruciaretur injuriâ.

136. Ritum Justiniani Imperatoris jejunium.

Procopius lib. 1 de ædificiis Justiniani, prodidit Justinianum Imperatorem duram in Quadragesimâ egisse vitam. *Per duos*, inquit, *dies cibis abstinebat, cibi appetens, vinum, panem, & id genus alia cibaria abesse voluit, brassicam solum & agrestes herbas sale & aceto maceratas edebat, in potu aqua erat sola: neque his ad satietatem utebatur, sed pestum cibum paulisper degustatum mox dimisit, non eo sumpto, qui naturæ satis erat.* Hæc ille. Ita jejunio armatus, Persas, Gothos, Wandalos, & alios barbaros superavit.

Auctor est Zozymas in vitâ S. Mariæ Ægyptiacæ, priscos Monachos per Quadragesimam in eremum secessisse, ut omnes habenas jejuniis & orationibus laxarent.

137. S. Franciscus tres Quadragesimas jejunabat.

S. Franciscus, ut habet in ejus vitâ S. Bonaventura, tres jejunio dicabat Quadragesimas, Paschalem unam, alteram in honorem Magnæ Matris, ante ejus Assumptæ in cœlum festivitatem, tertiam in honorem SS. Angelorum ante Dedicationem S. Michaelis, in cujus fine sacris stigmatibus Salvatoris nostri fuit insignitus.

137. Danielis à luxoribus abstinentia.

Vir desideriorum Daniel cap. 10 v. 3. de seipso testatur: *Panem desiderabilem non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum, sed neque unguento unctus sum: donec complerentur trium hebdomadarum dies.* Significat se in jejunio ciborum delectum habuisse, abstinuisse nimirum à pane candido, & lauto, usum verò vulgari, atro & siligineo, ut S. Hieron. explicat: vino & carne, ut rebus, quibus caro maximè nutritur & lascivit, sibi interdixisse.

137. Xerophagia veterum Christianorum.

Sic olim veteres Christiani Xerophagiam, id est, aridorum ciborum esum usurpabant, ut auctores sunt Tertullian. Cyprianus, alii. Apparuit quondam B. Lutgardi Dei genitrix, & dixit. *Assume lamentum, & continuis septem annis jejuna, ut sopiatur ira filii mei universo orbi imminens.* Ideo toto septennio ipsi pane & cerevisia contenta fuit. Lege vitam ejus apud Surium Iunii 16.

137. B. Lutgardis abstinentia.

137. S. Petri Apostoli.

S. Petrus Apostolorum vertex, ut Nazianzen. oratione de pauperum amore, continuum ferè egit jejunium, solis lupinis vescens minuto asse coemptis.

137. S. Matthæi.

S. Matthæus Apostolus, auctore Clemente Alexandrino 2 Pædagogi c. 2. oleribus tantum vitam toleravit, perpetuo abstinens à carnibus.

137. Item S. Iacobi.

Eandem abstinentiam à carnibus tenuit S. Iacobus Apostolus, ut ex Egesippo refert Eusebius lib. 2, Histor. Eccles. cap. 12. Idem ex Philone scribit cap. 17, Christianos Alexandriæ à S. Marco institutos, usum vini & carnium sibi denegasse. Vide plura apud S. Hieronym. lib. 2 contra Iovinianum, & epistolâ ad Eustochium de custodiâ virginitatis: S. Augustin. lib. 1 de moribus Ecclesiæ cap. 31, & 33: Chrysostom. homil. 59 ad Populum Antiochen. Item homiliâ 6 ad eundem: Nicephorum lib. 17 historiæ cap. 32. Viros porrò plurimos & etiam mulieres singulari abstinentia eximias collegit Hieremias Drexelius, in libello de Jejunio, quem Aloën inscribit. Vide lib. 1 cap. 3 & 11 & alibi. Hos imitantur tum alii viri variis ordinibus asscripti, tum inter primos Carthusiani, & qui institutum S. Franciscì de Paulâ sequuntur, qui quarto voto se astrinxerunt perpetuæ abstinentiæ à carnibus; & posteriores etiam totâ vitâ cibis, quibus in Quadragesimâ licet vesci, tantùm utendi.

138. Jejunium Ecclesiæ armatura.

S. Leo Sermone primo de jejunio Pentecost. *Illi Doctores*, ait, *qui exemplis & traditionibus suis omnes Ecclesiæ filios imbuerunt, tirocinium militiæ Christianæ sanctis jejuniis inchoarunt, ut contra spirituales nequitias pugnaturi, abstinentiæ arma rapuerint, quibus incentiva vitiorum truncarent.*

138. Jejunium virtutum basis.

Eusebius l. 2 historiæ, c. 16. ex Philone agente de primis S. Marci Euangelistæ discipulis: *Temperantiam*, inquit, *quasi quoddam fundamentum in animis suis jacientes, alia virtutum genera supra ædificant.* Vnde in more apud eos fuit positum, ut numquam cibo & potione ante solis occubitum se reficerent: & rationem dat Eusebius suprà: *Quippe studium arcanæ philosophiæ, cui se dedunt, luce dignum judicant; corporis verò necessitates esse tenebrarum, & proinde curando corpori tempus noctis & quidem perexiguum tribuere.*

Quare cibum non sumerent primi Christiani nisi post occasum Solis.

Argutè quondam protulit aureum Axioma Prior Ascetarum priorum decus, qui in Nitriâ degebant, cujus assuetudo erat ambulando cibum sumere: cuidam enim interroganti cur id faceret, dixit se non uti cibo ὡς ἔργῳ, ἀλλ' ὡς παρεργῳ, ut certum aliquod & animo destinatum opus faceret, sed quali aliquod levius atque supervacaneum, ut Socrates in historiâ prodidit lib. 4 cap. 18.

139. Sumere cibum est Parergum.

S. Nazianz. Oratione 20 memorat S. Basilii Magni suavissimam cœnam & opsonium fuisse panem & salem, potionem verò sobriam & tamen uberrimam, quam nobis sponte fontes profundunt.

S. Basilii cœna panis, sal, aqua.

Noverant illi omnes gravissimi Patris pronuntiatum S. Leonis sermone 4 de jejunio Pentecostes: *Agnoscat rationalis animus, majores deliciας mentis datas esse quam carni.*

Digressiuncula Secunda.

Iejunium scutum præstantissimum ad divini furoris nobis, peccatisque nostris intentata tela avertenda.

VVlgo etiam notum est jejuni hominis salivam esse salutiferam & vi medendi præditam: unde & testatur Plinius lib. 38 cap. 4 serpentem hujusmodi salivâ necari. Fortè etiam illa sit inter hominem serpentemque antipathia, & naturæ conflictus.

140. Hominis jejuni saliva salutifera.

Peculiariter hoc convenit jejunio, quod saluberrimum est alexipharmacum restinguendis venereis voluptatibus, & libidinis veneno curando. Optimè enim S. Cyprianus tractatu de jejunio & tentationibus Christi: *Jejuniis vitiorum sentina siccatur, petulantia marcet, concupiscentiæ languent, fugitivæ abeunt voluptates, extinguitur arden-*

141. Jejunium extinguit libidinem.

ardentis Ætnæ incendium, & flammivomi fornax Vulcani extincta, intrinsecus montes conterminos non adurit. Adde etiam, illud medicinam facere virosis & letalibus veteratoris colubri morsibus, quos animo nostro, cùm illi per peccatum consentimus, infligit, & infigit, quibus persanatis, à nobis arcet plagas, quas Deus scelcribus nostris proritatus inferre consuevit.

141. Sicut absynthio vermes corporis, sic jejunio necantur animi crimina.

Pharmacum est quidem amarum, & absynthio permixtum, sed hujusmodi potione scolyces sive vermes ventri & intestinis tormenta parientes, abigi & necari solent, ut ratiocinatur Magnus Cæsareæ Episcopus Basilius, Oratione primâ de jejunio. Verba illius sunt statim sub initium. *Sicut vermes, qui in puerorum intestinis germinant, pharmacis quibusdam vehementer acribus & amaris excutiuntur; ita peccatum in intimis secessibus habitans extinguit, enecatque, simulatque in animam supervenerit jejunium, ob hoc ipsum suo dignum nomine, quòd inedia purget animæ viscera.* Sic ille.

142. Jejunium tres pueros in igne reddidit puriores, instar lapidis Amianti.

Dicam etiam cum eodem homiliâ eâdem, jejunium nos præstare quasi ferreos & adamantinos adversus omnes, quas mundus vel dæmon ciet calamitates. *Est lapis*, inquit, *quidam ejus naturæ, (quem Amianton Græci vocant) ut inquinari non possit. Hic ab igni non vincitur, sed illi impositus videtur ignescere, & in prunam verti: rursus inde exemptus, perinde quasi fuisset aqua aspersus & candidatus, apparet purior: Hujusmodi erant trium illorum puerorum corpora apud Babylonios, illud jejunio consecuta, ut nullâ vi possent inquinari. Siquidem in vehementi fornacis flammâ, quasi naturâ fuissent aures, ita apparuerunt noxiâ vi ignis superiores: quin & auro potentiores declarati sunt: neque enim illos liquefecit ignis, sed integros, illibatosque servavit.* Vide eadem de Amianto apud Ambros. lib. de Eliâ cap. 7, Plin. lib. 37. c. 19.

Accinit suis Trimetris Christianus poëta Prudentius Cathemerinon hymno jejunantium:

Perfusa non sic amne flamma extinguitur,
Nec sic calente sole tabescunt nives,
Vt turbidarum scabra culparum seges
Vanescit almo trita sub jejunio.

Cetcrùm Dei iram vel maximè pœnitentiâ & jejunio restingui, apparuit in Ninivitis, Ionæ tertio, ut Patres tam Græci quàm Latini graphicè descripserunt, quos producit longo ordine Feuardent. Commentariis in Ionæ tertium ℣. 7 & 8.

Tertullian. inter veteres magistros eloquio & doctrinâ nulli secundus, libro adversus Psychicos cap. 6. sic scribit: *Jejunium iratum Deum homini reconciliat. Deliquerat Israel, ita statim delictum jejunio dilnit, ut periculum prælii simul fugerit.* 1 Reg. 7. *Cùm Samuel offerebat holocaustum, populus abstinuit, allophyli prælio admovebant, Dominus intonuit super allophyles, & confusi sunt, & corruerunt in conspectu Israelis, & ceciderunt pastos impasti, armatos inermes. Hæ erant vires jejunantium Deo, cœlum pro eiusmodi militat. Per hanc inediam etiam civitas peccatrix Ninive, de exitio prædicato liberatur.* Ionæ 3. *Sodoma quoque & Gomorrha evasissent, si jejunassent. Peccaverant enim abundantiâ panis & otio.* Ezech. 16. *Hoc remedium agnovit & Achab, cùm post transgressionem, idololatriam, & necem Nabuthæ, gravissima illi comminatus esset Eliæ, saccum carni suæ imposuit, & jejunavit.* 3 Reg. 21. *Tunc enim dixit Dominus: Non superducam læsuram in diebus ipsius, sed in diebus filii ejus, qui non erat jejunaturus.* Hæc ille.

Antiquior etiam ipso Clemens Romanus l. 5. Constitut. c. 19 adstipulatur.

Ninivitæ, inquit, *jejunio trium dierum & totidem noctium, impendens divinæ iræ periculum evaserunt.* Ionæ 3. *Esther, Mardochæus & Iudith, jejunio facto, malum, quod impij Holofernes & Aman Iudæis molicbantur, declinarunt.* Vide Esther 4. Iudith 6, & 8. Iosaphat Rex Moabitas oratione & jejunio stravit. 2 Paral. cap. 20.

143. Jejunio brevi sempiterna jejunia evadimus.

Bernard. sermone 4 de Quadragesimâ: *Pro eo*, ait, *quod jejunando ab ipsis quoque licitis abstinemus, ea nobis, quæ prius commisimus, illicita condonantur. Quid verò est condonari commissa, nisi jejunio brevi jejunia redimi sempiterna? Gehennam enim meruimus, ubi nullus unquam cibus; & dives guttam aquæ accipere non meruit. Bonum ergo est, & salutare sciamus, quo redimuntur æterna supplicia, dum remittuntur hoc modo peccata.* Hæc S. Bernardus.

Sed quibusdam de recentiore memoriâ exemplis productis, hoc argumentum stabiliamus.

Refert Baronius Annal. tomo 12, anno Christi 1124; ex Roberto de Monte, in Appendice ad Sigebertum, memorabilem historiam. Hoc anno Saraceni ob captum Balduinum redditi audaciores, mente excedentes undique versum evocati, ad quadraginta millia conglomerantur, ut Christianos à finibus suis exterminent, & apud Ascalonem impedimenta sua confirment, & commendent.

144. Christiani in terrâ Sanctâ jejunio etiam pueris & jumentis, more Ninivitarum, indicto, Saracenos prælio fernunt.

Christiani verò (in terrâ Sancta) in arcto positi, nihil spei, nisi in Deo habentes, exemplo Ninivitarum, utrique sexui jejunium indicunt, pueris etiam, lactentibus infantibus, universo quoque pecori pabula negantur. Dies pugnæ indicitur, procedunt Christiani cum militibus & peditibus vix ad tria millia æstimati. Principes gradiuntur in fronte, scilicet Patriarcha vexillo efferens crucem Christi, Abbas Cluniacensis Pontius præferens lanceam fixam in latere Christi, Episcopus Bethlehemites ferens in pyxide lac S. Mariæ Virginis. Saraceni verò quaquaversus effusi ex omni latere, in orbem circumcingunt Christianos, ne quis possit evadere. Dum ita in procinctu hærent Christiani, vident, Deo sibi auspice, splendorem, scisso aëre, super Paganos subitò cecidisse, sed non prosperum, verum satis noxium, quamvis hunc Saraceni ipsi non viderint. Illico enim omni robore enervati, passim fugientes cæduntur, non solùm à viris, sed etiam à pueris & feminis. Perierunt in bello septem millia, submersa sunt in aquis quinque millia, omnes verò Christiani incolumes reversi, summum & dulce Epinicium reboant Deo in excelsis. Hucusque apud Baronium Robertus. Addam & alterum quod accidit anno 1012 in Belgio nostro, prout memorant Ioannes Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii nonâ Maji, Ioannes Buzelinus Annalium Gallo-flandriæ libro quarto; & alii.

Fuit id temporis S. Macarius Antiochenæ sedis Patriarcha, nobilibus in Armeniâ natus parentibus, litteris & Christianis moribus illustrior. Hic cùm communibus suffragiis Ecclesiæ Antiochenæ præfectus fuisset, multosque annos Ecclesiam illam summâ cum laude gubernasset, non sine divino instinctu officii administrationem Eleu-

Eleutherio resignavit, & facultatibus suis, pauperibus distributis, quatuor cum discipulis loca sancta toto orbe celebrata perlustravit, nusquam non sanctitatis & virtutis suæ signa relinquens. Tandem in Belgium penetravit, & Mechliniæ, Cameraci, Tornaci quis quantusque esset, ostendit: novissime monasterium S. Bavonis juxta Gandavum ingreditur, ibique ab Eremboldo Abbate benignè excipitur. Fuit verò Gandensibus gratus & suspiciendus, cùm ubique meritorum & miraculorum gloriâ coruscaret, & etiam levis manuum ejus attactus morbos depelleret. Postquam autem annum unum plus minus eo loci egisset, sæva admodum Gandensem populum pestis invasit. Tanta autem erat vis morbi, ut plurimos mortales absumpserit; quo fiebat, ut vivi vix mortuis efferendis, sepeliendisque sufficerent. Conclamatum erat ubique: jamque nulla spes affulgebat adhibendi humanitus morbo remedii, cum quibusdam venit in mentem capessendæ per triduum mediæ. De communi ergo sententiâ per dies tres hominibus, jumentis, pecudibus jejunium indicitur, frequentique simul templa terruntur accessu, Dei, divorumque auxilium certatim omnibus rebus in desperatis flagitantibus. Cum autem B. Macarius multum, ardenterque pro populo oraret, commune etiam periculum cum aliis incurrit, & populari lue corripitur, prædicitque spiritu fatidico nullum, se præter duosque alios, deinceps illo morbi genere extinguendos. Quod & factum est. Nam à morte ejus liberata est civitas, adeo ut ipse videretur esse quasi piacularis quædam victima, susceptis in se peccata populi, & se offerens morti, ut illa expiaret, iramq; divinam averteret.

145. Pestis Gandavi triduano hominibus & bestiis indicto jejunio sedatur, cujus cessationem moriens prædicit S. Macarius.

Constat ex antiquis scriptoribus Servio, Suida & aliis, olim Gentiles solitos fuisse tempore publicæ calamitatis, immolare homines, quasi piaculares hostias, ad communem luem sedandam & numen suum placandum.

146. Gentiles olim ut malum à Repub. averterent quempiam ut hostiam piacularem morti exponebant.

Sic apud Massilienses, auctore Servio cùm pestilitas oppidum occupasset, unus è pauperibus, se offerebat alendum annum integrum publicis & purioribus cibariis, dein verbenis, vestibusque sacris ornatus, per urbem ducebatur cum diris & imprecationibus, ut omnia populi mala in eum devolverentur, itaque mactabatur, vel aquis immergebatur, & Neptuno dicabatur, quasi totius populi expiamen. Vide & illa formulâ devovebatur: *Esto piaculum nostrum, esto victima nostra: In caput tuum nostra piacula recidant.*

146. Sic mori paratus pro Gandensibus S. Macarius, & pro Iudæis Esthera.

Sic, ut simile vero est, beatus, nomine & re Macarius, se pro Flandriæ salute devovit, unum pro multis datum caput, & promeruit, ut sanitatis per ipsum recuperatæ per Flandriam diffuso beneficio, insignis omnium erga eum veneratio existeret.

Et, ut ad institutum nostrum redeat oratio: ita Esthera sponte obtulit animam suam mortis periculo, contra legem faciens, ut tamquam piacularis hostia pro Iudaici populi incolumitate immolaretur. Vide pro jejunio Esther S. Ambros. lib. de Elia & jejunio cap. 9, & lib. 3 Offic. cap. 15.

Carolus Magnus Imperator, auctore Reginone lib. 2 Histor. cum adversus Avares castra moveret, ad flumen Amisum toti exercitui triduanum jejunium imperavit, & feliciter pugnavit. Sic Otho Imperator, cum Hungaris prælio certaturus, totis castris inediam indixit, ut testatur Witichind. lib. 3 Histor.

CAPVT QVINTVM.

ARGVMENTVM.

Regina Esthera, cùm triduum in luctu, lacrymis, sordibus, inediâ & oratione consumpsisset, cœlestibus obarmata præsidiis, contempto mortis periculo, ad regem ingredi statuit. Induit ergo se cultu regio, & omnibus ornamentis ad benevolentiam Assueri conciliandam compositis, & ingressa omnia per ordinem ostia stitit se coram Rege, ubi ipse sedebat in throno aureo, trabeâ vestitus lapidibus pretiosis intertextâ. Cùm verò placuisset regi, & summitatem sceptri aurei osculo libasset, ab illo petiit, ut cum Amano ad se diverteret & convivaretur. Venit itaque Rex & Amanus ad Esthera epulum, & ab illo iteratò postulat, ut etiam postridie cum Amano non gravaretur adesse convivio; tunc enim se mentem suam Regi indicaturam. Interim cùm Amanus seipsum vix præ gaudio capiens domum rediret, videt Mardochæum æmulum suum sibi non modò non assurgentem, sed nec quidem loco motum. Excandescit furore, quem tamen ad tempus comprimit; exponit amicis suis convocatis & uxori potentiam & gloriam suam, honoremque quo Regina eum fuerat prosecuta, cùm se solum è tantâ purpuratorum turba ad convivium invitarit: Se autem ne flocci quidem illa omnia facere, quamdiu Mardochæus non flecteret sibi genu. Suadent omnes ut crucem excelsam statui curet, in qua Mardochæus Rege jubente figatur. Arridet Amano consilium & crux celsa erigitur.

TEXTVS.

DIe autem tertio induta est Esther regalibus vestimentis, & stetit in atrio domus regiæ, quod erat interius, contra basilicam regis: at ille sedebat super solium suum in consistorio palatii contra ostium domus. 2 Cumque vidisset Esther reginam stantem, placuit oculis ejus, & extendit contra eam virgam auream, quam tenebat manu: Quæ accedens, osculata est summitatem virgæ ejus. 3 Dixitque ad eam rex: Quid vis Esther regina? quæ est petitio tua? etiam si dimidiam partem regni petieris, dabitur tibi. 4 At illa respondit: Si regi placet, obsecro ut venias ad me hodie, & Aman tecum, ad convivium quod paravi. 5 Statimque rex, Vocate, inquit, cito Aman, ut Esther obediat voluntati. Venerunt itaque rex & Aman ad convivium, quod eis regina paraverat, 6 Dixitque ei rex postquam vinum biberat abundanter: Quid petis ut detur tibi? & pro qua re postulas? etiam si dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis. 7 Cui respondit Esther. Petitio mea, & preces sunt istæ. 8 Si inveni in conspectu regis gratiam, & si regi placet ut det mihi quod postulo, & meam impleat petitionem: veniat rex & Aman ad convivium quod paravi eis, & cras aperiam regi voluntatem meam. 9 Egressus est itaque illo die Aman lætus & alacer. Cùmque vidisset Mardochæum sedentem ante fores palatii, & non solum non assurrexisse sibi, sed nec motum quidem de loco sessionis suæ, indignatus est valde: 10 & dissimulata ira, reversus in domum suam, convocavit ad se amicos suos, & Zares uxorem suam: 11 & exposuit illis magnitudinem divitiarum suarum, filiorumque turbam, & quanta eum gloria super omnes principes & servos suos rex elevasset. 12 Et post hæc ait, Regina quoque Esther nullum alium vocavit ad convivium cum rege, præter me: apud quam etiam cras cum rege pransurus sum. 13 Et cùm hæc omnia habeam, nihil me habere puto, quamdiu videro Mardochæum Iudæum sedentem ante fores regias. 14 Responderuntque ei, Zares uxor ejus, & cæteri amici: Iube parari excelsam trabem, habentem altitudinis quinquaginta cubitos, & dic mane regi, ut appendatur super eam Mardochæus, & sic ibis cum rege lætus ad convivium. Placuit ei consilium, & jussit excelsam parari crucem.

VERSVS I.

Die autem tertio induta est Esther regalibus vestimentis, & stetit in atrio domus regiæ, quod erat interius, contra basilicam Regis: at ille sedebat super solium suum in consistorio palatii, contra ostium domus.

Hebraicè: Et fuit in die tertio, & induit se Esther regno (id est, regio vestimento) & stetit in atrio domus regis, interius contra domum regis, & Rex sedebat super solium regni sui in domo regni, contra ostium domus.

Iosephus res gestas, quæ capite quinto habentur, sic referre aggreditur.

His precibus solicitatâ per triduum divinâ miseratione, denuo regina mutat habitum, & sumpto cultu, qui reginam deceat, ad Regem venit, &c. Vbi Iosephus ex versione Græcâ recenset ea, quæ nos postea in nostrâ Latinâ vulgatâ editione legimus cap. 15, vers. 4, usque ad finem.

Nos consulentes commodo Lectoris, ut hactenus fecimus, ea quæ hîc desunt & peti debent ex capite 15, suo loco, Deo favente, explicabimus; & hæc cum illis connectemus.

COMMENTARIVS.

HOc versu primo describitur accessus Estheræ ad regem, quæ generoso ausu, pro patriâ non metuens mori, rem novam aggreditur. Vt autem Deus incepta illius secundaret, instruxerat se primùm divinis præsidiis humilis deprecationis, triduanæ inediæ, & habitus lugubris, quibus etiam totius populi conjungebantur supplicationes, jejunia, chamenniæ, & ad flectendum numen compositus cinerum & ciliciorum apparatus: Ne autem deessent etiam humana invitamenta, omni cultu regio se vestit, quo Regis benevolentiam sibi conciliet.

Itaque tertio die profecta est ad regem. Quæritur hîc, quomodo Esthera tribus diebus, & tribus noctibus jejunium servaverit, si die tertio ingressa ad Regem, illum invitavit ad convivium, & cum eodem convivata fuit, præsertim, si convivium illud prandium fuit, (non verò cœna) ut planè fuisse videtur, & nos infrà asseremus. Quomodo Esthera triduum expleverit jejunando, controvertitur.

Varii

Varii variè respondent. Cajetan. Mariana, alii ajunt tertium diem intelligi expletum, peracto videlicet jejunio: & explicant, tertio die, id est, post tertium diem.

Quidam accipiunt diem tertium à susceptо publico jejunio: potuit enim Esther commune hoc Iudæorum jejunium uno die prævenire, antequam omnibus Iudæis Susis degentibus illud indictum esset; & sic ad Regem ingredi, omnibus adhuc populanbus suis inedia se macerantibus.

Accipitur triduum illud Synecdochicè.

Sentio cum Saliano & quibusdam aliis, diem tertium accipiendum Synecdochicῶς, ita ut duos dies, duasque noctes integrè & solidè jejunaverit, & tertium diem non solidum. Vnde ajunt quidam inchoatum ejus jejunium à prandio diei primi durasse totum diem secundum, & solutum esse die tertio in prandio vel vespere illius diei. Sic accipitur illud Matthæi 12: *Sicut fuit Ionas in ventre ceti*, &c.

Et Christus fuit in limbo & sepulcro tribus diebus, à feriâ sextâ usque ad mane Paschæ.

Tenent Hebræi hunc diem tertium fuisse decimum quintum mensis Nisan, ita ut tertius fuerit à die, quo scriptæ fuerunt litteræ ab Amano, quibus cædes omnium Iudæorum totâ Persidе indicebatur. Sed hoc incertum est, & parum verisimile. Quis enim credat tam citò jejunium illud publicum ab Esthera & Mardochæo Iudæis mandari potuisse, cùm dies aliquot interceserint, antequam Esthera & Mardochæus internuntios mutuò mitterent, & remitterent?

Induta est Esther regalibus vestimentis. Ita etiam reddunt Septuaginta, quod Hebræa habent, induta est regno, id est, regiis vestibus, prout decebat ejus personam, quæ ad regnum assumpta fuerat.

Dicitur autem Esthem ingressa interius atrium, de quo supra cap. 4, vers. 11. in quo rex in solio aureo, sceptrum tenens aureum, considebat, cujus atrii una pars tota auro tecta & laqueata, altera verò sericis, auroque intertextis peripetalmatis, & pretiosissimis aulæis distincta & intersecta erat: quæ hîc dicitur, in Hebræo quidem, domus Regis vel domus regni, Græco autem & Chaldæo, domus regia, in Latino verò, Basilica, vel Consistorium. Vnde minus bene explicant hîc Stephanus Menochius & Emman. Sa, basilicam, palatium: quamvis enim Basilica significet palatium vel regiam, hîc tamen propriè accipitur pro loco peculiari vel tabernaculo seu papilione, in quo Rex residebat: distinctius hæc exponit Cajetan. Eadem, inquit, pars prius dicitur Basilica, deinde consistorium; Hebraicè autem significat domum, & ad literam, regium tabernaculum ex aulæis sericis vel aureis, quibus reges uti solent in locis publicis: & describitur rex sedens in hac domo contra ostium domus: tabernaculum enim domus Regis & regni vocatur, & in eo sedens Rex contra ostium domus lapidibus constructæ. Hæc Cajetan.

Tirinus verò exponit: è regione portæ, quâ in Basilicam intrabatur; unde Estheram intrantem Rex è solio videre poterat.

Corollarium Moratum.

Licere matronis connubio junctis exemplo Esthera convenienter ordini & dignitati suæ pretioso cultu se exornare.

Esthera nostra, *quæ*, ut cap. 2 dicitur ℣. 15, *non quæsivit muliebrem cultum*, &c. jam, quia ratio aliud dictabat, & necessitas perurgebat, regifico ornatu, glorioſis & decoris vestibus se induit, ut & hîc significatur, & latius explicatur cap. 15, vers. 4, ubi dicitur *circumdata gloriâ suâ, & ut regio fulsisse habitu*, &c. Noverat enim id, quod postea scriptum prodidit Apostolus prioris ad Corinth. 7, vers. 34: *Quæ nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.* Si regi superbo se stitisset sordidata, lugubri paratu amicta, minus compta & culta, putasset fastidiosus ille, & ad bilem facilis princeps, se contemni; adeoque illam, ut quondam Vasthi, repudiasset. Succurrebat illi & aliud; nimirum, virum suum uxorium esse, formâ, mundo, elegantiore comptu allici & capi.

Vt autem Regis animum sibi devinciret, & conciliaret, ipsa necessitas, & salus populi in extremum discrimen adducta, manum illi injiciebat, & tantum non cogebat: alioqui quis ignorare potest, quantum sanctissima illa anima & puritissima abfuerit ab omni fastu & vanitate; cùm coram Domino Cardiognoste proficeatur in Oratione suâ cap. 14, vers. 16. *Tu scis necessitatem meam, quòd abominer signum superbiæ & gloriæ meæ, quod est super caput meum* (diadema & coronam) *in diebus ostentationis meæ, & detester illud quasi pannum menstruatæ, & non portem in diebus silentii mei* (cùm videlicet mihi datur in gynæceo quietam manere.)

Ceterùm fas esse matronis, ut viris suis obsecundent & placeant, se dignas vestes assumere, ab Esthera argumentum sumit S. Augustin. Epistolâ 199 ad Ecdiciam hisce verbis: *De habitu atq; vestitu nihil sibi, præter ejus* (mariti) *arbitrium, mutandum vel usurpandum fuit; unde nihil divinitus legimus imperatum. Scriptum est quidem, mulieres esse non debere in habitu ornato, aut ique circumpositione & intortione crinium, & cetera hujusmodi, quæ vel ad inanem pompam vel ad illecebram formæ adhiberi solent, & meritò reprehensa sunt. Sed est quidà, pro modulo personæ, habitus matronalis à viduali veste distinctus, qui potest fidelibus conjugatis, salvâ religionis observantiâ, convenire. Hunc te maritus si deponere nolnit, ne te velut viduam ille vivente jactares, puto, quia non fuerat in hac re usque ad dissensionis scandalum perducendus, magis snobedientiæ malo, quam ullius absistentiæ bono. Quid enim est absurdius, quàm mulierem de humili veste viro superbire, cui te potius expediret obtemperare candidis moribus, quàm nigellis vestibus repugnare? Quia etsi indumentum monachæ delectabat, etiam hîc gratius posset, marito observato, exoratoque sumi, quam illo inconsulto, contemptoque præsumi? Quod si omnino non sineret, quid tuo proposito deperiret? Absit ut hinc displiceres Deo, quod conjuge tuo nondum defuncto, non indueretis, sicut Anna, sed sicut Susanna. Neque enim & ille, qui tecum jam cœperat custodire tam magnum continentiæ bonum, etiam si conjugale non viduale voluisset ut acciperes*

Conjugatæ mulieres volunrati maritorum se subjiciant in habitu honesto assumendo.

indumentum, ad indecentem quoque te compulisset ornatum. Quò & si aliquâ durâ conditione cogereris, posses habere in superbo cultu cor humile. Nempe apud Patres Esther illa regina Deum timens, Deum colens, Deo subdita, marito Regi alsenigenæ, non eundem secum colens Deum, tamen subjecta serviebat; quæ cum extremo periculo, non suo tantum, sed etiam gentis suæ, qui tunc erat populus Dei, Domino prosterneretur orando, in ipsâ oratione suâ dixit, ita sibi esse ornatum regium, sicut pannum menstruatem, & ita orantem exaudivit, qui cordis inspector, eam verum dicere scivit. Et utique maritum habebat multarum mulierum virum, & deorum alienorum falsorumque cultorem. Tu autem, si & ille in proposito, quod tecum susceperat, perduraret, nec à te offensus in flagitium corruisset, maritum habebas non solum fidelem, & verum Deum tecum colentem, sed etiam continentem; qui procul dubio propositi vestri non immemor, etsi ad conjugalia te cogeret indumenta, ad superba tamen ornamenta non cogeret. Hæc Augustin. arguens Ecdiciam, quæ in habitu suo mariti voluntati non obsequeretur. Vide eumdem Enarratione in Psalm. 51.

Esther & Mardochæus in purpura humiles.

S. Hieronym. assentitur Epist. 9. *Mardochæus & Esther inter purpuram, sericum & gemmas, superbiam humilitate vicerunt, tantique fuere meriti, ut captivi victoribus imperarent.*

Vide etiam Rupertum lib. 8 de victoria Verbi Dei, cap. 15, ubi demonstrat temperantiam in Esthera resplenduisse, dum in summo regni fastigio constituta, humilis & casta apparuit.

2. Iulia facetodicto ostendit, uxorem posse se marito elegantius ornare.

Extat apud Macrobium 2 Saturnaliorum c. 5. Iuliæ Augusti filiæ ad parentem acroama non inficetum, quo cultum elegantiorem non dedecere matronam sese viro adornantem ostendit. Ea cùm aliquando ob licentiorem cultum, & ambitiosiorem apparatum offendisset oculos parentis tacentis, postero die mutavit ornatus sui morem, & lætum patrem affectatâ severitate complexa est. At ille, qui pridie dolorem suum continuerat, gaudium continere non potuit. *Et quanto*, inquit, *hic in filiâ Augusti probabilior est cultus!* Non defuit patrocinio suo Iulia his verbis: *Hodie enim me patris oculis ornavi; heri, viri.*

Præfecti cultus muliebris.

Iulius Pollux lib. 8 scribit fuisse olim Athenis γυναικοκοσμίας ἄρχας, id est, muliebris ornatus præfectos, qui inornatas multabant, & multas illarum scribentes, ponebant apud platanum, quæ in Ceramico erat.

3. Ornat se Rebecca.

Accedunt ad hæc testimonia quædam ex sacris literis petita; Quorsum enim Rebecca Genes. 24 à servo Abrahæ accipit inaures aureas appendentes siclos duos, & armillas totidem, pondo siclorum decem, nisi ut se iisdem ornatiorem redderet?

3. Et Ruth.

Noëmi mulier sancta erat, & tamen, dum instruit Rutham quonam pacto ad nuptias Booz pervenire posset, dicit illi, Ruth. 3 ℣. 3: *Lavare & ungere, & induere cultioribus vestimentis.* Quod & ipsa fecit ℣. 6, ibidem.

3. Et Iuditha.

Annon & Iudith cap. 10, discriminavit crinem capitis sui, & ornamentis, quibus usa fuerat viro juncta, se amicivit, ut Holofernem deciperet?

3. Aliæ matronæ tempore legis veteris.

Exodi 35 ℣. 22, mulieres obtulerunt donaria Domino, ad cultum tabernaculi, armillas, inaures, annulos & dextralia. Similiter cap. 38, ibidem ℣. 8, factum est labrum æneum cum basi suâ de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi. Erant illæ fœminæ jam viduæ, quæ se Deo dicaverant, & dum matrimonio junctæ fuerant, ad judicium speculi crinem composuerant, corpusque ornaverant.

3. Ornatus sponsarum.

Ezechielis 16, ℣. 10 & sequent. Dominus per prophetam ostendit se Ierusalem tamquam sponsam sibi fœdere nuptiali junctam, condecorasse omni mundo muliebri: *Vestivi*, ait, *te discoloribus & calceavi te ianthino, & cinxi te byssо, & indui te subtilibus. Et ornavi te ornamento, & dedi armillas in manibus tuis, & torquem circa collum tuum. Et dedi inaurem super os tuum, & circulos auribus tuis, & coronam decoris in capite tuo. Et ornata es auro & argento, & vestita es byssо & polymito & multicoloribus.*

Quin verò Salomon mulierem matrem familias fortem, strenuam & industriam deprædicans, inter alia ejus encomia & hoc collocat: Prov. 31 ℣. 22. *Stragulatam vestem fecit sibi: byssus & purpura indumentum ejus.*

3. Mulier fortis byssо & purpurâ vestitur.

Canticor. primo v. decimo promittitur sponsæ à sponso: *Murænulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.*

Apud Isaiam cap. 3, minatur Dominus se ablaturum à filiabus Sion omnia ipsarum ornamenta, quarum seriem divinus vates ibi recenset.

Adde Danielem cap. 13, cum refert lectissimæ Heroinæ Susannæ pudicitiam & invictum animi robur, inter alia dixisse, quod illa præceperat ancillis suis ℣. 17, ut afferrent sibi oleum & smegmata, ut scilicet illis ablueretur & mundaretur, quia conjugata erat. Vocatur autem Græcè σμῆγμα, smegma, omne id, quod purgat, & sordes abstergit ἀπὸ τὸ σμήχειν, id est, emaculare, abstergere. Vide Plinium lib. 30 cap. 4.

3. Susanna adhibet oleum & smigmata ad corporis mundatiem.

Denique Apocalyps. 21, vers. 2, vidit Ioannes Ierusalem *novam, paratam à Deo sicut sponsam ornatam viro suo.* Nec damnant etiam pigmenta & fucos doctores in matronis conjugio sociatis, maximè ut occultent deformitatem, quam morbus, aut aliud quippiam adventitium peperit. Vide D. Thomam tum Commentariis in Isaiæ tertium, tum 2. 2. q. 169. a. 2. ubi inter alia loquens de conjugatis ad 4 argumentum, sic ratiocinatur. *Mulieres*, inquit, *licitè possunt se ornare, ut conservent decentiam sui status, vel etiam aliquid superaddere ut placeant viris.*

4. D. Thomas censet matronas formæ addere posse ornatum ut maritis placeant; nec facilè in excessu peccatum mortale est.

Proinde præclarè dixit S. Augustin. lib. 3 de doctrinâ Christianâ cap. 12. *In omnibus talibus* (vestibus, externarum rerum apparatu) *non usus rerum, sed libido utentis in culpa est.*

Habenda ergo matrona modesta, quæ in cultu corporis τὸ πρέπον sive decorum servat, prout ratio, locus, tempus, consuetudo, personæ conditio postulat.

Vnde etiam non facilè insimulandæ sunt conjuges criminis mortiferi, si capillaturâ fatili & adulterinâ, si purpurisso, stibio, aut cerussâ, si margaritis, & magni valoris monilibus, si intertextis & illusis auro vestibus se exorneat, licet sæpius vanitatis & curiositatis pulvere animos aspergant, non verò sordibus peccati gravioris collutulent. Sed hæc ad Theologorum exedras remittimus. Lector interim consulat Lessium lib. 4 de Iustitiâ cap. 4 Dubitatione 14.

Quod si cui votum sit, vel otium supersit, plura de

ra de ornatu mulierum discere, legat Andream Tiraquellum in tertiam Legem Connubialem. Addo hic sententiam Hyperidis Atheniensis Oratoris, quæ extat apud Stobæum Sermone 72. *Licet*, inquit, *uxori domi coram marito se exornare, ut libet; ornamenta verò, quæ illa sumit domo egressura, non ad maritum, sed ad alios spectant.*

Romanis etiam matronis purpuram & aurum fuisse in ornamentum concessa, tum plura alia confirmant, tum etiam calculo suo probat Valerius lib. 2, cap. 1. §. 5. his verbis: *Cæterùm*, inquit, *ut non tristis earum, nec horrida pudicitia, sed honesto comitatis genere comparata esset, indulgentibus maritis, & auro abundanti, & multâ purpurâ usæ sunt: & quò formam suam concinniorem efficerent, summâ cum diligentia capillos cinere rutilarunt.*

4. Romanis matronis auri & purpuræ usus concessus.

Exemplum Estheræ nostræ, tum aliæ matronæ principes, tum inter primas æmulata est nobilitate & religione præstans Maria Aurillota, cujus res gestas monimentis litterarum prodidit Andreas du Val, Theologiæ Doctor Parisiensis. Hæc cùm omnem mundum muliebrem, ambitiosum ornatum, baccata colli monilia, ascititiam comam, & hujusmodi mulierum vanitatem ex animo despueret, nihilominus, ut marito morem gereret, more aliarum domicellarum, ut jam loquimur, se comebat, & parabat, quantum fieri poterat, salvo conjugis honore, fugitans omnem luxum, superfluitatem & habitus novitatem, quâ Parisienses fœminæ capiebantur. Interim optabat quietem in aliquo Parthenone, ubi rudi, vili & simplice vestitu contenta, mentem suam virtutum multicolore vestitu sponso Christo amiciret; cujus votis Superi annuerunt post mortem conjugis, ut in vitâ ejus memoratur. Vt rarum fuit illud Estheræ decus, singularisque gloria sub lege priscâ, ita nunc multo rarior si mores matronarum nostrarum spectemus.

5. Maria Aurillota Estheræ vestigia secuta.

Exclamare jam liceat: *ô tempora! ô mores!*

Scripsit olim S. Hieronym. epistolâ ad Gaudentium de educatione Pacatulæ infantulæ, *Φιλόκοσμον* (id est, studiosum ornatus) *genus fœmineum esse, multasque insignis pudicitiæ, quamvis nulli virorum, tamen sibi libenter ornari.* Idemque ad Demetriadem, de virginitate servandâ, *ad corporis ornatum, cultumque ardere ac insanire studia matronarum.*

6. Matronæ ardent studio se ornandi.

Sed quanto equius jam dicere liceat, mulieres nostras ita splendorem, elegantiam, decorem indumentorum deperire, & eorum insano amore flagrare, ut corpus & animam, nedum patrimonia censusque deperdant.

Verè miseras quis dixerit, quæ se tot catenis, collaribus, manicis onerant potius quam ornant, dehonestant magis quam decorant, & sæpe sibi æternas miserias comparant, bis miseræ, quibus pro labore suo & molestiis, quas hîc subeunt, Deus gehennæ debitor est.

Nihil hîc de tempore dico, quod misellæ dilapidant, rem tamen pretiosissimam; quod cùm absumpserint, adhuc sibi inornatæ, aut minus ornatæ videntur.

Concludam verbis Plautinis: In Sticho sic loquitur Stephanium mulier:

Ita est ingenium muliebre,
Bene cum lauta, terſa, ornata, ſicta eſt, infecta eſt tamen.

Et in Pœnulo.

Negotii ſibi qui volet vim comparare: navem & mulierem,
Hæc duo ſibi comparato: nam nullæ magis res duæ
Plus negotii habent, eas fortè ſi exornare occeperis:
Neque unquam hæ duæ res, ſatis ornantur, neque eis ulla ſatis
Ornandi ſatietas eſt.

7. Navis & mulier numquam sat ornantur.

VERSVS II.

Cumque vidiſſet Eſther reginam ſtantem, placuit oculis ejus, & extendit contra eam virgam auream, quam tenebat manu. Quæ accedens, oſculata eſt ſummitatem virgæ ejus.

Hebraicè: Et fuit, cum vidisset Rex Reginam stantem in atrio, tulit (recepit) gratiam in oculis ejus, & extendit rex ad Esther sceptrum auri, quod in manu suâ erat, & accessit Esther, & tetigit in capite sceptri summitatem.

Supplenda hoc loco ex textu Græco, & nostrâ editione vulgatâ, quæ habentur cap. 15, vers. 4, & sequentibus; quæ etiam legit Iosephus lib. 11 Antiquit. c. 6, quomodo nimirum Esthera cernens regem terribili aspectu, & ardentibus oculis exalbuerit, collapsa fuerit, lapsumque caput super ancillulam reclinaverit; quomodo etiam Assuerus subitò Dei nutu mutatus, benignam mentem acceperit erga reginam, ulnis eam exceperit, donec spiritum reciperet, amico alloquio illi adblanditus; insuper auream virgam collo ejus imposuerit, oscula libaverit; bono esse animo jusserit, denique nihil prætermiserit officii, quod conjux erga uxorem, ut metum omnem deponat, exhibere solet aut potest.

COMMENTARIVS.

CVm Regis furor & gravis ira deferbuisset, & ex terrore Regina animum recepisset, verbis conjugis sui delinita, tunc acciderunt, quæ hoc versu dicuntur; ut enim nocte, tenebrisque repulsis lux auroræ jucundior, & ponentibus ventis serenitas & tranquillitas aëris mortalibus gratior, & nebulis detersis Phœbus cœlo lucet splendidior: sic etiam

roseus reginæ vultus, pallore recedente, nitentesque oculi magis regi placuerunt, unde in signum clementiæ, de quo dictum cap. 4, vers. 11, ad eum virgam auream extendit, quâ vita ei concedebatur. Illa autem regis placabilitate animata, accessit, & tetigit vel osculata est ejus summitatem. Hæc summa.

Circa litteram textus observa extensionem virgæ seu aurei sceptri fuisse hic argumentum clementiæ, quâ salus & vita concedebatur, ut constat ex cap. 4 suprà; unde poterat Esthera pronuntiare illud Davidicum Psal. 22. *Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt*, ait Serarius.

Extensio sceptri est aliquando signum jurandi.

Alibi extensio sceptri videtur fuisse signum jurisjurandi, ut idem ostendit hîc ex Aristotele, 3 Politicorum.

Sic apud Homerum Iliados primo Achilles per sceptrum jurat, vel ut aliqui volunt, per hastam, cujus verba versu latino expressit Virgilius lib. Æneidos 12, ubi Rex Latinus per sceptrum etiam jurat, &c.

Porro quòd Esthera dicitur osculata summitatem virgæ ejus, duobus modis potest exponi.

Quomodo tetigerit Esther virgam Assueri.

Primò, sequendo Latinum, prout sonat, ut verè osculo labiorum caput vel fastigium virgæ tetigerit, ut bene Cajetan. Expressit enim speciem contactus pro genere. Habetur verò Hebraicè & Græcè, tetigit generatim.

Osculatio sceptri fuit signum venerationis.

Fuit autem hoc osculum seu labiorum contactus indicium venerationis vel adorationis. Venerabatur enim Esthera in sceptro regiam dignitatem, & potestatem.

Sic Psalmo 2, ℣. 12, ℟ *Apprehendite disciplinam*, prout habet ex Septuaginta lectio vulgata, alii ex Hebræo reddunt, *Osculamini filium*, alii verò, *adorate*, quod idem est.

Sic Iacob adoravit fastigium virgæ Iosephi.

Fortè huc aptari potest illud Apostoli ad Hebr. 11, vers. 21, quod dicitur de Iacob: *Adoravit fastigium virgæ ejus*; scilicet Iosephi filii sui dominantis in Ægypto; Iacob enim se inclinando reverentiam exhibuit & veneratus est sceptrum & principatum Iosephi, eique supplicavit; fortè etiam summitatem virgæ ejus exosculatus, ut Esthera: licet eadem verba ex Hebræo sic legamus Genes. 47, ℣. 31, *Conversus ad lectuli caput*. De hac lectionis diversitate consulendi Interpretes ibidem locorum.

Esther osculatâ prius manu suâ virgam tetigit.

Secundò, insistendo versioni Chaldaicæ, quæ habet Estheram tetigisse manu, ita ut osculatâ prius manu suâ, virgam regiam tetigerit. Ita Mariana, & Em. Sa. Est autē is modus osculandi usu frequens, cùm osculatâ prius manu aliquid damus vel accipimus ab aliquo, vel apprehendimus vestem, &c. Est hoc etiam signum venerationis & adorationis. Sic explicant locum Iob 31, ℣. 27: *Et osculatus sum manum meam ore meo*: Nimirum adorando solem, *cùm fulgeret*, *aut lunam incedentem clarè*, ut præcessit. Solebant verò gentiles Deos suos manu prius ori admotâ venerari.

Allegoria Prima.

Christus virga aurea, quam Deus Pater per Incarnationem ad nos extendit.

Allegoricōs vel mysticè hæc aurea Assueri virga pro re natâ ad varia significanda duci potest.

S. Thomas Præfatione in Epistolas Catholicas, secutus Glossam, accipit pro Cruce sive passione Dominicâ, quæ tota fuit aurea, id est, charitativa. *Nihil enim*, inquit, *fuit maculæ in ipso Christo contractum, nec passibilitas contracta est, nec originale peccatum: nihil fuit peccati in ipso, actu; quia nec veniale, nec mortale, immo purè pro salute generis humani passus fuit. Nullius sanctè, cujuscumq; fuerit conditionis passio fuit tota aurea, quia in omnibus fuit passibilitas per originale contracta, & aliquod peccatum actu saltem veniale. Hanc virgam auream Dominus Deus Pater nobis extendit, quando ex charitate maxima, quam ad nos habebat, filium suum passioni exposuit, summitatem ejus virgæ Virgo beata tetigit, quando filium Dei in utero concepit & peperit, & sic dimidiam regni Dei partem impetravit, ut ipsa sit Regina misericordiæ, cujus filius est Rex justitiæ.* Hæc S. Doctor.

8. Virga aurea Crux & passio Christi, quam ad nos Pater extendit.

B. Maria tetigit virgam in Incarnatione filii.

Alii per hanc virgam auream intelligunt caritatem, quæ, ut aurum inter metalla primas tenet, sic illa inter virtutes.

9. Virga aurea est caritas vel perfectio vitæ Christianæ.

Quidam perfectionem vitæ Christianæ, quæ ferè eadem est cum caritate, quam Apostolus vocat *vinculum perfectionis*.

9. Virga aurea est recta incessus, vel obedientia.

Rursus nonnulli pro purâ mente sive intentione accipiunt, quæ, opera etiam ἀδιάφορα, & in se nullius pretii aut valoris, quasi inaurat.

Sunt etiam, qui obedientiam religiosam virgâ illâ aureâ significari putant, quæ functionibus nō modò virtutū honorificis & apud homines magnis, sed etiam abjectis & vilibus mercedem statuit: sicut aurum non solùm argentum, sed etiam æs, lapides, lignum exornat. Nos Vnigenitum æterni Patris hanc asserimus esse virgam auream.

10. Virga significat æquissimum Christi imperium.

Virga vel sceptrum significat ejus æquissimum imperium, & invictam potentiam. De hoc habes Psal. 44: v. 7. *Virga directionis virga regni tui*, vel, ut Apostolus legit ad Hebr. 1, ℣. 8. *Virga æquitatis virga regni tui*. Et Psal. 109, vers. 2. *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion*. Ex monte enim Sion incepit Ecclesia sive Christi regnum.

11. Aurum symbolum Christi divinitatis.

Aurum verò notat ejusdem divinitatem, de quâ dicitur in sacro Epithalamio Canticor. 5, vers. 11: *Caput ejus aurum optimum*. Quod verò caput Christi? Audi Apostolū prioris ad Cor. 11, v. 3. *Caput Christi Deus*. Est hoc caput aurū optimum, aurum obryzum vel ophirizum, solidum, purū, putum, mundissimum, lectissimum, coronâ aureâ ornatissimum. Vnde Vatablus locum illum Salomonis citatum sic reddidit: Cujus caput redimitum est auro obryzo. Quidam monile intelligunt incredibili splendore irradians. Quod non malè respondet verbis Psalmi 109, vers. 3: *Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum: ex utero ante luciferum genui te*. In splendidissimâ enim sanctitate principatus divinæ potentiæ effulsit, cùm ab æterno ex generatione virtute summi Patris tamquam ex utero processit.

12. Reges antiqui gloriabantur cæsarie.

Quondam fuere Reges, qui fulvi metalli mentis cæsariem suam rutilarunt, ita ut caput totum auri splendore radiare videretur.

Hunc decorem affectarunt Romani quidam Imperatores, ut Commodus, Lucius Verus, alii.

12. Et equites Salomonis.

Iosephus etiam lib. 8 Antiquitatum cap. 7, scribit Salomonis ephebos honorarios equis insidentes, qui ramentis auri capillos quotidie spargebant, ut ad solarium radiorum vibrationem

nem fulgor ex capitibus eorum reflecteretur.

13. Aurea barbaregis Perſarum.

Memorat etiam S. Chryſoſtom. homil. 7, in Epiſt. ad Coloſſ. regem Perſarum barbam habuiſſe auream; quod tamen non fiebat ſparsâ auri ſcobe, ſed bracteis auri tenuiſſimis, quæ pilis circumplicabantur, ut ibidem ipſe exponit.

13. Caput Chriſti hominis etiam aurum dicitur.

Aponius in locum Cantici ſuprà prolatum commentans ait, caput Chriſti eſſe fulgorem ejus divinitatis. S. tamen Gregor. Nyſſenus etiam caput hominis Chriſti aurum fuiſſe optimum interpretatur homil. 13 in Cantica, intaminatis, nimirum, fulgens honoribus, ab omni nævo puriſſimum, cœleſti pulchritudine perfuſum, aureum Sapientiæ domicilium, gratiſſimis oculis, ut aſtris coruſcantibus collucens, quod vultus non modò mortalium, ſed & immortalium ſpiritum in ſe convertebat, quod intueri pars beatitudinis meritò credi poterat in terris.

Omnia pulchra dicuntur aurea.

Scriptorum veterum loquendi more, & etiam vulgi conſuetudine, quidquid hoc in univerſo labis expers, decores eximium, gratiis dives, amabile, mirabile, & omnibus numeris perfectũ eſt, aureum pronuntiatur: Hinc apud Maronem, Venus aurea, apud Horatium verò legimus,

O teſtudinis aureæ
Dulcem quæ ſtrepitum, Pieri, temperas!

Sic nuncupamus mores aureos, mentem auream, aurea monita, virum aureum: unde eſt illud Lucretii:

Omnia ſic itidem ſeſe labimur aurea dicta.

Caput ergo Chriſti ob ſuam honeſtatem, ſymmetriam, elegantiam, decorem, fulgorem abſiſtentem, & univerſam perfectionem jure dixerit Sponſa aurum optimum, non Ophirizum aut Peruanum; ſed ſupramundanum, & divinum.

14. Chriſtus aurum ob ſplendorem.

Convenit & illa auri proprietas Chriſto, quà Deo, quà homini, quòd aurum claritate & fulgore omnibus metallis præſtet, unde & apud Latinos ab aurà, id eſt, ſplendore nomen accepit, & canit Poëtarum Princeps Æneidos 6:

Diſcolor unde auri per ramos aura refulſit.

Et auctor ſacer 1 Machabæorum 6. verſ. 39. *Refulſit ſol in clypeos aureos, & reſplenduerunt montes ab eis, & reſplenduerunt ſicut lampades ignis.*

Quid aurum obryzum?

Porro aurum fulgentiſſimum vocare ſolemus obryzum, quaſi ἀβρύζον, id eſt ſincerum, purum, igni percoctum & depuratum, quod ignem colore referat, ut Plinius loquitur, ut ſimili colore rubeat quo ignis, ipſumque obryzum vocant: licet alii cum S. Hieronymo velint aurum obrizum appellari ab Ophir, quaſi Ophiriſum, id eſt præſtantiſſimum.

15. Filius Dei aureus ob fulgorem ſuæ lucis puriſſimi.

Vis in ſymbolo auri agnoſcere nitorem & claritatem filii Dei? Audi Salomonem, Sapientiæ 7, verſ. 26. *Candor eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine maculâ Dei Majeſtatis*, id eſt: æterna Sapientia, ſive filius Dei, eſt candidiſſimus, clariſſimus, puriſſimus fulgor Dei Patris, in quo, velut in nitidiſſimo ſpeculo, ejuſdem gloria & majeſtas irradiat.

Quæ verba nobis exponit Apoſtolus ad Heb. 1, verſ. 3. *Qui cùm ſit ſplendor gloriæ & figura ſubſtantiæ ejus*, &c. Vbi filius adſtruitur eſſe ἀπαύγασμα ſive fulgor, vel id, in quo reſplendet gloria Patris. Vt enim ſol decorem & ſplendorem ſuum prodit in ſuis radiis; ita & Deus Pater in generatione filii ſui, ſuam claritatem & gloriam demonſtrat.

Licet autem, quæ protulimus ex Apoſtolo & libro Sapientiæ, propriè conveniant Chriſti divinitati; duci tamen etiam ſuo modo poſſunt ad ejus auream, rutilantiſſimam & formoſiſſimam humanam naturam, in quâ etiam refulſit ſplendor gloriæ & glorioſæ majeſtatis divinæ. Fuit enim auro divinitatis etiam humanitas tota inaurata. Nec illud à propoſito noſtro alienum eſt, quòd aurum pondere ſuo, omnia foſſilia metalla excedit, etiam plumbum, ut contra Plinium rerum magiſtra monſtrat experientia.

16. Etiam ſplendor divinitatis refulſit in Chriſti humanitate.

17. Chriſti divinitas aurum ob ſuum pondus.

Quis verò pondus divinitatis ferre unquam potuit? Ipſe Deus eſt, quem nemo ſuſtinet, cùm ipſe ſolus tamquam Atlas omnia ſuſtineat. Recte ſuprà Apoſtolus ℣. 3. *portans omnia verbo virtutis ſuæ*, id eſt, omne pondus creaturarum ſuo juſſu & potenti nutu ſuſtentat, tamquam natura omnia pondere ſuperans. Iſaias cap. 40 verſ. 12. *Quis menſus eſt pugillo aquas, & cælos palmo ponderavit? Quis appendit tribus digitis molem terræ, & libravit in pondere montes, & colles in ſtatera?*

Salomon Sapientiæ 11, ℣. 22. *Virtuti brachii tui quis reſiſtet? quoniam tamquam momentum ſtateræ, (minima inclinatio) ſic eſt ante te orbis terrarum, & tamquam gutta roris anteluccani, quæ deſcendit in terram.*

Aurum ductile & flexile.

Accedit huc, aurum facillimè attenuari, flecti & duci in minimas particulas. Conſulendus Plinius lib. 33. cap. primo & deinceps, uſque ad 6. Ducitur aurum in laminas, bracteas, fila tenuiſſima.

Eſt aurum ductile, netile, textile, pictile, potabile. Auro nihil laxius dilatatur, ait Plinius. Ab hac materiæ facilitate plurimus auro venit uſus & honor. Illinitur auro & inauratur argentum, æs, marmor, lignum, & quidlibet, aliud, denique auro ſcribimus.

18. Æterna Sapientia nobiliſſima & ſubtiliſſima.

Hæc auri propria conditio facilè Chriſto æternæ Patris Sapientiæ aptatur variis modis. Dicitur enim *in illâ* (libro Sapientiæ cap. 7, ℣. 22) *eſſe ſpiritus multiplex, ſubtilis, mobilis*: & verſ. 23: *Omnibus mobilibus mobilior eſt ſapientia: attingit autem ubique propter ſuam munditiam.* Rurſus ℣. 27. *Et cum ſit una, omnia poteſt: & in ſe permanens omnia innovat, & per nationes in animas ſanctas ſe tranſfert*, &c.

19. Chriſtus ut aurum ſe attenuavit in Incarnatione.

Hoc divinitatis aurum vel maximè ſe attenuavit in Incarnationis myſterio, quod Iſaiæ 10, ℣. 23 dicitur *Conſummatio & abbreviatio*; ſic ibi legis: *Conſummationem & abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ*: quæ verba Apoſtolus ad Roman. 9, ℣. 27 reddit: *Verbum conſummans & abbrevians in æquitate*, ſcilicet Deus eſt. Deus enim in illo Sacramento ineffabili Verbum conſummavit & abbreviavit. Sic intellexit S. Hieronym. ad Algaſeam, quæſt. 10: & S. Cyprian. lib. 2 contra Iudæos. *Verbum incarnatum*, ajunt, *eſt verbum ad hominis uſque naturam abbreviatum & exinanitum: ut quod cælo non capiebatur*, teſte S. Bernardo, *præſepio caperetur.* En aurum in pulverem redactum, in parvulum contractum.

20. Hujus typum geſſerunt Elias & Eliſeus cùm ſe contraxerunt ſuper pueros, quos à mortuis revocarunt.

Habes hujus typum tum in miraculo, quod edidit Elias in ſuſcitatione filii viduæ Sarephtanæ 3 Regum 17, ℣. 21, ubi expandit ſe, atque menſus eſt ſuper puerum; tum manifeſtius lib. 4 Regum, cap. 4; ubi Eliſeus ab inferis revocat filium Sunamitidis: qua de re habes hæc ℣. 34: *Incubuit*

buit super puerum: posuitque os suum super os ejus, & oculos suos super oculos ejus, & manus suas super manus ejus; & incurvavit se supra eum, & calefacta est caro pueri: &c.

Considera mecum, Lector, quomodo aurum divinitatis se demisit, inclinavit, exinanivit, se attenuavit, contraxit, abbreviavit, ut verbum caro factum humanam naturam in Christo inauraret.

Infero hîc verba S. Augustini ex sermone 206 de Tempore, ad nostrum propositum pertinentia. *Descendente de monte Eliseo, filius viduæ huic vitæ redditur*; (errore lapsus est S. Augustinus cum hanc Sunamitidem viduam vocat, forte illâ confundens cum viduâ Sarephtanâ;) *descendente de cælo Christo populus gentium suscitatur. Puer Eliseus* (is erat Giezi) *typum habuit Moysi, misit enim eum Deus cum baculo in Ægyptum; sed baculus sine Christo flagellare Ægyptum potuit: de originali vel actuali peccato liberare non potuit. Nihil enim inquit Apostol. ad Hebr. 7, ad perfectum adduxit lex; opus erat, ut qui baculum miserat, ipse descenderet. Inclinavit se Eliseus, ut puerum suscitaret; humiliavit se Christus, ut mundum in peccatis jacentem erigeret. Eliseus se contrahit, ita & Christus parvulum se fecit: inclinavit se medicus, quia jacentem volebat erigere. Septies oscitat puer, quia septiformis Spiritus Sancti gratia in Christi adventu homini tribuitur.* Ita S. Augustin.

De eodem sermocinatur Doctor melliloquus sermone 16 in Cantica: *Christus inclinavit se jacenti, coæquavit se parvulo, cæco contulit lumen oculorum, os mutum oris proprii osculo solvit, debiles manus suarum roboravit contactu, fide & intellectu genus humanum instruxit, mortuo signum pacis & reconciliationis impressit, inspiratus spiritum vivificantem: exemplum præbuit manibus suis bonorum operum, & docuit manus nostras ad prælium.*

Idem sermone præcedente 15 ostendit alios, qui nomen Iesu prætulerunt, fuisse quasi baculos, præmissos ab Eliseo, qui non potuerunt populum salvare à peccatis eorum.

21. Auro nihil per ignem perit.

Cum tanta sit auri facilitas & mollities, ut flectatur & ducatur, formeturque ad quælibet tegenda & ornanda, incredibilis tamen ejusdem est firmitas. Sic de illo suprà Plinius: *Auro rerum uni nihil igne deperit: tutò etiam in incendiis, vestisque durante materiâ. Quinimmo quò sæpius arsit, proficit ad bonitatem.*

22. Nec Christi divinitati per passionem.

Quis neget hoc in Christo habere locum? in quo cùm tot, tamque acerbis cruciatibus arserit humanum corpus, nihil tamen pati potuit divinitatis, nec tangi tormentis: Quin verò humiliatus & exinanitus homo à Deo est exaltatus, & meruit sibi *nomen, quod est super omne nomen.*

Proprietates auri.

Nihil hic dico de auri puritate & munditie, nihil de virtute ejus in remediis, vulneribus persanandis, nihil de auro potabili ad vitam propagandam præ aliis utilissimo. Nihil de naturæ in eo prodigiis. Nihil postremò de ejus valore & æstimatione supra argentum & etiam uniones, saltem in usu ad quotidiana commercia, in quibus numi aurei pretium rebus dant, non margaritæ aut gemmæ. Plura, quæ hùc conferas, sufficiet Plinius locis à me productis.

Hæc virga extensa in Incarnatione.

Hanc virgam auream Deus Pater extendit in filii sui Incarnatione (cujus summitatem osculata est virgo Nazaræa) idque pro signo clementiæ, ut genus humanum posset vivere, Esther 4, 11. Explicat hoc Christus apud Ioann. cap. 3, v. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.* En tibi, Lector, extensio virgæ aureæ. Tu Christi verba interim etiam mente tuâ extende & perpende.

Allegoria Altera.

Virga θεοτόκος & Virga aurea, quam Deus pro signo clementiæ erga homines extendit.

ITa mecum exponunt viri religiosi, qui in laudem Virginis Matris tractatus spirituales conscripserunt.

Antonius Spinellus in Throno Dei, cap. 24, n. 10, sic ratiocinatur: Virgo parens est virga aurea Assueri, qui ex Hieronymo libro de nominibus Hebraicis in Danielem, idem sonat, quod beatitudo, cujus virga, ut habetur Esther 4 extensa à Rege in signum clementiæ contra eum, qui non vocatus atrium ejus interius ingrediebatur, vivebat, alioqui statim interficiebatur. Eodem etiam modo ait S. Antoninus 4 parte, titulo 15. c. 24 §. 4, malè nobiscum per mortem accessuris ad Deum ageretur, propter multa nostra demerita, nisi virginis preces clementiam à Deo Patre misericordiarû impetrarent. Et Petrus Damiani sermone de Assumptione: *In virgine virgâ & baculo Cruce miserorum spes & consolatio continetur, sicut sublimis propheta clarâ voce declarat,* Psalm 22. *Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.* Hactenus Spinellus.

22. Sceptrum symbolum potentiæ, aurum caritatis.

Virga quidem sive sceptrum nota hieroglyphica est apud omnes populos regiæ potentiæ & dominatus; aurum autê tessera sacra est in divinis codicibus clementiæ & caritatis. De sceptro multa à nobis variis locis commemorata sunt.

Aurum verò symbolum esse aureæ caritatis & ignitæ, vel unicus ille locus convincit Apocal. 3 vers. 18. *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum, ut locuples fias,* &c.

Ita enim ibi interpretantur eruditi enarratores, Beda, & alii. Qui hoc aurum sibi comparavit defæcatum, igne purgatum ab omni pravâ cupiditate, locuples meritò est, & dicitur, quia quamvis aliis humanis opibus careat, & etiam gratiis gratis datis, abundè dives est; egentissimus verò, si hoc coronario auro destitutus sit, ut liquet ex Apostolo prioris ad Cor. 13 v. primo & sequentibus.

23. Deipara sceptrum Orthodoxæ fidei.

Primus inter eos quos legerim, qui virginem θεοτόκον sceptrum nuncupavit, fuit sapientiâ & religione spectabilis Cyrillus Alexandrinus Antistes, qui eum hoc elogio compellat Homiliâ sextâ contra Nestorium. *Tu*, inquit, *es pretiosa margarita orbis terrarum, tu lampas inextinguibilis, corona virginitatis, sceptrum Orthodoxæ fidei*; &c.

Et meritò S. Doctor contra Nestorium hæresiarcham Philippicam declamans, virginem Deiparam sic salutavit, quam impius ille sacrilego ore non θεοτόκον, sed χριστότοκον tantummodo dicendam blasphemabat. Siquidem nunquam magis, quàm tempore Concilii Ephesini Maria de impietate tamquam Augusta & Regina triumphavit. Tunc prostratâ teterrimâ hæresi omnium ore laudata, prædicata, proclamata est Mater Dei Maria. Tunc coronidis loco & lemnisci vice additamentum illud accepit Angelica

24. Numquam magis regnavit S. Maria quàm tempore Concilii Ephesini.

Salu-

Salutatio: *Sancta Maria mater Dei ora pro nobis, etc.*

25. Studium Pulcheriæ Augustæ in cultu Deiparæ promovendo.

Tunc Pulcheria Augusta virginitatis nobile monile, cujus studium in propugnandâ fide Catholicâ adversus novum Nestorianæ pestis errorem semper enituit, excitavit amplissimum Marianæ victoriæ monimentum, veluti fornicem triumphalem, erigens nimirum sub nomine Dei genitricis Mariæ magnificentissimum templum in Blachernis juxta mare positum Constantinopoli: cujus exemplo excitati sunt fideles, ut in diversis orbis partibus etiam eidem Victrici Virgini templa molirentur, factumque est, ut licet frequens antea esset illius cultus, post hæc tamen divino excitante Spiritu, frequentior fuerit atque celebrior; vixque quispiam reperiretur, qui absque titulo Dei genitricis, sanctam Mariam nominaret.

26. Nestorius Dei Matris inimicus.

Tunc temporis ipsa inimicum suum Nestorium (sic illa eum vocat apud Sophronium Prati spiritualis c. 66, nolens Abbatis Cyriaci cellam ingredi, quia ibi habebat libros Nestorii inimici sui) sceptro suo vel virgâ potius ferreâ, tamquam vas fictile confregit.

27. Cur Dei mater sceptrum fidei Orthodoxæ?

Sed cur Regina nostra Sceptrum dicitur Orthodoxæ fidei? An quia, si fides Orthodoxa tamquam Regina penicillo colonaretur in tabulâ, vel cælo scalperetur, Virgo ei appingenda foret, tamquam sceptrum, quo Ecclesiam moderaretur: Num, quia omnes Orthodoxiæ proceres ejus sceptro parent, ab ipsâ doctrinam, animos, vires, accipiunt, omnem armaturam & panopliam fortium mutuantur? De antiquis illis fidei nostræ propugnatoribus Leone, Cyrillo, Cælestino & aliis dubitare non possumus, qui cùm illam Filii Dei matrem asserrent, simul gravissima & prima religionis nostræ mysteria contra ejusdem perduelles confirmarunt. An etiam, quia, ut de Nestorio dicere occeperam, ipsa Dei Parens omnes Mariomastigas & Antidicomarianos sceptro suo subjecit, subjugavit, profligavit, quemadmodum de illâ pleno choro cantat Ecclesia: *Gaude* (Epinicium carmen modulare) *Maria virgo; cunctas hæreses sola interemisti in universo mundo?*

Semper scopus ipsa fuit, in quem linguarum suarum venenata tela fidei sinceræ Antagonistæ conjecerunt, sed retusa sunt, confracta sunt, in Virginem tamquam petram immissa, in ipsos torquentes eorumque capita sunt retorta. In eam linguam suam impio toxico armavit Nestorius, sed retulit ab ebullientibus vermibus corrosam & depastam, ut Euagrius lib. 1 cap. 7. Niceph. lib. 14 cap. 36.

28. Ipsa hæreticorum scopus.

Qui hoc potentissimo & justissimo sceptro regi volens detrectat, nolens ab eo ut rebellis conteretur.

Quamvis verò sceptrum symbolum sit potestatis & dominatus, quo debeant improbi & scelerati cives coërceri, significat nihilominus etiam regiam potentiam & severitatem clementiâ temperandam: baculus enim, quale est regale sceptrum, sive virga, non solum ferit, sed & sustentat. Hinc & illud Vatis regii: *Virga tua & baculus tuus* (quibus me regis & pascis) *ipsa me consolata sunt.* Hinc in arcâ fœderis vel tabernaculo, non modò erat Aaronis virga, quâ Christi & etiâ Virginis regalis auctoritas & imperium designabatur, sed etiam Manna, ut mellea panis Angelici dulcedo severitatem virgæ temperaret.

In arca erat simul Virga & manna, & quare?

In Allegoriâ præcedente de auri proprietatibus plura in medium adduximus: Maximè autem conveniunt caritati ac misericordiæ Virginis, quæ de auri fulgore præ cæteris metallis, & de ejusdem mollitie ac ductili facilitate materiæ, expressa sunt.

Quid enim amabilius aut gratius esse potest miseris mortalibus Virginis misericordiâ & benignitate? Quid dulcius, magisque optandum afflictis, ejusdem facilitate, & humanitate? Si Apostolus ad Corinth. scribens de se commemorat, & verè prædicat priore epistolâ c. 9. 22. *Omnibus omnia factus sum*: quanto verius hoc de se profiteatur Virgo aurea, Virgo mellea, virgo lactea, mater gratiæ, mater misericordiæ? Sentit hoc ante me S. Bernardus ejusdem Virginis Φιλόσοφος, & ardentissimus amator, qui ita Sermone, qui inscribitur, *Signum magnum. Quid ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? Nihil austerum in eâ, nihil terribile, tota suavis est, omnibus offerens lac & lanam. Revolve diligentius Evangelicæ historiæ seriem universam, et si quid forte increpatorium, si quid durum, si quod denique vel signum tenuis indignationis occurreret in Mariâ, de cetero suspectam habeas; & accedere vereatis? Quod si (ut vere sunt) plena omnia pietatis & gratiæ, plena mansuetudinis, & misericordiæ, quæ ad eam pertinent inveneris, age gratias ei, qui talem tibi mediatricem benignissimâ miseratione providit, in quâ nihil possit esse suspectum. Denique omnibus omnia facta est, sapientibus & insipientibus copiosissimâ charitate debitricem se fecit, omnibus misericordiæ sinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi, captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, Angelus lætitiam, denique tota Trinitas gloriâ, Filii personæ carnis humanæ substantiam, ut non sit qui se abscondat à calore ejus. Putasne, ipsa est sole amicta mulier?* Et paucis interjectis. *Id planè non inconvenienter videtur Mariæ tribuendum, Nimirum ea est, quæ velut alterum solem induit sibi. Quemadmodum enim ille super bonos & malos indifferenter oritur, sic ipsa quoque præterita non discutit merita: sed omnibus sese exorabilem, omnibus clementissimam præbet, omnium denique necessitates amplissimo quodam miseratur affectu.* Hæc cultor eximius Virginis. Quibus aptius nihil ad propositum nostrum de auri splendore & ad quælibet facilitate dici potuit.

29. Dei matris misericordia.

Gerson tractatu 4 super Magnificat secutus S. Thomam & alios, Dei Matri applicat illud, quod hoc cap. 5 habemus, v. 3. *Quid vis Esther regina? quæ est petitio tua? Etiam si dimidiam partem regni petieris, dabitur tibi.* Sic ergo disserit: Regnum Dei duobus continetur; potestate & misericordiâ juxta illud Psalmi 61, 12. *Duo hæc audivi, quia potestas Dei est, & tibi, Domine, misericordia:* potestate igitur Deo remanente, misericordiam communicavit matri, sponsæque regnanti; ideòque Virgo quodammodo divisum cum Deo imperium habet, ac propterea ab Ecclesiâ Mater & Regina misericordiæ dicitur. Rursum Bernardus Sermone quarto de Virginis Assumptione, multis extollit ejusdem clementiam, ubi inter alia: *Sileat*, inquit, *misericordiam tuam, virgo beata, si quis est, qui invocatam te in necessitatibus suis sibi meminerit defuisse: nos quidem famuli tui cæteris in virtutibus congaudemus tibi; sed in hoc*

30. Dei Mater dimidium regni divini obtinet, scilicet misericordiam.

potius nobis ipsit ; Laudamus virginitatem , humilitatem miramur ; sed misericordia miseris sapit dulcius, misericordiam amplectimur carius, recordamur sæpius, crebrius invocamus. Hæc ille.

Verè aurea vel potius aurum Maria, cujus clementiæ veluti aureo imbre excipiendo certatim omnes etiam intimos pectoris sinus expandere deberemus.

31. Maria omnibus facta omnia.

Omnibus omnia facta Maria ; Sitis te urit & urget ? Maria vena vitæ, puteus aquarum viventium. Fames te cruciat & ferè enecat ? Maria Manna est , immo Mannâ dulcior , teste S. Ambrosio in Psal. 21, *quia est subtilis & splendida, suavis & virgo , quæ velut cœlitus veniens , cunctis Ecclesiarum populis, cibum melle dulciorem defluxit.* Te circum omnia nigrescunt tenebris ? Maria stella est, lux est, Luna est, electa ut Sol, quæ quaquaversus suæ lenitatis & benignitatis radios diffundit. Navigas hoc mundi undabundum & procellosum mare ? En tibi Maria candida Helice, & salutaris Cynosura, lucidum sidus, quæ semitam in mediis fluctibus ad portum æternæ vitæ aperit. Methodius Oratione in Hypapante ipsam titulo hoc honoris insignit , δαδοῦχον τῶν πιστῶν, *fax fidelium*. Egestas te onerat & infestat ? Maria, teste Origine Homil. primâ ex diversis , *cœlestis thesaurus est divinitatis.* Doctus Idiota

32. Maria fidelium fax. cœli Thesauraria.

in suis de eâ Contemplationibus, eamdem vocitat *cœli Thesaurariam.* Indiges gratia ? Ipsa est , quæ invenit gratiam apud Deum , non tibi solum , sed toti mundo , ut quæ ante conceptum virgineum gratiâ plena fuerat, nobis etiam fieret superplena. Ipsam salutat S. Ioannes Damascenus (qui & illam sospitatricem & Pœoniam ejus dexteram expertus fuerat) πέλαγος τῶν χαρίτων; *gratiarum pelagus.* Inermis inter hostes versaris tam spectabiles, quàm eos qui sub aspectum non cadunt ? Ipsa adversus eos *terribilis est , ut castrorum acies ordinata* ; Cantic. 6 ℣. 9. Ipsa ibidem cap. 4 ℣. 4 arma tibi subministrabit. Sic de eâ ibi canitur. *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex eâ, omnis armatura fortium.*

S. Bernardo familiaritate conjunctissimus Arnoldus Carnotensis in tractatu de laudibus Virginis , qui habetur tomo 6 Bibliothecæ SS. Patrum. *Habet*, ait , *homo mediatorem causæ suæ Filium ante Patrem, & ante Filium Matrem. Christus Patri ostendit latus & vulnera : Maria Christo pectus & ubera. Nec potest ullo modo esse repulsa , ubi concurrunt & orant omnis lingua disertius hæc clementiæ monimenta, & charitatis insignia.* Sic ille. *Virgo est, quam didicit miseratio dicere matrem.*

VERSVS III, IV, V, VI, VII & VIII.

Dixitque ad eam rex : Quid vis Esther regina? quæ est petitio tua ? etiam si dimidiam partem regni petieris, dabitur tibi.

At illa respondit : si regi placet, obsecro ut veniat ad me hodie , & Aman tecum ad convivium, quod paravi.

Statimque rex , Vocate, inquit, citò Aman, ut Esther obediat voluntati. Venerunt itaque rex & Aman ad convivium, quod eis regina paraverat.

Dixitque ei rex , postquam vinum biberat abundanter : Quid petis ut detur tibi ? & pro quâ re postulas ? etiam si dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis.

Cui respondit Esther : Petitio mea , & preces sunt ista :

Si inveni in conspectu regis gratiam, & si regi placet, ut det mihi quod postulo , & meam impleat petitionem : veniat rex & Aman ad convivium quod paravi eis , & cras ageam regi voluntatem meam.

Hebraicè : Dixitque ei rex : Quid tibi est Esther regina ? & quæ postulatio tua ? usque ad dimidium regni , & dabitur tibi. Dixitque Esther : si super rege bonum (si placet regi) ingrediatur rex & Haman hodie ad convivium quod feci ei. Dixitque Rex : festinare facite ipsum Haman ad faciendum verbum Esther : & venit rex , & Haman ad convivium quod fecerat Esther. Dixitque rex ad Esther in convivio vini. Quæ est petitio tua, & dabitur tibi, & quæ inquisitio tua ? usque ad dimidium regni pete , & fiet. Et respondit Esther & dixit : petitio mea & inquisitio mea est : Si inveni gratiam in oculis regis, & si super rege bonum (si regi placet) ad dandam petitionem meam , & ad faciendam postulationem meam ; veniat rex & Haman ad convivium quod faciam eis, & cras faciam juxta verbum regis.

Iosephus commemoratis iis , quæ nos habemus cap. 15 à v. 4 usque ad finem (quæ & hîc inserenda sunt & suo loco à nobis explicanda), hæc tantum habet ad rem nostram spectantia. Rex paratum se quidvis gratificari pollicetur , vel si dimidium regni sibi deposceret : Esthera autem hoc tantum rogavit , ut ad cœnam sibi paratam conviva cum Amane amico veniret. Quod cum annuisset, amboque venissent, inter pocula uxorem jubet dicere quidnam peteret : nihil enim non impetraturam , etiam si regni partem cuperet : illa in crastinum se differre petitionem dixit , si modo liberet ei redire cum Amano ad convivium : id verò libenter Rex annuit, &c.

COM-

COMMENTARIVS.

CVm Assuerus jam secundò Esthèram animo deficientem blando alloquio, & conjugalis amoris signis fuisset consolatus, illaque animum ex timore collegisset, ipse vero in throno resedisset, putans reginam magnum aliquid & insolitum petituram, quandoquidem præter morem non vocata ad adyta palatij fuit ingressa fuerat, benevolentiâ singulari, & effusâ liberalitate offert se ad quidlibet largiendum, etiamsi dimidium imperii sui postularet. Illa prudenter, quod sibi præ omnibus rebus in votis erat, dissimulans, solummodo rogavit ut Imperator cum aulicorum Alpha Amano conviva sibi fieret. Annuit ipse conjugi gratificari volens, alioqui sponte suâ ad convivandum plus æquo propensus, ut constat ex Historiæ serie.

An fuerit promissio Regis vera, an solum aulica?

Cæterùm circa pollicitationem illam regis, quâ dimidium regni Persici offert, controverti potest, an verè & candidè juxta verborum sonum intelligenda sit, an vero hyperbolicè, aulicè, & more Principum, qui cum gratificare alicui statuunt, hac aut simili verborum superjectione uti solent.

Videtur fuisse ex animo, & vera.

Veram fuisse probant tum, quod tertiò eâdem formulâ usus sit, hoc capite bis; ℣. 3 & 6. & cap. 7 ℣. 2. tum quia *Amor vinumque nihil moderabile suadent.* Liber liberaliter haustus homines liberales efficit, & hoc percussi semper agunt Liberalia. Assuerus autem sicut abundanter vinum biberat, ita etiam abundanter & effusè promittebat. Accedebat amor in conjugem, in cujus non minus quàm in Liberi erat potestate. Corporis Reginæ compositio ad omnem elegantiam expressa, & præcipuè ejus animus, in quo domicilium fixerant Charites, quæ ex ore, fronte, manibus refulgebant, mentem Assueri ad se rapuerant. His omnibus stimulum etiam majorem subdebant, præcedens Esthèræ pallor, exanimatio, iterata deliquia, mortis quasi vicinitas, quam rex non plane frustra formidabat. Quam cùm revixisse, & respirasse conspexisset, & ardentiore affectu ferebatur & pollicita crebrius repetebat; quæ ut servaret, etiam impellebat promissi tenax Persarum Regum consuetudo, à qua majorum more procul abesse debebat levitas & dictorum factorumque inconstantia.

Videtur tantum fuisse aulica & civilia.

Contrà autem, ostendunt hunc loquendi modum civilem tantum fuisse, & commodè accipiendum tum alia; tum quia solent reges, cùm omnes sinus munificentiæ regalis quasi expandere & thesauros effundere volunt, his verbis promittere; signum enim tunc est magnum aliquod & regiâ largitate dignum concedere in animo illis esse, v.g. civitatis aut provinciæ alicujus administrationem, amplum aliquod vectigal ex quadam regione colligendum &c. ut infra clarius patebit. Sic legimus Herodem Tetrarcham saltatriculæ illi scorti matris filiæ tantumdem jurejurando interposito addixisse, Marci 6 ℣. 23, licet Matth. 14 ℣. 7 solum habeatur: *cum juramento pollicitus est ei dare quodcumque postulasset ab eo.*

Circa litteram pauxilla discutienda veniunt. ℣. 4. *ad convivium quod paravi.* Hebr. ad convivium, quod feci ei: יין verò *ei* aliqui ad Amanum referunt, ut Ioan. Mariana. Sed res ipsâ docet ad Regem hoc spectare. Septuaginta habent; quod faciam hodie. Quamvis verò dissentiant Interpretes in eo, num convivium illud fuerit cœna an prandium, & cùm nec ex Hebræo, nec ex Latino quidquam certi colligatur, & Iosephus primum convivium cœnam vocet, Aman verò hîc ℣. 12, secundum prandium: *Apud quam etiam eras cum rege prandsurus sum*, inquit: Nihilominus ut suprà insinuavimus, omnino dicendum videtur cum Saliano, Menochio & aliis, utrumque convivium fuisse prandium seu meridianum epulum: quod inde vel maximè confirmatur, quod quæ utroque die post cibum sumptum gesta fuerunt, admodum difficulter ac ne vix quidem in vespertini temporis angustias constringi potuerint, immo nec illo tempore talia fieri consueverint: Nam à prioris diei convivio, quod non exiguum spatium temporis implevit, cùm in eo strenuè fuerit potatum, rediit domum Aman, convocavit amicos, expositit illis magnitudinem divitiarum suarum, consultavit cum eis de modo Mardochæum perdendi, denique decretum factum de eodem suspendendo, eoque fine excelsa erecta crux; Ab altero postriduano epulo ultima hujus historiæ catastrophe peracta est. Siquidem auditâ conspiratione Amani adversus Iudæos Rex iratus in vicinum palatio hortum secedit, revertitur, & cùm reperisset Amanum super lectulum Esthèræ triclinarem corruisse, curat illum agi in patibulum, quod Mardochæo paraverat.

Verumque convivium fuit prandium, non cœna.

Nec nos movere debet, quod unus Iosephus hoc, quod Hebraicè & Latinè convivium vocatur, dixerit cœnam. Siquidem cœna plerumque nuncupari solet opiparum & regale epulum, ut etiam Serarius, qui quæstionem hanc in utramque partem disputat, fatetur, adferens ad propositum parabolam Euangelicam Matth 22 & Lucæ 14. ubi idem convivium & cœna vocatur apud Lucam, & prandium apud Matth. ubi & nuptiæ. Eandem porro parabolam esse apud utrumque Euangelistam multi Patres existimant, & utroque illo vocabulo cœnæ & prandii significare convivium nuptiale apud Septuaginta. Esthera causam reddit cur illo potissimum die Regem & sympotam illius Amanum invitaret, quia, ἡμέρα μοί ἐστιν σημερόν ἐστι: *dies hodierna*, inquit, *est mihi præclara, notabilis*, quasi festus, quod explicans Serarius, inquit, quoniam si quod proposuerat animo ad votum suum flueret, dies erat gratiarum actionis; sin autem aliter, dies erat futurus Martyrii.

Cœna dici solet quodlibet opiparum epulum.

Dies illius convivii erat insignis & quasi festus Esthèræ.

Nota insuper, quòd ubi Latinus habet: *postquam rex vinum biberat abundanter*, Hebraicè sit; in convivio vini; unde S. Hieronym. sensum secutus est, non verba. Cæterùm non malè reddidit Iosephus, inter pocula, quod intellige, non de potione aquæ fluvii Choaspæ, quâ uti solitos ante retulimus Persarum reges, sed de potu vini, quod Regi præbuisse Esthèram credibile est, ut illum exhilararet, itaque promptius ejus petitioni annueret. Vsos verò Persarum reges non paulo abundantius haustu meri, quam sobrio potu aquæ, declarant tum alia, tum insignis ipsorum

temulentia, de quâ aliàs fusius egimus: & quia rex Assuerus, quicumque tandem ille fuerit, largioribus meri poculis seipsum invitabat, ut constat & hic, & cap. primo ℣. 10, ubi dicitur: *Cum Rex esset hilarior, & post nimiam potationem incaluisset mero*; & iterum cap. 7 ℣. 2, *postquam rex vino incaluerat*. Observa præterea quod habemus in textu Latino ℣. 8: *veniat Rex & Aman ad convivium quod paravi ei*, Hebraice & Græcè esse, quod faciam, quod sim paratura. Vnde hîc potest esse Hebraismus, quod paravi, pro, quod parabo, præteritum pro futuro, vel *quod paravi*, proposui & jussi parari. Postremò, pro eo quod habemus, *eras aperiam regi voluntatem meam*, Hebraicè habetur; faciam juxta verbum regis, id est, quod rex vult, & ego pariter volo.

Dissertatio Prima.

Cur Esthera petitionem distulerit in tempus secundi convivii.

PRudenter, ut omnia, monet Sirachides Ecclesiastici quarto ℣. 23: *Conserva tempus*, Græcè συνήρησον καιρόν, quod reddi potest, observa temporis opportunitatem. Est enim καιρὸς idem quod εὐκαιρία, id est, tempus commodum & opportunum, quod Latinè occasionem dicimus, quæ teste Tullio libro primo de Inventione, est pars temporis habens in se alicujus rei idoneam faciendi opportunitatem. Cùm verò istius loci scripturæ variæ extent enarrationes, præ ceteris tamen mihi placet hæc, quæ est Pauli Palacios: Observa attentè quando tibi loquendum sit pro gloriâ Dei, salute tuâ vel proximi, & sic multa peccata evades, quod subjicit sapiens: *Et devita a malo.* Sic enim nihil committes contra conscientiam, quæ & ipsa dici solet συνήρησις, *synteresis*, q.d. attenta observatio.

33. Observanda temporis opportunitas in omni negotio.

Servavit præceptum Esthem antequam illud calamus Sirachidæ exarasset, haud dubiè inspirante Deo, qui illi precibus infimis supplicanti, & inediâ corpusculum attenuanti hanc temporis occasionem captandam suggesserat, quando Assuerus cum sympotâ suo Amano secundò apud illam epulaturus esset: tunc fore mollia fandi tempora, cùm Rex nihil magis in votis haberet, quàm votis uxoris satisfacere.

Rationes cur Esthera postulationem suam in tempus secundi convivii distulerit.

Interpretes hîc plures congerunt rationes, cur expedierit in illud tempus petitionem Estheræ protrahi.

1 Prima esse potest, quòd tempore primi convivii nondum erat expletum triduanum Hebræorum jejunium, publica oratio & conclamatio ad divinum Numen propitiandum. Cupiebat verò sanctimoniâ præstabilis Heroina summi momenti negotium aggredi, præmunita validissimis & spiritualibus copiis, quibus Deum flecti & permoveri ex sacris libris probè noverat.

2 Secunda est: quòd hac ratione Regina sagaciter pervidebat se magis, magisque favorem, gratiamque mariti sui demeriturum iteratâ ad dapes invitatione; desiderium Regis, quo flagrabat, magis etiam inflammandum; quod dilatum amplius augetur.

3 Insuper Rex tanto firmius suo promisso obligabatur, ne videlicet in parte negare auderet, quod jam generatim obtulisset. Cavere enim Principes solent, ne vel levitatis & imprudentiæ, vel fidei violatæ arguantur. Vnde notat Salianus lapsum esse Salomonem 3 Reg. 2, ℣. 20, cùm Bethsabeæ generatim concessit petitionem, quam in specie cognitam revocare oportuit: Longè vero prudentius egisse Christum, qui matri filiorum Zebedæi postulanti à se quippiam, prius ab illâ petiit: *Quid vis?*

Postremò, solet aliquando cunctatio & dilatio (si circumspectè & attentè, consulto supplicite Numine, ut fecisse Estheram constat, singula negotiis tractandis adjuncta ponderentur) maximum rebus momentum & emolumentum adferre; hoc est enim, *festinare lentè*, quod Latini dicunt, rem maturare seu maturè transigere: Vnde proferunt hîc expositores illum vulgarem versiculum:

Poscere si quid vis, quamvis properabitis ambo,
Differ, habens parvæ commoda magna moræ.

Rabbi Salomon, quem sequuntur Liranus & alii, ait solum Amanum etiam secundò vocatum cum rege ad convivium, ut illi apud alios proceres invidiâ conflaretur.

Crediderim ego potius Amanum idcirco à Reginâ accitum, ut illum coram Rege accusaret, & si posset, objectum crimen dilueret, quod quia non potuit periit. Non enim erat Esthera par aulicis quibusdam odio, & invidiâ æmulorum rabescentibus, qui clam multa principum auribus insusurrant quæ probare non possunt. Rupertus, lib. 8 de victoriâ verbi Dei, hanc Estheræ prudentiam commendat cap. 18, 19, 20, 21. Sic scribit cap. 18: *Iam prudentia Estheræ spectabilis ad laudem Dei prædicanda est. Fecit enim tam prudenter, ut dictante spiritu sapientiæ fecisse non dubites: & sicut de beato Ioseph dictum est*, Psal. 104, *Eloquium Domini inflammavit eum: ita de istâ quoque veraciter dicas: Eloquium Domini inflammavit eam. Dicenti enim Regi: Quid vis Esther? etc.* cap. 5. *non statim dixit petitionem suam, non confestim aperuit voluntatem suam, sed ad convivium utrumque invitavit, amicum & inimicum, Regem & Aman. Prudenter providebat illic aperire inimicitias, unde effugere non posset hostis homicida. Sed nec in primo convivio rem aperuit, dimisitque hostem mortis destinatum unius diei malâ securitate perfrui, & de magnitudine divitiarum gloriari, jactantem atque dicentem: Regina Esther nullum alium vocavit*, hîc ℣. 12. *Illum utique male securum, regem autem magis benevolum, magisque fecit attentum; invitando etiam illum in diem alterum ad convivium cum Aman. Feram immanem, ursum furentem, ut tradat ad supplicium, allicit ad edulium, ne prius audias famem, quam subeat pœnam; ne prius videas foveam, quàm incidat in eam, prudens & sciens commodius esse, feram comprehensam intus opprimi, quàm exterritam & per saltus fugientem cum canibus dubio eventu insequi.* Hactenus Rupertus.

Esthera prudentia à Ruperto commendatur.

Dissertatio Altera.

Rara Monarcharum Persidis liberalitas.

MVnificentiâ Artaxerxis Persæ, plus vice simplici, Reginæ Estheræ alteram imperii sui partem ultrò offerentis, nobis viam aperit, ut paucula de beneficâ largitate Persarum principum ex veterè memoriâ promamus. Xerxes Megabyzo captâ Babylone tum alia multa, tum molam

34. Liberalitas Xerxis in Megabyzum.

molam auream sex talenta pendentem donavit, quod apud Persas omnium regiorum munerum est pretiosissimum. Ita Ctesias in Persicis, & alii. Multa prodidit Herodotus lib. 3, de Darii largitate in Democedem medicum captivum, quem, cùm tibiâ graviter laborantem curasset, duobus aurearum compedum paribus donavit. *Cùm verò regem interrogaret Democedes; numquid ideo se duplici malo remunerandum putaret, quòd ab eo sospes effectus foret, delectatus hoc dicto Darius ad suas uxores hominem misit, quarum singulæ auream phialæ thecam suffringentes, Democedem donaverunt tam amplo munere, ut famulus qui sequebatur, excidentes ex percussione phialarum flateres colligens, non parvam auri summam coëgerit.*

Item Darii in Democedem.

Athenæus lib. 1, c. 27, scribit civitates à Persiarum regibus concessas.

Cæterùm maximè ad institutum nostrum spectat, quod Herodotus refert extremo libro 9 de Artayntâ Xerxis amasiâ. *Hujus consuetudine Xerxes delectatus, jussit à se petere mulierem, quæ optaret sibi fieri in remunerationem obsequii: omnino enim se impetraturam quæ peteret. Ad hoc illa respondens: Dabisne, inquit, mihi quidquid à te petiero? Xerxes omnia alia potius eam petituram ratus, quàm amiculum pretiosum ab uxore contextum, quo vestiebatur, cum jurejurando promisit. Quis postquam juravit, mulier intrepidè amiculum popposcit. Xerxes enimvero recusare, non ab aliud, quàm quod vereretur uxorem Amestrin, ne sic illa rem, quæ agebatur, jam pridem suspicata, deprehenderet, sed offerre ei & urbes, & immensam vim auri & copias militum, quibus nemo, præter illam, esset imperaturus (eximium autem apud Persas donum est, exercitu donari) verùm cùm non posset persuadere mulieri, amiculum donavit.* Hæc ibi. Tragœdiam, quæ & ex hac & alia Xerxis temeritate secuta est, Lector, si lubet apud Herodotum legere poterit.

Xerxis in Artayntam amasiam temeraria beneficentia.

Idem Xerxes, auctore Seneca lib. 6. de Beneficiis cap. 31, *Demarato Lacedæmonio* (qui solus ei verum dixerat in Græciam turbam magis quam exercitum ducenti, brevi eam perituram) *gratias egit, quòd solus sibi verum dixisset, & permisit petere quod vellet: petit ille, ut Sardes maximam Asiæ civitatem currus vectus intraret regiam capite tiaram gerens. Dignus erat præmio antequam peteret.* Hæc Seneca. Omitto alia.

Xerxis rursus largitas in Demaratum.

Allegoria.

Ea est vis precum Magnæ Matris & Virginis, ut à rege cœlorum quidlibet impetrare valeant.

TErtii Regum 2, vers. 19 & sequent. venit ad Salomonem Bethsabea Mater, & quidem gratissima (utpote cui assurrexerit, adoraverit, sessum in throno ad dexteram suam receperit) parvulam petitionem, ut ipsa inquiebat, deprecatura, & exorare avida: dicit enim: *Ne confundas faciem meam*, id est, ne mihi deneges quod postulo. *At dixit ei Rex: Pete Mater mea: neque enim fas est, ut avertam faciem tuam:* id est, ut quidquam tibi negem, ut pudore affecta, à me recedas facie aversâ. Quia tamen rem periculi plenam, sibi, filio, regno damnosam imprudenter postulaverat, repulsam passa est, auditque à Salomone v. 22. *Quare postulas Abisag Sunamitidem Adoniæ? postula ei & regnum*, &c.

35. Bethsabea quia imprudenter petierat, à Salomone repellitur.

Matthæi 20 v. 20 accedit ad Christum Mater filiorum Zebedæi adorans & postulans ab eo filiis suis Protocathedriam, sive primas sedes in regno ipsius. Verumtamen quia inconsideratè immeritis rem maximam petebat, non est ejus supplicatio exaudita.

35. Rejicitur à Christo supplicatio matris filiorum Zebedæi.

Putamusne Deiparam vel umquam tales preces obtulisse vel oblaturam Christo, quas ille meritò repellat, vel, ut non satis providè conceptas, vel aliis nocituras? Absit. Hoc enim nec cadit in Virginis Matris sapientiam, nec in Filii Domini nostri pietatem.

Exauditus est à Patre Christus pro suâ reverentiâ, ad Hebr. 5, v. 7. id est, tam propter εὐλάβειαν (sic enim Græcè habetur) nempe timorem reverentialem, & pietatem, quâ Patris Majestatem reverebatur & honorabat; quàm propter reverentiam, quâ vicissim Deus Pater revereba tur Filium tam pium, tam sui timentem, & reverentem, qui suis precibus conjungebat magnum illud pretium divinissimi sanguinis sui, immensi & infiniti valoris, idque ex incredibili erga Patrem observantiâ & ex merâ erga mortales φιλοστοργίᾳ & φιλανθρωπίᾳ sive caritate. Dignus ergo erat Christus à Patre Deo exaudiri.

36. Christus exauditus est à Deo Patre pro suâ reverentiâ tam activâ quàm passivâ.

Idem ego assero de Matre Virgine, quæ exauditur à Christo Filio suo pro suâ reverentia; primum activâ, quia ipsa filium suum Deum reveretur; & sancto timore admiratur, suspicit in ipso summam illam Majestatem, illud numen sublimissimum, & quidem eâ pietate, & horrore sacro, cui simili numquam perfusi fuerunt Seraphim, quamvis etiam alis suis faciem suam & pedes obvelent.

36. Christus etiam ex duplice illâ reverentiâ Matrem suam exaudit.

Exaudita est etiam pro suâ reverentiâ, passivâ, quâ vicissim Christus ejus unigena filius, illam ut parentem suam veneratur, & colit, quia ipsum novem mensibus utero concluserit, virgineo lacte pavit, gremio complexa fuit, in Ægyptum Herodis furori subductum tulit, sollicitè educavit, manibus suis tunicam inconsutilem texuit, in cruce denique fixum & morientem non deseruit. Non sustinet ergo Filius pro illâ reverentiâ, quâ illam prosequitur, quidquam petenti denegare.

Cæterùm, præter nomen & titulum honoratissimum θεοτοκίας sive divinæ Maternitatis, adhuc alii duo succedunt.

Primus est eminentissimus sanctimoniæ & gratiæ vertex, in quo constituta est, qua de re ita perorat Chrysostom. sermone quodam apud Metaphrasten. *Quidnam illâ sanctius? Non Prophetæ, non Apostoli, non Martyres, non Patriarchæ, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Seraphim, non Cherubim, non denique aliud quidpiam inter creatas res visibiles majus aut excellentius inveniri potest.* & paulò inferius: *Visne cognoscere quanto Virgo hæc præstantior sit cœlestibus potentiis. Illæ cum timore & tremore assistunt faciem velantes suam: hæc humanum genus illi offert, quem genuit,* Omitto alia.

S. Mariæ eminentissima sanctitas.

Alter titulus est, munus quod obit, scilicet Mediatricis & sequestræ, debitum illi post primarium Dei & hominum Mediatorem Iesum Christum.

Dei porro Matrem μεσίτριαν vocant sive Mediatricem Græci Patres & Latini. S. Damascenus Homiliâ in Hypapanten Domini, Epiphanius homiliâ de laudibus Virginis, Anselmus de excellentiâ Virginis cap. 9. Bernardus sermone in signum magnum, & alii: Si enim hæc auctoritas attribuitur Moysi ab Apostolo ad Galat. 3, vers. 19. quo etiam honore seipsum prosequitur Deuteron. 5, vers. 5. *Ego*, inquit, *sequester & medius fui inter Dominum, & vos*: cur dignitatem illam Dei Matri denegemus?

38. Moyses tum quia gratiâ apud Deum valebat, tum quia populi Mediator erat, quidlibet à Deo impetrabat.

Scimus verò Moysem utroque illo nomine, hoc est, & quia gratiâ apud Deum valebat plurimùm, & quia Mediatoris Deum inter & Israeliticum populum, officium susceperat, quidlibet ferè suis precibus à Deo obtinuisse, & adversus eumdem fortem fuisse, ita ut Deus diceret, Exodi 32, ℣. 10. *Dimitte me, ut irascatur furor meus in eos*; &c.

39. Aaron etiam ut mediator Deum placavit,

Novimus & Aaronem fratrem ejus, quia Mediatoris & sacerdotis munere ad Deum pro populo fungebatur, eratque publicus Liturgus, Dei iram extinxisse, ut refertur lib. Numeror. c. 16. vers. 46 & sequentib. ubi hausto igne de altari, arreptoque thuribulo obtulit thymiama, & stans inter mortuos & viventes pro populo deprecatus est, & plaga cessavit. Quod ipsum copiosius describitur in libro Sapientiæ cap. 18, vers. 21, usque ad finem. *Properans*, inquit, *homo sine querelâ deprecari pro populis, proferens servitutis suæ* (officii, sacerdotii, Græcè λειτουργίας) *scutum, orationem, & per incensum deprecationem allegans, restitit iræ* (Dei) *& finem imposuit necessitati, ostendens quoniam tuus est famulus.*

Non poterit Dei Mater, quod hic & ille? An majora & plura merita, vis efficacior, amplior sanctitas, gratia, aut dignitas Moysis famuli apud Dominum, quam matris, & talis ac tantæ Matris?

Num Aaronis inter Deum & populum se intermittentis & sequestri servitus aut officium plus ponderis, aut momenti in conspectu Domini obtinebit, quàm Matris obsequium, & munus, cui ipse Christus genus humanum in Cruce moriens commendavit?

40. Quare filii Zebedæi per matrem suam primas sedes petierunt,

Quondam Matth. 20 ℣. 21 filii Zebedæi non ausi à Christo sessionem primam in regno ejus postulare, matrem subornant, ut illa eorum nomine preces funderet. Rationem ibidem reddit Abulens. quæst. 54, his verbis: Quia facilius concederet Christus Matri, quàm filiis: quia forte illa aliquando adjuverat Dominam nostram sororem suam ad Christum nutriendum. Ita sentit ille. Si igitur erga gerulam olim suam, & nutriculam munificus videtur esse debuisse; quo affectu erga unicam suam matrem, quæ eum lactaverat, educaverat, foverat, fuisse præditum existimemus?

41. Quod Christus preces matris filiorum Zebedæi non audivit non fuit defectus voluntatis, sed facultatis.

Observa verò Christum, ne quid Matri filiorum Zebedæi denegare videretur, non voluntatis, affectus, aut benevolentiæ defectum, sed facultatis vel auctoritatis insinuasse, dum inquit: *Non est meum dare vobis*, suprà ℣. 23. nam, ut rectè Ambrosius lib. 5 de fide cap. 3. *Dominus*, inquit, *cœli atque terrarum confundebatur matri pro filiis postulanti etiam suæ sedis consortium denegare.* Hæc ille.

Nec Christus Matris preces rejicit, sed filiorum redarguit ambitionem. Quid ergo filius dilectus propriæ Matri denegabit, quæ recusare quidquam alienæ verecundabatur?

Ut alia exempla efficaciam precum Parthenianum Virginisque potentiam commendantia præteream, memorabile est quod scribit Nicephorus lib. 15 Histor. Eccles. cap. 25: & hic attexo. *Cùm Leo eo nomine primus nondum divino nutu Imperiali dignitate exornatus privatus degeret, & circa eum locum* (ubi postea factus Imperator, Dei Genitrici Mariæ constructum templum, ad fontem nuncupatum) *in hominem cæcum incidisset toto à viâ errantem, vicem ejus miseratus, manu eum duxit, gressumque ejus per loca plana dirigens, siquid in itinere spinarum, aut duri esset, quod incedentem offendere posset, removit. Itinere jam aliquanto confecto prope canosum hunc locum venerant: cæcusque ille siti plurimum conficiebatur, & quin concideret, parum aberat. Itaque a Leone crebrius contendit, ut siti ejus mederetur. Ille misericordiâ erga pauperem motus, omnem silvam perlustravit, & si quis aquæ humor ibi scaturet, scrutatus est. Ut verò post multam fatigationem infectâ re ad illum rediit & auxiò admodum quereretur, quod misero illi nihil solatii conferre posset: vocem, præter opinionem omnem ex alto ad se delatam audiit, quæ diceret: Non ita anxietate te macerari oportet Leo: ecce aqua prope est. Proinde novâ hac voce consternatus, denuo undam inquirere instituit: sed & ipse cæcus prorsus fuit: circumeuntem eam versabatur, minimè tamen eam videbat; quod & silvæ densæ ei opacitas obstaret, & cæcum profundius illum inde removeret. Quapropter partim indignans, quod quem manu duxerat cæcus erumnam eam pateretur, partim vocem eam in animo fixam considerans, & aquam rursus investigans, denuo eam ipsam exaudiit, suave quiddam & jucundum cœlitus sonantem, vocem. Nam & de nomine eum compellavit, & Imperialem dignitatem primo quoque tempore ei adventuram certò denunciavit, ita inquiens: Leo Imperator, densum hunc locum ingressus, turbidam aquam hauri, eâque fitim hominis ægri refice, & limum manibus cape, quo cæci oculos inunges. Quæ verò sum, dudum hunc obtinens locum, eoque me oblectans, mox scies. Tu fac, ut ædem hîc mihi sacram constituas, in qua ideminde versem, & suaviter deambulem, in qua etiam precantibus omnibus, locumque hunc cum fide & ardore adeuntibus, opitulor præstem omnia. Neque quidquam est prorsus quod mihi adversetur, & non continuò meæ potestatis cessurum sit, etiamsi dæmon sit, aut morbus, qui omnem superet medicinæ curam, aut aliud quidquam quod factura non sim; dummodo rite, pieque sit petitum. Verbis ejus Leo parens cœnum, & undam ad cæcum attulit, & oculos ejus luto linivit; etiam aquam præbuit. Oculos attrectanti majestas tua, ô Dei genitrix se exhibet, & misero illi aqua turbida & lutum Siloë fit. Confestim enim visum recipit, & diuturnas abjecit tenebras, oculis præter spem omnem, Solem, seu potius cœnum & lutum inspiciens.* Hactenus Nicephorus.

42. Deipara potestas Leoni primo Imperatori per miraculum exhibetur.

Anno Millesimo centesimo decimo septimo apud Cremonam infantulus in cunis jacens, Matrem quæ familiæ cibum pararat, vocibus articulatis monuit, Deum humanæ impietati iratum graves pœnas constituisse in tot noxios, sed Dei Matrem magnis precibus obsistere. His dictis denuo concidit. Ita Dodechinus in Appendice Mariani Scoti.

43. Infans S. Mariæ potentiam monstrat.

SS. Pa-

SS. Patres passim hanc supplicationis virgineæ potentiam extollunt, ut videre est apud eos, qui de Virginis vitâ, cultu, & intercessione tractatus ediderunt; & etiam apud Theologos, qui hoc argumentum attigerunt, inter quos est Franciscus Suarez tomo 2 in 3 p. D. Thomæ quæst. 37 art. 4. Disputat. 23. Sed audire juvat S. Augustini verba. Sic virginem alloquitur Sermone 35 de Sanctis: *Convertere ad nostrarum*, inquit, *miseriarum salutem.* Et paulo post. *Neque enim dubium, quæ meruit pro liberandis proferre pretium, posse plus omnibus liberatis impendere suffragium.*

S. Germanus Constantinopolitan. Serm. de Zonâ Virginis hæc habet inter alia. *Patrocinium tuum majus est, quam intelligentiâ apprehendi possit.* Et inferius. *Potens est tuum auxilium, ô Despœna, ad salutè, & non indiget aliquo alio ad Deum intercessore.*

44. Non indiget Virgo alio intercessore apud Deum ut impetret.

Ne quis autem simplicior his verbis offendatur, accipiat antidotum: Non excludit S. Germanus Christum, vel ejus merita aut orationem, quia hunc per se *Deum* intelligit; nec etiam removet aliorum sanctorum preces, solùm insinuat Deiparam non interponere alios sanctos ut intercessiores apud Deum, sed alios potius Virginis intercessione apud Deum uti.

S. Petrus Damiani sermone 2 de Nativitate Virginis. *Fecit*, inquit, *tibi magna qui potens est, & data est tibi omnis potestas in cœlo, & in terra, & nihil tibi est impossibile, cui possibile est desperatos in spem beatitudinis relevare. Quomodo enim illa potestas potentiæ tuæ poterit obviare, quæ de carne tuâ carnis suscepit originem. Accedis enim ad illud aureum humanæ reconciliationis altare non solum regans, sed etiam imperans; domina, non ancilla.*

44. Dei Mater impetrat non solum ut ancilla sed ut Domina.

Nota verò verba illa ultima per exaggerationem & superjectionem dicta. Solum voluit auctor ostendere incredibilem esse vim & potentiam supplicationis Dei Matris. Meminerit Lector scripturæ ita loquentis in libro Iosuæ c. 10, vers. 14. *Obediente Domino voci hominis.* Nullum indicat imperium fuisse Iosue in Deum; sed vehementem significat Iosue Deo supplicantis affectum, &c.

Existimat Franciscus Suarez, suprà sect. 2. à B. Virgine in hac potestate & efficaciâ, non solùm Sanctos singulos, sed omnem etiam cælestem curiam superari. Itaque si cogitatione fingamus B. Virginem quippiam postulare, totamque curiam cœlestem illi resistere (sicut apud Danielem unus Angelus alteri resistebat) potentior esset, majorisque efficaciæ & valoris apud Deum, Virginis, quàm reliquorum Sanctorum omnium oratio. Est enim hoc dignitati Matris maximè consentaneum, & perfectioni gratiæ & caritati Virginis quodammodo debitum. Unde & Ecclesia sæpius, & digniore quodam modo illam deprecatur, quàm Sanctos alios. Ita Suarez.

44. Virginis intercessio efficacior est precibus omnium Sanctorum simul.

Itaque cùm Virgo Mater non solum dimidiam partim regni filii sui obtinuerit, sed in universo imperio ejus dominetur: cùm etiam ut totius generis humani mater, præcipuo nos amore complectatur; adeamus thronum gratiæ ejus cum fiducia. Circumstemus eam, sicut apiculæ conferto agmine & examine Reginam suam circumfunduntur. Sicut enim Rex apum dicitur, ita & Regina in exiguarum illarum volucrum republicâ nuncupari potest, cùm inter illas virgines sexus non cernatur discrimen.

45. Dei Mater Regina Apum & Debbora.

Meminerimus illius typum gessisse Debboram, cujus gesta in libro Iudicum describuntur cap. 4 & 5. Fuit illa Prophetis, Iudicum 4, ℣. 4. judex populi, ad quam sedentem sub palma ascendebant filii Israel in omne judicium, quę comitata est Barac in Sisaram ducentem exercitum, prædixitque ei victoriam. Hæc autem in suo Cantico Iudicum 5. vers. 7 se etiam matrem vocat his verbis: *Cessaverunt fortes in Israel & quieverunt: donec surgeret Debbora, surgeret mater in Israel.*

Hæc Virgini attribuere pronum & facile, quæ, quamvis judex sit, præcipuè tamen mater est, palmamque quam contra Filio suo rebelles erigit, ramis pacalis olivæ maritat, misericordiæque & caritatis oleo affluit, nihilque carius audit, quam si mater nominetur, promptior ad amandum, quàm ad puniendum.

Sed hoc gustum nostrum maximè proritat, quod Debbora Hebraicè apem sonat. Est Maria Debbora, apum videlicet Regina, quia ut optima apis aculeolis suis neminem pungit, quod proprium esse Apum Regi tradunt Physiologi; unde est illud: *Rex mucrone caret.* Vere aculeo caret Maria quæ mellicà tota est imbuta dulcedine, quæ Christum Dominum in castissimâ alvo tamquam in alveari constructum conclusit favum faventissimum & suavissimum gutturi nostro.

VERSVS IX, X, XI, XII, XIII.

Egressus est itaque illo die Aman lætus & alacer. Cùmque vidisset Mardochæum sedentem ante fores palatii, & non solum non assurrexisse sibi, sed nec motum quidem de loco sessionis suæ, indignatus est valde:

Et dissimulatâ irâ reversus in domum suam, convocavit ad se amicos suos, & Zares uxorem suam;

Et exposuit illis magnitudinem divitiarum suarum, filiorumque turbam, & quantâ eum gloriâ super omnes principes & servos suos Rex elevasset.

Et post hæc ait: Regina quoque Esther nullum alium vocavit ad convivium cum rege, præter me: apud quam etiam cras cum rege transiturus sum.

Et cùm hæc omnia habeam, nihil me habere puto, quamdiu videro Mardochæum Iudæum sedentem ante fores regias.

Hebraicè: & egressus est Haman in die ipsâ lætus & bonus corde (hilaris) & cum vidisset Haman ipsum Mardochai in portâ regis, & non surrexisset, nec movisset se ab eo, & repletus est Haman contra Mardochai excandescentiâ:

Et

Et fecit vim sibi Haman (continuit se) & venit ad domum suam, & misit, & venire fecit amicos suos, & Zeres uxorem suam, & narravit illis Haman gloriam opulentiæ suæ, & multitudinem filiorum suorum, & omnia quibus magnificaverat eum rex, & quod elevasset eum super principes, & servos regis.

Dixitque Haman: Insuper non venire fecit Esther regina cum rege ad convivium, quod fecit, nisi me, & etiam in crastinum ego vocatus sum ab eâ cum rege: & totum hoc non illud æquale mihi (est utile) in toto tempore, quo ego video Mardochai Iehudæum, sedentem in portâ regis.

Iosephus: Aman admodum lætus, quod solus tali honore dignatus sit, ut cum rege vocaretur à regina ad convivium, quod nemini alteri contigerat, & cùm obiter in palatio videret Mardochæum excanduit, quod nullus ab eo honor sibi exhiberetur: reversusque domum advocatâ uxore Zarazâ, & amicorum cohorte, apud eos denarravit honorem, in quo esset, tam apud regem, quam apud reginam: nam cùm eâ die solus cum rege apud eam cœnasset, in crastinum quoque se vocatum esse; unum sibi esse permolestum, quod Mardochæum Iudæum videret in palatio: &c.

COMMENTARIVS.

REdit ex meridiano epulo Reginæ Amanus insolenti lætitiâ exundans, vix se capiens, æqualis astris graditur, superbo vertice attingens polum.

Ita homini ambitioso novus honor à reginâ delatus novum etiam fastum addit, & inflat insolitato tumore. Sed (ut nihil in orbe ex omni parte beatum est) gaudio illi statim intervenit cordolium, iræ mixta tristitia, cùm videre cogitur æmulum suum & hostem capitalissimum, cultum, quem sibi debitum putabat, non præstare. Irâ itaque dissimulatâ, vindictam in tempus magis opportunum differt, & in doloris sui solatium, uxorem, & amicorum cohortem convocat, quibus & exaggeratas suas opes, greges liberorum, famulorum & clientum turbam exponit: antiquos insuper, & recentes honores, quibus Rex & regina eum cumularant, deprædicat nescio quâ præter solitum jactantiâ. Addit tamen hæc omnia nihil sibi videri præ contemptu, quo illum jam sæpius affecerat Mardochæus, cùm ne quidem dignatur se movere loco ut illi assurgat, & adoret. Itaque modum vindictæ & quidem celerrimæ & atrocissimæ ab illis perquirit, vel saltem tacitè petit.

Primò, observandum in illis verbis: *Egressus est illo die Aman lætus*, τὴ illo die, esse ἐμφατικώτερον, peculiarem scilicet vim habere. Iure etenim, dicitur fuisse signanter illo die lætus, post quem nullum alium diem acturus esset, qui illi hilaris, & ad votum illuxisceret: postridie quippe & Mardochæum regio equo vectum per Susorum urbem circumducturus erat stratoris munere fungens, mœrore, quem umquam in vitâ suâ hauserat, maximo, deinde ante noctem à reginâ accusatus & convictus, in crucem, quam Mardochæo paraverat, agendus. Quam dissimiles hi dies; hodiernus jucundissimus, candido signandus lapillo; crastinus mœstissimus, atro Theta notatus!

Secundò, advertit Cajetan. pro *alacer*, Hebraicè esse, bonus corde, quo significetur Amanum non solùm exteriùs ostendisse signa lætitiæ, & frontem serenasse, sed etiam corde & animo exultasse.

Tertiò, non tamen audiendus hîc idem ad illud: *Cùm vidisset Mardochæum, nec motum quidem de loco*; qui putat Mardochæum nec minimum quidem honorem Amano voluisse exhibere, & propterea caput 13, ubi vers. 12 & sequentibus contrarium colligitur, habet pro Apocrypho.

Quartò, notat Mariana, τὸ *motum de loco*, Hebraicè & Chaldaicè significare, motum cum tremore conjunctum: unde infert Amanum fuisse despectum à Mardochæo; quod etiam apertè demonstrat Paraphrasis Manuscripta Chaldaica apud Sanctium hîc. Sed illam ut fabulis ineptissimis scatentem non moramur. Verisimile est Mardochæum animum obstinasse, nec decrevisse illi ullum honoris signum utpote superbissimo præstare, pectusque erectâ in Deum fiduciâ confirmasse, quem sperabat brevi suis de cœlo laturum auxilium.

Quintò, τὸ *dissimulatâ irâ*, Hebraicè significantius exprimitur; habetur enim, fecit sibi vim, continuit se, ne videlicet continuò vindictam inferret, gladiumque vel acinacem in illum stringeret. Noverat versipellis veterator multa principibus dissimulanda. Dicitur Proverbiorum 12, vers. 16: *Fatuus statim indicat iram suam: qui autem dissimulat injuriam, callidus est.*

Sextò, quod habemus hîc vers. 13: *Nihil me habere puto*, Hebraicè est; & non idipsum utile, vel prodest mihi; quod æquivalet illi: quod habeo, nihili facio, præ despectu, quo me afficit Mardochæus: En quomodo exigua adversitas hominem etiam in hoc mundo omnibus bonis & honoribus cumulatissimum conturbat.

Postremò, ad illud: *quamdiu videro Mardochæum sedentem ante fores regias*, observant Interpretes, Meriochius & alii; Ambitiosum hominem non audere apertè aperire morbum suum, & ulcus detegere: dicit enim tantum: *quamdiu videro sedentem*; & non quamdiu videro non adorantem me. Pudet eum suæ superbiæ, & tumoris.

Documentvm Morale.

Voluptas ambitiosi, & cujuscumque etiam scelesti nulla sincera & pura, sed eam levis quælibet adversitas inquinat & interturbat, fallax & brevis est.

QVamvis alia exempla deessent, manifestè hoc docuit Amanus, qui evectus ab Assuero ad summum honoris fastigium, ita ut secundum ab eo locum teneret, liberorum multitudine floreret, abundaret divitiis, famulorum turbâ stiparetur, nihil denique ei deforet ad hujus vitæ, quam cæci mortales ambiunt, felicitatem; exigua tamen molestia, & ægritudo tantum gaudium in amaritudinem vertit: *Nihil*, inquit, *me habere puto, cum hæc omnia habeam, quamdiu videro Mardochæum Iudæum sedentem ante fores regias*; adde, & mihi non assurgentem, genua mihi non flectentem, non adorantem. Canit Ovidius:

Vsque adeo nulla est sincera voluptas:
Solicitumque aliquid lætis intervenit.

Thomas Morus vir prudenter facetus, ut in ejus vitâ scribit Thomas Stapeltonus cap. 12, dicebat virum honoratum, quo sit in Republ. aliquis honoratior (quales omnes sunt excepto Rege) frustrà sibi de honore placere. *Viginti enim*, inquiebat, *vel etiam centum aperto capite circumstantes non sic caput tuum a frigore defendant, sicut unicus tuus pileus, quem coram superiore exuere necesse habes.* Apparet in Amano.

46. Apophthegma Mori.

Exigua (scribit Salianus in suis Annalibus hunc locum enarrans) molestia magis affligit beatulos illos, quàm ingentia bona exhilarare possint. Nam, ut ait Philosophus, *ab assuetis non fit passio.* Itaque deliciis innutriti illas vix sentiunt etiam præsentes vel jam jam adfuturas. At res adversæ, præsertim quæ ex improviso feriunt, & ex improbâ & inimicâ voluntate oriuntur eorum, qui ipsis inferiores sunt, & ad eorum conspectum contremiscere solent, eos supra quam credi potest, excruciant, & pectus dolore quasi effodiunt. Sunt hæc veriora veris.

Deliciis affueti vix eas sentiunt, adversis verò statim frangantur.

Sed quia portu egressi sumus, in altum provehamur, argumentumque hoc latius ducamus.

Vesica vento concepto plena mirum in modũ extenditur, & turgescit, quæ pueris ludibundis, cùm in eam pisa aliquot conjecerint, agitatione & strepitu suo risum & hilaritatem maximam parit. Hæc tamen si complosione & crebro rotatu in saxum durius vel clavum impegerit, rumpitur: imo aciculæ solius ictu puncta detumescit. *Spectatum admissi risum teneatis amici?*

47. Amanus instar vesicæ inflatus minimo adversitatis aculeo frangitur.

Vesica hæc Amanus est, qui, cùm in eum plenâ manu Deus fluxa sua munera contulisset, incredibili fastu inflabatur, incedebatque gradu superbifico: Interim cùm in solum Mardochæum oculos conjicit, nascitur in illis sudes, oritur murex, stimulus vel clavus, quo vasti pectoris tumor eliditur, frangitur, evanescit flatus illius minimo ægritudinis & molestiæ aculeolo.

48. Rerum & animantium Antipathia.

Videre est in multis rebus quamdam naturæ dissimilitudinem & discordiam, quam Græco vocabulo communiter Antipathiam dicimus. Videmus animantia etiam mole vastissimâ, indoleque generosissimâ, inimicitiâ quâdam & innato odio impeti à minutissimis bestiolis. Exemplis rem subjicio oculis.

Inter aves sceptrum tenet, vel tyrannidem potius quam dominatum exercet fulvus Iovis ales, Aquila regina volucrum.

In terrestribus animantibus mole corporis eminet elephantus.

In genere natatilium vel piscium, si tamen pisces nuncupari debeant, eâdem corporeâ molè præcellunt ceti, vel dracones marini.

Ferarum regem Leonem appellamus, ad cujus fremitum, horrificumque rugitum omnes bestiæ silvæ contremiscunt.

Turrita illa & vastissima bellua, licet validissimo róbore præstet, ut ajunt Physiologi, non solum cum Rhinocerote hostilitatem & inimicitiam gerit, qui cum illâ viribus, & eminente supra nares cornu certat, sed etiam, quod incredibile pœne videtur, nisi experientia doceret, naturali odio fertur in formicas & mures, adeò ut ad tenuium illorum animalculorum præsentiam ferociâ innatâ & vigore destituatur, quin etiam illis conspectis toto corpore trepidet.

49. Elephantis infestæ formicæ, mures, &c.

Tradunt iidem musculos per villos pedum elephantinorum penetrare usque ad aures, iisque se immittere & cerebrum depascere; unde fit, ut feles murium terror in stabulis alantur, ubi elephanti cubilia habent. De mure certè immani illi belluæ inimico sic S. Basilius Homilia 9 in Hexameron. *Non magis*, inquit, *admirer elephantem ob magnitudinem, quàm murem, qui horrendus est elephanto.*

Licet verò quidam apud Aldrovandum lib. 1 de Quadrupedibus cap. 9. id fallum esse dicant, erroremque inde natum, quòd pro ὗς id est sus, legerint μῦς id est mus, assentimur tamen S. Basilio, & etiam Aldravando suprà, qui tradit elephantum adeò mures odisse, ut si pabulum ab eis attingi senserit, illud fastidiat & respuat. Illa est innata Antipathia.

Vt ergo immanibus illis belluis minutissimæ bestiolæ iram terroremque commovent; sic superbiâ & ambitione tumidos molestia parva mœrore contrahit, etiam irâ exardescere facit.

Pergo ad Leonem, qui cùm Rex ferarum sit, & truculentissimus simul & fortissimus, hostes tamen capitalissimos culices invenit.

Scribit Ammian. Marcellinus lib. 18. inter Mesopotamiæ arundineta vagari innumeros leones: verùm ubi solis radii inardescunt, culicum ingentem vim grassari, qui oculis leonum etiam de nocte lucentibus & velut humentibus insident, & ita tenaciter inhærent, ut eorum cruciatui impares, nonnumquam se fluminibus immergant, & demergantur; aut certè unguibus sibi lumina effodiant.

50. Leonem infestant culices.

Ecce, ut animalium victrix fera & maximorum terror à minimis insectis debelletur! Vide plura de Leonum terriculamentis apud Plinium lib. 8 cap. 16, & Oppianum lib. 4 de Venatione.

Ad cetos, balænas, & horrenda maris monstra descendo, quæ & ipsa attonantur strepitu vel sonitu. Philostratus lib. 3 de vitâ Apollonii prodit in Arabico mari naves, ut se tueantur contra belluarum ponti incursus, tintinnabula tam à prorâ, quàm à puppi suspensa deferre, eorumque tinnitu terrefactas bestias navibus non appropinquare.

51. Cete & balænæ sonitu campanarum diffugiunt.

Ergo ſonus nolæ, quo mirificè boves & oves oblectantur, horrorem draconibus illis & monſtris marinis ingentem incutit.

Paria ſcribunt ferè Arrianus in rebus geſtis Alexandri, & Diodorus Siculus.

Iam ad Aquilam avium gloriam noſtra ſubvolet oratio.

Avis hæc non ſolùm dracones hoſtes nacta eſt, ſed & aviculam Trochilum, auctore Ariſtotele lib. 9 de Hiſtoriâ animal. cap. 11.

Sed nihil elegantius quàm quod fabulator Phryx finxit de implacabili & internecino diſſidio Aquilæ & Scarabæi, non diſſimili contentioni, quæ Amano fuit cum Mardochæo. Sic ergo habet fabula.

52. Fabula de odio inveterato inter Aquilam & Scarabæum.

Lepus, inſectante Aquilâ, in luſtrum Scarabæi profugit rogans, ut ab eo ſervaretur. Scarabæus aquilam oravit, ne occideret ſupplicem, per ſummum Iovem ne hoſpitii jura violaret, neve parvitatem ſuam contemneret. Illa verò irata Scarabæum percuſſum terræ alliſit, leporemque acceptum devoravit. Scarabæus unà cum aquila ad nidum luſtraturus ſubvolavit, ut acceptam injuriam quavis ratione ulciſci poſſet; ad quem cùm venisſet, ova aquilæ deorſum devoluta diſrupit. Illa indigniſſimè ferens quempiam repertum eſſe, qui hoc auſus fuiſſet, ſublimiori loco ſecundum denuo nidum conſtruxit, quò nihilominus ſimiliter Scarabæus ſubrepſit, & eodem, ut prius, facinore ova diffregit. Aquila conſilii inops ad Iovem confugit, inq; ejus gremio tertium ovorum partum deponit, obſecrans ut ea ſibi curæ ſint. Scarabæus, qui Iovem ſordibus inſuetum offendi ſciret, ex ſimo pilulam factam in ejus ſinum, in ſublime elatus, demiſit. Iupiter hanc ſpurcitiem exhorrens, cùm, ut eam excuteret, ſurrexiſſet, depoſiti immemor, cum ſimo, ſimul & ova gremio jacentia deorſum deturbata contrivit. Faſſus eſt Scarabæus ingenuè, id ſe non alia de cauſa facere, quàm ut vindictam de Aquila non ſolum in ſe injuriosa, ſed in Iovem etiam ipſum hoſpitalis juris vindicem contumelioſa ſumeret. Itaq; Aquilæ verſæ reiq; indignitate commotæ, Scarabæi eſſe qui has turbas excitaſſet, eamque hac contumeliâ affeciſſet, & quidem jure merito Iupiter indicavit.

Hæc quæ de Antipathiâ dixi, ad Mardochæum & Amanũ ducere Lectori erudito proclive erit.

53. Voluptas ambitioſi ſimilis melli, quod guſtavit Ionathas in ſummitate virgæ.

Ambitioſi & cujuſlibet improbi gaudium & voluptas expreſſa mihi videntur in melle Ionathæ, de quo legimus primi Regum 14, 43. *guſtavit Ionathas in ſummitate virgæ paululum mellis.* Quantula fuit lætitia Amani! paululum mellis, quod ſatis non fuit ut comederetur, ſed ſolùm ſummis labris guſtaretur, vel prælibaretur, & quidem in ſummitate virgæ, ut dum mel percipitur, infigatur cuſpis: unde ſubdit ibidem Ionathas: *Et ecce ego morior.* Et ille: *Cùm hæc omnia*, inquit, *habeam, nihil me habere puto, quamdiu videro Mardochæum*, &c.

54. Gaudia mundi ſemper permixta dolonibus.

Innocentius Papa lib. 1 de contemptu mundi cap. 21. *Semper*, inquit, *mundanæ lætitiæ triſtitia repentina ſuccedit, & quod incipit a gaudio deſinit in mœrorem: mundana quippe felicitas multis amaritudinibus reſperſa eſt.*

Chryſoſt. homil. 69 in Matth. in fine, loquens de impiorum gaudiis: *Etſi*, ait, *mille voluptatibus abundare videantur, quamvis delectationum flumina adeſſe illis credantur; multis tamen amariſſimis telis perfoſſi, plerumque jacent.*

Iterum in Pſalm. 4. *Multi*, inquit, *eorum qui hæc poſſident* (gaudia mundi) *vitam non eſſe vitalem exiſtimant, & angoris fornacem in animo circumferunt, à curarum multitudine exhauſti, & continuis timoribus oppreſſi.* Hæc ille, ſignificans ubique triſtitiam permixtam voluptati rerum fluxarum, illamque cor exedere & depaſcere, cùm hæc ſolùm in vultu, oculiſque ſeſſitet, & corpus circumvolitet juxta illud:

Spem vultu ſimulat, premit altum corde dolorem.

54. Riſus dolore miſcetur.

Mirè huic argumento convenit illud ex Paræmiis Salomonis divinum pronuntiatũ Prov. 14, 13. *Riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudii luctus occupat*: ſi primigenium textum Hebraicum conſulamus, qui habet: *In videndo, vel in riſu dolebit cor; & extremum ejus lætitiæ triſtitia.* Cui etiam adſtipulatur Chaldæus: *Etiam in riſu dolet cor, & finis lætitiæ mœror.* Tranſtulit Symmachus: Etiam in riſu laborabit cor. Quid accommodatius ad mores Amani dici potuit? Cujus lætitiæ & alacritati ſimul permixtum cordolium ex Mardochæi conſpectu.

Gnome ergo illa paræmialis indicat ſimul eſſe riſum in ore, & ægritudinem in corde, & dolorem riſui permiſceri, & extremum gaudium (quod quidam pro ſummo & maximo accipiunt, ut poſterius membrum cum priore cohæreat) eſſe dolorem, hoc eſt, dolore interturbatum.

55. Similes feneambitioſi cardiaco morbo laborantibus.

Salazar ſapientiſſimi Regis ſententiam allato hoc ſimili explicat & illuſtrat. Quemadmodum cardiaco morbo laborantibus contingit, ut ſtatim poſt riſum & motus lætitiæ geſtientis dolor, & affectio cordis ægri vehemens accedat; ſic ſanè accidit, ut gaudia effuſiora (ambitioſorum, proſperioris fortunæ flatu tumidorum) & voluptatem immodicam, deliciaſque exaggeratus dolor, luctus, & uberrimæ lacrymæ excipiant.

Præclarè pronuntiat Sophar Naamathites apud S. Iobum cap. 20 ℣. 5. *Laus impiorum brevis; & gaudium hypocritæ ad inſtar puncti.* Quæ verba Septuaginta ad rem noſtram ita reddunt: *Lætitia impiorum ruina ingens, gaudium autem iniquorum perditio.* Accipe autem lætitiam impiorum non ſolùm cauſaliter, quaſi illa ipſis pariat ruinam, ſed etiam quodammodo formaliter, aut in ſenſu potius identico, ut loquuntur Dialectici: *ipſa* enim *eorum lætitia eſt ruina ingens*, ut res ipſa loquitur in Amano, & *gaudium ipſorum perditio.* Eorum geſtiens exultatio, caſus eſt, & gaudio efferri, cadere, & perire. S. Chryſoſt. in Catenâ Græcâ, ſic ratiocinatur: *Si*, inquit, *ipſorum lætitia ingens eſt ruina, & gaudium perditio: quid dicemus eſſe ipſum interitum? dic, amabo te, quid dolorem? quid animi ægritudinem?*

56. Gaudium impiorum ruina & perditio.

Adſcribatur Amano, ipſique paribus hoc elogium. *Ecce in pace amaritudo mea amariſſima.* Iſaiæ 38, verſ. 17.

57. Ambitioſi ſimiles mari & Euripo.

Quamvis, quæ pax homini ſuperbiſſimo? Iſaiæ 57, verſ. 21: *Non eſt pax impiis, dicit Dominus Deus*: Vt enim in mari, maximè verò in Euripo, qui ſepties per diem fluit & refluit, numquam tranquillitas, & malacia conſiſtit, ſed perpetui ſunt motus & agitationes; ita ambitioſi animus continuâ vertigine fluctuat & æſtuat, & circumagitur, dum in eo perturbationes odii, invidiæ, ſuperbiæ, angoris, moleſtiæ certant, & deprælientur.

Vnde

Vnde ibidem aptè Propheta præmiserat ℣. 20. *Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest, & redundat fluctus ejus in conculcationem & lutum.*

Quæ ita transtulit Vatablus: Impii instar Euripi fremunt (cùm videlicet ventis impellitur & jactatur) qui nescit quiescere, cùm aquæ ejus limo & luto turbantur, id est, cujus aquæ propellunt ad littus cœnum & lutum (hoc enim conculcationem vocat Propheta) scilicet rejectamenta & quisquilias maris, sordes, algam, spumas, quæ pedibus conculcantur.

Talis Amanus, cujus pectus ambitio variis motibus agitabat superbiæ, odii, invidiæ, furoris, vindictæ, nihilque aliud eructabat, quàm minas in Mardochæum & Iudæos, tandemque decumani illi fluctus eructarunt illi lutum & sordes, ignominiam, probrum & pœnas tum temporales, tum æternas.

58. Flet Alexander audiens plures esse mundos.

Perlege res gestas eorum principum, qui totis animis gloriæ, honorique vellicarunt; Saulis, Absalomi, Alexandri Macedonis, Pompei, Iulii Cæsaris & aliorum, & liquidò cernes pectora eorum ingenti cupiditatum æstu & agitatione efferbuisse, & eos postea vitam exitu inglorio & ferè sordido claudisse.

Cùm Magnus Alexander audisset Anaxagoram Philosophum differentem, innumerabiles esse mundos, illacrymasse dicitur: Rogantibus numquid accidisset lacrymis aliquid dignum: *An videor*, inquit, *immeritò flere, qui cùm mundi sint innumerabiles, nos nondum unius domini facti sumus?* Plutarch. de tranquil. animi & Iuvenalis Satyra 10.

Æstus & fluctus, quibus fervebat Euripus pectoris Alexandrini, intuiti sumus. Videamus jam tantorum fluctuum conculcationem & lutum.

Valerius lib. 8 cap. 13, alteri Philosopho hoc dogma attribuit. *Iam*, inquit, *Alexandri pectus insatiabile laudis, qui Anaxarcho comiti suo ex auctoritate Democriti præceptoris innumerabiles mundos esse referenti; Heu me, inquit, miserum, quod ne uno quidem adhuc potitus sum! Angusta homini possessio gloriæ fuit, quæ deorum omnium domicilio sufficit.*

59. Mors Alexandri ignobilis.

Auctor libri primi Machabæorum cap. primo & sequentibus, enumeratis ejus victoriis & triumphis, *exaltatum est*, inquit, ℣. 4 *& elevatum cor ejus*. En fluctus sidera lambentes: postea verò ℣. 6. *Et post hæc decidit in lectum.* & ℣. 8 *& mortuus est.* En conculcatio, en lutum. Disputant & dissentiunt scriptores de genere morbi & mortis, ut videre est apud Raderum Commentarius in librum 10 Curtii c. 7. Sive morbus

59. Quo genere mortis obierit, quæritur.

ex vinolentiâ & haustu scyphi Herculanei, sive venenum & aqua Stygia ipsi propinata per Cassandrum, illum sustulerit; mortuus est & quidem inglorio mortis genere. Ita Solinus de eo c. 16: *Victor omnium, vino & irâ victus, sic morbo vinolentiæ apud Babylonem, humiliore, quàm vixerat, fortunâ, exemptus est.*

59. Insepultus jacuit Alexander.

Alexander vivus ambiebat divinos honores: defuncto nec ultimus ille contigit honos, quem quivis homo persolvit homini, quantumvis humili. Narrant enim Q. Curtius, & Plutarchus Alexandri corpus multis diebus insepultum jacuisse, ob graves procerum contentiones de successione principatus.

Nec minore famæ propagandæ & imperii extendendi cupiditate flagravit C. Iulius Cæsar Pompeio cedere nescius, cujus fluctus etiam in conculcationem, & inglorium fatum delierunt. Is, cum Alexandri res gestas legeret, non tenuit lacrymas, atque ad amicos: *Hoc*, inquit, *ætatis quâ nunc sum, Alexander devicit Darium: mihi verò ad hunc usque diem nihil præclari facinoris gestum est*: Suetonius tradit id accidisse, cùm Prætor jure dicundo conventus obiens, apud Gades in templo Herculis vidisset Alexandri statuam. Funestum ejus exitum percensere omitto.

60. C. Iulius Cæsar Alexandri res gestas legens lacrymas non tenet.

De brevitate lætitiæ ipsorum quid dicam? Si quis historiam hanc attentè pervolutarit à capite tertio usque ad septimum, videbit illud gestiens & exuberans Amani gaudium tres menses & pauculos dies tenuisse, quibus secundum locum à rege insedit, cunctis regni Persici principibus antepositus; quo tamen tempore incredibili mœrore lancinatus & penè consumptus fuit, cùm se quidem videret ab omnibus, ut semideum quemdam coli, à Mardochæo Iudæo solum negligi.

61. Gaudium Amani tres tantum menses, & dies paucos duravit.

Quam fallax verò fuerit Amani gloria, & inde concepta voluptas, dies sequens aperuit toti Persidi, imo orbi. *Cras*, inquit insipiens, *apud Reginam cum rege pransurus sum.* Rectè pransurus, nam apud inferos erat cœnaturus, corpus verò in cruce pascendum corvis legaturus. Quid pransurus? Toxicum, fel aspidum, mortem. Improvidus Amanus nesciebat quod prudentissima Heroina malum illi paratura & propinatura esset. An non fallax & illusoria gloriatio? Excelsam crucem sub vesperam pridie erigit, postridie antesolis occubitum in eâ figendus. Numquam inaudierat Amanus sapientissimi Regis aureum edictum, Prov. 27 versu primo: *Ne glorieris in crastinum, ignorans quid superventura pariat dies.* Hem! quantum malum præceleri abortu capiti tuo totique familiæ producet lux crastina! partus ille te instar leunculi & viperæ discerpet, & lancinabit. Pariet tibi mortem in lancibus. Non tam capitalis umquam fuit Troiæ nixus equi Duratei, quàm tibi Estheræ fatales epulæ.

Cum Kennethus rex Scotorum Crathilinthum Fenellæ filium, quin etiam Malcolmum Duffi Regis filium & affinem Fenellæ inter emisset; illa statuam muro artificio fabricari jussit, in cujus manu pomum aureum, gemmis pretiosissimis ornatum refertumque erat, quod quicumq; tetigisset, telis, jaculisque acutissimis confodiebatur; eò regem nihil suspicantem doli mali, invitatum, in Fethercarniæ oppido mulier suâ fraude confecit. Ita Cardanus, & alii.

62. Pomum Fenellæ pretiosum, sed dolosum regi Kennetho.

Talis est Ambitio blandissima domina, quæ suis alumnis, pullis albis, & beatulis propinat honores, famam, magni nominis umbram, gloriam vitream, pomum pulchrum visu, aspectuque delectabile (ita se res foris habet) sed utero fœtum exitialibus telis, venenatis sariissis, malum aureum, sed innumeris malis confertum. Malum aureum est, inani aurâ suâ & fulgore intuentium oculos præstringens, cujus claustra cùm laxaveris, subitò quâ data porta erumpunt, & evolant felle mortifero infecta spicula, sagittæ letali imbutæ toxico, quæ animas incautas configunt, transadigunt, eviscerant.

62. Symbolum hoc gloriæ & voluptatis caducæ.

VERSVS XIV.

Responderuntque ei Zares uxor ejus, & ceteri amici: jube parari excelsam trabem habentem altitudinis quinquaginta cubitos, & dic manè regi, ut appendatur super eam Mardochæus, & sic ibis cum rege lætus ad convivium. Placuit ei consilium, & jussit excelsam parari crucem.

Hebraicè: Dixitque ei Zeres uxor ejus, & omnes amici ejus, aptent lignum altum quinquaginta cubitorum, & in mane dic Regi, & suspendant Mardochai super illud, & ingredere cum rege ad convivium lætus. Et bonum fuit verbum ad facies Haman (id est, res ei placuit) & fecit (id est, aptari jussit) lignum.

Pergit hoc modo Iosephus: Cùm Zaraza diceret oportere eum trabem quinquaginta cubitorum parare, & mane petitâ à rege potestate, Mardochæum in eam crucem tollere; comprobatâ eâ sententiâ jussit familiares curare, ut ejusmodi trabs erigeretur in suo palatio parata ad Mardochæi supplicium, id quod etiam mox factum est. Deus autem irrisit Amanis spem improbam, cui sciebat eventurum longè aliud.

COMMENTARIVS.

VXor & amici, quos accersierat Amanus, etiam non interrogati consilium ei suggerunt non maturum, non æquum, non judicii trutinâ expensum, sed quale ipsum optare animo sagaciore perspexerant; licet fortè longè aliud penes se sentirent; & si prudentes & fideles fuissent consiliarii, multò securius, justius, melius dare debuissent. Graviter itaque arguendi, tum quia non solùm consilium insipiens proposuerunt, sed etiam noxium & damnosum tum illi, tum sibi, ut exitus probavit. Quanto satius incitatum & per se ad vindictam præcipitem amici sui animum infusâ frigidâ restinxissent, quàm oleum, ut ajunt, camino addidissent. Sed nihil sani consilii expectandum ab assentatoribus, qui, non quid deceat, sed quid dominis placeat, in medium consulunt, nec quidquam pensi habent, quid æquitas postulet.

Mali consiliarii Amani amici fuerunt.

61. Cur suadent parari crucem Mardochæo?

Multæ autem rationes occurrere eis potuerunt, cur potius cruci appendendum suaserint, quàm alio mortis genere interimendum.

Primùm, quia hoc erat maximè familiare Persis supplicium, ut infra ostendemus.

Secundò, quia hoc erat maximè acerbum & cruciabile, ut notum est.

Tertiò, quia erat in primis ignominiosum non solùm apud Iudæos, sed etiam Persas, & Romanos, ut patet ex historicis, unde quò excelsior crux erigebatur, eò pœna magis infamis, quia patibularius & furcifer à pluribus spectabatur.

Quartò, quia domi ipsius Aman crux parata erat, ut constat tum ex Iosepho suprà, qui tradit erectam in palatio, tum ex cap. 7, sequente ℣. 9, ubi ait Harbona lignum stare in domo Aman, ut videlicet ipse hoc crudelissimo hostis sui supplicio tamquam jucundissimo spectaculo pasceretur.

Quintò: fortè etiam tantæ altitudinis trabem fixit, ut ostenderet sibi primo è cohorte regiorum amicorum id concessum tamquam eximii honoris titulum. Sic videmus Magnatibus & Dynastis præcipuis Belgii indultum, ut in suæ ditionis locis, furcam vel patibulum extollant duplo celsius, quam communibus, & vulgaribus nobilibus concedi solet.

Adde crucem eminentiorem erectam ad aliorum Iudæorum terrorem.

Suadent insuper fatui illi consiliarii, ut die postero facultatem à rege postulet Mardochæum in crucem agendi, fortè quia inconsulto Rege hoc impunè facere non fuisset licitum; vel, saltem ut majore auctoritate hoc fieret, & factum suum apud aulicos & populum defendere posset. Denique hortantur ut manè & primo diluculo hoc à rege petat, ut prius inexsaturabile odium expleret nece inimici, quàm dapibus regiis corporis famem exsatiaret: fore enim tunc convivium Reginæ gratius, sublato è medio Mardochæo.

Chaldaica Paraphrasis M. S. apud Sanctium hîc aliam causam profert, cur Zares potius Amano suaserit crucem Mardochæo parandam, quàm aliud mortis genus: Hanc adfero, non quod probem, sed, ut Lector mecum rideat Thalmudicum commentum & Iudæos rebus sacris ineptas fabulas admiscentes.

Sic ergo habet Paraphrasis. Dixit Zares ad Amanum: In ignem non poteris mittere Mardochæum, quia liberatus est Abraham pater ejus ab eo. In aquis non poteris suffocare eum; quoniam liberati sunt ab eis Moyses & filii Israel. In lacum leonum non poteris immittere eum, quia liberatus est ab eo Daniel propheta. Verumtamen fac patibulum in altitudinem quinquaginta cubitorum, & manè dic regi, ut Mardochæus suspendatur in eo: quia in hoc numquam probatus est unus ex his, qui liberaretur in patibulo ligni. Hæc Chaldaica Paraphrasis, cujus multa figmenta passim refert Sanctius.

64. Fabulæ Rabbinorum de Cruce paratâ Mardochæo.

QVÆSTIVNCVLA.

Virum Christi crux ob majorem illi parandam infamiam latronum crucibus altior fuerit.

ASserunt hoc loco quidam enarratores, in quibus Stephanus Menochius; Non inanis, inquit, est traditio Christi crucem aliorum crucibus fuisse celsiorem. Disputat verò hanc quæstionem Iacobus Gretserus l. 1 de Cruce cap. 7.

Cete-

65. Crux Christi latronum crucibus altior fuisse videtur ob has causas. 1. ob majorem ignominiam.

Ceteris excelsiorem fuisse Christi Domini crucem, hæc, quæ subjiciam, suadere videntur. Primò, Sicut Amanus implacabili odio in Mardochæum flagrans, quinquaginta cubitos altam trabem, instar columnæ statuit, ut illum insigniore probro & ignominiâ notaret, ipsumq; omnibus, ut hominem perditissimum, spectabilem redderet: ita Iudæi acerbissimi furoris tedis ardentibus in Christum inflammati, quàm maximo potuerunt dedecore afficere studuerunt, eóque Romanos milites impulerũt & adegerũt. Id fuit, cur Dominus crucifixus fuerit inter duos latrones, testante S. Ioanne c. 19. ℣. 18: *Crucifixerunt cum eo alios duos hinc & hinc, medium autem Iesum.*

Quemadmodum igitur illum tamquam seditiosorum malefactorum ac sicariorum principem & caput loco medio, qui notabilior & insignior est, fixerunt; ita simile vero est illum etiam cruce sublimiore locasse, tamquam in throno.

66. Thronus Regis altior sedilibus principum.

Notum verò est reges in solio editiore sedere solitos, qui thronis procerum & Satraparum emineat: quod vel ex historiâ nostrâ colligitur cap. 3, ubi versu primo dicitur Assuerus posuisse solium Aman super omnes principes, quos habebat: & 4 Regum 25. ℣. 28, *Evilmerodach Rex Babylonis posuit thronum Ioachin regis Iuda super thronum Regum, qui erant cum eo in Babylone.* Vnde discimus in aulis istorum regum, ut principes alii aliis digniores, & regi ipsi gratiores erant, ita etiam altiore throno consedisse; regem verò sublimissimo & eminentissimo. Ita habemus Gen. 41 ℣. 40. ubi Pharao Iosepho secundum in regno Ægypti locum & honorem concedit. *Tu eris super Domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet: uno tantum regni solio te præcedam.* Christum ergo Iudæi in cruce omnium procerissimâ tamquam in throno regali collocarunt inter duos cruciarios, sicut ante illum regiis insignibus per ludibrium donarunt, coronâ spineâ, arundineo sceptro, coccineo paludamento.

Altera causa.

Secundò, cùm Iudæi in illud toti incubuerint, ut morte turpissimâ Christum condemnarent, & famam ejus supplicio maximè infami obscurarent, eum cruci dedi petierunt, quæ tunc temporis simul erat acerbissima, & inhonestissima, ut constat ex sacrâ & profanâ historiâ, testante id etiam S. August. sermone 18 de verbis Domini c. 8: *Nihil*, ait, *illo tempore fuit ignominiosius, quàm mors crucis*: cur suspicari non liceat eos etiam in ipsâ cruce excogitasse maximam crucem, in genere ignominiæ scrutatos maximam ignominiam?

67. Tertia. Galba Romano cuidã altiorem crucem paravit, & Verres Gavio.

Tertiò, *Galba Imperator* auctore Tranquillo in Galbâ cap. 9, *tutorem, quòd pupillum, cui substitutus hæres erat, veneno necasset, cruce affecit, implorantique leges, & civem Romanum se testificanti, quasi solatio & honore aliquo pœnam levaturus, mutari, multoque præter ceteras altiorem, & dealbatam statui crucem jussit.* Sic ille. Volebat enim crucem & magnitudine & colore esse insigniorem.

Similis fuit illa Gaviana crux, ut eam vocat Lactantius Institut. divinarum lib. 4 cap. 18, quam Verres Gavio civem Romanum se esse clamanti statuit. Quod factum more suo summis eloquentiæ nervis insectatur Cicero Verrinâ quintâ.

Quartò, huic sententiæ fides additur, ipso etiam Gretsero assentiente, à picturis, in quibus videre est crucem humani generis Assertoris multo majorem & excelsiorem crucibus latronum. Quarta. Docent idem picturæ.

Quintò: Nec his obstat, quod Constantini Magni mater Helena Christi crucem non prius distinxerit, quàm illustri miraculo honoraretur & proderetur: Non enim opus erat tam præclaro prodigio, si crux Servatoris nostri sanguine imbuta magnitudine & formâ aliis eminebat. Non, inquam, hoc obstat, quia poterat eximiâ sanctitate prædita mulier discrimen hoc nescivisse, poterant etiam Patriarcha Hierosolymitanus & Iudæi fideles illius rei esse inscii. Denique quia Deo haud dubiè afflante & instigante per tot terrarum spatia salutiferum lignum piissima Imperatrix inquisivit; non debuit tantus, tamque divinus thesaurus aliter, quàm cœlesti quodam & inusitato signo huic orbi manifestari, ut nullus meritò nec Christianus nec Iudæus, nec gentilis de veritate vivificæ crucis posset ambigere, quam divinum testimonium patefecisset. Quinta. Videtur S. Helena ignorasse Christi crucem fuisse altiorem.

Hæc ita à me dicta sunt, non, ut Gretsero nostro planè velim contradicere, qui propius vero arbitratur omnes tres cruces Christi & latronum ejusdem fuisse formæ & magnitudinis, ita ut una ab alterâ non potuerit discriminari. 68. Probabile est Christi & latronum cruces fuisse magnitudine æquales.

Addit præterea aliquando cruces admodum fuisse humiles, ut cruces illæ, in quibus, 2 Reg. 21 Gabaonitæ filios Saulis fixerunt. Respha enim ℣. 10 illis assidens non dimisit aves eos lacerare per diem, neque bestias per noctem. Non poterant autem bestiæ, v. g. ursi, leones, lupi, omnes corpora ista discerpere, nisi lignis vel palis demissioribus suffixa fuissent. 69. Cruces quondam humiles fuerunt.

Præterea legimus in historiis Ecclesiasticis sanctos Martyres aliquando in crucem actos, bestiis nihilo minus objectos fuisse. Ita refert Eusebius lib. 5 histor. Eccles. cap. decimo. *Blandina*, ait, *in ligno suspensa præda bestiis occurrentibus objicitur, quæ quoniam & in crucis specie suspensa cernebatur, & ardentes preces fundebat, magnam concertantium mentibus alacritatem injecit, &c.* Hæc duo rectè arguunt cruces aliquando fuisse demissiores, ut corpora fixorum feræ devorare potuerint; sed nihil tale de cruce Christi probant. 69. Vt crux S. Blandinæ, quæ bestiis objecta.

CAPVT SEXTVM.

ARGVMENTVM.

Assuerus, Numine ita haud dubiè moderante, noctem, quæ Esthеræ convivium excepit, insomnem traducit, unde opportunitatem nactus curat sibi veteres annales relegi. Cùm autem audisset in illis operâ Mardochæi insidias sibi ab Eunuchis structas, fuisse detectas; intellexisset etiam nihil mercedis pro eâ fide eum accepisse, vocato ad se Amano, qui in atrio ante Basilicam ambulabat, expectans, ut à rege Mardochæo paratam mortem impetraret, ejus, super honore tam fideli ministro deferendo, exquirit sententiam. Amanus existimans regem sibi novum honorem exhibere velle, ex animi sui sententia dicit, virum, quem rex eximiè honorare vellet, regiis vestibus indutum, equoque regio impositum, regio diademate coronatum, à primario satrapa per publica civitatis compita circumducendum, eique ab eodem frenum tenente acclamandum: Sic honorabitur, quem Rex voluerit honorare. *Probatâ sententiâ jubet ab Amano Assuerus Mardochæum hoc modo per urbem duci. Coactus paret regis mandato Amanus; quo peracto lugens domum reversus, infortunium suum uxori & amicis narrat, qui, ex iis quæ acciderant, casum infelicem ei ominantur; quibus adhuc loquentibus ab Eunuchis regiis ad Esthеræ secundum convivium ire compellitur.*

TEXTVS.

NOctem illam duxit rex insomnem, jussitque sibi afferri historias & annales priorum temporum. Quæ cum illo præsente legerentur, 2 ventum est ad illum locum ubi scriptum erat, quo modo nuntiasset Mardochæus insidias Bagathan & Thares eunuchorum, regem Assuerum jugulare cupientium. 3 Quod cum audisset rex, ait: Quid pro hac fide honoris ac præmii Mardochæus consecutus est? Dixerunt ei servi illius ac ministri: Nihil omnino mercedis accepit. 4 statimque, rex, Quis est, inquit, in atrio? Aman quippe interius atrium domus regiæ intraverat, ut suggereret regi, & juberet Mardochæum affigi patibulo, quod ei fuerat præparatum. 5 Responderunt pueri: Aman stat in atrio. Dixitque rex: Ingrediatur. 6 Cùmque esset ingressus, ait illi. Quid debet fieri viro, quem rex honorare desiderat? Cogitans autem in corde suo Aman, & reputans quod nullum alium rex, nisi se, vellet honorare, 7 respondit: Homo, quem rex honorare cupit, 8 debet indui vestibus regiis, & imponi super equum, qui de sella regis est, & accipere regium diadema super caput suum, 9 & primus de regiis principibus ac tyrannis teneat equum ejus, & per plateam civitatis incedens clamet, & dicat: Sic honorabitur, quemcumque voluerit rex honorare. 10 Dixitque ei rex: Festina, & sumpta stola & equo, fac, ut locutus es, Mardochæo Iudæo, qui sedet ante fores palatii. Cave ne quidquam de his, quæ locutus es, prætermittas. 11 Tulit itaque Aman stolam & equum, indutumque Mardochæum in platea civitatis, & impositum equo præcedebat, atque clamabat: Hoc honore condignus est, quemcunque rex voluerit honorare. 12 Reversusque est Mardochæus ad januam palatii: & Aman festinavit ire in domum suam, lugens & operto capite: 13 narravitque Zares uxori suæ, & amicis, omnia quæ evenissent sibi. Cui responderunt sapientes, quos habebat in consilio, & uxor ejus: Si de semine Iudæorum est Mardochæus, ante quem cadere cœpisti, non poteris ei resistere, sed cades in conspectu ejus. 14 Adhuc illis loquentibus, venerunt eunuchi regis, & cito eum ad convivium, quod regina paraverat, pergere compulerunt.

VER-

VERSVS I.

Noctem illam duxit rex insomnem, jussitque sibi afferri historias & annales priorum temporum: Quæ cùm illo præsente legerentur;
Ventum est ad illum locum, ubi scriptum erat, quo modo nuntiasset Mardochæus insidias Bagathan, & Thares eunuchorum, Regem Assuerum jugulare cupientium.

Hebraicè: Et nocte illâ elongaverat se somnus regis (fugerat regem) & dixit, ut afferrent librum monimentorum verborum dierum: & fuerunt lecta ad facies regis (coram rege.)

Et inventum est scriptum, quòd indicasset, Mardochai de Bigthana & Teres duobus eunuchis Regis, ex custodibus liminis, quæsierunt mittere manum in Regem Achasueros.

Iosephus sic historiam suam prosequitur: Deus irrisit Amanis spem improbam, cui sciebat eventurũ longè aliud. Nam eâ ipsâ nocte somnum Regi ademit: qui nolens vigiliæ tempus perdere: sed malens in aliquod regni negotium id impendere, jussit scribam allatis commentariis res tam à se quam à majoribus gestas legere; quo legente intellexit quemdam ob rem egregiè gestam donatum amplis possessionibus in regione, cujus nomen erat asscriptum; alium ob fidem munera accepisse pretii maximi: tandem ventum est ad eum locum, qui continebat Bagathoi, & Theodestis eunuchorum conjurationem, Mardochæi detectam indicio. &c. Hæc Iosephus, plura, ut vides Lector, addens, quam in primigenio Hebræo habeantur.

COMMENTARIVS.

1. Divinæ providentiæ clara indicia in hac historiâ.

TRansgressio hîc fit ad alterum actum Tragœdiæ sacræ, cujus Choragum agit divina Pronœa sive Providentia, *quæ attingit à fine ad finem fortiter & disponit omnia suaviter*: Illa scenæ aliam faciem & apparatum induxit, & quod illi proprium est, jacentem incepit erigere Mardochæum, & vertice sidera prope ferientem Amanum ad ima deprimere. Qui hanc subitam, insperatam, stupendam rerum conversionem, & Anastrophen alii quàm Deo summo moderatori adscribit, planè delirat. Ille, ille fuit, qui non surda aure Reginæ religiosissimæ, & sui Numinis observantissimi Mardochæi, & Iudæorum humiles obsecrationes excepit, ipsorum lacrymas, humi cubationes, prompto animo susceptam inediam, & alias corporis afflictationes benigno vultu inspexit. Ille, qui Regis somnum interrupit; Ille qui mentem eidem injecit, ut Annales veteris memoriæ, & rerum, quæ se imperante evenerant, sibi ab Anagnoste vel scribâ perlegi curaret, illisque potius, quam vanis spectaculis, rerum ludicrarum narratiunculis, tibiarum, fidium ac vocum melicis concentibus animum intenderet: Ille, qui suaviter disposuit Annalium lectionem, ut in oculos incideret Mardochæi præclara fides in Regem: Ille, qui Assuerum permovit, ut vitæ suæ assertori, & Alexicaco dignam mercedem & præmium persolveret; Ille, qui Amanum cædem & sanguinem Mardochæi anhelantem albescente die voluit adesse, non, ut suæ perversæ voluntati obsecundaret, sed, ut propriæ ruinæ mox secuturæ, & Mardochæi exaltationi volens nolens præluderet. Ille, qui regi suggessit, ut ab Amano hoste Mardochæi capitalissimo quæreret: *Quid debet fieri viro, quem Rex honorare desiderat?* non expresso nomine Mardochæi, ne Amanus tergiversaretur & vel nullum vel exiguum ei præmium attribueret, sed solum genera tum virum honore dignum diceret. Sic Deus Amano bellè illusit juxta illud Psalmi 2 ℣. 4: *Qui habitat in cælis, irridebit eos, & Dominus subsannabit eos.*

Certè Septuaginta Interpretes, & illos secutus Iosephus ajunt Deum regi somnum ademisse, & consentiunt Expositores. Vnus sufficiat Cajetan. Dicitur, inquit, in textu Hebræo somnus à rege evanuisse, ut ostendatur vigiliam illam non fuisse voluntariam, sed Deo disponente per hæc media exaltationem Mardochæi per Amanum.

1. Divinam providentiam hîc agnoscunt Septuaginta Interpretes & alii.

Itaque non oportet hanc regis insomniam tribuere vel ipsius crapulæ & ebrietati, quæ teste Plinio inquietudinem nocturnam generant; licet enim prudie, ut dicitur cap. 5 ℣. 6, vinum abundanter biberat, bibit tamen illud citra temulentiam, nec aliud ex scripturâ colligi potest: Nec verò etiam tribuenda eadem ipsius ægritudini, vel malæ corporis affectioni, cum nullus illius meminerit, sanumque passim Assuerum videamus, & postridie alacrem ad epulas redeuntem.

2. Non tribuenda vigilia regis crapulæ, aut malæ valetudini, vel nimiis curis.

Minus improbabiliter dixerit forte quis, soporem regi excussisse graves curas, & publicorum imperii negotiorum distentionem. Si enim patrisfamilias solicitudo propter bonum domesticorum susceptа quietem membris per noctem sæpe non concedit, Sirachide affirmante cap. Ecclesiastici 31 ℣. primo: *Vigilia honestatis* (de divitiis) *tabefaciet carnes, & cogitatus illius auferet somnum*: & iterum, cap. 42 ℣. 9. *Filia patris abscondita est vigilia, & solicitudo ejus aufert somnum &c.* quanto magis rerum publicarum onus Imperatoris humeris velut Atlantis cujuspiam incumbens omni quiete per totam noctem eum privare sufficiet? Sed ad primam causam Regis vigiliam referamus, ad Deum, inquam πολυόφθαλμον, Argo oculatiorem, ad ipsius insopitam providentiam; si quidem *non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israel*, Psal. 120 ℣. 4. Voluit ille Assuerum in terris suum vicarium &

pro-

proregem, etiam noctem insomnem agere, & pro salute populi sui excubare, & rebus Iudæorum jam prope depositis & desperatis suavi simul & forti providentiâ succurrere, quod futurum erat Mardochæo evecto, & Amano prostrato.

Notant verò Interpretes non necessariò Regem totam noctem vigilasse, ut verum sit noctem duxisse insomnem: fortè duabus primis vigiliis somno indulsit, & post noctis meridiem somno interrupto Annales popposcit, nolens tempus otio perdere; cùm autem aurorâ rubente Amanus, qui & ipse fortè somnum non viderat oculis, irâ cum coquente & versante, aulam ingressus esset, ad honorandum Mardochæum evocatus est. Laude verò dignus Assuerus, qui veteris memoriæ & etiam recentis librum à scribâ quopiam legi voluit, ex quo officii sui moneretur. Dicitur hic liber Hebraicè monimentorum: Cajetan. reddit, Recordationum; Mariana, maximè memorabilium; eò quòd præponatur elementum ם quod regimini junctum, auctore Kimchi, Emphaticum est, & majorem vim obtinet: Latinè vocare possumus Commentarium, memoriæ subsidium.

Additur Hebraicè, verborum dierum, id est, in quem librum res diebus singulis gestæ relatæ fuerant (Latinè appellamus diaria seu Ephemerides) quo nomine etiam usus fuit sacer auctor cap. 2 versu finali: ubi ita legimus Hebraicè: *Et scriptum est in libro verborum dierum coram rege*: Latinè verò habemus: *Mandatumque est historiis, & Annalibus traditum coram rege*, quo loco historia hæc narratur; ut & cap. 12 postea, ubi etiam liber hic memorabilium dicitur Commentarii.

Dicuntur etiam duo eunuchi qui conati sunt mittere manus in Regem, Hebraicè custodes liminis: cap. 12 Ianitores palatii, Latinè; & c. 2 janitores, qui in primo palatii limine præsidebant. Cajetan. hic vertit, custodes malluvii. Sed de his suo loco dicendum.

PRIMVM MONITVM POLITICVM.

Vigilantia virtus Reipub. moderatore digna.

SCribunt Doctores Hebræi, ut testantur Magalianus & Selarius in 24 caput Iosue, fortissimi illius & religiosissimi Ducis Mausoleo Israelitas simulacrum solis, cujus cursum ipse precibus suis & imperio sisterat, insculpsisse, præter clypeum elevatum & toties victorem gladium, exuvias & opima spolia ab hostibus reportata &c.

3. Sol insculptus Mausoleo Iosue quid significarit.

Multa Solis illa radiata imago adumbrat, quæ omitto & ad enarratores Lectorem relego. Præter autem primariam notam, quâ indicabatur Solem ex illius cineribus & sacris ossibus quasi adhuc pullulare, & exsurgere, qui vivus inaudito antea prodigio ad illius nutũ steterat, &, quod vult Magalianus, quia Sol justitiæ numquam illi occiderat, qui ad tumulum usque virginitatem extulerat: addo ego cum aliis, denotari eo symbolo inexpugnabile illius robur, & infatigabilem providentiam, omni tempore pervigilem, ut inimicos Domini persequeretur, & in terram promissam populum electum perduceret.

4. Vigilantiam & providentiam Iosue indicabat.

Solet enim virorum magnorum assidua cura typo astrorum, rerum sublimium, ipsiusque cœli describi, ut etiam cœlum Ægyptii ob suam perpetuam volubilitatem côrde picto, cui foculus ardentibus prunis subjectus erat, olim exprimebant, auctore Plutarchõ lib. de Iside & Osiride.

5. Vigilantia magnorum virorum exprimitur typo cœli, cordis pectoris & foculi ardentis, &c.

Ita vasta illa & cœlestis auræ plena clarorum ducum pectora assiduis laboribus & sollicitudinibus agitantur, instar cordis flammei, aut cœli numquam quiescunt: sciunt cum Vespasiano, apud Tranquillum, se stantes mori oportere. Assentitur mihi Pacatus in Panegyrico Theodosio Augusto recitato. *Gaudent profectò*, ait, *divina perpetuo motu, & jugi agitatione se vegetat æternitas, & quidquid homines vocamus laborem, vestra natura est. Vt indefessa vertigo cœlum rotat, ut maria æstibus inquieta sunt, & stare sol nescit: ita, tu Imperator, continuatis negotiis, & in se quodam orbe redeuntibus, semper exercitus es.*

6. Imperator similis cœlo, Soli, mari esse debet, qui perpetuo moventur.

Homerus Poëtarum, judice Velleio Paterculo, sine comparatione, ingenio maximus, initio Iliados secundi, & Deos, & viros bellicosos noctem totam dormientes inducit, Iovem verò Deorum principem insopitum, animo multa volventem: qui etiam, ad Agamemnonem Græcorum regem somnium mittit, quod somnum illi rumperet, & excitaret ad Græcorum exercitum armandum, hisce versibus:

7. Iupiter insomnis ab Homero inducitur & Agamemnon excitari ab eodem jubetur.

Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα,
Ὧι λαοί τ' ἐπιτετράφαται, καὶ τόσσα μέμηλεν.

Quæ versu Latino ita reddo:

Non decet in solidam prudentem sternere noctem,
Cui tot commissi populi sunt, tantaque curæ.

Monitum tanto poëtâ dignum, quod regem oculis & animo in suorum bonum excubare jubet. Exemplum populorum moderatoribus indefessæ vigiliæ sit Palamedis avis, Grus, de quâ multa produnt Ornithologi, ut videre est apud Vlyssem Aldrovandum Ornithologiæ lib. 20. c. 5. Ajunt ergo inter alios Plutarch. lib. de animalium industriâ, Solinus, Plin. lib. decimo, capite vigesimo tertio, Ælianus lib. 3 de animal. cap. 13, alii, in Gruum Repub. dum ceteræ capite subter alam posito, quieti, somnoque indulgent, unamquamque earum per vices nocturnis temporibus excubias agere, lapillum pede sustinendo, qui laxatus somno & decidens indiligentiam coarguit. Vnde, inquit Plutarch. non est cur istud Herculis adeò quispiam miretur, quòd alæ subdens arcum hærentem brachio, & dextrâ clavam regens manu, quiesceret.

8. Gruum vigilantia.

9. Rursus, Herculis.

Hanc tam insignem alitum vigilantiam æmulatum fuisse Magnum illum Alexandrum Macedonem legimus, si quando pervigilandum esset: Nam pelvis ænea prope lectum sita erat, supra quam brachium exporrectum habebat, pilam, ut Ammianus Marcellinus loquitur, argenteam manu complexus, quæ, si quando somno vinceretur, elapsa, sonoro strepitu soporem abrumperet. Sed de sollicitâ gruum custodiâ, & naturali politiâ plura suggerit S. Ambrosius lib. 5, Hexamer. c. 15, & alii apud Aldrovandum suprà in Moralibus.

10. Item, Alexandri Macedonis, Aristotelis.

Quod autem retuli de Alexandro sphæram argenteam manu continente, dum somno operam daret, tribuit Aristoteli in ejus vita Laërtius: Sed potuit hoc discipulus à magistro didicisse.

Apollonius cùm Vespasianum nondum Imperatorem

11. Vespasianus ab eâdem commendatur.

ratorem diluculo ad negotia tractanda surgere comperisset dixisse fertur: ἀνὴρ ἄρχειν. Vir imperabit, ut Philostratus in Apollonio.

12. S. Thomas Cantuariensis vigilantiam suam propugnat.

Cum sanctissimus Martyr & Pontifex Cantuariensis Thomas à quodam Episcopo moneretur, ut contra Henricum Angliæ regem jura Ecclesiæ invadentem lenius ageret; animose respondit: Clavum teneo, & ad somnum me vocas?

Si gubernator, qui in puppi sedet, clavumque regit, instar Palinuri in somnum solvatur, quid spei supereſt Reipub. navi; nisi ut amisso gubernaculo in brevia & saxa feratur, ipseque in pelagus prolabatur?

Alibi demonstravi leonem hieroglyphicum characterem esse Regis. Accedunt verba Hori Apollinis in suis Hieroglyphicis, ubi ita scribit: *Ægyptii vigilantem, sedulumque hominem, aut etiam custodem ostendentes, Leonis caput pingunt; quoniam leo vigilans oculos claudit, eosdem cum dormit, apertos habet, quod quidem custodiæ atque excubiarum signum est.* Idem tradit S. Epiphan. in Physiologo.

13. Leo vigiliarum symbolum.

Ejusdem diligentiæ & sedulitatis argumentum ferunt esse Delphinum (cui eruditi imperium & coronam pulcium attribuunt) Vivisi quondam familiare signum. Siquidem perpetuo motu præditum esse: nec quoad vivit, ne dormientem quidem à motione quiescere. Cùm enim opus est somno, ex alto ad summam aquam elatus, ut totus videatur, dormit: non enim somni expers est: atque ita dormiens in profundum tamdiu depellitur, quoad imam sedem maris contingat: ad quam postquam funditus demersus est, terræ pulsu e somno excitatur; deinde ex alto emergit, ac repetito somno, ut prius, ad maris fundum depulsus, expergiscitur: tum rursus eminet extra aquam: & hoc ipsum sæpe facit, eamque ob causam inter quietem & actionem degens, numquam omnino à motu cessat. Ælian. lib. 11 cap. 22. historiæ animalium. Si vita cujuslibet hominis vigilia & est, & dicitur, quanto magis Principum, qui vigiles & pastores sunt populorum, quorum typus fuit Argus ille totus oculeus, vel potius oculus.

14. Item Delphinus.

Vita hominis vigilia.

15. Annibal insomnis.

De Annibale cecinit Silius Italicus lib. 12.

Pœnus, ut ad somnos vix tetum cursibus actæ
Indulsit pubi noctem, vigil ille, nec ullam
Ad requiem faculis, credensque abscedere vitæ,
Quod sopor eriperet tempus.

16. Excubitor regem Persarum ad vigilandum excitabat.

Quemadmodum verò multa præclara apud Persas viguerunt instituta; ita illud præstantissimum facile fuit, quod diebus singulis (auctore Plutarcho libro πρὸς ὑμμόνα ἀπαίδευτον adversus ducem imperitum) Reges excitabantur ab uno ex cubicularibus, his verbis: Ἀνάστα βασιλεῦ, καὶ φρόντιζε πραγμάτων: *Evigila rex, & negotia cura.*

17. Princeps ut terrestre Numen, semper animo excubare debet.

Princeps, postquam exactori somno tributum persolvit prout natura postulat, ad seria consurgere tractanda debet. Meminerit se quemdam Deum cetrigenam esse. Vt autem benefica illa Numinis providentia semper quidpiam agit, &, ut omnium moderatrix curâ suâ universa complectitur, unde & dicitur habere ἀκοίμητον ὄμμα, *insopitum oculum:* ita & Reipub. clavum gubernans cum tot & tanta negotia sustineat, nusquam & numquam connivere, aut nictari debet, sed in omnem officii sui partem oculos vigiles intendere. Cogitet se, quò plus vigilat, plus vivere: & illud Platonicum revolvat lib. 7 de Legibus: καθεύδων ἀνὴρ ἀνδρὸς ἀνδρὸς ἄξιος. *Dormiens nullius alicujus est pretii.*

18. Dormiens nullius alicujus est pretii.

Aristoteles primo Oeconomiæ cap. 6, cùm Oeconomum institueret, ajebat expergisci oportere prius Dominum quam servum, & cubitum ire posterius: hoc enim præclarum esse ad virtutem, & conducibile ad rei domesticæ administrationem. Quid igitur facere par est illum, cui magnum imperium domus una est, cui tot famulorum millia ad nutum obediunt? An æquum est servis excubantibus languido & inerte somno succumbere?

Dominus evigilet ante servos.

Vt navis impulsa, cùm remiges inhibuerunt, retinet tamen motum & cursum suum, intermisso impetu pulsuque remorum: sic animus Imperatoris studio honestissimarum rerum pridianò imbutus dum quiescit, impulsum suum etiam retinet, & laudatissimam agitationem, quam nec in somno demittit. Præclare S. Basilius Oratione in S. Iuliittam somnia vocat ἀπηχήματα μεθημερινῶν φροντίδων. q. d. *sonos resultantes vel simulamenta actionum & curarum diurnarum.*

19. Imperator negotiis diurnis & diurnis intentus, eadem per somnum retractat.

Sic dicebat Aristoteles apud Tullium lib. 2. de divinatione, mentem sæpe incidere in visa diversa ex reliquiis inhærentibus earum rerum, quas vigilans gesserit aut cogitarit.

Idem S. Basilius, somni & ipse parcissimus, ait Oratione de Baptismo: *Iis καθεύδων τρόπαιον ἔστησε; Quis unquam dormiens trophæum statuit?* Promsit enim Dominus coronam vigilantibus.

Scitum est ex Numerorum libro cap. 17 floridam illam Aaronis virgam fuisse Amygdalinam. Amygdalus autem argumentum & sacra tessera est vigilantiæ & diligentiæ, eò quòd prima inter arbores post tempora brumæ, flores producat, & quasi vigilet; unde & linguâ sacrâ dicitur שקד *soaked*, id est, vigilans; dicitur etiam Ieremiæ primo ℣. 10 *Virgam vigilantem ego video*; ubi alii reddunt virgam Amygdalinam. Virga itaque Amygdalina in manu Pontificis, & sacri Principis symbolum est ipsum excitans, urgens, & quasi aurem vellens, ut super gregem suum vigilet, rationem de animabus sibi commissis Deo redditurus. Sed de Pontificum vigilantiâ hîc non agimus primariò, sed de Regum curâ. Principis vigilantia omnium somnos defendit, omnium otium ipsius labor, omnium delicias illius industria, omnium vacationem illius occupatio.

20. Amygdalus symbolum vigilantiæ.

Monitum Politicum Alterum;

Studium veterum Annalium principe dignum & commendabile.

NOctem insomnem duxerat Artaxerxes Dei hominum custodis nutu: cùm verò, inquit, Iosephus, vigiliæ tempus inutiliter consumere nollet, mahut illud regni tractandis negotiis impendere; unde jussit scribam allatis commentariis res tum à se, quàm à majoribus gestas legere, eodem certè incentore Deo.

Nota verò ex Brissonio lib. 1 de regio Persarum principatu, Regibus Persarum fuisse historicum, qui omnia quæ in regno contigerant, in scripta referebat, qui libri vocabantur βασιλικαὶ

μαΐς, de quibus hîc habes, & suprà c. 2 ℣. ultimo, ubi sic legimus; *Mandatumque est historiis & Annalibus traditum coram rege*; quæ quidem hic Rex coram se jussit afferri & legi. Sic etiam primi Esdræ 4 ℣. 15 hujusmodi libri vocantur historiæ Patrum & commentarii. Hos commentarios re exigente reges inspici curabant, ut patet tum hîc, tum primo Esdræ suprà, ℣. 19. Vnde habebant duplicem Bibliothecam, quæ Esdræ supra c. 5 ℣. 14 appellatur Bibliotheca Regis, & ut Hebræi volunt, domus thesaurorum, & in unâ earum, sicut ajunt, servabantur libri, qui ad doctrinam pertinebant, in alia reponebantur codices qui rem nummariam spectabant. Hæc Brissonius.

21. Historicus Regis Persarum, & Bibliotheca, & libri.

Ex illo ergo Amalthæo suo & gazophylacio non poposcit Assuerus Vniones & Indici maris lapillos, elenchos, cælatumve aurum, aut signa, vestemque Medicam aut Persicam; non libros amoribus & fabulis blandientes, sed depromi mandavit veterum regum gesta, & quæ sub ipsius imperium acciderant, res lectu & memoratu dignas, quarum honestissimâ & jucundissima lectione, simul & animum oblectaret, & erudiret.

22. Rex ex nullâ re melius prudentiâ haurit, quàm ex lectione historiæ; quia peregrinari illi non datur.

Ex quo enim fonte Reipub. gubernator melius, purius, tutius prudentiam, & bonum publicum procurandi rationes hauriat, quàm ex historiâ? Non concessum est regibus peregrinando varias lustrare provincias, ex quibus mores gentium multarum discant, & rerum plurimarum usum in memoriæ suæ penu recondant, ut Vlysse contigit, Æneæ & aliis ducibus: quin verò sibi subjectas regiones per Satrapas, Prætores & Magistratus administrare coguntur, quorum operâ tamquam oculis & auribus utuntur: Sed tamen datur frequenter animo repetere majorum suorum præclara exempla, quibus lectis flamma ad imitandum in eorum pectore accendatur: ubi etiam, si quid turpe & dedecore plenum occurrat, fugiendum sibi omni contentione perspiciant.

22. Fructus lectionis historiarum ex Diodoro, ex Livio & aliis.

Egregiè Siculus Diodorus Procemio libri primi Bibliothecæ, agens de fructu, qui ex lectione veterum Annalium decerpitur. *Historias*, inquit, *legentibus citra periculum ostenditur præteritorum exemplis, quid nobis appetendum sit, quidve fugiendum.* Et mox: *Sola historia verbis res gestas repræsentatas omnem complectitur utilitatem. Nam consentientes ad honestum impellit, detestatur vitia, probos extollit, deprimit improbos.* Hæc ille & plura digna lectu. His gemina scribit lacteo eloquentiæ flumine Livius decadis primæ libro primo ipso in capite. *Ad illa*, inquit, *mihi pro se quisque acriter intendat animum, quæ vita, qui mores fuerint*; (priscorum Romanorum) *per quos viros, quibusque artibus domi militiæque & partum & auctum imperium sit.* Et paucis interpositis. *Hoc illud est præcipuè in cognitione rerum salubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita monimento intueri. Inde tibi, tuæque Reipublicæ, quod imitere capias, inde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites.* Hæc ille.

Notum est illud Encomium historiæ, scholis & exedris Rhetorum decantatum: *Historia testis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nuntia vetustatis*; ex Tullio l. 2 de Oratore. Scitum etiam est illud Sapphicum elegantis poëtæ:

O vetustatis memoranda custos,
Regios altis simul & fugaces
Temporum cursus docilis referre
Aurea Clio.

23. Demetrius Phalereus ad studium librorum de Republ. scriptorum Ptolomæum Philadelphum hortabatur.

Hinc Demetrius Phalereus, is, qui Alexandrinæ Bibliothecæ præfuit, eamque optimis libris, etiam sacris Biblis Græciæ donatis instruxit, Ptolomæum Philadelphum monere solitus erat, ut sibi codices compararet de regno, deque militari disciplinâ rectè administrandâ, eosdemque revolveret, eò quòd illa, de quibus amici & consiliarii Reges non audent admonere, libris scriptis contineantur. Ita Laërtius in ejus vitâ lib. 5 c. 5. Plutarch. in Apophtheg. Græc.

24. Historiæ lectio morbis animi & corporis medetur, & alia commoda præstat, ut docent auctores.

Adde his, historiæ lectionem frequenter animi morbis, perturbationibus, & cupiditatibus facere medicinam præsentem, & si fabulis fides est adhibenda, etiam corporis ægritudinibus. Vnde auctore Plutarcho de Mulierum virtutibus, in Argivis, Telesilla honestis edita natalibus femina, sed corpore languido ad oraculum misit, sciscitatura: cui responsum est: *μίσας ἰατρικὴν*; *Musas curare.* Ex quo litteris addicta, non modò erudita evasit, sed & ægritudini corporis remedium adhibuit: Hinc extat Proverbium *Telesilla Pharmacum.* Ergo litteræ & animo & corpori prosunt.

Seneca ad Lucilium epistola 16: *Litteræ animum formant, & fabricant, vitam disponunt, actiones regunt, agenda & omittenda demonstrant, sedent ad gubernacula, & per ancipitia fluctuantium dirigunt cursum.*

25. Oratio Basilii Imperatoris ad Leonem filium.

Basilius Imperator Constantinopolitanus inter sexaginta sex exhortationum capita ad Leonem filium cognomento Philosophum (ut habetur Tomo 9 parte 2 pagina 1. Bibliothecæ SS. Patrum ultimæ editionis) sic scribit cap. 56: *Evolvere ne umquam cesses Historias veterum: ibi enim reperies sine labore, quæ alii magno cum labore congesserunt: atque inde bonarum virtutes, & improborum vitia cognosces, & vitæ humanæ varias mutationes, & rerum in eâ conversiones: mundi hujus instabilitatem, & imperii ad cadendum pronitatem disces. Breviter malefactorum pœnas, & bonorum præmia leges: quorum illa fugies, ne ultimis, quæ inde sequitur, severitatem patiaris: hæc autem amplecteris, ut præmia, quæ ex eis manant, consequi merearis.* Hæc Basil. Imperator.

Enimvero exempla demus eorum Principum, qui studio historiarum volvendarum sese dediderunt.

26. Alphonsi Aragonum regis labor indefessus in historiis volvendis.

Inter hos primas facilè tenuit Alphonsus Aragoniæ & Neapolis Rex, de cujus dictis & factis extat libellus Antonii Panormitæ, & in eum commentarius Iacobi Speigelii, & Æneæ Sylvii: de cujus indefesso labore in libris veterum perlegendis plura commemoravi Commentar. meis in Ecclesiastici cap. 39 ad ℣. 15. Hîc unum solùm addam ex eodem Panormitâ ibi prætermissum.

Alphonsus Capuæ adversâ laborans valetudine, Medicis multa medicamenta adhibentibus, Q. Curtii historias de Alexandri Magni rebus gestis legere cœpit, cujus lectione delectatus, cùm omnem morbi gravitatem superasset: *Valeat*, inquit, *Avicenna, valeat Hippocrates, & alii Archiatri. Vivat Curtius restituter sanitatis mea.*

Ni-

27. Ruſus, Conſtantini Magni.

Nihil attinet de Magni Conſtantini aſſiduo, etiam nocturno ſtudio hîc dicere, de quo tum alii, tum Euſebius lib. 4 vitæ ejus hæc prodidit cap. 29. *Equidem ſuam ipſius mentem quodam quaſi afflatu & inſtinctu divinarum rerum exaggerans, totas ſæpe noctes ſine ſomno traduxit, & cum per otium liceret, orationes ſcribens, frequentes cum ſuis inibat congreſſus*, &c. Vide eumdem cap. 55.

Servavit piiſſimus princeps, ut & alii virtute illi non impares, præceptum divinum, quod traditur Deuteronomii 17, verſ. 18, 19.

27. Lectio Deuteronomii à Deo commendatur Regibus.

Poſtquam autem ſederit (Rex) *in ſolio regni ſui, deſcribet ſibi Deuteronomium legis hujus in volumine; accipiens exemplar a ſacerdotibus Levitici tribus; & habebit ſecum, legetque illud omnibus diebus vitæ ſuæ; ut diſcat timere Dominum Deum ſuum, & cuſtodire verba & ceremonias ejus, quæ in lege præcepta ſunt.* Item Ioſue 1, ℣. 8 dicit Dominus Ioſue: *Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo: ſed meditaberis in eo diebus ac noctibus*; &c. quod Ioſue præſtitiſſe non eſt dubium. Multa commemorare in promptu eſt de Romanorum Conſulibus, Dictatoribus, Imperatoribus, quibus auctores etiam Græcos; *Nocturna verſare manu, verſare diurna*, volupe erat.

28. Scipio Africanus aſſiduus Lector Pædiæ Cyri.

Conſtat Scipionem Africanum Pædiam Cyri vix umquam depoſuiſſe de manibus, ex eaque non tam vera, quàm ad juſtiſſimi & fortiſſimi principis ideam expreſſa, omnium virtutum Imperatore dignarum exempla laudumque cumulos collegiſſe, qui fructus eſt hiſtoriæ.

Idem dicendum de Catone Vticenſi, Iulio Cæſare, L. Æmilio Paulo, & aliis.

28. Carolo Magno hiſtoriæ legebantur.

Carolo Magno Imperatori in cœnâ & prandio præclaræ antiquorum prælegebantur hiſtoriæ, ut eſt auctor Cranzius lib. 2. Saxoniæ c. 8.

28. Alexander Severus conſulebat hiſtorias.

Alexander Severus, teſte Lampridio, dubiis in rebus peritos hiſtoriæ conſulebat.

28. Carolus idem Quintus.

Scribunt nonnulli Carolum V. Auſtriacum ad tantam gloriam extuliſſe æmulationem Ludovici Galliæ Regis undecimi, cujus Philippus Comineus hiſtoriam texuit. Theodoſius junior cum pro ratione ſui principatus per diem graviora negotia compoſuiſſet, nocturnæ quietis non exiguam partem pervolvendis priſcorum monimentis, ſacris etiam codicibus deſcribendis tribuebat: unde lucerna illius etiam ἀνεπαίσθητος quæ ſponte ſemper oleum inſtillabat, nec operâ miniſtrorum liquorem infundentium indigebat, non minus prædicatur quàm illa Cleanthis aut Epicteti: Nec magis lucerna ejus ob artificium miranda eſt, quàm tanti Imperatoris vigilia, & ardentiſſimum litterarum, præſertim ſacrarum ſtudium. Vide Sozomenum Præfatione in ſuam Eccleſiaſticam Hiſtoriam.

28. Theodoſius Junior ad lucernam monimenta veterum legebat.

29. Liberalitas Theodoſii Junioris erga ſcriptores rerum ſuarum, & labor indefeſſus in veterum ſcriptis evolvendis.

Vbi etiam deprædicat ejuſdem Theodoſii, cui opus ſuum inſcribit, eximias & dignas Imperatore virtutes, & inprimis liberalitatem erga eos qui res à ſe geſtas conſcripſerunt, quos tum approbatione, tum plauſu, tum aureis imaginibus, tum ſtatuis erectis, tum donis, tum honoribus cujuſque generis remunerabatur, eo in genere ſuperans Cretenſes munificentiâ erga Homerum, Alevadas erga Simonidem, Dionyſium Siciliæ tyrannum erga Platonem, Philippum Macedonem erga Theopompum, Cæſarem Severum erga Oppianum. Deinde ſubjungit: *Tu verò, ô Imperator, nemini, qui poſt homines natos vixerit, in doctrinæ ſtudioſis remunerandis ſecundus es; quod quidem non ſine cauſâ, meo quidem judicio, abs te factum eſt. Nam dum omnes ſtudes veterum ſplendore ſuperare, tuarum rerum ſtatum magnopere adauges: ob quam cauſam etiam hiſtoriam de rebus præclarè tum à Græcis, tum à Romanis geſtis conſcriptam accuratè evolviſti.*

Mox ſubjicit, quæ commemoravi de lucubrationibus ipſius nocturnis, & alia plura.

Aula ejus inſtar monaſterii.

Nec diſſimilia his refert Socrates in ſuâ Eccleſiaſticâ Hiſtoriâ lib. 7 cap. 22, & inter alia: *Theodoſii regia non diſſimilis fuit monaſterio. Nam primo diluculo ille ipſe cum ſororibus ſuis hymnos alternatim decantatos recitavit. Quin etiam Sacras litteras memoriter pronuntiavit. Nam cum Epiſcopis perinde ac ſi ſacerdos jam olim deſignatus fuiſſet de eiſdem diſſeruit. Libros etiam, tum qui ſacra Dei eloquia complectebantur, tum qui ab eorumdem interpretibus conſcripti erant, multo diligentius quam Ptolomæus Philadelphus olim in unum colligendos curavit.* Hæc ille.

Bibliothecam ſacram inſtituit.

30. Hiſtoria emporium non auri, ſed virtutum.

Eleganter ergo Themiſtius: *gravium auctorum libros emporium eſſe dixit, ex quo non aurum, ligna, purpura, aut ejuſmodi merces exportantur, ſed virtus & prudentia loco mercium.*

Aſſuerus ex hiſtoriis didicit viros bene de ſe meritos præmiis afficere.

Ex priorum temporum relectâ memoriâ didicerat Aſſuerus noſter bene meritos de Repub. & perſonâ Regis viros debitis præmiis & honoribus afficere, quod ad ſtatum principatus inprimis pertinet.

Luculli ſtudium in legendis hiſtoriis.

L. Lucullus cùm eſſet Romæ ad bellum Mithridaticum profectus rei militaris omnino rudis, tantam inter navigandum rebus præclare ab aliis geſtis operam dedit, ut cùm in Aſiam veniſſet maximi illius Regis confeſſione atque judicio, omnibus quorumque ſeculorum Imperatoribus anteferretur. Ita Cicero.

Eleganter S. Nazianzenus Epiſtolâ ad Nicobulum. *Præclarum eſt*, inquit, *mentem S. Hiſtoriarum cognitione inſtructam ac refertam habere. Hiſtoria enim conglobata quædam & coacervata ſapientia eſt, hominumque multorum mens in unum collecta.*

31. Commendatur Ptolomæo ſtudium Hiſtoriæ à 70 Senioribus

Cum Ptolomæus Philadelphus à Septuaginta Interpretibus quæriviſſet, in quam rem optimè tempus conſumeret, ſic illi reſponderunt: *In rerum geſtarum cognitione, & in legendis incumbentium operum libellis temporis plurimum aſſumere oportet, & quæcumque ad conſervanda regna, emendandoſque hominum mores ſcripta ſunt, perquirere.* Ita Ariſtæas libello de 70 Interpretibus.

Pro honeſtate, utilitate, jucunditate quæ hauritur ex lectione hiſtoriarum legendus Maximus Tyrius diſſertatione 12.

31. Hiſtoriæ laus ex Politiano.

Angelus Politianus politi vir ingenii Præfatione in Suetonium ſic de eodem inter alia argumento ſcribit: *Verè hoc mihi videor eſſe dicturus, nullius aut facultatis aut diſciplinæ tantam utilitatem, quantam hiſtoriæ exiſtere; nam cùm perpetua ſtigmata inurat improbis, cùm ſempiternâ glorià afficiat bonos, illos à malis actibus metu dedecoris abſterreat, hos ad præclara facinora ſpe laudis adhortetur, magnâ meritò ex parte præſtantiſſima quæque excellentium virorum opera, dicta, factaque ipſi acceptæ referentur hiſtoriæ.* Hæc ille.

Ergo ſonus nolæ, quo mirificè boves & oves oblectantur, horrorem draconibus illis & monſtris marinis ingentem incutit.

Paria ſcribunt ferè Arrianus in rebus geſtis Alexandri, & Diodorus Siculus.

Iam ad Aquilam avium gloriam noſtra ſubvolet oratio.

Avis hæc non ſolùm dracones hoſtes nacta eſt, ſed & aviculam Trochilum, auctore Ariſtotele lib. 9 de Hiſtoriâ animal. cap. 11.

Sed nihil elegantius quàm quod fabulator Phryx finxit de implacabili & internecino diſſidio Aquilæ & Scarabæi, non diſſimili contentioni, quæ Amano fuit cum Mardochæo. Sic ergo habet fabula.

52. Fabula de odio inveterato inter Aquilam & Scarabæum.

Lepus, inſectante Aquilâ, in luſtrum Scarabæi profugit rogans, ut ab eo ſervaretur. Scarabæus aquilam oravit, ne occideret ſupplicem, per ſummum Iovem ne hoſpitii jura violaret, neve parvitatem ſuam contemneret. Illa verò ſtrata Scarabæum percuſſum terræ alliſit, leporemque acceptum devoravit. Scarabæus unà cum aquila ad nidum luſtraturus ſubvolavit, ut acceptam injuriam quavis ratione ulciſci poſſet; ad quem cùm veniſſet, ova aquilæ deorſum devoluta diſrupit. Illa indigniſſimè ferens quempiam repertum eſſe, qui hoc auſus fuiſſet, ſublevieri loco ſecundum denuò nidum conſtruxit, quò nihilominus ſimiliter Scarabæus ſubrepſit, & eodem, ut prius, facinore ova diffregit. Aquila conſilii inops ad Iovem confugit, inq; ejus gremio tertium ovorum partum deponit, obſecrans ut ea ſibi curæ ſint. Scarabæus, qui Iovem ſordibus inſuetum offendi ſciret, ex ſimo pilulam factam in ejus ſinum, in ſublime elatus, demiſit. Iupiter hanc ſpurcitiem exhorrens, cùm, ut eam excuteret, ſurrexiſſet, depoſiti immemor, cum ſimo, ſimul & ova gremio jacentia deorſum deturbata contrivit. Faſſus eſt Scarabæus ingenuè, id ſe non alia de cauſa facere, quàm ut vindictam de Aquila non ſolum in ſe injurioſa, ſed in Iovem etiam ipſum hoſpite alio juris vindicem contumelioſa, ſumeret. Itaq; Aquilæ reverſæ reiq; indignitate commotæ, Scarabæũ eſſe qui has ſurbas excitaſſet, eamque hac contumeliâ affeciſſet, & quidem jure merito Iupiter indicavit.

Hæc quæ de Antipathiâ dixi, ad Mardochæum & Amanũ ducere Lectori erudito proclive erit.

53. Voluptas ambitioſis ſimilis melli, quod guſtavit Ionathas in ſummitate virgæ.

Ambitioſi & cujuſlibet improbi gaudium & voluptas expreſſa mihi videntur in melle Ionathæ, de quo legimus primi Regum 14, 43. *guſtavit Ionathas in ſummitate virgæ paululum mellis.* Quantula fuit lætitia Amani! paululum mellis, quod ſatis non fuit ut comederetur, ſed ſolùm ſummis labris guſtaretur, vel prælibaretur, & quidem in ſummitate virgæ, ut dum mel percipitur, infigatur cuſpis: unde ſubdit ibidem Ionathas: *Et ecce ego morior.* Et ille: *Cum hæc omnia,* inquit, *habeam, nihil me habere puto, quamdiu videro Mardochæum,* &c.

54. Gaudia mundi ſemper permixta doloribus.

Innocentius Papa lib. 1 de contemptu mundi cap. 21. *Semper,* inquit, *mundanæ lætitiæ triſtitia repentina ſuccedit, & quod incepit à gaudio deſinit in mœrorem: mundana quippe felicitas multis amaritudinibus reſperſa eſt.*

Chryſoſt. homil. 69 in Matth. in fine, loquens de impiorum gaudiis: *Etſi,* ait, *mille voluptatibus abundare videantur, quamvis delectationum flumina adeſſe illis credantur; multis tamen amariſſimis telis perfoſſi, plerumque jacent.*

Irerum in Pſalm. 4. *Multi,* inquit, *eorum qui hæc poſſident* (gaudia mundi) *vitam non eſſe vitalem exiſtimant, & angoris fornacem in animo circumferunt, à curarum multitudine exhauſti, & continuis timoribus oppreſſi.* Hæc ille, ſignificans ubique triſtitiam permixtam voluptati rerum fluxarum, illamque cor exedere & depaſcere, cùm hæc ſolùm in vultu, oculiſque ſeſſitet, & corpus circumvolitet juxta illud:

Spem vultu ſimulat, premit altum corde dolorem.

54. Riſui dolore miſcetur.

Mire huic argumento convenit illud ex Paræmiis Salomonis divinum pronuntiatũ Prov. 14, 13. *Riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudii luctus occupat:* ſi primigenium textum Hebraicum conſulamus, qui habet: *In ridendo, vel in riſu dolebit cor; & extremum ejus lætitiæ triſtitia.* Cui etiam adſtipulatur Chaldæus: *Etiam in riſu dolet cor, & finis lætitiæ mœror.* Tranſtulit Symmachus: Etiam in riſu laborabit cor. Quid accommodatius ad mores Amani dici potuit? Cujus lætitiæ & alacritati ſimul permixtum cordolium ex Mardochæi conſpectu.

Gnome ergo illa paræmialis indicat ſimul eſſe riſum in ore, & ægritudinem in corde, & dolorem riſui permiſceri, & extremum gaudium (quod quidam pro ſummo & maximo accipiunt, ut poſterius membrum cum priore cohæreat) eſſe dolorem, hoc eſt, dolore interturbatum.

55. Similes fantaſmbitioſi cardiaco morbo laborantibus.

Salazar ſapientiſſimi Regis ſententiam allato hoc ſimili explicat & illuſtrat. Quemadmodum cardiaco morbo laborantibus contingit, ut ſtatim poſt riſum & motus lætitiæ geſtientis dolor, & affectio cordis ægri vehemens accedat; ſic ſanè accidit, ut gaudia effuſiora (ambitioſorum, proſperioris fortunæ flatu tumidorum) & voluptatem immodicam, deliciaſque exaggeratas dolor, luctus, & uberrimæ lacrymæ excipiant.

Præclarè pronuntiat Sophar Naamathites apud S. Iobum cap. 20 ℣. 5. *Laus impiorum brevis; & gaudium hypocritæ ad inſtar puncti.* Quæ verba Septuaginta ad rem noſtram ita reddunt: *Lætitia impiorum ruina ingens, gaudium autem iniquorum perditio.* Accipe autem lætitiam impiorum non ſolùm cauſaliter, quaſi illa ipſis pariat ruinam, ſed etiam quodammodo formaliter, aut in ſenſu potius identico, ut loquuntur Dialectici: *ipſa* enim *eorum lætitia eſt ruina ingens,* ut res ipſa loquitur in Amano, & *gaudium ipſorum perditio.* Eorum geſtiens exultatio, caſus eſt, & gaudio efferri, cadere, & perire. S. Chryſoſt. in Catenâ Græcâ, ſic ratiocinatur: *Si,* inquit, *ipſorum lætitia ingens eſt ruina, & gaudium perditio: quid dicemus eſſe ipſum interitum? dic, amabo te, quid dolorem? quid animi ægritudinem?*

56. Gaudium impiorum ruina & perditio.

Adſcribatur Amano, ipſique paribus hoc elogium. *Ecce in pace amaritudo mea amariſſima.* Iſaiæ 38, verſ. 17.

57. Ambitioſi ſimiles mari & Euripo.

Quamvis, quæ pax homini ſuperbiſſimo? Iſaiæ 57, verſ. 21: *Non eſt pax impiis, dicit Dominus Deus:* Vt enim in mari, maximè verò in Euripo, qui ſepties per diem fluit & refluit, numquam tranquillitas, & malacia conſiſtit, ſed perpetui ſunt motus & agitationes; ita ambitioſi animus continua vertigine fluctuat & æſtuat, & circumagitur, dum in eo perturbationes odii, invidiæ, ſuperbiæ, angoris, moleſtiæ certant, & depræliantur.

Vnde

Vnde ibidem aptè Propheta præmiserat v. 20. *Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest, & redundant fluctus ejus in conculcationem & lutum.*

Quæ ita transtulit Vatablus: Impii instar Euripi fremunt (cum videlicet ventis impellitur & jactatur) qui nescit quiescere, cùm aquæ ejus limo & luto turbantur, id est, cujus aquæ propellunt ad littus cœnum & lutum (hoc enim conculcationem vocat Propheta) scilicet rejectamenta & quisquilias maris, sordes, algam, spumas, quæ pedibus conculcantur.

Talis Amanus, cujus pectus ambitio variis motibus agitabat superbiæ, odii, invidiæ, furoris, vindictæ, nihilque aliud eructabat, quàm minas in Mardochæum & Iudæos, tandemque decumani illi fluctus eructarunt illi lutum & sordes, ignominiam, probrum & pœnas tum temporales, tum æternas.

58. Flet Alexander audiens plures esse mundos.

Perlege res gestas eorum principum, qui totis animis gloriæ, honorique velificarunt; Saulis, Absalomi, Alexandri Macedonis, Pompei, Iulii Cæsaris & aliorum, & liquidò cernes pectora eorum ingenti cupiditatum æstu & agitatione efferbuisse, & eos postea vitam exitu inglorio & fere sordido claudisse.

Cùm Magnus Alexander audisset Anaxagoram Philosophum differentem, innumerabiles esse mundos, illacrymasse dicitur: Rogantibus numquid accidisset lacrymis aliquid dignum: *An videor*, inquit, *immeritò flere, qui cùm mundi sint innumerabiles, nos nondum unius domini facti sumus?* Plutarch. de tranquil. animi & Iuvenalis Satyra 10.

Æstus & fluctus, quibus fervebat Euripus pectoris Alexandrini, intuiti sumus. Videamus jam tantorum fluctuum conculcationem & lutum.

Valerius lib. 8 cap. 13, alteri Philosopho hoc dogma attribuit. *Iam*, inquit, *Alexandri pectus insatiabile laudis, qui Anaxarcho comiti suo ex auctoritate Democriti præceptoris innumerabiles mundos esse referenti; Heu me, inquit, miserum, quod ne uno quidem adhuc potitus sum! Angusta homini possessio gloriæ fuit, quæ deorum omnium domicilio sufficit.*

Auctor libri primi Machabæorum cap. primo & sequentibus, enumeratis ejus victoriis & triumphis, *exaltatum est*, inquit, v. 4 *& elevatum cor ejus.* En fluctus sidera lambentes: postea verò v. 6. *Et post hæc decidit in lectum.* & v. 8 *& mortuus est.* En conculcatio, en lutum. Disputant & dissentiunt scriptores de genere morbi & mortis, ut videre est apud Raderum Commentariis in librum 10 Curtii c. 7. Sive morbus ex vinolentiâ & haustu scyphi Herculanei, sive venenum & aqua Stygia ipsi propinata per Cassandrum, illum sustulerit; mortuus est & quidem inglorio mortis genere. Ita Solinus de eo c. 16: *Victor omnium, vino & irâ victus, sic morbo vinolentiæ apud Babylonem, humiliore, quàm vixerat, fortunâ, exemptus est.*

59. Mors Alexandri ignobilis.

59. Quo genere mortis obierit, quæritur.

Alexander vivus ambiebat divinos honores: defuncto nec ultimus ille contigit honos, quem quivis homo persolvit homini, quantumvis humili. Narrant enim Q. Curtius, & Plutarchus Alexandri corpus multis diebus insepultum jacuisse, ob graves procerum contentiones de successione principatus.

59. Insepultus jacuit Alexander.

Nec minore famæ propagandæ & imperii extendendi cupiditate flagravit C. Iulius Cæsar Pompeio cedere nescius, cujus fluctus etiam in conculcationem, & inglorium fatum deberunt. Is, cùm Alexandri res gestas legeret, non tenuit lacrymas, atque ad amicos: *Hoc*, inquit, *ætatis quâ nunc sum, Alexander devicit Darium: mihi verò ad hunc usque diem nihil præclari facinoris gestum est:* Suetonius tradit id accidisse, cùm Prætor jure dicundo conventus obiens, apud Gades in templo Herculis vidisset Alexandri statuam. Funestum ejus exitum percensere omitto.

60. C. Iulius Cæsar Alexandri res gestas legens lacrymas non tenet.

61. Gaudium Amani tres tantum menses, & dies paucos duravit.

De brevitate lætitiæ ipsorum quid dicam? Si quis historiam hanc attentè pervolutarit à capite tertio usque ad septimum, videbit illud gestiens & exuberans Amani gaudium tres menses & panculos dies tenuisse, quibus secundum locum à rege insedit, cunctis regni Persici principibus antepositus; quo tamen tempore incredibili mœrore lancinatus & penè consumptus fuit, cùm se quidem videret ab omnibus, ut semideum quemdam coli, à Mardochæo Iudæo solùm negligi.

Quàm fallax verò fuerit Amani gloria, & inde concepta voluptas, dies sequens aperuit toti Persidi, imo orbi. *Cras*, inquit insipiens, *apud Reginam cum rege pransurus sum.* Rectè pransurus, nam apud inferos erat cœnaturus, corpus verò in cruce pascendum corvis legaturus. Quid pransurus? Toxicum, fel aspidum, mortem. Improvidus Amanus nesciebat quod prudentissima Heroina malum illi paratum & propinatura esset. An non fallax & illusoria gloriatio? Excelsam crucem sub vesperam pridie erigit, postridie antesolis occubitum in eâ figendus. Numquam inaudierat Amanus sapientissimi Regis aureum edictum, Prov. 27 versu primo: *Ne glorieris in crastinum, ignorans quid superventura pariat dies.* Hem! quantum malum præceleri aborsu capiti tuo totique familiæ producet lux crastina! partus ille te instar leunculi & viperæ discerpet, & lancinabit. Pariet tibi mortem in lancibus. Non tam capitalis umquam fuit Troiæ nixus equi Duratei, quàm tibi Estheræ fatales epulæ.

Cùm Kennethus rex Scotorum Crathilinthum Fenellæ filium, quin etiam Malcolmum Duffi Regis filium & affinem Fenellæ inter emisset; illa statuam miro artificio fabricari jussit, in cujus manu pomum aureum, gemmis pretiosissimis ornatum refertumque erat, quod quicumq; tetigisset, telis, jaculisque acutissimis confodiebatur; eò regem nihil suspicantem doli mali, invitatum, in Fethereamiæ oppido mulier suâ fraude confecit. Ita Cardanus, & alii.

62. Pomum Fenellæ pretiosum, sed dolosum regi Kennetho.

Talis est Ambitio blandissima domina, quæ suis alumnis, pullis albis, & beatulis propinat honores, famam, magni nominis umbram, gloriam vitream, pomum pulchrum visu, aspectuque delectabile (ita se res foris habet) sed utero fœtum exitialibus telis, venenatis sariissis, malum aureum, sed innumeris malis confertum. Malum aureum est, inani aurâ suâ & fulgore intuentium oculos præstringens, cujus claustra cum laxaveris, subitò quâ data porta erumpunt, & evolant felle mortifero infecta spicula, sagittæ letali imbutæ toxico, quæ animas incautas configunt, transfadigunt, eviscerant.

63. Symbolum hoc gloriæ & voluptatis caducæ.

VERSVS XIV.

Responderuntque ei Zares uxor ejus, & ceteri amici: jube parari excelsam trabem habentem altitudinis quinquaginta cubitos, & dic manè regi, ut appendatur super eam Mardochæus, & sic ibis cum rege lætus ad convivium. Placuit ei consilium, & jussit excelsam parari crucem.

Hebraicè: Dixitque ei Zeres uxor ejus, & omnes amici ejus, aptent lignum altum quinquaginta cubitorum, & in mane dic Regi, & suspendant Mardochai super illud, & ingredere cum rege ad convivium lætus. Et bonum fuit verbum ad facies Haman (id est, res ei placuit) & fecit (id est, aptari jussit) lignum.

Pergit hoc modo Iosephus: Cùm Zaraza diceret oportere eum trabem quinquaginta cubitorum parare, & mane petitâ à rege potestate, Mardochæum in eam crucem tollere; comprobatâ eâ sententiâ jussit familiares curare, ut ejusmodi trabs erigeretur in suo palatio parata ad Mardochæi supplicium, id quod etiam mox factum est. Deus autem irrisit Amanis spem improbam, cui sciebat eventurum longè aliud.

COMMENTARIVS.

VXor & amici, quos accersierat Amanus, etiam non interrogati consilium ei suggerunt non maturum, non æquum, non judicii trutinâ expensum, sed quale ipsum optare animo sagaciore perspexerant; licet fortè longè aliud penes se sentirent; & si prudentes & fideles fuissent consiliarii, multò securius, justius, melius dare debuissent. Graviter itaque arguendi, tum quia non solùm consilium infipiens proposuerunt, sed etiam noxium & damnosum tum illi, tum sibi, ut exitus probavit. Quanto satius incitatum & per se ad vindictam præcipitem amici sui animum infusâ frigidâ restinxissent, quàm oleum, ut ajunt, camino addidissent. Sed nihil sani consilii expectandum ab assentatoribus, qui, non quid deceat, sed quid dominis placeat, in medium consulunt, nec quidquam pensi habent, quid æquitas postulet.

Mali consiliarii Amani amici fuerunt.

61. Cur fuadent parari crucem Mardochæo?

Multæ autem rationes occurrere eis potuerunt, cur potius cruci appendendum suaserint, quàm alio mortis genere interimendum.

Primùm, quia hoc erat maximè familiare Persis supplicium, ut infra ostendemus.

Secundò, quia hoc erat maximè acerbum & cruciabile, ut notum est.

Tertiò, quia erat in primis ignominiosum non solùm apud Iudæos, sed etiam Persas, & Romanos, ut patet ex historicis, unde quò excelsior crux erigebatur, eò pœna magis infamis, quia patibularius & furcifer à pluribus spectabatur.

Quartò, quia domi ipsius Aman crux parata erat, ut constat tum ex Iosepho suprà, qui tradit erectam in palatio, tum ex cap. 7, sequente v. 9, ubi ait Harbona lignum stare in domo Aman, ut videlicet ipse hoc crudelissimo hostis sui supplicio tamquam jucundissimo spectaculo pasceretur.

Quintò: fortè etiam tantæ altitudinis trabem fixit, ut ostenderet sibi primo è cohorte regiorum amicorum id concessum tamquam eximii honoris titulum. Sic videmus Magnatibus & Dynastis præcipuis Belgii indultum, ut in suæ ditionis locis, furcam vel patibulum extollant duplo celsius, quam communibus, & vulgaribus nobilibus concedi solet.

Adde crucem eminentiorem erectam ad aliorum Iudæorum terrorem.

Suadent insuper fatui illi consiliarii, ut die postero facultatem à rege postulet Mardochæum in crucem agendi, fortè quia inconsulto Rege hoc impunè facere non fuisset licitum; vel, saltem ut majore auctoritate hoc fieret, & factum suum apud aulicos & populum defendere posset. Denique hortantur ut manè & primo diluculo hoc à rege petat, ut prius inexsaturabile odium expleret nece inimici, quàm dapibus regiis corporis famem exsatiaret: fore enim tunc convivium Reginæ gratius, sublato è medio Mardochæo.

Chaldaica Paraphrasis M. S. apud Sanctium hîc aliam causam profert, cur Zares potius Amano suaserit crucem Mardochæo parandam, quàm aliud mortis genus: Hanc adfero, non quod probem, sed, ut Lector mecum rideat Thalmudicum commentum & Iudæos rebus sacris ineptas fabulas admiscentes.

Sic ergo habet Paraphrasis. Dixit Zares ad Amanum: In ignem non poteris mittere Mardochæum, quia liberatus est Abraham pater ejus ab eo. In aquis non poteris suffocare eum; quoniam liberati sunt ab eis Moyses & filii Israel. In lacum leonum non poteris immittere eum, quia liberatus est ab eo Daniel propheta. Verumtamen fac patibulum in altitudinem quinquaginta cubitorum, & manè dic regi, ut Mardochæus suspendatur in eo: quia in hoc numquam probatus est unus ex his, qui liberaretur in patibulo ligni. Hæc Chaldaica Paraphrasis, cujus multa figmenta passim refert Sanctius.

64. Fabulæ Rabbinorum de Cruce paratâ Mardochæo.

QVÆSTIVNCVLA.

Vtrum Christi crux ob majorem illi parandam infamiam latronum crucibus altior fuerit.

ASserunt hoc loco quidam enarratores, in quibus Stephanus Menochius; Non inanis, inquit, est traditio Christi crucem aliorum crucibus fuisse celsiorem. Disputat verò hanc quæstionem Iacobus Gretserus l. 1 de Cruce cap. 7.

Cete-

65. Crux Christi latronum crucibus altior fuisse videtur ob has causas 1. ob majorem ignominiam.

Ceteris excelsiorem fuisse Christi Domini crucem, hæc, quæ subjiciam, suadere videntur. Primò, Sicut Amanus implacabili odio in Mardochæum flagrans, quinquaginta cubitos altam trabem, instar columnæ statuit, ut illum insigniore probro & ignominiâ notaret, ipsumq; omnibus, ut hominem perditissimum, spectabilem redderet: ita Iudæi acerbissimi furoris tedis ardentibus in Christum inflammati, quàm maximo potuerunt dedecore afficere studuerunt, eóque Romanos milites impulerũt & adegerũt. Id fuit, cur Dominus crucifixus fuerit inter duos latrones, testante S. Ioanne c. 19. ℣. 18: *Crucifixerunt cum eo alios duos hinc & hinc, medium autem Iesum.*

Quemadmodum igitur illum tamquam seditiosorum malefactorum ac sicariorum principem & caput loco medio, qui notabilior & insignior est, fixerunt; ita simile vero est illum etiam cruce sublimiore locasse, tamquam in throno.

66. Thronus Regis altior sedilibus principum.

Notum verò est reges in solio editiore sedere solitos, qui thronis procerum & Satraparum emineat: quod vel ex historiâ nostrâ colligitur cap. 3, ubi versu primo dicitur Assuerus posuisse solium Aman super omnes principes, quos habebat: & 4 Regum 25. ℣. 28, *Evilmerodach Rex Babylonis posuit thronum Ioachin regis Iuda super thronum Regum, qui erant cum eo in Babylone.* Vnde discimus in aulis istorum regum, ut principes alii aliis digniores, & regi ipsi gratiores erant, ita etiam altiore throno consedisse; regem verò sublimissimo & eminentissimo. Ita habemus Gen. 41 ℣. 40. ubi Pharao Iosepho secundum in regno Ægypti locum & honorem concedit. *Tu eris super Domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet: uno tantum regni solio te præcedam.* Christum ergo Iudæi in cruce omnium procerissimâ tamquam in throno regali collocarunt inter duos cruciarios, sicut ante illum regiis insignibus per ludibrium donarunt, coronâ spineâ, arundineo sceptro, coccineo paludamento.

Altera causa.

Secundò, cùm Iudæi in illud toti incubuerint, ut morte turpissimâ Christum condemnarent, & famam ejus supplicio maximè infami obscurarent, eum cruci dedi petierunt, quæ tunc temporis simul erat acerbissima, & inhonestissima, ut constat ex sacrâ & profanâ historiâ, testante id etiam S. Augustin. sermone 18 de verbis Domini c. 8: *Nihil*, ait, *illo tempore fuit ignominiosius, quàm mors crucis*: cur suspicari non liceat eos etiam in ipsâ cruce excogitasse maximam crucem, in genere ignominiæ scrutatos maximam ignominiam?

67. Tertia. Galba Romano caldâ altiorem crucem paravit, & Verres Gavio.

Tertiò, *Galba Imperator* auctore Tranquillo in Galbâ cap. 9, *tutorem, quòd pupillum, cui substitutus hæres erat, veneno necasset, cruce affecit, implorantique leges, & civem Romanum se testificanti, quasi solatio & honore aliquo pœnam levaturus, mutari, multoque præter ceteras altiorem, & dealbatam statuit crucem jussit.* Sic ille. Volebat enim crucem & magnitudine & colore esse insigniorem.

Similis fuit illa Gaviana crux, ut eam vocat Lactantius Institut. divinarum lib. 4 cap. 18, quam Verres Gavio civem Romanum se esse clamanti statuit. Quod factum more suo summis eloquentiæ nervis insectatur Cicero Verrinâ quinta.

Quarta; Docent idem picturæ.

Quartò, huic sententiæ fides additur, ipso etiam Gretsero assentiente, à picturis, in quibus videre est crucem humani generis Assertoris multo majorem & excelsiorem crucibus latronum.

Quinta; Videtur S. Helenâ ignorasse Christi crucem fuisse altiorem.

Quintò: Nec his obstat, quod Constantini Magni mater Helena Christi crucem non prius distinxerit, quàm illustri miraculo honoraretur & proderetur: Non enim opus erat tam præclaro prodigio, si crux Servatoris nostri sanguine imbuta magnitudine & formâ aliis eminebat. Non, inquam, hoc obstat, quia poterat eximiâ sanctitate prædita mulier discrimen hoc nescivisse, poterant etiam Patriarcha Hierosolymitanus & Iudæi fideles illius rei esse insci. Denique quia Deo haud dubiè afflante & instigante per tot terrarum spatia salutiferum lignum pulsima Imperatrix inquisivit, non debuit tantus, tamque divinus thesaurus aliter, quàm cœlesti quodam & inusitato signo huic orbi manifestari, ut nullus meritò nec Christianus nec Iudæus, nec gentilis de veritate vivificæ crucis posset ambigere, quam divinum testimonium patefecisset.

68. Probabile est Christi & latronum cruces fuisse magnitudine æquales.

Hæc ita à me dicta sunt, non, ut Gretsero nostro planè velim contradicere, qui propius verò arbitratur omnes tres cruces Christi & latronum ejusdem fuisse formæ & magnitudinis, ita ut una ab alterâ non potuerit discriminari.

69. Cruces quondam humiles fuerunt.

Addit præterea aliquando cruces admodum fuisse humiles, ut cruces illæ, in quibus, 2 Reg. 21 Gabaonitæ filios Saulis fixerunt. Respha enim ℣. 10 illis assidens non dimisit aves eos lacerare per diem, neque bestias per noctem. Non poterant autem bestiæ, v. g. ursi, leones, lupi, omnes corpora ista discerpere, nisi lignis vel palis demissioribus suffixa fuissent.

69. Vt crux S. Blandinæ, quæ bestiis objecta.

Præterea legimus in historiis Ecclesiasticis sanctos Martyres aliquando in crucem actos, bestiis nihilo minus objectos fuisse. Ita refert Eusebius lib. 5 histor. Eccles. cap. decimo. *Blandina*, ait, *in ligno suspensa præda bestiis occurrentibus objicitur, quæ quoniam & in crucis specie suspensa cernebatur, & ardentes preces fundebat, magnam concertantium mentibus alacritatem injecit*, &c. Hæc duo rectè arguunt cruces aliquando fuisse demissiores, ut corpora fixorum feræ devorare potuerint; sed nihil tale de cruce Christi probant.

CAPVT SEXTVM.

ARGVMENTVM.

Assuerus, Numine ita haud dubiè moderante, noctem, quæ Esthera convivium excepit, insomnem traduxit, unde opportunitatem nactus curat sibi veteres annales relegi. Cùm autem audisset in illis operâ Mardochæi insidias sibi ab Eunuchis structas, fuisse detectas; intellexisset etiam nihil mercedis pro eâ fide eum accepisse, vocato ad se Amano, qui in atrio ante Basilicam ambulabat, expectans, ut à rege Mardochæo paratam mortem impetraret, ejus, super honore tam fideli ministro deferendo, exquirit sententiam. Amanus existimans regem sibi novum honorem exhibere velle, ex animi sui sententia dicit, virum, quem rex eximiè honorare vellet, regiis vestibus indutum, equoque regio impositum, regio diademate coronatum, à primario satrapa per publica civitatis compita circumducendum, eique ab eodem frenum tenente acclamandum: Sic honorabitur, quem Rex voluerit honorare. *Probatâ sententiâ jubet ab Amano Assuerus Mardochæum hoc modo per urbem duci. Coactus paret regis mandato Amanus; quo peracto lugens domum reversus, infortunium suum uxori & amicis narrat, qui, ex iis quæ acciderant, casum infelicem ei ominantur; quibus adhuc loquentibus ab Eunuchis regiis ad Esthera secundum convivium ire compellitur.*

TEXTVS.

NOctem illam duxit rex insomnem, jussitque sibi afferri historias & annales priorum temporum. Quæ cùm illo præsente legerentur, 2 ventum est ad illum locum ubi scriptum erat, quo modo nuntiasset Mardochæus insidias Bagathan & Thares eunuchorum, regem Assuerum jugulare cupientium. 3 Quod cum audisset rex, ait: Quid pro hac fide honoris ac præmii Mardochæus consecutus est? Dixerunt ei servi illius ac ministri: Nihil omnino mercedis accepit. 4 statimque, rex, Quis est, inquit, in atrio? Aman quippe interius atrium domus regiæ intraverat, ut suggereret regi, & juberet Mardochæum affigi patibulo, quod ei fuerat præparatum. 5 Respondérunt pueri: Aman stat in atrio. Dixitque rex: Ingrediatur. 6 Cùmque esset ingressus, ait illi, Quid debet fieri viro, quem rex honorare desiderat? Cogitans autem in corde suo Aman, & reputans quod nullum alium rex, nisi se, vellet honorare, 7 respondit: Homo, quem rex honorare cupit, 8 debet indui vestibus regiis, & imponi super equum, qui de sella regis est, & accipere regium diadema super caput suum, 9 & primus de regiis principibus ac tyrannis teneat equum ejus, & per plateam civitatis incedens clamet, & dicat: Sic honorabitur, quemcumque voluerit rex honorare. 10 Dixitque ei rex: Festina, & sumpta stola & equo, fac, ut locutus es, Mardochæo Iudæo, qui sedet ante fores palatii. Cave ne quidquam de his, quæ locutus es, prætermittas. 11 Tulit itaque Aman stolam & equum, indutumque Mardochæum in platea civitatis, & impositum equo præcedebat, atque clamabat: Hoc honore condignus est, quemcunque rex voluerit honorare. 12 Reversusque est Mardochæus ad januam palatii: & Aman festinavit ire in domum suam, lugens & operto capite: 13 narravitque Zares uxori suæ, & amicis, omnia quæ evenissent sibi. Cui respondérunt sapientes, quos habebat in consilio, & uxor ejus: Si de semine Iudæorum est Mardochæus, ante quem cadere cœpisti, non poteris ei resistere, sed cades in conspectu ejus. 14 Adhuc illis loquentibus, venerunt eunuchi regis, & cito eum ad convivium, quod regina paraverat, pergere compulerunt.

VER-

VERSVS I.

Noctem illam duxit rex insomnem, jussitque sibi afferri historias & annales priorum temporum: Quæ cùm illo præsente legerentur;
Ventum est ad illum locum, ubi scriptum erat, quo modo nuntiasset Mardochæus insidias Bagathan, & Thares eunuchorum, Regem Assuerum jugulare cupientium.

Hebraicè: Et nocte illâ elongaverat se somnus regis (fugerat regem) & dixit, ut afferrent librum monimentorum verborum dierum: & fuerunt lecta ad facies regis (coram rege.)

Et inventum est scriptum, quòd indicasset, Mardochai de Bigthana & Teres duobus eunuchis Regis, ex custodibus liminis, quæsierunt mittere manum in Regem Achasueros.

Iosephus sic historiam suam prosequitur: Deus irrisit Amanis spem improbam, cui sciebat eventurũ longè aliud. Nam eâ ipsâ nocte somnum Regi ademit: qui nolens vigiliæ tempus perdere: sed malens in aliquod regni negotium id impendere, jussit scribam allatis commentariis res tam à se quam à majoribus gestas legere; quo legente intellexit quemdam ob rem egregiè gestam donatum amplis possessionibus in regione, cujus nomen erat asscriptum; alium ob fidem munera accepisse pretii maximi: tandem ventum est ad eum locum, qui continebat Bagathoi, & Theodestis eunuchorum conjurationem, Mardochæi detectam indicio. &c. Hæc Iosephus, plura, ut vides Lector, addens, quam in primigenio Hebræo habeantur.

COMMENTARIVS.

1. Divinæ providentiæ clara indicia in hac historiâ.

TRansgressio hîc fit ad alterum actum Tragœdiæ sacræ, cujus Choragum agit divina Pronœa sive Providentia. *quæ attingit à fine ad finem fortiter & disponit omnia suaviter:* Illa scenæ aliam faciem & apparatum induxit, & quod illi proprium est, jacentem incepit erigere Mardochæum, & vertice sidera prope ferientem Amanum ad ima deprimere. (Qui hanc subitam, insperatam, stupendam rerum conversionem, & Anastrophen alii quàm Deo summo moderatori adscribit, planè delirat. Ille, ille fuit, qui non surdâ aure Reginæ religiosissimæ, & sui Numinis observantissimi Mardochæi, & Iudæorum humiles obsecrationes excepit, ipsorum lacrymas, humi cubationes, prompto animo susceptam inediam, & alias corporis afflictationes benigno vultu inspexit. Ille, qui Regis somnum interrupit; Ille qui mentem eidem injecit, ut Annales veteris memoriæ, & rerum, quæ se imperante evenerant, sibi ab Anagnoste vel scribâ perlegi curaret, illisque potius, quam vanis spectaculis, rerum ludicrarum narratiunculis, tibiarum, fidium ac vocum melicis concentibus animum intenderet: Ille, qui suaviter disposuit Annalium lectionem, ut in oculos incideret Mardochæi præclara fides in Regem: Ille, qui Assuerum permovit, ut vitæ suæ assertori, & Alexicaco dignam mercedem & præmium persolveret; Ille, qui Amanum cædem & sanguinem Mardochæi anhelantem albescente die voluit adesse, non, ut suæ perversæ voluntati obsecundaret, sed, ut propriæ ruinæ mox secuturæ, & Mardochæi exaltationi volens nolens præluderet. Ille, qui regi suggessit, ut ab Amano hoste Mardochæi capitalissimo quæreret: *Quid debet fieri viro, quem Rex honorare desiderat?* non expresso nomine Mardochæi, ne Amanus tergiversaretur & vel nullum vel exiguum ei præmium attribueret, sed solùm generatim virum honore dignum diceret. Sic Deus Amano bellè illusit juxta illud Psalmi 2 ℣. 4: *Qui habitat in cælis, irridebit eos, & Dominus subsannabit eos.*

Certè Septuaginta Interpretes, & illos secutus Iosephus ajunt Deum reg: somnum ademisse, & consentiunt Expositores. Vnus sufficiat Cajetan. Dicitur, inquit, in textu Hebræo somnus à rege evanuisse, ut ostendatur vigiliam illam non fuisse voluntariam, sed Deo disponente per hæc media exaltationem Mardochæi per Amanum.

1. Divinam providentiam hîc agnoscunt Septuaginta Interpretes & alii.

Itaque non oportet hanc regis insomniam tribuere vel ipsius crapulæ & ebrietati, quæ teste Plinio inquietudinem nocturnam generant; licet enim prælie, ut dicitur cap. 5 ℣. 6, vinum abundanter biberat, bibit tamen illud citra temulentiam, nec aliud ex scripturâ colligi potest: Nec verò etiam tribuenda eadem ipsius ægritudini, vel malæ corporis affectioni, cum nullus illius meminerit, sanumque passim Assuerum videamus, & postridie alacrem ad epulas redeuntem.

2. Non tribuenda vigilia regis crapulæ, aut malæ valetudini, vel nimiis curis.

Mirus improbabiliter dixerit forte quis, soporem regi excussisse graves curas, & publicorum imperii negotiorum distentionem. Si enim patrisfamilias solicitudo propter bonum domesticorum suscepta quietem membris per noctem sæpe non concedit, Sirachide affirmante cap. Ecclesiastici 31 ℣. primo: *Vigilia honestatis* (de divitiis) *tabefaciet carnes, & cogitatus illius auferet somnum*: & iterum, cap. 42 ℣. 9. *Filia patris abscondita est vigilia, & solicitudo ejus auferet somnum &c.* quanto magis rerum publicarum onus Imperatoris humeris velut Atlantis cujuspiam incumbens omni quiete per totam noctem eum privare sufficiet? Sed ad primam causam Regis vigiliam referamus, ad Deum, inquam πολυόφθαλμον, Argo oculatiorem, ad ipsius insopitam providentiam; si quidem *non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israel*, Psal. 120 ℣. 4. Volut ille Assuerum in terris suum vicarium & pro-

proregem, etiam noctem insomnem agere, & pro salute populi sui excubare, & rebus Iudæorum jam prope depositis & desperatis suavi simul & forti providentiâ succurrere, quod futurum erat Mardochæo evecto, & Amano prostrato.

Notant verò Interpretes non necessariò Regem totam noctem vigilasse, ut verum sit noctem duxisse insomnem: fortè duabus primis vigiliis somno indulsit, & post noctis meridiem somno interrupto Annales poposcit, nolens tempus otio perdere; cùm autem aurorâ rubente Amanus, qui & ipse fortè somnum non viderat oculis, irâ eum coquente & versante, aulam ingressus esset, ad honorandum Mardochæum evocatus est. Laude verò dignus Assuerus, qui veteris memoriæ & etiam recentis librum à scribâ quopiam legi voluit, ex quo officii sui moneretur. Dicitur hic liber Hebraicè monimentorum: Cajetan. reddit, Recordationum; Mariana, maximè memorabilium; eò quòd præponatur elementum ם quod regimini junctum, auctore Kimchi, Emphaticum est, & majorem vim obtinet: Latinè vocare possumus Commentarium, memoriæ subsidium.

Additur Hebraicè, verborum dierum, id est, in quem librum res diebus singulis gestæ relatæ fuerant (Latinè appellamus diaria seu Ephemerides) quo nomine etiam usus fuit sacer auctor cap. 2 versu finali: ubi ita legimus Hebraicè: *Et scriptum est in libro verborum dierum coram rege*: Latinè verò habemus: *Mandatumque est historiis, & Annalibus traditum coram rege*. quo loco historia hæc narratur; ut & cap. 12 postea, ubi etiam liber hic memorabilium dicitur Commentarii.

Dicuntur etiam duo eunuchi qui conati sunt mittere manus in Regem, Hebraicè custodes liminis: cap. 12 Ianitores palatii, Latinè; & c. 2 ianitores, qui in primo palatii limine præsidebant. Cajetan. hîc vertit, custodes malluvii. Sed de his suo loco dicendum.

Primum Monitum Politicum.

Vigilantia virtus Reipub. moderatore digna.

SCribunt Doctores Hebræi, ut testantur Magalianus & Selarius in 24 caput Iosuæ, fortissimi illius & religiosissimi Ducis Mausoleo Israelitas simulacrum solis, cujus cursum ipse precibus suis & imperio stiterat, insculptisse, præter clypeum elevatum & toties victorem gladium, exuvias & opima spolia ab hostibus reportata &c.

3. Sol insculptus Mausoleo Iosuæ quid significarit.

Multa Solis illa radiata imago adumbrat, quæ omitto & ad enarratores Lectorem relego. Præter autem primariam notam, quâ indicabatur Solem ex illius cineribus & sacris ossibus quasi adhuc pullulare, & exsurgere, qui vivus inaudito antea prodigio ad illius nutũ steterat, &c, quod vult Magalianus, quia Sol justitiæ numquam illi occiderit, qui ad tumulum usque virginitatem extulerit: addo ego cum aliis, denoturi eo symbolo inexpugnabile illius robur, & infatigabilem providentiam, omni tempore pervigilem, ut inimicos Domini persequeretur, & in terram promissam populum electum perduceret.

4. Vigiliam & providentiam Iosuæ indicabat.

Solet enim virorum magnorum assidua cura typo astrorum, rerum sublimium, ipsiusque cœli describi, ut etiam cœlum Ægyptii ob suam perpetuam volubilitatem corde picto, cui oculus ardentibus prunis subjectus erat, olim exprimebant, auctore Plutarcho lib. de Iside & Osiride.

5. Vigilantia magnorum virorum exprimitur typo cœli, cordis picti & oculi ardentis, &c.

Ita vasta illa & cœlestis auræ plena clarorum ducum pectora assiduis laboribus & sollicitudinibus agitantur, instar cordis flammei, aut cœli numquam quiescunt: sciunt cum Vespasiano, apud Tranquillum, se stantes mori oportere. Assentitur mihi Pacatus in Panegyrico Theodosio Augusto recitato. *Gaudent profectò*, ait, *deorum perpetuo motu, & jugi agitatione se vegetat æternitas, & quidquid homines vocamus laborem, vestra natura est. Vt indefessa vertigo cœlum rotat, ut maria æstibus inquieta sunt, & stare sol nescit: ita, tu Imperator, continuatis negotiis, & in se quodam orbe redeuntibus, semper exercitus es.*

6. Imperator simil: cœlo, Soli, mari esse debet, qua perpetuo moveant.

Homerus Poëtarum, judice Velleio Paterculo, sine comparatione, ingenio maximus, initio Iliados secundi, & Deos, & viros bellicosos noctem totam dormientes inducit, Iovem verò Deorum principem insopitum, animo multa volventem: qui etiam, ad Agamemnonem Græcorum regem somnium mittit, quod somnum illi rumperet, & excitaret ad Græcorum exercitum armandum, hisce versibus:

7. Iupiter insomnis ab Homero inducitur & Agamemnon excitari ab eodem jubetur.

Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα,
Ὧι λαοί τ' ἐπιτ[illegible]φάσθαι, καὶ [illegible]σσα μέμηλεν.

Quæ versu Latino ita reddo:

Non decet insolidam prudentem flectere noctem,
Cui tot commissi populi sunt, tantaque curæ.

Monitum tanto poëtâ dignum, quod regem oculis & animo in suorum bonum excubare jubet. Exemplum populorum moderatoribus indefessæ vigiliæ sit Palamedis avis, Grus, de quâ multa produnt Ornithologi, ut videre est apud Vlyssem Aldrovandum Ornithologiæ lib. 20. c. 5. Ajunt ergo inter alios Plutarch. lib. de animalium industriâ, Solinus, Plin. lib. decimo, capite vigesimo tertio, Ælianus lib. 3 de animal. cap. 13, alii, in Gruum Repub. dum ceteræ capite subter alam posito, quieti, somnoque indulgent, unamquamque earum per vices nocturnis temporibus excubias agere, lapillum pede sustinendo, qui laxatus somno & decidens indiligentiam coarguit. Vnde, inquit Plutarch. non est cur istud Herculis adeò quispiam miretur, quòd alæ subdens arcum hærentem brachio, & dextrâ clavam regens manu, quiesceret.

8. Gruum vigilantia.

9. Rursus, Herculis.

Hanc tam insignem alitum vigilantiam æmulatum fuisse Magnum illum Alexandrum Macedonem legimus, si quando pervigilandum esset: Nam pelvis ænea prope lectum sita erat, supra quam brachium exporrectum habebat, pilam, ut Ammianus Marcellinus loquitur, argenteam manu complexus, quæ, si quando somno vinceretur, elapsa, sonoro strepitu soporem abrumperet. Sed de sollicitâ gruum custodiâ, & naturali politiâ plura suggerit S. Ambrosius lib. 5, Hexamer. c. 25, & alii apud Aldrovandum suprà in Moralibus.

10. Item, Alexandri Macedonis, Aristotelis.

Quod autem retuli de Alexandro sphæram argenteam manu continente, dum somno operam daret, tribuit Aristoteli in ejus vita Laërtius: Sed potuit hoc discipulus à magistro didicisse.

Apollonius cum Vespasianum nondum Imperatorem

11. Vespasianus ab eâdem commendatur.

ratorem diluculo ad negotia tractanda surgere comperisset dixisse fertur: *ἀνὴρ ἄρξει*, Vir imperabit, ut Philostratus in Apollonio.

12. S. Thomas Cantuariensis vigilantiam suam propugnat.

Cum sanctissimus Martyr & Pontifex Cantuariensis Thomas à quodam Episcopo moneretur, ut contra Henricum Angliæ regem jura Ecclesiæ invadentem lenius ageret; animose respondit: Clavum teneo, & ad somnum me vocas?

Si gubernator, qui in puppi sedet, clavumque regit, instar Palinuri in somnum solvatur, quid spei supereſt Reipub. navi; nili ut amisso gubernaculo in brevia & saxa feratur, ipseque in pelagus prolabatur?

Alibi demonstravi leonem hieroglyphicum characterem esse Regis. Accedunt verba Hori Apollinis in suis Hieroglyphicis, ubi ita scribit: *Ægyptii vigilantem, fidelemque hominem, aut etiam custodem ostendentes, Leonis caput pingunt; quoniam leo vigilans oculos claudit, eosdem cum dormit, apertos habet, quod quidem custodiæ atque excubiarum signum est.* Idem tradit S. Epiphan. in Physiologo.

13. Leo vigilantiæ symbolum.

Ejusdem diligentiæ & sedulitatis argumentum ferunt esse Delphinum (cui eruditi imperium & coronam piscium attribuunt) Vivisi quondam familiare signum. Siquidem perpetuo motu præditum esse: nec quoad vivit, ne dormientem quidem à motione quiescere. Cùm enim opus est somno, ex alto ad summam aquam elatus, ut totus videatur, dormit: non enim somni expers est: atque ita dormiens in profundum tamdiu depellitur, quoad imam sedem maris contingat: ad quam postquam funditus demersus est, terræ pulsu è somno excitatur; deinde ex alto emergit, ac repetito somno, ut prius ad maris fundum depulsus, expergiscitur: tum rursus eminet extra aquam: & hoc ipsum sæpe facit, eamque ob causam inter quietem & actionem degens, numquam omnino à motu cessat. Ælian. lib. 11 cap. 22. historiæ animalium.

14. Item Delphinus.

Si *vita* cujuslibet *hominis vigilia* est, & dicitur, quanto magis Principum, qui vigiles & pastores sunt populorum, quorum typus fuit Argus ille totus oculeus, vel potius oculus.

Vita hominis vigilia.

15. Annibal insomnis.

De Annibale cecinit Silius Italicus lib. 12.

Pœnus, ut ad somnos vix tetam curribus actæ
Indulsit pubi noctem, vigil ille, nec ullam
Ad requiem facilis, credensque abscedere vitæ,
Quod sopor eripiat tempus.

16. Excubitor regem Persarum ad vigilandum excitabat.

Quemadmodum verò multa præclara apud Persas viguerunt instituta; ita illud præstantissimum facilè fuit, quod diebus singulis (auctore Plutarcho libro *πρὸς ἡγεμόνα ἀπαίδευτον* adversus ducem imperitum) Reges excitabantur ab uno ex cubicularijs, his verbis: *Ἀνάστα βασιλεῦ, καὶ φρόντιζε πραγμάτων: Evigila rex, & negotia cura.*

17. Princeps ut terrestre Numen, semper animo excubare debet.

Princeps, postquam exactori somno tributum persolvit prout natura postulat, ad seria consurgere tractanda debet. Meminerit se quemdam Deum terrigenam esse. Vt autem benefica illa Numinis providentia semper quidpiam agit, &, ut omnium moderatrix curâ suâ universa complectitur, unde & dicitur habere *ἀκοίμητον ὄμμα, insopitum oculum*: ita & Reipub. clavum gubernans cum tot & tanta negotia sustineat, nusquam & numquam connivere, aut nictari debet, sed in omnem officii sui partem oculos vigiles intendere. Cogitet ſe, quò plus vigilat, plus vivere: & illud Platonicum revolvat lib. 7 de Legibus: *καθεύδων ἑκὼν ἀνδρὸς ἀνδρὸς ἄξιος. Dormiens nullus alicujus est pretii.*

18. Dormiens nullius alicujus est pretii.

Aristoteles primo Oeconomiæ cap. 6, cùm Oeconomum instituere, ajebat expergisci oportere prius Dominum quàm servum, & cubitum ire posterius: hoc enim præclarum esse ad virtutem, & conducibile ad rei domesticæ administrationem. Quid igitur facere par est illum, cui magnum imperium domus una est, cui tot famulorum millia ad nutum obediunt? An æquum est servis excubantibus languido & inerte somno succumbere?

Domini evigilet ante servos.

Vt navis impulsa, cùm remiges inhibuerunt, retinet tamen motum & cursum suum, intermisso impetu pulsuque remorum: sic animus Imperatoris studio honestissimarum rerum pridiano imbutus dum quieſcit impulsum suum etiam retinet, & laudatissimam agitationem, quam nec in somno demittit. Præclare S. Basilius Oratione in S. Iulittam somnia vocat *ἀπηχήματα μεθημερινῶν φροντίδων*. q.d. *sonos resultantes vel umbramenta actionum & curarum diurnarum.*

19. Imperator negotiis diurnis & diurnis intentus, eadem per somnum retractat.

Sic dicebat Aristoteles apud Tullium lib. 2. de divinatione, mentem sæpe incidere in vias diversa ex reliquis inhærentibus earum rerum, quas vigilans gesserit aut cogitarit.

Idem S. Basilius, somni & ipse parcissimus, ait Oratione de Baptismo: *Τίς καθεύδων τρόπαιον ἔστησε; Quis unquam dormiens trophæum statuit?* Proinde enim Dominus coronam vigilantibus.

Scitum est ex Numerorum libro cap. 17 floridam illam Aaronis virgam fuisse Amygdalinam. Amygdalus autem argumentum & sacra tessera est vigilantiæ & diligentiæ, eò quòd prima inter arbores post tempora brumæ, flores producat, & quasi vigilet; unde & linguâ sacrâ dicitur שקד *soaked*, id est, vigilans; dicitur etiam Ieremiæ primo ℣. 10 *Virgam vigilantem ego video*; ubi alii reddunt virgam Amygdalinam. Virga itaque Amygdalina in manu Pontificis, & sacri Principis symbolum est ipsum excitans, urgens, & quasi aurem vellens, ut super gregem suum vigilet, rationem de animabus sibi commissis Deo redditurus. Sed de Pontificum vigilantia hic non agimus primariò, sed de Regum cura. Principis vigilantia omnium somnos defendit, omnium otium ipsius labor, omnium delicias illius industria, omnium vacationem illius occupatio.

20. Amygdalus symbolum vigilantiæ.

MONITVM POLITICVM ALTERVM;

Studium veterum Annalium principe dignum & commendabile.

NOctem insomnem duxerat Artaxerxes Dei hominum custodis nutu: cùm verò, inquit, Iosephus, vigiliæ tempus inutiliter consumere nollet, maluit illud regni tractandis negotijs impendere; unde jussit scribam allatis commentarijs res tam à se, quàm à majoribus gestas legere, eodem certè incentore Deo.

Nota verò ex Brissonio lib. 1 de regio Persarum principatu, Regibus Persarum fuisse historicum, qui omnia quæ in regno contigerant, in scripta referebat, qui libri vocabantur *βασιλικαὶ*

μαζ, de quibus hîc habes, & suprà c. 2 ℣. ultimo, ubi sic legimus; *Mandatumque est historiis & Annalibus tradituum coram rege*; quæ quidem hic Rex coram se jussit afferri & legi. Sic etiam primi Esdræ 4 ℣. 15 hujusmodi libri vocantur historiæ Patrum & commentarii. Hos commentarios re exigente reges inspici curabant, ut patet tum hîc, tum primo Esdræ suprà, ℣. 19. Vnde habebant duplicem Bibliothecam, quæ Esdræ supra c. 5 ℣. 14 appellatur Bibliotheca Regis, & ut Hebræi volunt, domus thesaurorum, & in unâ earum, sicut ajunt, servabantur libri, qui ad doctrinam pertinebant, in alia reponebantur codices qui rem nummariam spectabant. Hæc Brissonius.

21. Historicus Regis Persarum, & Bibliotheca, & libri.

Ex illo ergo Amalthæo suo & gazophylacio non poposcit Assuerus Vniones & Indici maris lapillos, elenchos, cælatumve aurum, aut signa, vestemque Medicam aut Persicam; non libros amoribus & fabulis blandientes, sed depromi mandavit veterum regum gesta, & quæ sub ipsius imperium acciderant, res lectu & memoratu dignas, quarum honestissimâ & jucundissima lectione, simul & animum oblectaret, & erudiret.

22. Rex ex nullâ re melius prudentiâ hausit, quàm ex lectione historiæ; quia peregrinari illi non datur.

Ex quo enim fonte Reipub. gubernator melius, purius, tutius prudentiam, & bonum publicum procurandi rationes hauriat, quàm ex historiâ? Non concessum est regibus peregrinando varias lustrare provincias, ex quibus mores gentium multarum discant, & rerum plurimarum usum in memoriæ suæ penu recondant, ut Vlysse contigit, Æneæ & aliis ducibus: quin verò sibi subjectas regiones per Satrapas, Prætores & Magistratus administrare coguntur, quorum operâ tamquam oculis & auribus utuntur: Sed tamen datur frequenter animo repetere majorum suorum præclara exempla, quibus lectis flamma ad imitandum in eorum pectore accendatur: ubi etiam, si quid turpe & dedecore plenum occurrat, fugiendum sibi omni contentione perspiciant.

22. Fructus lectionis historiarum ex Diodoro, ex Livio & aliis.

Egregiè Siculus Diodorus Procemio libri primi Bibliothecæ, agens de fructu, qui ex lectione veterum Annalium decerpitur. *Historiæ*, inquit, *legentibus citra periculum ostenditur præteritorum exemplis, quid nobis appetendum sit, quidve fugiendum.* Et mox: *Sola historia verbis res gestas repræsentatas omnem complectitur utilitatem. Nam consentientes ad honestum impellit, detestatur vitia, probos extollit, deprimit improbos.* Hæc ille & plura digna lectu. His gemina scribit lacteo eloquentiæ flumine Livius decadis primæ libro primo ipso in capite. *Ad illa*, inquit, *mihi pro se quisque acriter intendat animum, quæ vita, qui mores fuerint*; (priscorum Romanorum) *per quos viros, quibusque artibus domi militiæque & partum & auctum imperium sit.* Et paucis interpositis. *Hoc illud est præcipuè in cognitione rerum salubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita monimento intueri. Inde tibi, tuæque Reipublicæ, quod imitere capias, inde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites.* Hæc ille.

Notum est illud Encomium historiæ, scholis & exedris Rhetorum decantatum: *Historia testis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magistra vitæ, nuntia vetustatis*; ex Tullio l. 2 de Oratore. Scitum etiam est illud Sapphicum elegantis poëtæ:

O vetustatis memoranda custos,
Regios altùm simul & fugaces
Temporum cursus docilis referre
Aurea Clio.

Hinc Demetrius Phalereus, is, qui Alexandrinæ Bibliothecæ præfuit, eamque optimis libris, etiam sacris Bibliis Græciæ donatis instruxit, Ptolomæum Philadelphum monere solitus emt, ut sibi codices compararet de regno, deque militari disciplinâ rectè administrandâ, eosdemque revolveret, eò quòd illa, de quibus amici & consiliarii Reges non audent admonere, libris scriptis contineantur. Ita Laërtius in ejus vitâ lib. 5 c. 5. Plutarch. in Apophtheg. Græc.

23. Demetrius Phalereus ad studium librorum de Repub. scriptorum Ptolomæum Philadelphum hortabatur.

Adde his, historiæ lectionem frequenter animi morbis, perturbationibus, & cupiditatibus facere medicinam præsentem, & si fabulis fides est adhibenda, etiam corporis ægritudinibus. Vnde auctore Plutarcho de Mulierum virtutibus, in Argivis, Telesilla honestis edita natalibus femina, sed corpore languido ad oraculum misit, sciscitatura: cui responsum est: μύσας θεραπεύειν; *Musas curare.* Ex quo litteris addicta, non modò erudita evasit, sed & ægritudini corporis remedium adhibuit: Hinc extat Proverbium *Telesillæ Pharmacum.* Ergo litteræ & animo & corpori prosunt.

24. Historiæ lectio morbis animi & corporis medetur, & alia commoda præstat, ut docent auctores.

Seneca ad Lucilium epistola 16: *Literæ animum formant, & fabricant, vitam disponunt, actiones regunt, agenda & omittenda demonstrant, sedent ad gubernacula, & per ancipitia fluctuantium dirigunt cursum.*

Basilius Imperator Constantinopolitanus inter sexaginta sex exhortationum capita ad Leonem filium cognomento Philosophum (ut habetur Tomo 9 parte 2 pagina 1. Bibliothecæ SS. Patrum ultimæ editionis) sic scribit cap. 56: *Evolvere ne unquam cesses Historias veterum: ibi enim reperies sine labore, quæ alii magno cum labore congesserunt: atque inde bonorum virtutes, & improborum vitia cognosces, & vitæ humanæ varias mutationes, & rerum in eâ conversiones: mundi hujus instabilitatem, & imperii ad cadendum pronitatem disces. Breviter malefactorum pœnas, & bonorum præmia leges: quorum illa fugies, ne ultionis, quæ inde sequitur, severitatem patiaris: hæc autem amplecteris, ut præmia, quæ ex eis manant, consequi merearis.* Hæc Basil. Imperator.

25. Oratio Basilii Imperatoris ad Leonem filium.

Enimvero exempla demus eorum Principum, qui studio historiarum volvendarum sese dederunt.

Inter hos primas facilè tenuit Alphonsus Angoniæ & Neapolis Rex, de cujus dictis & factis extat libellus Antonii Panormitæ, & in eum commentarius Iacobi Speigelii, & Æneæ Sylvii: de cujus indefesso labore in libris veterum perlegendis plura commemoravi Commentar. meis in Ecclesiasticî cap. 39 ad ℣. 15. Hîc unum solùm addam ex eodem Panormitâ ibi prætermissum.

26. Alphonsi Aragonum regis labor indefessus in historias volvendis.

Alphonsus Capuæ adversâ laborans valetudine, Medicis multa medicamenta adhibentibus, Q. Curtii historias de Alexandri Magni rebus gestis legere cœpit, cujus lectione delectatus, cùm omnem morbi gravitatem superasset: *Valeat*, inquit, *Avicenna, valeat Hippocrates, & alii Archiatri. Vivat Curtius restitutor sanitatis meæ.*

Ni-

27. Rufus, Constantini Magni.

Nihil attinet de Magni Constantini assiduo, etiam nocturno studio hic dicere, de quo tum alii, tum Eusebius lib. 4 vitæ ejus hæc prodidit cap. 29. *Equidem suam ipsius mentem quodam quasi afflatu & instinctu divinarum rerum exaggerans, totas sæpe noctes sine somno traduxit, & cum per etiam liceret, orationes scribens, frequentes cum suis inibat congressus*, &c. Vide eumdem cap. 55.

Servavit piissimus princeps, ut & alii virtute illi non impares, præceptum divinum, quod traditur Deuteronomii 17, vers. 18, 19.

27. Lectio Deuteronomii à Deo commendatur Regibus.

Postquam autem sederit (Rex) in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis hujus in volumine; accipiens exemplar a sacerdotibus Leviticæ tribus; & habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ; ut discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba & cæremonias ejus, quæ in lege præcepta sunt. Item Iosue 1, ℣. 8 dicit Dominus Iosue: *Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo: sed meditaberis in eo diebus ac noctibus*; &c. quod Iosue præstitisse non est dubium. Multa commemorare in promptu est de Romanorum Consulibus, Dictatoribus, Imperatoribus, quibus auctores etiam Græcos; *Nocturna versare manu, versare diurna*, volupe erat.

28. Scipio Africanus assiduus Lector Pædiæ Cyri.

Constat Scipionem Africanum Pædiam Cyri vix umquam deposuisse de manibus, ex eaque non tam vera, quàm ad justissimi & fortissimi principis ideam expressa, omnium virtutum Imperatore dignarum exempla laudumque cumulos collegisse, qui fructus est historiæ.

Idem dicendum de Catone Vticensi, Iulio Cæsare, L. Æmilio Paulo, & aliis.

28. Carolo Magno historiæ legebantur.

Carolo Magno Imperatori in cœnâ & prandio præclaræ antiquorum prælegebantur historiæ, ut est auctor Cranzius lib. 2. Saxoniæ c. 8.

28. Alexander Severus consulebat historias.

Alexander Severus, teste Lampridio, dubiis in rebus peritos historiæ consulebat.

28. Carolus idem Quintus.

Scribunt nonnulli Carolum V. Austriacum ad tantam gloriam extulisse æmulationem Ludovici Galliæ Regis undecimi, cujus Philippus Comineus historiam texuit. Theodosius junior cum pro ratione sui principatus per diem graviora negotia composuisset, nocturnæ quietis non exiguam partem pervolvendis priscorum monimentis, laeris etiam codicibus describendis tribuebat: unde lucerna illius etiam ἀυτόματος quæ sponte semper oleum instillabat, nec operâ ministrorum liquorem infundentium indigebat, non minus prædicatur quàm illa Cleanthis aut Epicteti: Nec magis lucerna ejus ob artificium miranda est, quàm tanti Imperatoris vigilia, & ardentissimum litterarum, præsertim sacrarum studium. Vide Sozomenum Præfatione in suam Ecclesiasticam Historiam.

28. Theodosius Junior ad lucernam monimenta veterum legebat.

29. Liberalitas Theodosii Junioris erga scriptores rerum suarum, & labor indefessus in veterum scriptis evolvendis.

Vbi etiam deprædicat ejusdem Theodosii, cui opus suum inscribit, eximias & dignas Imperatore virtutes, & inprimis liberalitatem erga eos qui res à se gestas conscripserunt, quos tum approbatione, tum plausu, tum aureis imaginibus, tum statuis erectis, tum donis, tum honoribus cujusque generis remunerabatur, eo in genere superans Cretenses munificentiâ erga Homerum, Alevadas erga Simonidem, Dionysium Siciliæ tyrannum erga Platonem, Philippum Macedonem erga Theopompum, Cæsarem Severum erga Oppianum. Deinde subjungit: *Tu verò, ô Imperator, nemini, qui post homines natos vixerit, in doctrinæ studiosis remunerandis secundus es; quod quidem non sine causâ, meo quidem judicio, abs te factum est. Nam dum omnes studes virtutum splendore superare, tuarum rerum statum magnopere adauges: ob quam causam etiam historiam de rebus præclarè tum à Græcis, tum à Romanis gestis conscriptam accuratè evolvisti.*

Mox subjicit, quæ commemoravi de lucubrationibus ipsius nocturnis, & alia plura.

Aula ejus instar monasterii.

Nec dissimilia his refert Socrates in suâ Ecclesiasticâ Historiâ lib. 7 cap. 22, & inter alia: *Theodosii regia non dissimilis fuit monasterio. Nam primo diluculo ille ipse cum sororibus suis hymnos alternatim decantatos recitavit. Quin etiam Sacras litteras memoriter pronuntiavit. Nam cum Episcopis perinde ac si sacerdos jam olim designatus fuisset de eisdem disseruit. Libros etiam, tum qui sacra Dei eloquia complectebantur, tum qui ab eorumdem interpretibus conscripti erant, multo diligentius quam Ptolomæus Philadelphus olim in unum colligendos curavit.* Hæc ille.

Bibliothecam sacram instituit.

10. Historia emporium non auri, sed virtutum.

Eleganter ergo Themistius: *gravium auctorum libros emporium esse dixit, ex quo non aurum, ligna, purpura, aut ejusmodi merces exportantur, sed virtus & prudentia loco mercium.*

Assuerus ex Historiis didicit viros bene de se meritos præmiis afficere.

Ex priorum temporum relectâ memoriâ didicerat Assuerus noster bene meritos de Repub. & persona Regis viros debitis præmiis & honoribus afficere, quod ad statum principatus inprimis pertinet.

Luculli studium in legendis historiis.

L. Lucullus cùm esset Romæ ad bellum Mithridaticum profectus rei militaris omnino rudis, tantam inter navigandum rebus præclarè ab aliis gestis operam dedit, ut cùm in Asiam venisset maximi illius Regis confessione atque judicio, omnibus quorumque seculorum Imperatoribus anteferretur. Ita Cicero.

Eleganter S. Nazianzenus Epistolâ ad Nicobulum. *Præclarum est*, inquit, *mentem S. Historiarum cognitione instructam ac refertam habere. Historia enim conglobata quædam & coacervata sapientia est, hominumque multorum mens in unum collecta.*

31. Commendatur Ptolomæo studium Historiæ à 72 Senioribus.

Cùm Ptolomæus Philadelphus à Septuaginta Interpretibus quæsivisset, in quam rem optimè tempus consumeret, sic illi responderunt: *In rerum gestarum cognitione, & in legendis incumbentium operum libellis temporis plurimum assumere oportet, & quæcumque ad conservanda regna, emendandosque hominum mores scripta sunt, perquirere.* Ita Aristæus libello de 70 Interpretibus.

Pro honestate, utilitate, jucunditate quæ hauritur ex lectione historiarum legendus Maximus Tyrius dissertatione 12.

31. Historiæ laus ex Politiano.

Angelus Politianus politi vir ingenii Præfatione in Suetonium sic de eodem inter alia argumento scribit: *Verè hoc mihi videor esse dicturus, nullius aut facultatis aut disciplinæ tantam utilitatem, quantam historiæ existere; nam cùm perpetua stigmata inurat improbis, cùm sempiternâ gloriâ afficiat bonos, illos à malis actibus metu dedecoris absterreat, hos ad præclara facinora spe laudis adhortetur, magnâ meritò ex parte præstantissima quæque excellentium virorum opera, dicta, factaque ipsi acceptare referentur historiæ.* Hæc ille.

VERSVS III, IV, & V.

Quod cùm audisset rex, ait: Quid pro hac fide honoris ac præmii Mardochæus consecutus est? Dixerunt ei servi illius ac ministri: Nihil omnino mercedis accepit.

Statimque rex, Quis est, inquit, in atrio? Aman quippe interius atrium domus regiæ intraverat, ut suggereret regi, & juberet Mardochæum affigi patibulo, quod ei fuerat præparatum.

Responderunt pueri: Aman stat in atrio. Dixitque rex: Ingrediatur.

Hebraicè: Dixitque rex: quid factum est honoris & magnificentiæ ipsi Mardochai propter hoc? Et dixerunt pueri regis, ministri ejus: Non factum est cum eo verbum vel negotium (id est, quidquam.)

Dixitq; rex: Quis est in atrio? & Haman venerat in atrium domus regis exterius, ut diceret regi ad suspendendum Mardochai super lignum, quod parari fecerat ei:

Dixeruntque pueri regis ad eum: Ecce Aman stat in atrio: & dixit Rex: Ingrediatur.

Pertexit hoc modo inceptam narrationem suam Iosephus: Quo lecto, cum scriba ad aliud deinceps transiret, inhibuit eum rex, percontatus annon sit adscriptum, redditum ei aliquod præmium: illo verò negante quidquam tale scriptum, jussit eum desinere, & quota hora noctis esset scitatus est ab eo, cujus erat officium: & audito, quod jam esset diluculum, mandavit ut viserent quisnam amicorum adesset pro palatii foribus, sibique renuntiarent. Fortè autem Aman aderat, qui solito citius venerat, rogaturus Mardochæi supplicium. Famulis verò renuntiantibus Amanem esse pro foribus, jussit eum intrò vocari: &c.

COMMENTARIVS.

EOdem numine irradiante, quod ejus soporem quietemque interruperat, & ad annales relegendos excitaverat, jam Rex commovetur ad diligentiam & fidem Mardochæi ex procerum suorum sententiâ remunerandam. Nec hoc modò, sed etiam idem, ut videtur, Deus palatinis Persis animum, mentemque benignam injicit, ut præter aulicorum morem, qui æmulos suos odio plusquam vatiniano prosequi interdum solent, maximè si exteri sint, & alienigenæ, Mardochæo asserant nihil dignum tantâ sedulitate & curâ, quam pro rege gesserat, honoris vel præmii fuisse exhibitū. Nec etiam incredibile est Deum solito maturius à somno excitasse Amanum, ut per eum, licet omnia alia cogitantem & invitum, Mardochæus regiis honoribus eveheretur, & sic gradus fieret ad hujus quidem exaltationem, illius verò infamem humiliationem; licet Amanum partim amicorum consilium, primo manè necem Mardochæi à rege petendi, partim, & quidem præcipuè, inveterata simultas, & vindictæ insaturabile pectus, diutius sopori indulgere non permiserint. Agitabatur siquidem Avernalibus diris, & facibus Furiarum ardentibus, ad celerem necem Mardochæo parandam. Certò autem sibi persuaserat se non difficulter perniciem Mardochæi à Rege impetraturum, qui totius gentis Hebrææ interitum extorserat.

Cur tamen nominatim postulat Mardochæi caput? An fortè injussu regis nefas erat ex domesticis & aulicis ejus quemquam neci dare? An, quia non vulgare supplicium, sed longè deterrimum, & viro honorato indignissimum flagitabat?

An Mardochæus pro delatione nulla prius munera acceperit?

Exoritur hîc quæstio, quomodo ephebi regii & atrienses verè dixerint Regi, Mardochæum pro suis in eum meritis nihil honoris aut præmii consecutum; cùm cap. 12, ℣. 5 legamus: *Præcepit ei rex, ut in aulâ palatii moraretur, datis ei pro delatione muneribus.*

Invenio triplicem hujus quæstionis solutionem quam enarratores suggerunt.

Prima est Saliani tomo 5 Annalium, anno Mundi 3597, Artaxerxis Longimani 8, ante Christum 456, n. 4; scilicet cap. 12 jam citato in Græcis codicibus & Latinis inde transumptis deesse negationem, ita ut positum sit, *datis muneribus*, pro, *non datis*. Sed gratis hæc dicuntur, nec turò asseruntur, cùm ubique in omnibus textibus affirmativè illa legantur. Prima responsio non probatur.

Altera est, Dionysii Feuardentii, Estii, Marianæ, Tirini, & aliorum, eaque probabilis, nempe, data quidem munera qualiacumque Mardochæo pro officio delationis & conjuratione detecta, nullum tamen honorē aut gloriam publicam exhibitam, quâ ingentia ejus in Imperatorem, ejusque imperium promerita compensarentur; solùm in Commentarios nomen ejus & factum relatum, ut opportunitate oblatâ à Rege aliqua dignitas ei conferretur, quæ & illum & Regem deceret: versaretur interim in palatio, & in Regis oculis esset. Sic illi. Altera responsio probabilis.

Solum obstat his, quod cap. 2, ubi agitur de hoc Mardochæi facto nulla munerum fiat mentio, sed solùm sic legatur v. ultimo: *Mandatum est historiis, & annalibus traditum coram rege*; hîc verò dicitur à servis & ministris regis *nihil omnino mercedis recepisse*. Objectio.

Iosephus verò addit, regem percontatum, annon esset adscriptum, redditum ei aliquod præmium; scribam verò negasse quidquam tale scriptum.

Idem etiam paulo superius enarrans fraudes & machinationes eunuchorum patefactas, sic de hac re scribit: *Rex vero Mardochæo nunc quidem*

pro

pro salute suâ, quam ei debebat, præmii nihil persolvit, tantum nomen ejus in commentarios suos referri jussit & annotari; ipsum verò versari in regiâ, receptum inter amicos regis necessarios. Hæc Iosephus.

Tertia respondeo. Quæ de muneribus datis Mardochæo dicuntur cap. 12 per Anticipationem posita sunt.

Tertia, cui adhæreo, est Bellarmini lib. 1 de verbo Dei cap. 7, Serarii & Sanctii hic, cui etiam subscribunt Salianus & Mariana; nimirum illa, quæ dicuntur infrà cap. 12 de datis Mardochæo muneribus, dicta esse per Prolepsin sive Anticipationem, quâ quædam ante suum tempus ex occasione narrantur, quod frequens est in scripturis. Itaque quod ibi refertur, ut Mardochæus in aulâ versaretur Regi familiaris, & regio munere donaretur hoc modò & deinceps concessum est, ante enim solum morabatur in vestibulo palatii, ut Estheræ neptis suæ curam gereret.

Nota insuper, ubi Latinus habet: *Aman interius atrium domus regiæ intraverat*, legi Hebraicè, exterius atrium. Vnde Cajetanus censet literam Latinam hic corruptam: sed hoc temerariè & male. Cur enim non potius censeamus Hebræam corruptam, cum omnes Latini codices sic legant ut nos hodie legimus.

Varia in aulâ Regis fuere atria.

Respondemus itaque in palatio Assueri Regis varia fuisse atria, quorum unum respectu alterius dicebatur interius vel exterius. Intraverat ergo Amanus interius atrium, in quo videlicet aulici è prima cohorte amicorum regis morabantur, quod dicitur tamen exterius respectu magis interioris seu intimi, Basilicæ regis, Consistorii vel conclavis, in quo rex sedebat, & ad quod nemo non vocatus sub pœnâ capitis intrare poterat, de quo agitur cap. 4 ℣. 11, *nisi forte Rex auream virgam ad eum tetenderit pro signo clementiæ*, & cap. 5. ℣. 1, ut ibi diximus. Dicitur etiam interius atrium, in quo Aman versabatur, respectu aliorum plurium exteriorum, in quo atrienses & famuli satrapæ & nobilium agebant.

Advertit hîc Tirinus Artaxerxem pro more regum Persarum etiam statim post eunuchos convictos perduellionis & criminis læsæ majestatis, cogitasse de amplissimo honore, & præmiis Mardochæo tribuendis; sed operâ Amani, qui ægerrimè ferebat illorum per Mardochæum detectorum supplicium, cum quibus conspiraverat, id totum vel impeditum vel fraude dilatum primò, deinde oblivioni prorsus traditum fuisse. Verùm, ut ait cœleste Salomonis oraculum Proverbiorum 21, vers. 30: *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum.*

Propositum Civile & Christianum:

Reipublicæ salus continetur bonorum præmiis, improborum suppliciis. Item:

Lex Christiana pro freno pœnas sempiternas, pro calcari gloriam æviternam statuit.

33. Honor & pœna vitæ humanæ statum continent, & servant.

THeophrastus eruditione & eloquentiâ scriptor nobilis interrogatus, quid potissimùm vitam humanam contineret, illiusque statum conservaret; duo, ajebat, maximè salutaria & necessaria: τιμὴ καὶ τιμωρία; Honor & pœna; addebat & tertium; δίκην σοκία, sive beneficium.

Postremum merito dixeris esse illicium quoddam simile magnetico lapidi; quod occultâ vi animos hominum invitat, & ad omnem honestatem aureis catenis trahit; alterum, scilicet pœna sive vindicta & animadvertio, quasi chalybeis habenis; & ferreo retinaculo, eosdem coërcet, & abstinet ab infamiâ scelerum. Honor verò sive præmium, est stimulus, qui ad summum virtutis decus & gloriam etiam inertes & desides mentes impellit & accendit. Vide Stobæum sermone 161.

33. Accedit his beneficentia & Dei præsentiæ consideratio.

His tribus vinculis appetitus hominis constringitur, ne voluptatibus blandientibus assentiatur, & incitato cursu ad id quod ratio, & virtus proponit, feratur.

Addunt Theologi nostri, & qui Ascetica scripserunt, etiam quartum, nempe considerationem Dei ubique præsentis, cujus oculi lucidiores sole hominum etiam occultissima pervident, & assidue colluctant. Scribit de his copiosè & disertè more suo Benedictus Pererius noster tomo tertio in Genesin cap. 39, ℣. 9.

Quod suprà Theophrastus docuerat, idem viderat ante ipsum unus ex septem Græciæ sapientibus, Solon, teste in ejus vitâ Diogene Laertio. In his enim quasi gemmeis cardinibus omnis Respublica non solùm civilis, sed etiam Christiana volvitur.

33. Præmium & pœna columnæ adamantinæ cujusque politiæ.

Adstipulatur & Plato, aliis dumtaxat verbis idem dogma & placitum exprimens: vocat enim præmium & pœnam duas adamantinas columnas, quibus regna, provinciæ, oppida sustentantur.

Valerius Maximus lib. 2. cap. 6, quod est de externis institutis, hoc jure Athenienses dilaudat politissimam Rempub. hisce verbis. *Athenienses urbs bonos cives coronâ decorandi primò consuetudinem introduxit, duobus oleæ connexis ramulis clarum Periclis cingendo caput. Probabile instituum, rem sive personam intuere velis. Nam & virtutes uberrimum alimentum est honos, & Pericles dignus; à quo talis muneris dandi posteritas potissimùm initium caperet.*

34. Athenienses Periclis caput coronâ oleagineâ primùm cinxerunt.

Præclarè itaque Thucydides: *Apud quos*, inquit, *amplissima virtuti præmia constituuntur, in eorum civitate eximios quoque virtute viros esse consuevisse.*

35. Vbi præmia, ibi viri virtute præditi.

Est honos feracissimum pabulum, quo honestas alitur, sine quo animi vigor, tamquam arcus remisso laxatoque nervo, languescit, & deficit. Est oleum, quo sopita virtus revivisceit,

Vt vigil infusâ Pallade flamma solet.

Honos virtutis alitur.

Laudata virtus, inquit Clemens Alexandrinus; *non secus atque arbor crescit.* Nullus fermè tam ignavus reperitur & vilis, cujus pectus dulcedine præmii non tangatur.

Iuvenalis Satyra 10:

Quis enim virtutem amplectitur ipsam,
Præmia si tollas?

Etymon præmii.

Sunt qui τὸ præmium derivant à Prævium, quia oculis certantium præponitur, ut ad prælium animentur. Quo factum ut Græci columnæ inscriberent præmia certantibus parata, ut ostendit Vlpianus in Oratione Demosthenis contra Leptinem.

Prodiderunt librorum suorum monimentis Plutarchus in vitâ Themistoclis, Tullius pro Archiâ

chiâ, Valerius lib. 8 cap. 13. (cujus verba adscribo) *Themistoclem stimulis virtutum agitatum, & ob id noctes inquietas exigentem, quærentibus, quid ita eo tempore in publico versaretur, respondisse: Quia me trophæa Miltiadis de somno excitant: Marathon nimirum animum ejus, & Artemisium & Salamis navalis gloriæ fertilia nomina illustranda tacitis facibus incitabant. Idem theatrum petens, cum interrogaretur, cujus vox auditu illi gratissima esset futura, dixit: Ejus, a quo artes meæ canentur optimè. Dulcedinem gloriæ pene adjecit gloriosam.* Hæc Valerius.

36. Themistocles tropæis Miltiadis ad gloriam excitabatur.

Nec modò aculeus ille honoris aut præmii pulchritudine mentem fodicans, locum habuit in profanis illis ducibus aut Imperatoribus, sed etiam in sacris hominibus; ut in Davide nedum purpurato, in aulam Saulis admisso, aut ad culmen regiæ dignitatis evecto, sed adhuc opilione.

38. David præmii spe allectus aggreditur Goliathum.

Sic habes primi Regum 17 de ipso ingresso castra Israel & audiente ex populo præmium propositum illi, qui Goliathum Philistæum straviset ℣. 25. *Verum, qui percusserit eum, ditabit Rex divitiis magnis, & filiam suam dabit ei, & domum patris ejus faciet absque tributo in Israel.* Excitatus verò pastorculus tanti præmii amplitudine, semel, iterumque quærit, ibidem. ℣. 26. *Quid dabitur viro, qui percusserit Philisthæum hunc, & tulerit opprobrium de Israel?*

39. Exploratores terræ Chanaan botro allato invitant Israelitas.

Non aliâ de causâ Numeror. 13 vers. 24. Exploratores terræ Chanaan, terræ, inquam, uberrimæ & fecundissimæ, abscinderunt & abstulerunt inde palmitem cum uvâ suâ, quem portaverunt in vecte duo viri, similiterque tulerunt de malis granatis, & de ficis loci illius: ut nimirum Hebræi allecti fertilitate, pinguedine & dulcitudine terræ melle & lacte manantis animarentur ad illam occupandam, nec extimescerent urbes muratas usque ad cœlum, viros proceritissimos, & fortissimos, & immania monstra gigantum.

42. Cervi odore terrarum capti maria tranant.

De cervis hæc prodidit Plinius lib. 8, cap. 32. *Maria tranant gregatim nantes porrecto ordine, & capita imponentes præcedentium clunibus, vicibusque ad terga redeuntes. Nec vident terras, sed in odorem earum natant.*

40. Nos mare mundi odore cœlestis patriæ allecti transfretamus.

Sic nos ad terram viventium in cœlis nobis promissam, etsi oculis corporeis non cernamus, fidei odore percipientes, hujus mundi vastissimum pelagus tranare convenit. Traxit profanos homines ad ardua quæque audendum corona fluxa, nos pelliciat immarcescibilis.

41. Honestissimum Deo servire propter suam bonitatem & beneficia collata.

Honestissimum, laudéque dignissimum, & consultissimum quidem foret, ut excellentissimæ illi naturæ, & increatæ bonitati, Deo, inquam, Optimo Maximo, omni animi contentione servire & placere studeremus propter innatam illi pulchritudinem, dignitatem, & præstantiam, & ob eximia beneficia, quibus nos prævenit, & jugi quasi scatebrâ inaurat: Verùm quia illa gloria, illud studium, & ardor paucorum est; non displicet illi, si etiam ad ipsum summum bonum spe præmiorum invitati nitamur, & ad scelerum dedecus fugiendum metu & formidine pœnæ retrahamur. Ad hunc locum spectat factum quoddam dictumque commemorabili sanctitate præditæ matronæ, quod in vitâ S. Ludovici Galliarum regis refert Ioinvillæus, unus ex illius proceribus, cap. 56. Mulier quædam viâ publicâ procedebat per urbem Syriæ Ptolemaidem (eo tempore quo in partibus illis S. Ludovicus armis & pietate religionem Orthodoxam amplificabat) unâ manu vas aquæ plenum gestans, alterâ ignis foculum; interim conjectu oculorum nunc in cœlum, mox in terram, & intigni oris gravitate rem insolitam moliri videbatur. Huic cùm occurrisset religiosus P. Ivo cognomento Brito ex ordine S. Dominici Orator Regis ad Sultanum Damasci, hæsit in gradu suo, & veluti in illius matronæ vultu nescio quid homine majus, augustiusque legisset: Quid inquit, tibi vis, his discordibus onerata elementis? Quid paras, quid moliris? Illa suspirans: *Pervelim*, ait, *cœlestem patriam hoc igne consumere, hac verò aquâ incendia Tartari abolere, ut deinceps neque hæc, neque illa superstent.* Ivoni petenti hujus arcani sermonis causam, intulit illa: *Quia non decet Mortales aut propter alterius vitæ expectata gaudia Deo obsequi, aut flagitiorum turpitudinem effugere ob flammarum perennium terrorem, sed potius amore Dei Patris suavissimi, nostrique amantissimi, qui victus charitate, se, & omnia nobis donavit.* Ivo rem totam, ut ex ore sapientissimæ fœminæ acceperat, regi Christianissimo, & purpuratis ejus narravit, quorum unus erat Iouuillæus, qui litteris eam complexus est.

41. Symbolicè hoc ostendit in terrâ Palæstinâ mulier sacrificia manu ferens ignem & aquam.

Sed hæc virtus paucorum est, & non nisi eorum, qui ad perfectionis Christianæ culmen pervenerunt.

42. Honestum nihilominus est excitari ad virtutem proposito præmio.

Honestum nihilominus est hîc certantes in stadio ut fortes athletas ad cursum, ad luctam, ad pugilatum bravio & coronâ incitari.

Cur enim Deus nos allicit ad ardua decora propositis amplissimis & copiosissimis præmiis, mercede, honoribus, nisi vellet etiam in illa nos interdum oculos conjicere? cur terret gehennæ propositis cruciatibus, nisi cuperet nos etiam à pravis cupiditatibus, & scelerum incitato impetu per illos revocare? *Merces*, inquit, *vestra copiosa est in cœlis*, Matth. 5 ℣. 12.

Ipse Agonotheta Abrahamum patrem nostrum exstimulat verbis jucundissimis, Genes. 15, ℣. 1, *Ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.*

Quid verò est, quod viri inter primos Dei amicos, & rarâ sanctimoniâ præstantes, laborum fluctus exhauriant & forti pectore omnia furiarum infernalium prælia subeant, nisi interdum spe futuræ gloriæ, quæ mentibus eorum obversatur, se consolentur?

Egregiè S. Gregor. lib. 8 Moralium cap. 7. dixit, *Christianos remunerationis linteo sudores laboris sui tergere.*

43. S. Francisci sudorem suum Deo vendiderat.

Dicitur quondam Sanct. Franciscus Seraphicus, cùm seminudus perfrigidâ tempestate ambularet, petenti cuidam ut sudorem suum venderet, respondisse, se illum venum non exponere. Sciebat enim illius amplissimum esse paratum in cœlis præmium; Deo nempe vendidisse, qui illum tamquam genitor benignissimus, vel blandissima Mater deficeret, & abstergeret, curriculo hujus mundi collectum non indecorum pulverem eventilaret.

Sic

Sic refertur hoc in Chronico Ordinis Seraphici 1. p. lib. 1. cap. 52. *Occurrit aliquando S. Francisco male vestitus, ferè nudus, & frigore contremiscens per hyemem fratri suo secundum carnem; qui ab illo per alium petiit, velletne sibi sudoris guttam vendere. Franciscus vero magnâ hilaritate perfusus: Dicite, inquit, fratri meo, quòd totum sudorem meum Domino Deo admodum care & magno pretio vendiderim.*

Omnes operarii & mercenarii sumus ad denarium diurnum conducti, qui graves hujus vitæ ærumnas & labores fallit & lenit. Iob c. 7. ℣. 1. *Sicut dies mercenarii dies ejus*, (hominis) compensatur opera nostra à Deo sicut sudor laboriosi servi.

Vide in illum locum S Gregorium lib. 8 Moralium cap. 6. ubi inter alia: *dies suos mercenarius evolvi cursus exoptat, ut ad laboris sui præmium sine tarditate perveniat.*

Sequitur verò apud S. Iobum ℣. 2. *Sicut servus desiderat umbram*, (id est, quietem in umbraculo seu tecto suo: vel, ut quidam volunt, noctem, quæ umbra magna est, involvens terramque polumque, ut in eâ quiescat post diei labores) *& sicut mercenarius præstolatur finem operis sui*, id est, præmium videlicet & mercedem sive denarium; quem sibi tamquam finem laboris sui proposuit: ubi S. Gregorius suprà cap. 7. *Umbram servo desiderare est post tentationis æstum, sudoremque operis, æterni refrigerii requiem quærere.* & infrà: *Mercenarius cum lassescentem animum ad considerandum operis præmium revocat, vigorem mox animi ad exercitium laboris reformat: & quod grave perpendit ex opere, leve existimat ex remuneratione.* Lector illum conveniat.

44. Præmium laborem mitigat & solatur.

Hoc invitamento omnes piæ animæ inter turbulentissimos ærumnosæ hujus vitæ labores & afflictiones se excitarunt. Sic *Moses aspiciebat in remunerationem*, ad Hebr. 11, 26.

Sic regius vates Ptal. 118, *inclinavit cor suum ad faciendas justificationes Domini propter retributionem.*

45. S. David cor suum quomodo inclinaverit ad faciendas Dei justificationes.

Sancti Patres, Chrysostom. & Basilius & alii docent cor humanum instar stateræ pondere rationis inclinari in hanc vel illam partem, videbat itaque Vir ille divinus judicio, & oculo mentis illuminato in alterâ parte lancium omnia hujus universi bona futilia, vana, & fluxa, in alterâ verò solida, vera, perpetua, quæ longè illis præponderabant, & lancem degravabant: in hanc ergo partem cor quoque suum inclinavit, ut Deo liberalissimo remuneratori obsequeretur.

Sic omnes piè Deum colentes pericula, labores, sustinuerunt, ut lemniscatâ in cœlis coronâ à summo Agonotheta donarentur. Unum exemplum suggero.

46. S. Sabas Martyr ad gloriosum martyrium subeundū se excitat spe propositi æternæ gloriæ.

Fuit miles quidam (ut habet Surius Aprilis 12) Sabas nomine, multis præliis gestis nobilis, sed religione Christi nobilior; qui, ut opima spolia ex certamine referret, & immarcescibili Diademate cōronaretur, stitit se aliquoties ultrò judicibus impia in fidei odium præcipientibus, quibus constantissime contradicebat. Hac de causâ intempestâ nocte nudus cubili sublatus est, & per silvam vepribus & spinis obsitam immaniter raptus. Sed sentes rosæ illi videbantur, ut Tiburtio carbones ardentes: ita alacriter viam illam percurrebat, & quidem intactus, ut ne pedem quidem hamatis illis aculeis vulneraret. Postea verò multis tormentis exercitatus, cùm tandem ad flumen traheretur eo submergendus, nescio quorum favore inimico sibi, maximeque ingrato promitti sibi intellexit libertatem. Quid agat Christi miles? Mors est in oculis. Et offertur vita ultrò. At ille oculos conjicit in ripam ulteriorem, contemplatur non quæ videntur, sed quæ non videntur, non temporalia, sed æterna; & ad Iudicis ministros conversus: Video, inquit, quod non potestis intueri; Ecce stant è regione qui me susceperi sunt in gloriâ: Angelicorum, nempe spirituum chorus animam illius cum triumphali palmâ, cum coronis & laureis circumdabant.

Hoc theatro & spectaculo recreatus non litus, non libertatem, non vitam, sed fundum fluvii, sed martyrium, sed gloriosam mortem desiderabat.

Ethologia Prima.

Semper fuit laudabile fidelium ministrorum diligentiam & operam dignis honoribus & præmiis compensare.

PRæstitit hoc Monarcha Persarum Artaxerxes, ut discimus hinc, & ex capite 12, ℣. 5; & maturius præstitisset, nisi, ut aliqui Commentatores censent, nequitiâ Amani hoc vel impeditum vel retardatum, & penè neglectum fuisset.

Quia tamen fides Mardochæi in regias ephemerides relata erat & litteris mandata, oblivione deleri non potuit, cùm interdum historiæ coram rege ab Anagnoste legerentur.

47. Munificentia Regum Persarum in bene de se meritos, ut Xerxis, Artaxerxis, &c.

Commendantur insuper ab Historicis Persarum Imperatores à gratitudine in bene de se regnoque meritos; quòd cum virtute gesta maturo examine ponderarent; quòd forent plerumque ad pœnas pigri, ad præmia veloces: Mirifica eorum cura cernebatur, in laboribus eorum remunerandis, qui Regis saluti consuluissent quos Orosangas linguâ Persicâ vocatos scribit Herodotus lib. 8. ubi etiam tradit eorum nomina Commentariis inscripta. Vide de his Barnabam Brissonium lib. primo de regio Persarum dominatu fol. 87, & deinceps usque ad 109.

Xerxes apud Thucydidem lib. 1, Pausaniæ dixit: *Tuum beneficium nostris in ædibus semper inscriptum erit.* Ipsorum litteris celebratur malum punicum Artaxerxi Mnemoni missum & regiis muneribus ornatum; Item aqua ex Cyro flumine, rustici manibus hausta, eidemque oblata, & phialâ aureâ, aliisque muneribus compensata; de quâ videndus Ælianus lib. 1 de variâ historiâ.

Hinc illæ voces; si regem à quopiam è discrimine eripi contingeret: *Memento diei hujus, ô Rex*: ut Plutarch. in Artaxerxe. Hinc Syloson, Dario Hystaspis se tantum indicari cupiebat εὐεργέτην, benefactorem, apud Herodotum lib. 3.

Alexander Magnus, sicut in luxum, moresque Persarum abiit, ita etiam regiam eorum munificentiam non modò consectatus est, sed etiam superavit. De hoc quædam decerpo ex Plutarcho in ejus gestis. Serapioni, uni ex grege eorum, qui secum pilâ lusitabant, quia nihil petebat, nihil largiebatur: cùm autem ad ludum accessisset Serapion, adjecit pilam aliis, cui ubi dixit

dixit Rex: *Quin mihi das? Non potis*, inquit. Risit Rex, atque amplâ largitione est cum prosecutus.

48. Alexandri Magni in amicos munificentia.

In ditandis amicis, & stipatoribus suis quàm fuerit prolixus, declarat Olympias (ejus mater) epistolâ quam ad ipsum scripsit: *Bene mereve alias*, inquit, *de amicis, & splendore utere: Enimvero nunc omnes regi efficis pares, multosque amicos eis paras, temetipsum verò reddis solitarium.*

Mazæi, cujus apud Darium summa fuerat gratia, filio Satrapiæ præfecto alteram adjecit ampliorem. At ille recusans ait, *Tunc, ô Rex, unus erat Darius, nunc tu multos effecisti Alexandros.* Hæc & plura Plutarch.

48. Item Alexandri Severi.

Fuit & alter Alexander Severus Romanorum Imperator munificentiæ exemplar regibus propositus. Hic descriptum habebat quid cui præstitisset: & si quos sciret vel nihil petisse, vel non multum unde sumptus suos augerent, vocabat eos, & dicebat: *Quid est, cur nihil petis? An me vis tibi fieri debitorem? Pete, ne privatus de me queraris.* Lampridius in Alexandro Severo.

48. Rutilus M. Minutii Rufi.

Non omittenda hoc loco grati animi significatio M. Minutu Rufi Magistri equitum erga Fabium Dictatorem, de qua Livius lib. 22: Plutarch. in Fabio, & his verbis Valerius Maximus lib. 5. cap. 2. *Fabio etiam incolumi summa cum gloriâ gratia relata est. Dictatori ei Magister equitum Minutius scito plebis, quod numquam antea factum fuerat, æquatus, parito exercitu separatim in Samnio cum Annibale conflixerat: ubi temere inito certamine, pestiferum habiturus exitum, subsidio Fabii conservatus, & ipse eum patrem appellavit, & à legionibus suis patronum salutari voluit: ac deposito æqualis imperii jugo magisterium equitum, sicut par erat, Dictaturæ subjecit, imprudentisque vulgi errorem gratâ mentis significatione correxit.* Ita Valerius.

Memorabilis & illa Romanorum munificentia quâ servum, qui Vitelliorum, Aquiliorumque cum Tarquinius conjurationem patefecerat Consulibus, honorarunt, de quâ sic refert T. Livius lib. 2 ab V. C. Lactea ejus verba Lectori propino. *Secundum*, inquit, *pœnam nocentium* (conjuratorum qui Tarquinios in urbem admittendos senserant) *ut in utramque partem arcendis sceleribus exemplum nobile esset, præmium indici, pecunia ex ærario, libertas ac civitas data. Ille primus dicitur vindictâ liberatus.* (Erat autem vindicta virgula, quam prætor servi capiti imponens, eum manumittebat, & in libertatem vindicabat, de qua legendus Plinius epist. 136.) *quidam vindictæ nomen tractum ab illo putant; Vindici ipsi nomen fuisse* (alii Vindicium vocant) *post illum observatum, ut qui ita liberati essent, in civitatem accepti viderentur.* Hactenus Patavinus historicus. Idem habet Plutarch. in Publicolâ, & alii.

49. Præmium datum Vindici servo, qui conjurationem cum Tarquiniis patefecerat.

In historiâ eâdem celebrata est fides C. Fabricii Consulis erga Pyrrhum Epirotarum regem, qui acre bellum cum Romanis gerebat. Res ita se habuit, ut inter alios memorant Gellius lib. 3, cap. 8. Cicero 3 Officiorum, Plutarchus in Pyrrho, L. Florus breviter lib. 1, cap. 18. Valerius lib. 6, cap. quinto; cujus hæc sunt: *Timochares Ambraciensis Fabricio Consuli pollicitus est se Pyrrhum veneno per filium suum, qui potionibus ejus præerat, necaturum. Ea res cùm ad Senatum esset delata, missis legatis Pyrrhum monuit, ut adversus hujus generis insidias caveret: nec mirum urbem à filio Martis conditam, & armis bella, non venenis gerere debere.* Hactenus ille. Addit Gellius suprà, Regem & Populi Romani laudes atque gratias scripsisse, captivosque omnes, quos tum habuerat, restituisse: Alii insuper volunt etiam Caduceatorem ad pacem incundam misisse.

50. Fabricii in Pyrrhum fides, & liberalitas Pyrrhi in Romanos.

Extant & in sacris litteris multa grati animi indicia erga bene meritos, eorumque stirpem.

Inter ea eminet illa propensa benevolentia & beneficentia Davidis regis erga Miphiboseth filium Ionathæ amicæ suæ dimidii, cui & restituit omnes agros Saul avi sui, & voluit eumdem comedere panem in mensâ suâ semper; ut narrat secundus liber Regum cap. 9. Beneficentia Davidis in Miphiboseth.

Alia volens prætermitto.

Ipse cæli terrarumque moderator Deus exemplo suo præit principibus à se constitutis, obsequiis ministrorum suorum reddere vicem, & gratias referre. Unum solum attingam ex Ezechielis 29, ℣. 18: Vbi Dominus his verbis Prophetam affatur: *Fili hominis, Nabuchodonosor rex Babylonis servire fecit exercitum suum servitute magnâ adversus Tyrum: omne caput decalvatum, & omnis humerus depilatus est* (Intellige capita militum Chaldæorum assiduâ cassidum gravium operatione capillis fuisse nudata, & humeros torosos fuisse attritos continuâ gestatione lapidum, trabium & terræ, quibus alveum maris, quod Tyrum alluit, implere conabantur, ut eo completo oppidum oppugnarent: duravit autem illa obsidio annis tredecim) *& merces non est reddita ei neque exercitui ejus de Tyro pro servitute, quâ servivit mihi adversus eam.* (Scribit quippe S. Hieronym. in Ezechielis 23: *Tyrios cùm viderent nullam salutis sibi superesse viam, consensis navibus navigasse Carthaginem, & in alias insulas Ægæi atque Ionii maris:* quia igitur omnes merces & opes suas cives auxerant, nihil militibus Chaldæis manubiarum deprædandum restabat.) *Propterea hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego dabo Nabuchodonosor regem Babylonis in terra Ægypti: & accipiet multitudinem ejus, & deprædabitur manubias ejus, & diripiet spolia ejus: & erit merces exercitui illius, & operi quo serviunt adversus eam: dedi ei terram Ægypti, pro eo quod laboraverat mihi, ait Dominus Deus.* 51. Deus Chaldæis pro obsequio sibi præstito in capienda Tyro, dat spolia Ægypti.

Discite ergo hinc vos, qui delectamini sceptris, & sedibus, qui imperio regitis populos, ministrorum sudores, diligentiam, fidem, qui toti ex voluntate vestrâ pendent, & oppositu corporum suorum, salutem vestram, totumque Reipubl. tuentur, dignis honoribus, præmiis, mercede compensare. Si enim Deus suâ incredibili benignitate qualecumque meritum (liceat impropriè sic appellare) & qualemcumq; Chaldæorum obedientiam, quâ voluntatem ejus impleverunt quoad volitum materiale (ut loquuntur Theologi,) tanto imperio rependit, dando illis Ægypti spolia: Quid vos facere par est, cùm suis vigiliis, laboribus, sanguine vitam tam vestram, quàm totius populi incolumitatem clientes & milites vestri conservant & custodiunt? Quæ gratia, quanta merces, quales coronæ talibus Mardochæis, talibus vindicibus debentur? Nihil homine dignius, nihil honestius

quàm

quam amicos bene de se meritos agnoscere, & animum suum erga illos argumentis benevolentiæ significare.

52. Templum Gratiarum in qualibet urbe extruendum.

Dilaudat Philosophus lib. 5, Ethic. cap. 5, illum morem, quo in amplissimo, pulcherrimoque civitatis loco τῶν χαρίτων ἱερὸν, sive *Gratiarum templum* extruitur, quo animentur omnes ad beneficia, tum apud alios collocanda, tum etiam erga se exhibita agnoscenda, prædicanda, referenda.

52. Ara Gratiis erecta apud veteres.

Hinc quoque priscis seculis usurpatum, ut ab hominibus homines beneficiis affecti & adaucti, in grati animi tesseram *aram Gratiis statuerent*.

Hoc factum à Cherronesitis nobis scriptum reliquit Græcæ facundiæ princeps Demosthenes Oratione περὶ στεφάνου, de Corona. *Cherronesitæ*, inquit, *coronant Senatum, populumque Atheniensem coronâ aureâ, & χάριτι βωμὸν Gratiæ Aram constituunt.*

53. Romani Diis ex omnibus quæ ab iis acceperant aliquid offerebant. Gratitudo propriè humanitas vocatur.

Romani verò veteres, auctore Censorino lib. de die natali cap. primo, *quod alimenta, patriam, lucem, & denique ipsos Deorum dono habebant, ex omnibus aliquid Diis sacrabant.*

Est hæc memoris mentis beneficentia & largitas ipsi naturæ humanæ ab ipsius conditione insita, penitusque insculpta, quæ ipsa virtus & humànitas dicitur, quia propriè homini congruit, & qui ingratus est, inhumanus vocatur.

54. Semper honorati bene de Reipub. meriti.

Hinc apud reges, antiquosque populos usus erat, ut eorum, qui benefici fuerant, & præclarum aliquod officii genus in principem, Rempublicamque contulerant torquibus, armillis, purpurâ, coronisque donarentur, & aliis honoribus ornarentur.

Sic habes de illo castimoniæ & innocentiæ Coryphæo Iosepho Patriarchà Genes. 41, v. 19 & sequent. quòd Pharao Rex Ægypti honoraverit illum ob eximiam sapientiam & providentiam annulo suo, stolâ byssinâ, & torque aureâ pluribusque aliis insignibus. Daniel quoque ob divinum somnium Nabuchodonosori retectum, ab eodem muneribus & honoribus pluribus affectus fuit, ut refert ipse cap. 2, vers. 48; & rursus cap. 5 ibidem vers. 29, à Baltassare Chaldæo indutus est purpurâ, & circumdata est torques aurea collo ejus, &c.

55. Charitum Emblema vetus.

Apud veteres olim sic Charites vel Gratiæ pingebantur. Una Myrtum, in qua censebatur Amor plumeus nidulari, dexterâ præferebat? altera Rosam, quæ gaudium veris & florum decus, gestabat: tertia porrò talos lusorios manu tenebat. Eo figmento beneficiis amorem & hilaritatem comites adjunxerunt, & significarunt beneficia instar taxillorum in mutuas manus vicissim recurrere debere: quia ludus homine ingenuo dignissimus est gratiæ vicissitudo.

56. Amor ciconia.

Ideo dictum Alcibiadi: In te Amor à Ciconiâ non differt: si posteaquam prope te, velut in nido Amorem foverit, ab illo iterum nutriatur. τὸν ἐρῶντα ἀνθερᾶν, id est, instar ciconiæ parentem alentis beneficium beneficio rependere. Novè quis Græcam vocem Latinâ dictione reddiderit, reciconiare?

Ethologia Altera.

Bene à nobis factorum gratia nullâ in Dei mente oblivione deletur.

NOn est Deus noster Assuero similis, cui vel regni varia negotia, vel Amani nequitia & dolus, memoriam fidei & diligentiæ Mardochæi excusserant. Manent enim æternâ mente Magni illius Numinis repolita, quæcumque mortales in gratiam & gloriam ipsius hìc fecerimus nec umquam ex adamantinis æternitatis tabulis oblitterantur.

Sacratiores libri hoc passim nobis ineinunt.

Tuba Apostolica hoc insonat ad Hebræos 6, vers. 10. *Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis Sanctis & ministratis.*

Et iterum; prioris ad Corinth. 15, ℣. 58. *Scientes*, ait, *quod labor vester non est inanis in Domino.*

57. Dei fervorum suorum labores non obliviscitur sed remunerat.

Lautum illud & honorificum ab eo, qui non mentitur, promissum, semper eorum qui piè illum colunt, animis præsens est, Genes. 15, ℣. 1 factum Abrahæ eorumdem Patri. *Noli timere Abram: ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis.*

Nec excidit illud oraculum purpureo Regis sapientissimi ore pronuntiatum, Sapientiæ 3, ℣. 15: *Bonorum Laborum gloriosus est fructus, & quæ non concidat radix sapientiæ.*

Gravissimè invehitur ipse cœlestis Athlotheta in blasphemas impiorum voces; qui apud Malachiam cap. 3, ℣. 14, jaculantur in cœlum contra Dominum has diras: *Vanus est, qui servit Deo: & quod emolumentum, quia custodivimus præcepta ejus, & quia ambulavimus tristes coram Domino exercituum? &c.*

S. Hieron. ex Scripturâ sacrâ Ezech. 29, de quâ suprà, colligit Deum gentilicæ superstitionis caligine obductorum opera bona (moraliter scilicet) congruâ aliquâ temporali mercede rependere.

Et Hipponensis Antistes id asserit Deum præstitisse priscis illis Romanis, quorum Republicâ (ut scribit ipsorum laudum præco disertissimus Titus Livius in propylæo suæ historiæ) *nulla unquam nec major, nec sanctior, nec bonis exemplis ditior fuit; nec in quam tam sera avaritia, luxuriaque immigraverint, nec ubi tantus ac tam din paupertati ac parsimoniæ honos fuerit.*

58. Deus imperio terreno virtutes priscorum Romanorum donavit.

Sed lubet de his audire S. Augustinum scribentem lib. 5 de Civitate Dei cap. 15: *Quibus*, inquit, *non erat Deus daturus vitam æternam cum sanctis Angelis suis in civitate suâ cœlesti, ad cujus societatem pietas vera perducit, si neque hanc eis terrenam gloriam excellentissimi imperii concederet, non redderetur merces bonis artibus eorum; id est virtutibus, quibus ad tantam gloriam pervenire nitebantur. Privatas enim res suas pro re communi, hoc est, republicâ, & pro ejus statu contempserunt, avaritiæ restiterunt, consuluerunt patriæ consilio liberos: neque delicto secundum suas leges, neque libidini obnoxii: sed his omnibus artibus tamquam veâ via nisi sunt ad imperium, honores, gloriam; honorati sunt in omnibus ferè gentibus: imperia sua leges imposuerunt multis gentibus; hodieque historiæ & historia gloriosi pene sunt in omnibus gentibus: non est quod de summi*

& veri Dei justitiâ conqueranturr: perceperunt mercedem suam.

Si ergo Romanos Deus tam amplâ & copiosâ mercede retaliavit, merces Sanctorũ (prosequitur idem Doctor, cap. 16) *longè alia est etiam hic opprobria sustinentium pro civitate Dei, quæ mundi hujus dilectoribus odiosa est. Illa civitas sempiterna est, ubi nullus oritur, quia nullus moritur. Vbi est vera felicitas, non Dea, sed donum Dei. Videant cives æternæ illius civitatis, quanta delectio debeatur supernæ patriæ propter vitam æternam, si tantum a suis civibus terrena dilecta est propter hominum gloriam.* Hactenus S. Augustin.

Idem in Psalm 85 commentans: *Peccatoribus*, inquit, *blasphemantibus eum quotidie dat cælum & terram, dat fontes, fructus, sanitatem, filios, copiam, ubertatem. Qui talia peccatoribus dat, quid putas eum servare fidelibus suis?*

Sunt in sublimis curiæ tabulario, immo

In mente repostæ

Numinis Annales nostrorum & certa laborum

Pignora, quæ numquam poterit delere vetustas.

Verùm, quia hoc pelagus enavigare cymbulâ nostrâ modò non datur, sufficiet oram legere, & unum atque alterum in littore Scripturæ locum notare. Illustris gnome est plurimis laboribus exerciti Regis Davidis, Psalmo 55, ℣. 9. ubi sic Deum alloquitur. *Deus vitam meam annunciavi tibi: posuisti lacrymas meas in conspectu tuo: Sicut & in promissione tua.*

59. Deus labores nostros mente conservat, ut compenset.

Iuxta Septuaginta & nostrum hic sensus clarus est. Tibi, Deus meus, in oratione meâ, non sine lacrymis retexui, & accuratè exposui totius vitæ meæ cursum & seriem, quas passus fuerim calamitates, quæ pericula adierim, quos labores exantlarim, quoties profugus fuerim, locum ex loco mutaverim, in exilium profectus fuerim: hæc omnia, & plures meas necessitates & ærumnas tibi enarravi supplicando. Tu interim, misericors Pater preces meas lacrymis intermixtas & suspiria non despexisti, sed in mente tuâ memori, ea, quæ retuli, reposita tenes & conservas, sicuti quondam promisisti te miserorum lacrymas & supplicationes non neglecturum, sed exauditurum. Sed in Hebræo plura recondita sunt, quæ argumentum nobis propositum mirifice illustrant.

60. Deus lacrymas nostras in utre, lagenâ, vel sacculo suo reposuit, ut eis oblectetur, & præmio afficiat.

Sic ergo reddi possunt: Deus tu numerasti exilium meum, fugam meam, optime tenes quoties fugiendo locum mutaverim, ut Saulis insidias evaderem: præterea lacrymas meas, quas tibi fudi exponendo exilium meum, tu posuisti in utre vel sacculo tuo.

Itaque lacrymas nostras dicitur Deus reposuisse in mente & memoriâ suâ tamquam in utre, in quo cunctas colligat & servet, tamquam sibi acceptissimas, quarum tacitas etiam voces percipiat & suo tempore remuneret.

Significat etiam Deum lacrymas nostras tamquam liquorem aliquem odoratissimum, lagunculâ suâ excipere, & reponere in cœlesti apothecâ, nec stillam quidem earum deperdi, sed quàm studiosè omnes guttulas colligi, ut suo tempore præmio donentur.

Sunt lacrymæ pretiosæ margaritæ sive uniones: sic enim illas vocat S. Macarius homil. 25. has Deus includit inaurato scriniolo longè ditiore illo Darii, quo ejus thesauri continebantur.

Scribit hunc in Psalm. Commentario Lorinus Vindocini Galliæ oppido, jugiter perdurare lacrymam Christi sive de aliqua imagine excultam, sive de ipsius oculis; celebrari etiam id oppidum eam ob causam magnâ peregrinorum frequentiâ, & fama est ægritudini oculorum mederi imagines inde, post attactum sanctæ Lacrymæ transportatas.

61. Lacrymæ Christi servantur Vindocini in Galliâ.

Produnt insuper aliqui, inter quos Ioan. Baptista Signus lib. de Reliquiis & veneratione Sanctorum, in Ecclesiis nonnullis tum Christi tum Matris lacrymas asservari.

Quòd si verum est lacrymas has sanctas non arescere; nec illæ piorum guttæ siccabuntur, quas hîc ex gemmifluis oculis stillarunt, & lagunculis Olympicis cœlestes spiritus susceperunt, easque in conspectu Dei posuerunt.

62. Lacrymæ piorum referuntur in librum rationum Dei.

Nec sequentia Psalmi verba suâ carent Emphasi: *Sicut & in promissione tua*: quæ Hebraicè sic sonant: *Nonne in libro?* id est, sicut in libro istud est scriptum, vel, iste fletus meus consignatus est? Videtur autem David cum Deo agere quasi ex obsignatis tabellis & promissionibus. Quocirca & alii vertunt: *An non in rationario tuo?* Referuntur ergo omnes pœnitentium & Dei cultorum fluentes lacrymæ in librum rationum divinarum, ut eas compenset.

Adjungam & alterum locum ex Euangelio Marci 8, 2. ubi populo sibi inhærente, per solitudinem sequente & perseverante dicit Christus discipulis suis: *Misereor super turbam; quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent, &c.*

64. Numerat Deus omnes dies, quibus illi servimus, momenta, opera, verba, cogitata, &c.

Numerat Dominus omnes dies, & solicitè ad calculos subducit & revocat, quibus in ejus servitio perstitimus, quibus in laboribus ad ejus gloriam susceptis perseveramus, ut scilicet dignam mercedem retribuat. Nec modo annos aut dies, sed & horas, & momenta temporis, opera, verba, cogitata: Omnia scribuntur in libro ejus, te nobis debitorem agnoscit; Iob 7, vers. primo. *Sicut mercenarii dies ejus*: scilicet hominis. Sicut ergo Dominus, qui operarios diarios conducit, omnes dies scriptos habet & numerat, ut illis mercedem vel denarium persolvat: Sic Deus nostra opera, qui servi ejus inutiles sumus, & nobis potius quam ipsi serimus, metimus, laboramus, dinumerat tamen & solicitè expendit, ut nihil sudoris nostri, vigiliarum nostrarum, studii nostri non remuneratum effluat.

Iob 14, vers. 16. *Tu gressus meos dinumerasti*; id est, omnes vitæ meæ actiones, & studia, omnes vias meas supputasti & quidem minutissimè, & in libellum rationum tuarum redegisti, ut mihi stipendium, prout meruero reddas, si boni fuerint inventi gressus mei.

Quod amplius est, dicit Dominus Matthæi decimo, v. trigesimo. *Vestri capilli capitis omnes numerati sunt.* Quid vilius superfluis & excrescentibus crinibus? Et illos in numerato habet Deus. Quidam per capillos cogitationes accipiunt. Nec repugno. Has etiam novit, scrutatur, & expendit Deus, his etiam præmium quod merentur, constitutum est.

Spectat huc historiola, quæ refertur apud Rosweydum libro quinto de Vitis Patrum interprete Pelagio libello septimo, n. 31. *Senex quidam solitariam vitam agebat in eremo, cui longè aqua petenda*

petenda erat, ad duodecim nempe millia passuum à cella sua. Cum itaq; diu quopiam pergeret ad hauriendam aquam animo viribusque deficiens: Quid inquiebat, opus est, ut tanto labore me fatigem? Veniam, & sedem figam juxta fontem. Vix ea fatus erat, & ecce cum respiciens vidit quempiam ponè sequentem se, & vestigia sua numerantem. Scisciatur itaque, quis esset, aut unde domo? Respondit illè sè Angelum esse Domini, ad hoc missum ut gressus ejus numeraret, & mercedem laboris parem rependeret. His auditis animos resumpsit senior, & novus auditus viribus etiam remotius gurgustium suum a fonte locavit.

65. Angelus Anachoretæ vestigia numerat.

Macte animo es, Christiane: numerant Angeli passus, quibus ad virtutis Aram tendis. *Mane semina semen tuum, & vespere ne cessent manus tua: quia nescis quid magis oriatur, hoc aut illud: & si utrumque simul, melius erit*, Ecclesiastæ 11, 6. Quò amplius & diutius seminas Dei agricola, eo ampliorem & copiosiorem messem referes in horrea. *Qui seminat in benedictionibus* (largiter) *de benedictionibus & metet*, 2 ad Cor. 9, ℣. 6.

Aptè S. Bernard. epistola 34, ad Monachos S. Bertini: *Modicum seminis incrementum non modica messis multiplicatio est.* Hæc S. Bern. Si dolor aut ægritudo in Beatos caderet, aut pœnitentiæ capaces essent, pœniteret eos suæ socordiæ, quòd non majori & longiore tempore, studio, contentione bonis operibus insudaverint.

Vitæ Sanctorum Patrum apud Rosweydum suprà n. 43 & hoc referunt ad rem nostram.

Senex in Thebaida habitabat in specu, cui erat discipulus sanctus & probatus. Mos autem seniori erat vespere discipulum suum exhortari ad vitæ perfectionem, & facta oratione eum dimittere. Contigit autem aliquando pios aliquos laicos ad eum venire, quibus salutis verbum impertit, illis discedentibus more suo senex discipulum instituere cœpit; sed somnus illi obrepsit; nihilominus discipulus perstitit, expectans donec evigilaret, & facta oratione illum ad quietem mitteret. Cùm verò senex non evigilaret, discipulus septem vicibus impugnatus est molestâ tentatione, ut recederet & somnum caperet, ipse tamen acri contentione cogitationi suæ restitit, & insultus tentatoris superavit ingenti animo. Transactâ jam nocte mediâ expergefactus senex miratus est, cum adolescentem discipulum sibi id temporis videret assidentem, &, cur, inquit, non recessisti ad quietem? respondit, quia, pater, non me dimiseras, & soporem tuum non audebam interrumpere.

66. Invenis sanctus septies tentationi resistens septem coronis à Deo donatur.

Cœperunt itaque matutinos Psalmos recitare, quibus finitis, dimisit senex discipulū. Mox verò ille mente abreptus ad superna, quodā monstrante, per visum aspexit locum quemdam claritate splendidum, & in eo sedem, in quâ positæ coronæ septem. Stupefactus petiit ab eo, qui hæc ostendebat, cujusnam hæc essent: At ille: discipuli, ait, tui; & quidem thronus illi a Deo datus est in sanctæ conversationis præmium: has verò septem coronas hac nocte promeruit. Evigilans senex, & obstupescens ad se juvenem vocat, & quid, inquit, hac nocte egisti? cùm ille tergiversaretur, instabat senex, ut aliquid ab eo exprimeret. Tandem subjecit: Nihil feci, pater, nisi quod septies hac nocte impulsus fui mentis meæ motibus, ut abirem somnum capturus, sed quia facultatem a te non acceperam, illis restiti, & non recessi. Hoc audito intellexit senior tentationum suarum victorem toties à Deo coronari, quoties illas constante pectore repellit.

Sic regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Si coronam meretur exigua fuit ejus victoria; quo præmio digna erunt multarum & magnarum palmarum certamina, quibus prostratus mundus, caro blandiens repulsa, furialis Erinnys detriumphatâ?

Glossa circa hunc Estheris locum sic scribit. Tunc merita Mardochæi (Sanctorum) coram Deo fuerunt recitata per Angelos, sicut de meritis Tobiæ & Sarræ dicitur Tobiæ 3. Sic autem habemus ibi ℣. 24 & 25. *In illo tempore exaudita sunt preces amborū in conspectu gloriæ summi Dei: & missus est Angelus Domini sanctus Raphael, ut curaret eos ambos, quorum uno tempore sunt orationes in conspectu Domini recitatæ.* Sic ibi. Colligimus ergo à beatis illis spiritibus non solum preces, quas justi in terris positi fuderunt, coram Deo offerri, sed etiam merita eorum magnifico præconio commemorari.

67. Merita Sanctorum recitantur coram Deo & Angelis.

Nec hoc solùm per Angelos futurum est, sed ipse etiam unigenitus Dei filius in concilio justorum & congregatione eorum prædicator erit. Sic enim ipse dixit, Matth. 10, vers. 32. *Omnis ergo, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est.* Et Lucæ 12, vers. 8. *Omnis, quicumque confessus fuerit me coram hominibus, & filius hominis confitebitur illum coram Angelis Dei.* Quibus lætitiis inundabunt Sanctorum corda ad tam magnificum Filii Dei acroama & encomium? Quo gaudio exultavit Christianæ militiæ tyro Martinus, cùm Christum dimidiata chlamyde sùâ indutum audivit hanc vocem laudis promentem in conferta Angelorum multitudine: *Martinus adhuc Catechumenus hac me veste contexit?*

Spectant huc verba S. Prosperi Aquitanici, quæ habet in Peroratione Operis de Promissionibus & Prædictionibus Dei. *In calculo*, ait, *eburneis nomina Proconsulum conscripta Carthagine in foro coram populo a præsenti judice sub certis vocabulis citabantur, & erat solemnis dies Albi citatio. Hi qui avaritiam superantes Reipubl. fideliter egerant absque flagitiis, etiam absentes honorabantur. Eos verò quos rapacitas vicerat, populus convitiis, sibilisque notabat.* Ita S. Prosper de more Carthaginiensium, quo suos cives ad virtutum Heroicarum amorem inflammabant. Sic facit & facturus est munificus Athlothetes Deus, cùm in publico beatorum Spiritū consessu, egregius & sanctis animis elogium cuique suum pronuntiabit, quod suis virtutibus promeruerunt, & dabit illis non calculum Carthaginensium eburneum, sed illum, de quo scriptum est Apocal. 2, 17: *Dabo illi calculum candidum*, (Vnionem) *& in calculo nomen novum scriptum* (aureis meritorum ejus inustum characteribus, &c.)

68. Albi citatio dies solennis Carthagine quo illi qui Remp. fideliter administraverant, honorabantur.

VERSVS VI, VII, VIII, IX, X.

Cumque esset ingressus, ait illi: Quid debet fieri viro, quem rex honorare desiderat? Cogitans autem in corde suo Aman, & reputans quod nullum alium rex, nisi se, vellet honorare,

Respondit: Homo quem rex honorare cupit, debet indui vestibus regiis, & imponi super equum, qui de sellâ regis est, & accipere regium diadema super caput suum,

Et primus de regiis principibus ac tyrannis teneat equum ejus & per plateam civitatis incedens clamet, & dicat: Sic honorabitur, quemcumque voluerit rex honorare.

Dixitq; ei rex: festina, & sumptâ stolâ & equo, fac, ut locutus es, Mardochæo Iudæo, qui sedet ante fores palatii. Cave ne quidquam de his, quæ locutus es, prætermittas.

Hebraicè: Et ingressus est Haman, & dixit ei rex: Quid faciendum est ei viro, cujus rex volens in honore ejus? (id est, cujus rex vult honorem?)

Dixitque Haman in corde suo: Cui volet rex facere honorem uberiorem à me (id est, magis quàm mihi?)

Et dixit Haman ad regem: Vir, cujus rex volens in honore ejus (cui rex vult honorem) Adducant vestem regni (regiam) quâ induit se in eâ rex, & equum, quo equitavit super eo rex (super quem equitat) & quòd detur diadema regni in capite ejus: & detur vestimentum & equus super (per) manum viri de principibus regis, principibus majoribus, & induant virum, cujus rex volens honorem ejus, & equitare faciant eum super equo in plateâ civitatis; & clament ad facies ejus, (coram eo) Sic fiet viro, cujus Rex volens in honore ejus.

Dixitque rex ad Haman: Festina, cape vestimentum & equum, quemadmodum locutus es, & fac ita Mardochai Iudæo sedenti in portâ regis: ne cadere facias verbum (ne prætermittas quidquam) ex omnibus, quæ locutus es.

Pergit sua texere Iosephus: Amano ingresso, cum sciam, inquit rex, amicum te mihi præ cunctis benevolum, rogo, da mihi consilium, quomodo possim pro meâ magnificentia honorare quemdam mihi admodum carum hominem. Tum Aman cogitans, quamcumque sententiam protulisset, in rem suam fore, quòd ipse præ ceteris regi carus esset: indicavit ei quod putabat, his verbis: Si vis hominem, quem tibi ais dilectum, cumulare insigni gloriâ, fac ut equo vehatur vestitus sicut tu, & aureo torq; ornatus: & unus aliquis ex intimis tuis amicis præconis specie præcedat; clamans per totam urbem, quod sic honorabitur, quem rex honorare voluerit. Id consuluit Aman putans hunc honorem non alii deberi quàm sibi. Rex verò lætus; Ergo, inquit, vade, & sumpto equo, veste ac torque; Mardochæum Iudæum quære, & sic ornatum equo insidentem ipse præcede, agens præconem interim. Nam tu amicus es intimus, & consilium quod dedisti, exequêris optimè. Debetur enim honor hic meæ vitæ conservatori. His præter omnem spem auditis vix fuit compos animi, & cum non haberet quid aliud faceret, exivit cum equo, &c. Hæc ille.

COMMENTARIVS.

ALium hîc actum aggreditur spectatoribus præsentem dare divina Providentia rerum Domina, & id quidem scenæ choragio & facie inversâ.

Providentia Dei erga suos.

Primò itaque hîc ostenditur tamquam in lucidissimo & tersissimo speculo Magnum illud & insopitum numen non surdà aure præteriisse Hebræorum afflictionem, triduanam inediam, humicubationes, ciliciorum & saccorum gestationes, lacrymas, mistas gemitibus supplicationes, maximè verò Mardochæi, & Estheræ humillimas preces, singultibus & fletibus interruptas. Deinde inceptat & aliud in proscenium & publicum theatrum proferre spectaculum; Mardochæum videlicet, hactenus sordidatum, squalore & sacco obsitum, lacrymis oppletum, depressum, & ut cum Sirachide loquar cap. 40, ℣. 3 & 4, *Humiliatum in terra & cinere, operturn lino crudo*, subitò producere in lucem, purpureis & sericis ornare vestibus, imponere equo opere Phrygio intertextis instrato phaleris, frenis aureis instructo, diademate redimire, torque baccato incingere, denique honoribus insolitis & inauditis ad regium propè fastigium evehere. Amanum interim juratum & capitalem ejus hostem *residentem super sedem gloriosam*, ut supra dicit Sirachides, *qui utebatur hyacintho, & portabat coronam; cujus*, ut dicitur Esther 3, 2, *solum positum erat super omnes principes Persidis, cui omnes regii ministri flectebant genua & adorabant*; imperio Assueri subitò coactum, Mardochæum instar stratoris equo regio imponere, stolâ regiâ induere, diademate & torque decorare, equi habenas moderari, ut anteambulonem præire, præconis voce ante ipsum per compita & fora clamare: *Sic honorabitur quemcumque voluerit Rex honorare.* Et quidem, quod omnium admirationem, expectationem Amani, & amicorum ejus, aulicorum, &

69. Providentia Dei in exaltatione Mardochæi, & humiliatione Amani.

etiam

etiam Mardochæi & Iudæorum superabat, hoc illo temporis articulo factum, quo Amanus ipse ingressum ad Basilicam regis ambiebat, ut facultatem impetraret hostem suum in crucem agendi, & quo in animo suo versabat, se illum ipsum esse, quem rex inaudito illo honore tamquam ocellum suum & dimidium animæ cumulare volebat.

Qui hîc divinæ Providentiæ actum non agnoscit, hunc ego nihil altum, immo ne humanum quidem sapere centeo. *Hæc mutatio dextera Excelsi*; Habet huc locum illud ejusdem Sirachidæ cap. 11, 5. *Multis tyrannis* (ut Amanus) *federunt in throno; & insuspicabilis* (quem nemo suspicaretur, qualis Mardochæus) *portavit diadema.* Et ℣. 6. *Multos potentes oppressi sunt valdè* (ut Amanus hic) *& gloriosi tradesti sunt in manus alterorum.*

Hac Epistrophe & vicissitudine

Ludit in humanis Divina potentia rebus.

Et ut canit vates Venusinus Ode 34, lib. 1.

Valet ima summis
Mutare, & insignem attenuat Deus,
Obscura promens.

Effectus Dei misericordiæ in Iudæos.

Porro hic cerni etiam effectum divinæ miserationis non dubium est. Penetraverat enim oratio supplicum Iudæorum in sublimia cœlorum domicilia, juxta illud Sirachidæ cap. 35 ℣. 21, & deinceps. *Oratio humiliantis se nubes penetrabit: & donec propinquet, non consolabitur: & non discedet, donec Altissimus aspiciat,* &c. Item vers. ultimo. *Speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis, quasi nubes pluviæ in tempore siccitatis.*

Hac subita faventioris auræ gratissimâ vice & mutatione, respirare cœperunt Iudæi. Viderunt enim à divina clementiâ quasi signum sublatum ad bene sperandum. Forte illud ipsum repetitis vocibus, & suspiriis postularunt, quod quandoque Psaltes pro se flagitarat Psal. 85, vers. 17: *Fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me, & confundantur; quoniam tu, Domine, adjuvisti me, & consolatus es me.*

Certe non solum Iudæi agnoscere potuerunt ex hac depressione Amani, & Mardochæi exaltatione, sed etiam deprehenderunt sapientes ejusdem Amani consiliarii (ut in fine hujus capitis explicatur) Deum populo suo electo placatum fuisse, gratiam suam & benigniorem vultum cœpisse ostendere, viam ad libertatem aperire: unde & Amanus, & hostes, qui oderant illos, confusi sunt, quia jam revera illos adjuverat, & consolatus fuerat, manifesto edito clementiæ signo.

Rex Assuerus hic primùm cum Amano tamquam fidissimo consiliario deliberat, prudenter suppresso Mardochæi nomine (quam mentem ei divinitus injectam existimo, ne Aman tergiversaretur, & multo inferiorem honorem Mardochæo decerneret) quibus gloriæ insignibus pro regiâ suâ amplitudine, & majestate prosequendus, afficiendusque esset is, quem ipse velut optimè de se totoque regno meritum in votis haberet remunerari, &, ut Orosangam, salutisque suæ assertorem evehere novo aliquo & insolito more.

Interim Amanus paululum deliberabundus fœcundum pectus concutit, omnem senatum animi sui contrahit, & quia insolentiâ & incredibili fastu plenus erat, certoq; sibi persuaserat, se virũ illum esse, cui rex summam gloriam optabat, illa decora postulat & decernit, quæ vel Regi propria vel saltem proxima erant.

Rex audito judicio & consilio Amani, illud dilaudat, & ne moras necteret, detrectaret, aut cum amicis suis de hac re conferret, nullâ interpositâ morâ, omnia & singula honoris symbola & officia exhiberi jubet Mardochæo; quod & ipsum non exiguum fuit divinæ benevolentiæ erga Mardochæum argumentum à Deo Regi suggestum.

70. Mira Persarum in Regem suum observantia.

Nota verò hîc primo miram fuisse Persarum in Regem suum observantiam, in tantum, ut sponte se morti in gratiâ regis offerrent; & quidem etiâ hoc tempore exempla recensèt Brisson. lib. 1 de regio Persarum dominatu ex Herodoto & aliis; & vel hinc apparet in Amano, qui cum maximè ardua res illi imponeretur, & à quâ supra modum abhorreret, indignissimumque videretur, ut primus imperii princeps vilem Iudæum tanto honore afficere cogeretur, nihilominus ne vel hiscere quidem contra ausus fuerit, sed invitus licet, omnia prout imperata erant, celerrimè executus sit.

71. Severitas Regum in Persas subditos.

De hac in suos Regum severitate & suorum in Reges observantiâ loquitur S. Ambros. lib. 5 Hexameron cap. 21. *Quod Persarum populi*, inquit, *bodieque servare dicuntur, ut pro commissi pretio, ipsi in se propriæ mortis exequantur sententiam. Itaque nulli sicut Reges Persarum tam gravissimas in subditos habent leges.* Ita ille.

Persarum reges legibus soluti, quod libebat, faciebant, erantque omnes subjecti eorum mancipia, & sic vocabantur: Vnde primi Esdræ c. 4, vers. 11, se servos vocant Artaxerxis subditi. Quidquid autem à Regibus imperabatur, Persæ libenter, & ut Curtius loquitur, obedienter & pie observabant. Sic scribit ipse lib. 5, cap. 20, ex distinctione Raderi. *In genibus*, inquit, *illis* (Persis) *regum eximia majestas est: ad nomen quoque barbari conveniunt, & pristinæ venerationi fortunæ sequitur adversam.* Sallustius in fragmentis pag. 205. *Se regibus devovent & post eos vitam refutant, adeo illis ingenita est sanctitas regii nominis.*

72. Venerabantur Persæ regem instar Dei cujuspiam.

Scimus quidem apud omnes penè gentes miram fuisse Regum venerationem, sed nulli nationi nomen sanctius, augustiusque Imperatorum fuit, unde summa quoque veneratio, cultus, obedientia & servilis patientia sequebatur.

Artabanus Darii Prætor apud Plutarchum in Themistocle ita loquitur. ἡμεῖς γ' ἀποδεῖξαι νόμων καὶ καλῶν ὄντων κάλλιστος βίος ἐστὶ παρὰ βασιλεῖ καὶ προσκυνῶν εἰκόνα ἔμψυχον θεοῦ. *Inter multas & insignes leges, quas habemus, hæc pulcherrima est, venerari regem & adorare imaginem animatam Dei.*

Nec male; si solùm velut Dei vivi imaginem sive vicarium coluissent, & intra cultum humanum stetissent. Egregiè enim scribit Plinius in Panegyrico Trajani: *Principem dat Deus, qui erga humanum genus vice suâ fungatur.* Et Tertullian. antiquissimus scriptor: *Colimus Imperatorem sic, quomodo & nobis licet, & ipsi expedit, ut hominem a Deo secundum, & quidquid est, a Deo consecutum, & solo Deo minorem.*

73. Rex Dei imago viva à Deo secundus.

Itaque Persæ reges suos non capite tantum inflexo, genuve posito, sed prostrato humi corpore venerabantur: cujus plura exempla sunt tum

apud alios, tum apud Curtium lib. 3, 5, 8: & Valerium Maximum lib. 7, cap. 3. ut alibi diximus.

Prompte Amani exterius Regi obedit.

Cum itaque tam augusta esset apud barbaros illos regum majestas, tam sancta veneratio & observantia; mirum videri non debet si prompte Amanus regis jussis morem gesserit externus (quidquid in animo voluerit) ne videlicet & gravem Assueri indignationem incurreret, & gradu, gratiaque ejus excideret. Putant etiam aliqui Interpretes regem durum aliquid & triste comminatum, si quidquam eorum, quæ facienda judicaverat, prætermitteret.

Incredibilis mœror Amani, cum Mardochæum cogeretur honorare.

Nota 2, his præter spem auditis, ut ait Josephus, Amanum vix animi compotem fuisse, ita ut nihil opponere vel potuerit vel ausus fuerit. Maluisset, credo, hanc ignominiam, non solùm decem illis talentorum millibus redimere, quibus Judæorum interitum antè comparare voluerat, sed etiam ipsa morte pacisci & commutare, etiamsi ignarus tunc adhuc esset turpissimæ necis sibi in Dei destinatione præparatæ.

Vix dici, immo cogitari potest, quanto angore & mentis ægritudine subitò Amanus, livore tabescens, perculsus, & affectus fuerit; cùm videret se administro & auctore, illo die hostem suum ad summum honoris fastigium, & gloriam regiam, ad quam ipse totis medullis aspiraverat, provehendum, quo illum letho omnium deterrimo & maximè infami, animo destinarat. O sortem acerbam Amani, & diem calamitosissimum! Sed adhuc nescit quid serus vesper vehat. Sunt hæc Amani fortunæ & casus funesta præludia.

Apparatus honoris exhibiti Mardochæo magnificentissimus.

Nota 3, hunc apparatum, sive pompam ornatus, quam Amanus verbis suis coram rege depinxit, fuisse longè maximam & gloriosissimam; quod constat ex multis argumentis.

Primo quidem, quia erant hæc regi propria; unde quibusdam non immeritò videri poterant regni affectati indicia, nisi Rex concessisset ea sponte.

Deinde quia homo ambitiosissimus, licet esset in toto regno honoratissimus, illa omnia de industria ambiebat tamquam splendidissima.

Præterea erat hoc decus publicum: ducendus enim erat hic Orosanga, sive regi charissimus tamquam Pater patriæ per Susiana compita, fora, plateas, ab omni venerandus.

Postremò honor hic, si quidem Amano contigisset, reddidisset illum Judæis, quod ipse peroptabat, maximè formidandum, & Mardochæo terribilem, nec potuisset illum terra præ insolentia mentis diutius sustinere: fidera etiam affectasset.

74. Jonathas summus sacerdos Judæorum simili honore ab Alexandro affectus Antiochi filio.

Simile propemodum triumphum & gloriam exhibuit Alexander Antiochi filius Rex Jonathæ sacerdoti summo & principi Judæorum, de quo scribitur primi Machabæorum cap. 10, vers. 62 & deinceps. *Et jussit* (Rex) *spoliari Jonathan vestibus suis, & indui eum purpurâ: & ita fecerunt. Et collocavit eum rex sedere secum. Dixitque principibus suis: Exite cum eo in medium civitatis, & prædicate, ut nemo adversus eum interpellet de ullo negotio, nec quisquam si molestus sit de ulla ratione. Et factum est, ut viderunt, qui interpellabant, gloriam ejus, quæ prædicabatur, & operatum cum purpurâ, fugerunt omnes: & magnificavit eum Rex, & scripsit eum inter primos amicos & posuit eum ducem, & partícipem principatus. Et reversus est Jonathas in Jerusalem cum pace & lætitia.*

Sed jam sigillatim verba textus expendamus.

Vers. 6. *Quid debet fieri viro, quem rex honorare desiderat?* Loquitur Rex non de vulgari aliquo, & Magistratibus aut Satrapis communi honore, sed de singulari aliquo & eximio qui deferendus esset cuipiam, tamquam regis parenti, cui rex multis nominibus esset obstrictus.

Vers. 7. *Quòd nullum nisi se vellit honorare*: Hebræa: *magis quam me.* q.d. inquit Mariana, nullum plane mihi Rex præponere vult; itaque me honorare vult, non alium. Sic Amanus credidit.

Vers. 8, *debet indui vestibus regiis.* Septuaginta; stolâ byssinâ, vel purpureâ, ut Chaldæus.

Qui de sella regis est, id est, debet collocari in equo, quo Rex solet vehi; & insidere ejusdem ephippio.

Accipere regium diadema. Chald. Et corona regni detur super caput ejus. Hebræa sunt transposita, & sic exponuntur à Marianâ: *& corona regni quæ data est super caput ejus*; scilicet, regis.

Dubium an Mardochæus in capite gestaverit diadema.

Porrò dubitant Interpretes, an regium diadema impositum fuerit capiti Mardochæi; tum quia vers. 10 & 11. hîc illius non fit mentio, sed solum equi & stolæ; tum quia verisimile est modestiæ causâ Mardochæum illud renuisse, quod Amanus arroganter sibi attribui volebat, tum quia forte rex minus conveniens aut nimium judicabat. Dici tamen potest diadema concessum Mardochæo; quia dicit rex ibidem ℣. 10: *Cave ne quidquam de his quæ locutus es prætermittas.*

Josephus pro diademate torquem aureum ponit: sed malè: siquidem hic commune erat ornamentum magnatum & Satrapum, & illo Amanus decoratus erat; diadema verò regi proprium erat, quod ille sibi arrogabat.

Primus de regiis principibus & tyrannis teneat equum ejus. Per tyrannum intellige præcipuum Optimatem, ut Hebræa significant, alii Satrapam vocant. Accipitur verò tyrannus hic non pro eo qui per violentiam & injustitiam dominatur, sed pro principe, prout olim usurpabatur: unde est illud Virgilianum:

Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni,

Item: ἀδ' μὴ ἄξιος τυραννίδος: Forma digna imperio.

Si Hebræa solùm hîc consulimus, videtur officium primi vel præcipui principis solùm fuisse induere virũ quem Rex honorare volebat, veste regiâ, & collocare in equo: aliorum verò ministrorum præcedere, & clarâ voce denuntiare causam tanti honoris esse voluntatem regis. Ita Cajetan. & Mariana. Verum ex Latino & Josepho contrarium constat, & quia etiam infrà vers. 11 dicitur: *Tulit itaque Aman stolam & equum, indutumque Mardochæum in platea civitatis, & impositum equo præcedebat; atque clamabat: Hoc honore condignus est*; &c.

Cetertùm apparatus hic, pompa, & publica circumductio per compita & plateas Sulianas, quæ ab illustri die usque ad meridiem ejus ferè duravit, planè regia fuerunt & regi propria. Unde etiam si quispiam hæc sibi inconcessa arrogasset, haud dubiè affectati regni notam tum apud regem, tum apud nobiles juxta atque ignobiles non effugisset.

Probat hoc hîc Sanctius ex eo quod refert Valerius

75. Alexander militem senem frigore obstupefactū in sede suâ collocat.

lerius lib. 7, cap. 1, inter externa. §. 11, his verbis: *Alexander*, inquit, *dum omnes gentes infatigabili cursu lustrat, quadam loco tempestate nivali oppressus, sensu jam confectum militem Macedonem nimio frigore obstupefactum, ipse sublimis & propinquâ ignis sede sedens, animadvertit. Factâque non fortunæ sed ætatis atrinsque æstimatione, descendit, & illis manibus, quibus opes Darii afflixerat, corpus frigore complexum in suam sedem imposuit: id ei salutare futurum dicens, quod apud Persas capitale extitisset, solium regium occupasse.* Idem refert Curtius l. 8.

Igitur, cùm Amanus, & vestem regiam, & equum ei peculiarem, & diadema regni postulat, honorem regi proprium postulat.

Signa affectati regni quæ sint in Amano, Adoniâ, Absalomo.

Sic, inquit Sanctius, Adonias 3 Regum cap. 2. Sunamitidem Abisag uxorem tibi flagitans à Salomone interventa Bethsabeæ, centebatur sibi aditum ad regnum parare; unde ab illo occisus, quia Sunamitis illa ei tibi incognita à Davide, fuerat tamen legitima ejus conjux. Ita etiam Absalom, cùm consilio Achitophelis patris sui conetibuntis abuteretur spectante populo 2 Regum 16, regnum Israelis invasisse videbatur.

Signa & symbola veri regis in Salomone.

Pari modo cùm David Salomonem filium suum ad regnum Iuda provecheret 3 Regum primo, quod sibi proprium erat, adscribi illi voluit, ut habemus ibidem v. 33, ubi mandat David Sadoc sacerdoti & Nathan Prophetæ: *Tollite vobiscum servos domini vestri, & imponite Salomonem filium meum super mulam meam*, &c. & vers. 35. *Et venies & sedebis super solium meum &c.*

Nisi ergo Amanus generatim hunc ornatum regium alicui petiisset quem rex honorare desideraret, idque regis judicio subtrahisset, sine dubio perduellionis & lætæ majestatis reus ab omnibus habitus fuisset.

Dissertatiuncula de veste Persarum regiâ, equitem, & diademate.

PRimò vestis regia hîc vocatur stola postea v. 10 & 11, & quidem Septuaginta dicunt, byssinam, Chaldæus purpuream.

76. Vestitus Regis Persarum qualis?

Describitur vestitus Regis Persarum à Q. Curtio lib. 3 cap. 7, his verbis: *Cultus regis inter omnia luxuriâ notabatur. Purpureæ tunicæ medium album intextum erat: pallam auro distinctam aurei accipitres, velut rostris inter se cornerent (ex sublimi delapsi rostris se impeterent) adornabant, & zona aureâ muliebriter cinctus acinacem suspenderat, cui ex gemmis erat vagina. Cidarim Persa regium capitis vocabant insigne: hoc cærulea fascia albo distincta cingebatur.*

In quibus vides, Lector, totum vestitum regis descriptum, scilicet tunicam, pallam vel trabeam, zonam, diadema, & acinacem.

Totius autem ornatus auctorem faciunt Cyrum Historici, quem deinceps alii reges secuti & postea ipse Alexander Macedo, qui victor in victorum mores & luxum transiit.

De tunicâ vel Candy nihil hîc agendum.

Putamus enim solâ stolâ seu pallâ regiâ vestitum Mardochæum, quandoquidem illius solum hîc v. decimo & undecimo mentio fiat, non tunicæ. Erat hæc vestis extima haud paulum intimâ splendidior, quæ totum corpus regebat ad talos usque demissa, unde & stola vocatur.

Erat eadem purpurea auro intexta, de quâ etiam scribit Iustinus l. 12, cum ait *Alexandrum Macedonas suos in luxus Persici societatem his verbis convocasse. Amicos quoque suos longam vestem auream, purpureamque sumere jubet, ut luxum quoque, sicut cultum, imitaretur Persarum.* 76. Qualis stola regia?

Vestis hæc belluata erat, id est, bestiarum, ferarum, volucrum variis acupicta figuris. Accipitres in pallâ Darii expressos supra Curtius memorat, Philostratus addit, θηρίων περίδεας μορφὰς, *ferarum horribiles formas*, quales barbari variè effingunt.

Quin etiam ut ex sacra Estheræ colligimus historiâ, stola sive palla hæc non solum auro & lignis, sed etiam gemmis, unionibus & lapillis eximiis ingebat & consecrabat. Sic habes infrà cap. 15, vers. 9. *Ingressa Esther cuncta per ordinem ostia stetit contra regem, ubi ille residebat super solium regni sui, indutus vestibus regiis, auroque fulgens & pretiosis lapidibus.* Vide Iosephum lib. Antiquitatum undecimo, cap. 6. Ciceronem in lib. de Senectute.

Cyrus hac extimâ veste totum voluit regi regem, cujus causam assignat Xenophon in Pædia lib. 8, ut vitia corporis, si quæ essent, tegerentur.

77. Quis inventor pallæ regiæ.

Hujus pallæ primam inventricem faciunt Diodorus Siculus & Iustinus Semiramidem, ille libro 11, hic verò, primo. Hujus hæc sunt, *Semiramis brachia & crura velamentis, caput tiara tegit; & ne novo habitu aliquid occultare videretur, eodem ornatu & populum vestiri jubet: quem morem vestis exinde gens universa tenet.* Strabo tamen hanc laudem Medeæ tribuit. Sed de hoc amictu videndus Brissonius, lib. primo, pag. 35, qui etiam tradit hanc stolam totam fuisse belluatam, auream, gemmatam, ita ut nihil augustius aut ambitiosius fingi potuerit. Vide etiam plura de hac pallâ apud Matthæum Raderum in locum Curtii notatum.

Constat etiam ex Plutarcho, in Artaxerxe Mnemone, veste regiâ uti fuisse apud Persas capitale, nisi eam rex concessisset. Idem dicendum videtur de alio apparatu quo rex ante usus fuerat.

Tiaram rectam gerere solum Regibus Persis concessum.

Sic sibi solis Persarum Monarchæ usurpabant jus gerendi tiaram rectam in capite, ceteris Satrapis eam involutam, & in frontem rejectam portantibus, ut passim scribunt Historici.

Narrat etiam Arrianus lib. 3 & 6, de rebus Alexandri, Bessum, qui Dario cæso imperium occupare nisus est, Tiaram rectam & Persicam stolam sumpsisse.

Apparatus equi regii.

Secundo; equus in quem rex ascendebat frenos aureos habebat, ut Xenophon lib. primo Pædiæ, de quo videndus Brisson. supra pag. 84.

Non dubium est instratum fuisse pretioso & belluato, auroque & gemmis radiante peristromate, ac phaleris auro, argentoque rigentibus.

Athenæus autor est lib. 12, Regem numquam foras profectum nisi equo insidentem aut curru.

Equi regii generosissimi.

Sicut verò Bucephalus Alexandri Magni equus indole erat quasi regiâ; ita Persarum regi quadrupedes erant generosissimi, albi, excelli, Nisæi, ut Serarius hîc memorat ex Herodoto l. 1, & 7. De horum unô sic Seneca lib. 3 de irâ, cap. 21. *Cùm Cyrus Babylonem oppugnaturus festinaret ad bellum, Gyndes latè fusum amnem vado transire*

ten-

78. Cyri stultitia contra Gyndem amnem, qui ejus equum rapuerat, indignantis.

rentævie: quod vix tutum est, etiam cùm senſit ætatem, & ad minimum deductus est. Ibi unus ex his equis, qui trahere regium currum albis solebant abreptus, vehementer commovit Regem. Intravit itaque amnem illum regiis equis commeatum auferentem (facultatem commeandi) *eò se redacturum, ut transiret, calcaribusque etiam a feminis posset.* Ita Seneca.

Equi hi regii teste Herodoto etiam sacri vulgò dicebantur. Porro equorum istorum quos magnus Mediæ campus Nisæus progignebat, virtus, proceritas, præstantia celebratur à variis Historiographis, quos hîc recenset Serarius.

Equus Solis.

Curtius mihi hæc suggerit describens ordinem agminis & apparatus quo processit Darius lib. 3, cap. 7. *Currum Iovi sacratum albentes vehebant equi. Hos eximiæ magnitudinis equus, quem Solis appellabant, sequebatur.*

79. Albi equi olim in deliciis Regum.

Erant autem albi equi in deliciis priscis temporibus: An non & modò? Vnde olim quem singulari honore mactare volebant, albis quadrigis excipiebant, maximè verò reges hac ambitione gaudebant. Sic vehentem Amphiaraum celebrat Statius. *Platonis sapientiæ antistiti*, inquit Plinius lib. 7, cap. 30. *Dionysius tyrannus, aliàs superbiæ, sævitiæque natus, vittatam navem misit obviam: ipse quadrigis albis egredientem in littore excepit.*

Apud veteres Romanos non nisi Deorum cultui nivei equi dicati: quæ causa fuit, ut Camilli albis equis triumphantis gloria clarior quàm gratior populo Romano fuerit; de quo Livius lib. 5. scribit, quem consule, & simul Plutarchum.

Virgilius Æneidos 12 de Turni equis hæc: *Quos candore nives anteirent, cursibus auras.*

Tertium Ornamentum est diadema; Nolim verò hîc controvertere an insigne hoc regium distinctum fuerit à tiarâ, citari vel cidari (hæc enim eadem sunt) an verò idem: distinctè enim & indistinctè ab auctoribus usurpatur. Curtius lib. 3, cap. 7, suprà utrumque depingit.

Qui rursus lib. 6, cap. 11 agens de Alexandro in mores, luxum, vitiaque Persarum degenerante sic tradit: *Alexander purpureum diadema distinctum albo, quale Darius habuerat, capiti circumdedit, vestemque Persicam sumpsit, ne omen quidem veritus, quòd à victoris insignibus in devicti transiret habitum.* Hactenus Curtius, in quem vide Radderum.

80. Diadema quid?

Fasciam albam fuisse constat ex Valerio Maximo lib. 6, cap. 2, qui Favonii falsum dictum in Pompeium Magnum referens, ita scribit: *Pompeio candidâ fasciâ equis alligatum habenti, Favonius: Non refert*, inquit, *qua in parte corporis sit diadema. Exigui panni cavillatione regias ejus vires exprobans.*

Auctor est Plutarchus in Coriolano Lucium Metellum, quòd ulceris causa frontem fasciâ circumdedisset, vittati seu diademati cognomentum tulisse. Idem Plutarch. & Dion in vitâ Pompeii tradunt Tigranem Armeniæ regem candidam fasciam insigne regium ante Pompeii pedes abjecisse, veluti dominationi cederet, & omni munere publico se abdicaret.

Addit Athenæus lib. 12, cap. 3. *Neque insignia sanè, quæ Persarum reges capiti imposuerunt, deliciis carere consueverunt: Siquidem ex Myrrha, vocatoque Labyzo conficiebantur.*

81. Quid fecerit Labyzus.

Est autem Labyzus gummi quoddam myrrhâ longè pretiosius & odoratius, vel aroma, quo myrrhæ commisto regum istorum diademata parabantur.

Vide plura de diademate, apud Alexandrum Neapolitan. lib. 1 Genialium dierum cap. 28, & ibidem loci Tiraquellum.

Hic cultus Mardochæum ad regiam quasi dignitatem evexit, cui etiam magnum decus attulit Satrapa præceptus Amanus, qui regis imperio cogebatur illum splendidissimo hoc ornatu induere, equo imponere, circumducere per frequentiora compita & proclamare ante eum: *Sic honorabitur, quemcumque Rex voluerit honorare.*

MONITVM MORALE.

Mos & voluptas Domini Altissimi est humiles exaltare, & superbos humiliare.

ARgumentum hoc adeò perspicuum est, ut vix paginas aliquot sacri instrumenti volvere sit, quin in oculos, animosq; legentium incurrat. Pauca hinc inde Lectori meo seligo.

Ex. Clarum hujus exemplum fuit Saul.

Saul in utraque fortunâ hujus rei insigne fuit monimentum, de quo S. Gregor. lib. 26 moral. cap. 21. *Saul*, inquit, *ab humiliatis meritò in tumorem superbiæ culmine potestatis excrevit. Per humilitatem quippe prælatus est, per superbiam reprobatus, Domino attestante, qui ait: Nonne cùm esses parvulus in oculis tuis, caput te constitui in tribubus Israel?* 1 Reg. 15. *Parvulum se ante potestatē viderat, sed fultus temporali potentia, jam se parvulum non videbat. Ceterorum namque comparatione se præferens magnum se apud se esse judicabat. Miro autem modo cùm apud se parvulus, apud Dominum magnus: cùm verò apud se magnus, apud Dominum parvulus fuit, &c.*

Idem rursùs lib. 18 Moralium cap. 22. *Sciendum*, ait, *magnopere est, quia tanto unaquæque anima fit pretiosior ante oculos Dei, quanto præ amore veritatis despectior fuerit ante oculos suos. Hinc ad Saul dicitur: Nonne cùm parvulus esses in oculis tuis, caput te constitui in tribubus Israel? Ac si apertè diceret: Magnus mihi fuisti, quia despectus tibi; sed nunc quia magnus tibi es, factus es despectus mihi. Vnde & per prophetam dicitur: Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes. Tanto ergo sit quisque vilior Deo, quanto pretiosior sibi; tantò pretiosior Deo, quanto propter eum vilior sibi: quia humiliare respicit, & altum longè cognoscit,* Psal. 137. Hæc ille.

Item Mardochæus & Aman.

Numquam majora documenta hujus Epistrophes vel conversionis sol vidit: numquam Persis illustriora exempli vicissitudinis hujus cælitus procuratæ aspexit, quàm cùm Mardochæum ante conspectum cinere, paulò post regiis indumentis amictum & diademate coronatum, equo phalerato sublimem per publicum deduxit superbissimus Amanus.

82. Superbia similis Bupresti, quam cum bos deglutierit tumescit & rumpitur.

Bupestis animalculum est venenatum, inter gramina boves & tauros fallens. Hoc, auctore Æliano l. 2 de Animalibus cap. 35, si bos deglutierit, in immodicæ molis tumorem ardens excrescit, & rumpitur.

Ama-

Amanus bos, vel taurus ferociſſimus erat, quem ſuperbiæ vitium minus quidem interdum apparens, ſed peſtilentiſſimum incredibili tumore inflaverat, ſed diſruptus invidiâ mox crepuit. Prudenter monet Sirachides Eccleſiaſtici 6, 2: *Non te extollas in cogitatione animæ tuæ velut taurus; ne fortè elidatur virtus tua per ſtultitiam*, &c.

Plinius lib. 11 cap. 36, tradit muſcas humore exanimatas ſi cinere condantur, reviviſcere. Mardochæum puta Amani odio, tamquam muſcam afflatam periſſe: mox verò humilitatis & metanoeæ cinere conſperſum, & terrâ, pulveréque obſitum emergere in lucem, & in vitam glorioſam reducem exiſtere.

34. Mardochæus inſtar muſcæ cinere adſperſæ reviviſcit.

Pauſanias in Atticis refert non longè à Marathone, ubi Perſæ ab Athenienſibus memorabilem ſtragem tulerunt, fuiſſe templum, & ſimulacrum Rhamnuſiæ ſive Nemeſis, quod Phidias nobilis ſculptor ex ipſis marmoribus confecerat, quæ Perſæ Athenienſium copias nauſeabundi advexerant, ut ſibi tropæa ex illis erigerent: Nemeſis verò coronam habebat, cervis & victoriolis inſignitam, lævâ ramum fraxini, dextera phialam geſtabat.

35. Statua Nemeſis Deæ ultionis qualis, & quomodo ſignificet Amani ſtragem, & Mardochæi gloriam.

Exiſtima Amanum Thraſonem noſtrum è Perſis unum, faſtu turgidiſſimum, qui præter omnem ſuam expectationem divino turbine percutitur, quod Nemeſis ſignum indicat cœleſtis ultionis argumentum: Athenienſium in numero colloca Mardochæum, cui Deus per Amanum hoſtem capitaliſſimum coronam imponit; Cervi notant ultionis celeritatem, victoriolæ fortitudinem, fraxinus celſitatem, phiala ſanguinis effuſionem, quem inimici ludæorum poſtmodum dederunt.

Time ô ſuperbe Rhamnuſidis iram.

Expreſſit quod diximus Auſonius Epigrammate ex Græcorum Anthologiâ converſo.

Me lapidem quondam Perſæ advexere, tropæum
Vt fierem bello; nunc ego ſum Nemeſis.
At ſicut Græcis victoribus aſto tropæum,
Punio ſic Perſas vaniloquos Nemeſis.

36. Scopæ florentes notant Mardochæi gloriam inexpectatam.

Ammianus Marcellinus lib. 28 ſcribit quondam novo & inuſitato portento ſubitò ſcopas floruiſſe viſas, quibus nobilium & curiæ pavimenta mundabuntur.

Conjectores & Arioli ajebant hoc portendere quoſdam viliſſimæ ſortis homunculos ad ſummæ poteſtatis gradus erigendos.

Cur non dicamus Mardochæum noſtrum ſcopis parem, qui ad propylæum Suſiani palarii, & Regis januam ſedebat, qui pro Dei glorià etiam veſtigia pedum Amani oſculari paratus erat, ut ipſe proteſtatur? Hic tamen hodie novo honore & inexpectato efflorelcit, & poſitis antiqui ſacci exuviis diademate & regiâ veſte refulget.

S. Ephrem Tractatu de Timore Dei initio tomi tertii. *Magna felicitas & gloria eſt humilitas, & non eſt in ea lapſus atque ruina.*

Exemplo eſt Mardochæus, qui quò magis Amanus eum deprimere, ſupplantare, è medio tollere nitebatur, eò magis à Deo per Aſſuerum extollebatur, honorabatur, erigebatur.

Hunc Dei morem paſſim nobis proponit Scriptura. Anna Samuelis 1 Regum 2, verſ. 6. *Dominus mortificat, & vivificat, deducit ad inferos & reducit.* & verſ. 7. *Dominus pauperem facit, & ditat: humiliat & ſublevat*; & 8: *Suſcitat de pulvere egenum, & de ſtercore elevat pauperem, ut ſedeat cum principibus, & ſolium gloriæ teneat*, &c.

Pſal. 74, verſ. 9: *Hunc humiliat, & hunc exaltat.* Huc pertinent illa Proverb. 15, ℣. 33. *Gloriam præcedit humilitas:* In Mardochæo, cui humiliatio gradus fuit ad exaltationem. Contrà Ibidem cap. 16. verſ. 18. *Contritionem præcedit ſuperbia, & ante ruinam exaltatur ſpiritus*: In Amano, cui exaltatio gradus ad humiliationem. S. Bernard. ſerm. 34 in Cantica: *Oportet humiliter ſentire de ſe nitentem ad altiora: ne dum ſupra ſe attollitur, cadat à ſe.*

37. Humilitas gradus ad honores.

Certè David cùm ſe à Semei depreſſum vidit, tunc ſe à Deo exaltandum prævidit & ſperavit. Ait enim, 2 Regum 16, ℣. 13: *Si forte reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac*: propterea non Semei convitianti ſe oppoſuit, ſed potius Filiis Sarviæ convitiatorem avertentibus ibidem verſ. 10. Et jure: Siquidem ille humiliationis ſcalam ad regale ſolium aſcendenti offerebat: illi, ne umquam eò pertingeret, auferebant.

Proverbium 18, verſ. 12. *Antequam conteratur, exaltatur cor hominis, & antequam glorificetur, humiliatur.*

38. Deus imitatur Iudices qui ſæpe reos ſordidatos de pulvere erigunt.

Imitatur Deus morem judicum quorumdam, qui ſæpius miſeratione commoti reorum ærumnoſorum, ſordidatorum, in cinere volutatorum, humi jacentium, de pulvere erigunt, honorificis ſedibus etiam collocant. Sic Alcinous rex apud Homerum Odyſſeas 11 Vlyſſem cinere & pulvere obſitum & ſolo afflictum ſuper alta locavit ſcamna throni.

Sic humiliter ſupplicem Amphitryoné Creon rex perhumaniter excepit, & celsâ ſede locavit, ut canit Heſiodus. Sic Petronius Præſes Hebræos Alexandriæ agentes ſibi ſupplices in cinere & pulvere proſtratos, ſurgere, & ad ſe accedere imperavit, ut teſtatur Philo Iudæus de legatione ad Cajum Cæſarem. Vide Martinum de Roa lib. 4 Singularium cap. 2. Qui ad hoc inſtitutum refert illud Pſalmi 43, ℣. 25: *Quoniam humiliata eſt in pulvere anima noſtra, conglutinatus eſt in terra venter noſter.*

Contrà dicit Virgo Mater humilitate ſua exaltata in diviniſſimo ſuo Cantico Lucæ 1, verſ. 51, & 52: *Diſperſit ſuperbos mente cordis ſui: Depoſuit potentes de ſede & exaltavit humiles.*

Ita Deus Amanum ſuperbum mente cordis ſui diſperſit, quando ejus conſilia, cogitationes, vota ex corde iniquo prodeuntia diſperſit, ad nihilum redegit, quinimmò in ipſum auctorem retorſit.

Ita loquitur Eliphaz apud Sanctum Iob c. 5, verſ. 12: *Qui diſſipat cogitationes malignorum, ne poſſint implere manus eorum quod cœperant.* Et ℣. 13. *Qui apprehendit ſapientes in aſtutia eorum, & conſilium pravorum diſſipat*, &c. Vide totum caput.

Sed videre delectat quomodo Deus ludat, & illudat ſuperbis.

Iſaiæ 14, verſ. 12, & ſequentibus deſcribitur faſtus & caſus regis Chaldæorum ſub typo & parabolâ Luciferi Angeli his verbis: *Quomodo cecidiſti de cælo lucifer qui manè oriebaris? corruiſti in terram, qui vulnerabas gentes? Qui dicebas in corde tuo: In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei*

exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. Verumtamen ad infernum detraberis in profundum laci

89. Deus instar pilæ superbos in altum elatos dejicit.

Deus omnipotens quasi pilas, Luciferum & ejus æmulatores, reges Chaldæos; Antiochum Syriæ regem; Imperatores Romanos Caligulas, Heliogabalos; Persas Cyrum, Xerxem, & hujusmodi ambitione tumidas ampullas, folles & inflatos utres in terram dejecit. De illis canit egregius Psaltes Israel. Psalmo 72: vers. 18. *Dejecisti eos dum allevarentur*: instar pilæ quæ in altum elata in terram reciproco ictu repercutitur. Vide in locum illum Gregor. 32 Moralium cap. 7.

Convenit & illud Iobi cap. 30, vers. 22. *Elevasti me, & quasi super ventum ponens elisisti me validè.*

Iactantur omnes typho & superbiâ turgidi instar navis fluctibus agitatæ, de quibus Psal. 106, vers. 26 & 27: *Ascendunt usque ad cælos, & descendunt usque ad abyssos. Turbati sunt & moti sunt, sicut ebrius, &c.*

Felix ille qui hunc Dei morem perspiciens modicis contentus est, nec se ultra mensuram effert; humiliat se sub potenti manu Dei ut exaltetur in die visitationis.

Intellexit hoc Cæsar Baronius nobilis Annalium scriptor, qui galerum purpureum coactus mandato Clementis Octavi induere, sic ad ipsum de se scribit. *Perterrebat me*, inquit, *illa, quam videre mediabar, manus hominis contra candelabrum in pariete publico, in ipso Ecclesiæ albo scribentis, staterum & pondera præferentis, quibus expendendi forent omnes ad Cardinalatum aspirantes. Precibus redimebam illud periculum, illa Lothi verba proferens: Non possum in monte salvari, ne inveniat me malum, & moriar. Est civitas hæc juxta, ad quam possum fugere, parva, & salvabor in ea. Numquid non modica est, & vivet anima mea? Statueram in privato, simplicique genere bene præcinctus mundi contemtu, & expeditus permanere.* Hæc ille. Vide epistolam ejus Dedicatoriam ad Clementum Octavum Annalium tomo septimo, ubi hæc & plura invenies magnæ modestiæ & submissionis argumenta & specimina.

90. Baronii Cardinalis humilis oratio qua Cardinalatum fugere cogitabat.

Sed paucorum hoc votum, λάθε βιώσας. Et illud; *Bene qui latuit, bene vixit.*

91. Aquila cochleam evectam dejicit.

Aquila testudinem vel cochleam in altum evehit, quam deinde, ut ejus carne pascatur, in rupem aliquam præcipitem dat, penitusque confringit.

92. Ludus Dei est alta deprimere & humilia elevare.

Chilon Lacedæmonius unus è septem Græciæ sapientibus interrogatus, quibus voluptatibus caperetur Deus; respondit, *alta deprimendo, & humilia attollendo.* Diogenes Laërtius lib. 1, sic refert: ferunt eum & Æsopum interrogasse quidnam faceret Iupiter, illumque respondisse; Excelsa humiliat, & humilia extollit.

93. Artabani pulcherrima oratio, quâ probat Deo voluptate esse superbos humiliare.

Artabanus Darii Hystaspis filius, Xerxis patruus vir conspectus, apud Herodotum sub initium libri septimi sic in oratione sua Xerxem affatur inter alia: *Vides*, ait, *ut prægrandia animalia fulmine Deus ferit, nec finit insolescere, parva verò ne vellicat quidem? Vides ut magna semper ædificia, magnasque arbores hujusmodi fulminum tela percutiunt? Gaudet enim Deus eminentissima quæque deprimere. Unde & ingens exercitus ab exiguo profligatur, quoties Deus iis, quos odio prosequitur, aut metū incutit, aut tonitruum. Propterea quidam secus ac dignitas sua postulabat, in calamitatem inciderunt, quia Deus neminem alium quam seipsum sinit magnifice de se sentire.* Hæc Artabanus sapienter: consentit enim cum scripturâ, 1 Petri 5, vers. 5. Iacobi 4, 6. *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Ecclesiastici 3, vers. 20 & 21. *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam: quoniam magna potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur.*

94. Elephas oves submovet ne eas calcet.

Elephas mole corporis vastus oviculas mansuetum pecus proboscide submovet, ne fortè obvias pedum gravitate proterat.

95. Hoc Symbolum Philiberto Sabaudiæ gessit.

Simulacrum hoc elephanti Emmanuel Philibertus Sabaudiæ Dux in symbolum prætulit adjuncto hoc lemmate: *Infestus infestis.* Futurus scilicet naturâ leni, nec ullis nociturus, nisi adæque fortes essent, & qui simul primi injuriam inferrent.

Propius Deo convenit, cui semper humilitas placuit, & humilium deprecatio, nec usquam superbos quiescere in regno suo patitur, nec in cœlo, nec in aëre, nec in terra, sed relegat, & præcipitat ad inferos, ubi dominatur is, qui Rex est super omnes filios superbiæ.

95. Globus vi pulveris sulphurei excussus in lanam, cedit, murum verò frangit, sic ira Dei parcit humiliatis ut Achabo, punit superbos gigantes.

Impetus globi pyrio pulvere excussi in lanæ saccum incurrens frangitur, quia mollis est; idem si ex tormento ardens immittatur in murum saxeum, eum diruit & dissipat, quia durus. Pari modo vis divinæ iræ in humiles, mites, pœnitudine animi prostratos incidens cedit, & placatur, ut in Achabi regis Israel humiliatione videre licet, qui minas Domini, ore Eliæ Thesbitæ ejaculatas audiens, operuit cilicio carnem suam, jejunavitque & dormivit in sacco, & ambulavit demisso capite: Mox autem dicitur Eliæ à Domino. *Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus est mei causa non inducam malum in diebus ejus*, &c. 3 Regum 21, ℣. 27, & sequent.

Ex adverso de superbis dicit Sirachides Ecclesiastici 16, vers. 8 & 9. *Non exoraverunt pro peccatis suis antiqui gigantes* (de quibus Genes. 6, vers. 4) *qui destructi sunt confidentes virtuti suæ, & non pepercit peregrinationi Loth* (Sodomis) *& execratus est eos præ superbia verbi illorum*, &c.

Ita Genes. 11, linguam eorum, qui ædificabant civitatem & turrim, cujus culmen pertingeret usque ad cœlum, confudit Deus. Cur? quia fastu elati proposuerant celebrare nomen suum. Ex quo facto figmentum suum sumpsere poëtæ veteres de Titanibus, Terræ filiis, qui Olympo Iovem deturbare stulto conatu sunt aggressi. Sed non facile est ϑεομαχία. Vnde rursus cap. 10 ait Sirachides vers. 17. *Sedes ducum superborum destruxit Deus, & sedere fecit mites pro eis.* Et 18. *Radices gentium superbarum arefecit Deus, & plantavit humiles ex ipsis gentibus.* Et vers. 21. *Memoriam superborum perdidit Deus, & reliquit memoriam humilium sensu.*

Concludat hoc argumentum nobile utriusque fortunæ specimen Iobus humiliatus à Deo & sublimatus, qui de superbis ita vaticinatur, cap. 24. v. 24. *Elevati sunt ad modicū* (instar vaporum à sole attractorum, statimque evanescentium) *& non subsistent; & humiliabuntur sicut omnia* (omnia enim

orta

orta occidunt, & aucta senescunt) & *auferentur, & sicut summitates spicarum conterentur* (ut aristæ quæ à vento tolluntur, vel in pulverem fatiscunt.)

Allegorica & Anagogica Exegesis Acroamatis Mardochæo ab Amano acclamati: *Sic honorabitur, quemcumque voluerit rex honorare.*

Dei amici & hîc in terris apud mortales, & in cœlis apud immortales summis honoribus afficiuntur.

NOn vanè, sed divino spiritu afflatus verissimè pronuntiavit *vir Dei*, id est, Domini propheta, Deo devotus, 1 Regum 2, vers. 30; *Nunc autem dicit dominus: Quicumque glorificaveris me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.*

96. Quot modis Deus se glorificantes glorificet.

Sermo autem Domini est non modò de futurâ sanctorum gloria, sed etiam de præsente. Sic accepit S. Doctor Hieronym. epist. 26 ad Pammachium. S. verò Damascen. Oratione primâ de Imaginibus, & alii accipiunt de eo honore, quo Deus sanctos prosequitur in reliquiis & imaginibus ipsorum in hoc mundo, dum eos illustrat miraculis, &c.

Plerique tamen promissum Dei intelligunt de gloriâ conferendâ in cœlis, iis, qui Deum honore condigno hîc celebrarunt, quæ longè imò infinities amplior est; quamvis Deum aliquo officii genere hîc coluisse parva laus non sit & gloria.

97. Deum posse laudare velmaxima laudationis merces est.

Cur enim toto Ecclesia orbe diffusâ tam supplicitur quotidie postulat Angelicæ hymnodiæ suam etiam doxologiam admisceri, dum ita præfatur; *Cum quibus & nostras voces ut admitti jubeas deprecamur*, &c.

Aurei oris Antistes sermone de Laude Dei (tomo quinto,) *Si nulla*, inquit, *esset alia nobis proposita merces; illud tamen vel maximè nobis ad gloriam valeret, si divinis in laudibus versari non indigni haberemur: siquidem & qui principum laudes eloquuntur, vel hoc uno, si nihil reliqui esset mercedis, quod principem magnificiunt, satis videntur ornamenti assecuti. Sed hanc mercedem non solum parat Deus amicis suis, sed longè illustriores coronas, longè ampliorem gloriam, si tamen gloriam, quæ ab ipso est, quærimus, & ut possumus, cum glorificamus.*

Astipulatur proposito nostro Hebrææ fidicen lyræ, dum Psalmo 138 vers. 16, ita admirabundus exclamat immensum gloriæ pondus, quo Deus amicos suos remuneratur, ad testudinem auream expendens. *Mihi autem*, inquit, *nimis honorati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum.*

98. Eminentissimus est Sanctorum honor, quo Deus eos prosequitur.

Dum perpendo, inquit, lemniscatus coronas, præclara præmia, illustrem gloriam, supra quam dicere possum, video amicos tuos honoratos, ipsorumque principatum & regnum soliditate æternâ confirmatum.

Non est necesse versum illum referre ad solos Apostolos; convenit etiam illis, quos Deus aggregavit purpureo Apostolorum choro, & qui glorioso suis laboribus illos presso vestigio sunt secuti.

Legit Chrysost. in illum versum commentans, pro τὸν φίλον, τὸν ἑταῖρον, socii, quia nempe in societatem Iesu Christi à Deo vocati sunt, ut illius essent adjutores in reducendis hominibus per plurimos exhaustos sudores ad æternam felicitatem.

Quis autem illos honorat, & quo honore? Quis hoc capiat, aut eloquatur, nisi qui illorum gloriæ particeps jam est effectus? Honorat ille, qui regiâ suâ pollicitatione suprà dixit: *Qui glorificaverit me, glorificabo eum.* Honorat ille, cujus συνεργοὶ id est, cooperatores fuerunt Filius Dei, & ipse æternus Pater. Audi ejus promissum Ioannis 12, vers. 26: *Si quis mihi ministrat, me sequatur, & ubi sum ego, illic & minister meus erit. Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.* Quo honore, quâ gloriâ? Pari cum filio, cujus frater est, & cohæres.

Dicit Dominus Lucæ 12, vers. 37. *Beati servi illi, quos cùm venerit Dominus, invenerit vigilantes: amen dico vobis quod præcinget se & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.*

Et iterùm in ejusdem Euangelistæ sacro codice loquitur cap. 22; vers. 27. *Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat: vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis. Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeatis super thronos judicantes duodecim tribus Israel.*

Hîc omnis potestas impatiens est consortis, nec capit aula duos principes, aut mensâ regia duos Imperatores: at amplissimum & plenissimum cœlorum regnum pluribus concessum non minuitur, & abundantissima illa Agni immaculati mensa, quia indeficiens est, plures συνεγκλίτους sive commensales admittit, & empyreum solium plures judices recipit.

Apocalyps. 3, vers. 21: *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo* (ut sit mihi σύνθρονος & assessor) *sicut & ego vici, & sedi cum patre meo in throno ejus.*

Nullus ibi æmulus & infestus Mardochæo Amalius, qui decus illud regale, & dignitatem eximiam invideat. Caritas enim non æmulatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, &c. Prioris ad Corinth. cap. 13, vers. 4 & 5. Gaudet alienis bonis juxtà ac propriis, & divitem se aliorum gloriâ existimat, & glorioſam præstantiâ sociorum. In regno illo longè Assueri dominatu feliciore inimicus nullus obturbat, sed pax, victoriâ de hostibus reportatâ, ubique suas coronas circumvehit, & in æternum diademate cincta triumphat.

99. Gloria Sanctorum æterna.

Iustinianus suis in Institutis Titulo 25, de excusationibus tutorum sic decernit: *Qui pro Republ. ceciderunt, in perpetuum per gloriam vivere dicuntur.* Sed quantula est hominum recordatio præ sempiternis in cœlo erectis tropæis & perpetuis victoriæ monumentis?

In memoriâ æternâ erit justus; canit Psalmodus, Psalmo 111, v. 7. Græcè: εἰς μνημόσυνον αἰώνιον, ad juge monimentum; sic, ut præstantissima ipsius virtus, & exempla, quæ hîc duxit, insignis conversationis, semper in animis beatorum perennent, & numquam intermoriantur.

Æthiopes, ut amicorum suorum memoriam conservarent, eorum cadavera condita aroma-

100. Æthiopes amicorum corpora condita vitro inclu debant.

tibus, & dumta pigmentis, cippo vel vitreo tumulo includebant, sublimique loco ponebant, ut per vitrum corpora vita functorum perspici possent, prout ex Herodoto refert Diodorus lib. primo. Simile quid providit Deus, qui Sanctorum virtutes & egregia facinora relucere voluit non vitro inclusa, sed monimentis vitæ splendidis, & communi omnium seculorum famâ ad memoriam sempiternam.

101. Theagenis statua se verberantem obtrivit.

Theagenes, Pausaniâ auctore in Eliacis libro posteriore, fuit multarum athleta palmarum, quadringentis coronis illustris, cui & statua erecta fuit. Hanc lividus quispiam post insignis viri obitum singulis noctibus flagris verberare delectabatur; Cùm verò hoc sæpius factitaret, & insolenti ludo animum malevolum pasceret, tandem ab ipsâ statuâ obtritus est.

Sic Mardochæus inimicum Amanum suo triumpho oppressit.

Habes hîc nobilissimum Amani typum, qui dum Mardochæum persequitur, eique furcam parat, ipsius triumpho oppressus est, & paulo post infami morte periit.

101. Sic Iconoclastæ percunt.

Sic pereunt omnes Sanctorum virorum osores, maximè vero Iconomachi Novatores, qui in imaginibus quas frangunt Divorum immortalium famam, gloriamque cædere, flagellare, obscurare se putant.

102. Vt Sol nebulas, sic Sanctorum claritas dissipat improborum invidiam.

Hoc valet contra Orthodoxiâ præclaros heroas ipsorum invidia & maledicentia, quod adversus solem nebula.

Vt Sol radiatum caput exerens illam dissipat; quâ discussâ clarius lucet: sic Sanctorum gloria nequitiæ nubila disjiciens virtutis jubar undique splendidius diffundit.

103. Vivit memoria Sanctorum in imaginibus, &c.

Vivit & pullulat Divorum fama in pictis tabulis non modo in ædibus sacris, sed etiam in officinis & privatis penatibus, ut constat de effigie B. Simeonis Stylitæ Romæ passim in domibus propolita. Ita Theodoret. in Philotheo cap. 26. *Ita hunc virum celebrem apud Romanos esse aiunt, ut pro omnibus officinarum vestibulis parvula hujus imagines collocatæ sint*, &c. Vide & Synod. Actione 4.

In cucurbitis etiam vasculorum, teste S. Hieronymo in cap. 4 Ionæ, Apostolorum icones imprimebantur. Ipsorum sacræ exuviæ & emortui cineres crebris osculis à piis viris honestantur: omnia, quibus vivi usi, pignora, vestes, vasa, apparatus, instrumenta nobis in deliciis & veneratione sunt, quamvis exigua & pene etiam nulla.

103. Colitur clypeus S. Theodori martyris, S. Iacobi Cathedra, S. Petri vincula, &c.

S. Theodori Martyris, ne ipsius invictæ constantiæ memoria obsoleseeret, clypeum, ut anathema unionibus opulentius, omnique cimelio pretiosius in magnificentissimi templi testudine veteres Patres suspenderunt, ut Constantinus Porphyrogenitus scribit lib. 1, Themat. 13.

Quis ignorat Cathedram S. Iacobi Apostoli ad multas ætates servatam perdurasse, quam illius etiam successores honorabant, referente Nicephoro lib. 6, cap. 16?

Quam celebri cultu frequentata & affecta fuerint Romæ vincula & catenæ ferreæ, quibus cœli Claviger constrictus fuerat tum Hierosolymis, tum Romæ, testantur, sub illorum nomine Ecclesia constructa, dies festus dedicatus, miracula per illa perpetrata, &c.

Addit Theodorus Studita sermone Catechet. 75, in ejusdem cœlestis Ianitoris perpetuam recordationem argenteas quondam claves Romæ adorandas fuisse propositas.

Sed levia sunt hæc si cum cœlestibus & æternis beatorum honoribus & coronis conferantur, quibus incinguntur illi qui cum religiosâ virgine Catharinâ Senensi vertici suo spineam Christi coronam imprimerunt, aureo serto despecto, ut habet ejus vita.

104. Qui spernunt hic coronam auream, in cœlo eam assequuntur, ut Catharina Senensis, Gedefridus Bullonius, miles Tertullianeus, &c.

His decorantur qui cum invictissimo rege Ierosolymorum Godefrido Bullonio Lotharingo auream hîc coronam repudiant, ubi norunt Christum aculeato & senticoso diademate redimitum.

Has coronas capitibus suis imponent virgines pares filiabus sanctissimi regis Galliarum Ludovici, quibus pater usum rosearum corollarum aliquando interdicebat, memor veprium & hamati strophii, quibus Assertor noster in Prætorio Pilati fuerat lancinatus, verius quàm diadematus.

Has referent Christiani milites similes illius apud Tertullianum, qui Lauream Castrensem promeritus illam capite gestare in pompâ renuit, quòd Christi fidem profiteretur: qui scriptori Afro argumentum dedit ut librum de Coronâ militis ederet.

Nos coronas in cœlis expectamus multifarias, quarum nomina etiam Romani, nedum rem ipsam nescierunt; sacræ verò literæ variis vocabulis non expressérunt, sed adumbrarunt; cùm coronam vocant *gratiarum, gloriæ, vitæ, pulchritudinis, deliciarum, immarcescibilem* vel amarantinam, *diadema speciei*, id est, speciosissimum Sapient. 5, 17. *coronam decoris* Ezechiel. 16, ℣. 12, id est, pulcherrimam, ex omnium venustarum quasi contextu fabricatam, *coronam de lapide pretioso*, auream videlicet, fulgentissimis gemmis velut astrorum luminibus radiantem, vel potius splendore insignium facinorum, dum vita præsens manebat, patratorum, & meritis fulgurantem.

104. Variæ coronæ beatorum in cœlis.

Tertullian. lib. de corona militis, sub finem, exemplo Christi invitat Christianos ad coronam spineam hîc ferendam; ut & illam Christi Coronam æmulentur, quæ postea ei obvenit: *quia & fœvos post fella gustavis, nec ante Rex gloriæ à cœlestibus salutatus est, quàm Rex Iudæorum proscriptus in crucem; minoratus primò a Patre modicum quid citra Angelos, & ita gloriâ & honore coronatus. Si ob hæc caput tuum ei debes, tale ei repende, quale suum pro tuo obtulit: aut nec floribus coronaris, si spinis non potes: quia non floribus potes. Serva deo rem suam inaestimatam. Ille eam si volet, coronabit. Imo & vult. Denique invitat. Qui viceris, inquit, dabo ei coronam vitæ, Esto & tu fidelis ad mortem: decerta & tu bonum agonem: cujus coronam & Apostolus repositam sibi meritò confidit. Accipit & Angelus victoriæ coronam procedens in candido equo, ut vincere. Et alius Iridis ambitu ornatur cœlesti. Proto-sedent & Presbyteri coronati, eodemque & auro & ipse filius hominis supra nubem micat. Si tales imagines in visione, quales veritates in repræsentatione? Illas aspice, illas odorare. Quid caput strophiolo, aut dracontario* (forte draconitide, aut dracontio) *damnas, diadematis destinatum? Nam & reges nos Deo & patri suo fecit Christus Iesu. Quid tibi cum flore moriturο? Habes florem ex virga Iesse, super quem toto divini spiritus gratia requievit, florem incorruptum,*

105. Qui hic coronatur spinis, postea auro coronabitur.

prium, immarcescibilem, sempiternum. Quem & bonus miles eligendo, in cœlesti dignatione, ordinatione profecit. Hactenus Tertullian.

O faustum illum ter & amplius diem quo terrenæ compagis mole soluti ad beatorum animorum concilium admittemur, ascendemus coronatorum regum penates, æternæ felicitatis Elysium, Dei domicilium in omnia secula permansurum, templum gloriæ, magnificentiæ tabernaculum, Theatrum gratiarum, civitatem, de quâ Isaias cap. 54, vers. 11 & 12, fundatam in sapphiris, cujus propugnacula laspis, portæ lapides sculpti, & omnes termini lapides desiderabiles: intrabimus in gaudium Domini, ubi lætitia & voluptas fixere tentoria, quarum velut torrente imbutæ Sanctorum mentes dulcedine colliquescent: ubi in Deo omnis boni & beatitudinis centro animus suavissimè conquiescet, qui hic instar acus horologii continuo desiderii motu rotatur. Proclamabit quisque ad illud cœleste decus assumtus. O non incassum exhausti labores qui tantis præmiis remunerantur! O honesta & decora vulnera pro Christi Salvatoris nostri nomine inflicta, quæ tot coronæ exornant, & illuminant! O sanguis glorioſus, quem nobilissimæ palmæ obscurant! O lacrymæ dulces, quas dextera magni Dei abstergit!

VERSVS XI, & XII.

Tulit itaque Aman stolam & equum, indutumque Mardochæum in plateâ civitatis, & impositum equo præcedebat, atque clamabat: Hoc honore condignus est, quemcumque Rex voluerit honorare.

Reversusque est Mardochæus ad januam palatii: & Aman festinavit ire in domum suam, lugens & operto capite.

Hebraicè: Tulitque Haman vestimentum & equum & induit Mardochai, & equitare fecit eum in plateâ civitatis, & clamabat ante eum: Sic fiet viro, cujus rex volens in honore ejus. Et reversus est Mardochai ad januam regis, & Haman compulsus est in domum suam lugens & opertus capite.

Iosephus telam suam sic pertexit. Aman his præter spem ex rege auditis vix fuit compos animi, & cum non haberet quid aliud faceret, exivit cum equo, purpurâ & torque aureo: inventumque ante aulam Mardochæum sacco amictum, jussit eo depositò induere purpuram. Qui veritatem rei nescius, sed illudi sibi putans; Scelestissime, inquit, adeone calamitati nostræ insultas?

Persuasus tandem quòd Rex hoc ei præmium pro acceptâ salute redderet, proque detectis eunuchorum insidiis, induit purpuram, quâ rex ipse uti est solitus, & ornatus torque, conscensoque equo urbem obequitabat, præcedente Amane & clamante: Sic honorabitur, quem rex honorare voluerit. Perlustratâ deinde urbe, Mardochæus ad regem ingreditur. Aman verò præ pudore domum se contulit, & cum fletu uxori ac amicis quæ contigerant, narravit.

Hæc ille pro libito ex suopte ingenio quædam affingens quorum scriptura non meminit, nec verisimile est, sic accidisse, ut ipse narrat.

COMMENTARIVS.

SCriptura verbis paucis perstringit hunc singularem Mardochæi triumphum, & per celebriora Susorum compita obequitationem, Iudæis, qui jam triduanam inediam suam perfecerant, in sinu gaudentibus, hostibus ipsorum ringentibus, & dentibus frendentibus. Profectò non dubium est Amanum regio mandato attonitum & perculsum vix animo constitisse; quia tamen jussio Assueri urgebat, nec detrectare liberum erat illi, qui graves Persarum Monarcharum iras noverat, & longas, duraſque manus, accingit se operi, renitens tamen animo, & malam crucem sibi & Mardochæo, diraſq; omnes imprecans. Adferunt eunuchi talarem togam vel stolam coccineam, auro illusam intercurrentibus variis Maeandris, & barbaricis, belluatisque figuris Phrygio opere contextis, Erythræi quoque maris lapillis stellantem. Equisones quoque, qui à regio stabulo, sompedem grádarium auro calceatum, phaleris baccatis decorum, sellâ acu pictâ opere magnifico, gemmata frena mordentem, crinibus versicoloribus exultabundum adducunt. Amanus volens nolens famuli vicem subit, henum induit, equo sublimem locat, torquem, si Iosepho credimus, aureum collo injicit, si præceptum Assueri premimus, diademate, vel coronâ (ut vult Gaspar Sanctius hic) bis sex solaribus radiis fulgente caput & tempora circumdat. Hoc apparatu per illustrem & frequentem Vrbis fora & plateas circumducit, acroama illud iterans ad singula platearum capita: *Sic honorabitur, quemcumque Rex voluerit honorare.* Audiebatur quidem præconis Amani vox, sed nescio quid flebile, & suspiriis interruptum personabat.

Heu quam difficile est luctum non prodere voce!

Quamvis autem Hebraicè habeatur; *clamaverunt*, bene tamen intellexit Hieronymus clamantis officio functum Amanum, cùm reddidit: *Clamabat.* Perfunctus autem ministerio suo domum suam Amanus revertitur, multum mutatus ab illo, qui primâ luce spe, lætitiâque exundans exierat: nam jam altum cordi dolorem infixum gerens, squalore ac luctu confectus redit rebus

ſuis diffidens, pudore potius quàm purpurâ tectus, odio & invidiâ livent oculi, indignatione palleſcit facies, irâ tremunt manus. Quia tamen vultus popularium ſubſannantium ferre non poterat, pallio caput obvolvit, verecundiâ ſuffuſus, triſtitiâ obtutus, furore penè rabiens.

Contra verò Mardochæus ad priſtina redit aulæ obſequia, & vel per ſe vel per aulicos Admiſſionales, Regi Aſſuero gratias agit pro inſolito honore ſibi delato: deinde, ut plures cenſent Interpretes, reſumit lugentium habitum, ſaccum nempe & cilicium, dum videret quo exitu tota fabula clauderetur, cujus jam actus quartus & Epiſtrophe vertebatur: cùm interea Iudæi peracto jejunio, & lugubri ſupplicatione ſpemque metumque inter dubii penderent.

106. Ritus caput operiendi, & illius variæ cauſæ.

Circa litteram pauca hic accipe de ritu caput operiendi.

Poſſ primariam cauſam, quâ quis obvelat faciem ne agnoſcatur, ut fecit Thamar Geneſ. 38, ℣. 15; quam cùm vidiſſet Iudas, ſuſpicatus eſt eſſe meretricem: *operuerat enim vultum ſuum ne agnoſceretur*; plures aliæ cauſæ ſe offerunt ritus hujus, quarum

Prima cauſa eſt venerationis.

Prima eſt, ſacri cujuſdam horroris & venerationis, Exodi 3:6. *Abſcondit Moyſes faciem ſuam: non enim audebat aſpicere contra Deum.* 3 Reg. 19, verſ. 13. *Quod cùm audiſſet Elias, operuit vultum ſuum pallio.* Sic Iſaiæ 6, verſ. 2. *Seraphim duabus alis velabant faciem ejus* (Dei,) verti etiam poteſt, ſuam.

Secunda, pudoris.

Secunda eſt virginalis vel matronalis pudoris. Sic Rebecca Geneſ. 24, verſ. 65, viſo Iſaaco ſponſo *tollens citò pallium, operuit ſe.* Suſanna etiam Daniel. 13, verſ. 31, & 32. *Porrò Suſanna erat delicata nimis & pulchra ſpecie: At iniqui illi juſſerunt ut diſcooperiretur (erat enim cooperta) ut vel ſic ſatiarentur decore ejus.* Quamvis & hæc obtectio fieri potuit occaſione luctus, vel quia coram judicibus comparebat. Quidquid verò ſit; novæ nuptæ olim flammeo obnubebantur, unde & nomen nuptis, & nuptiis venit.

Tertia, capitalis ſupplicii.

Tertia cauſa fuit capitalis ſupplicii: unde reis in crucem tollendis capita obnubebantur teſte Livio lib. 1, ubi de Horatio plectendo agit.

Hinc illud ferale & fatale Romanorum carmen & formula: *I lictor, colliga manus, caput obnubito, verberato, arbori infelici ſuſpendito*, &c.

Appius Claudius metuens vitæ ex judicio, capite velato in propinquam domum ſe recepit; ut docet Livius lib. 3.

Hanc ob rationem putamus Amano hîc infra c. 7, ℣. 8, faciem opertam a regis miniſtris; Licet Sanctius hoc factum exiſtimet ob dolorem, miſeramque fortunam. Aben Ezra morem fuiſſe ait, ut cui Rex iraſceretur ejus vultum miniſtri obtegerent, quaſi indignus foret, qui Regem intueretur.

Quarta, luctus.

Sed ſupereſt quarta; ea quippe communis & ſolemnis conſuetudo obtinuit, ut in luctu gravi, adverſaque fortunâ vel propriâ vel amicorum, in funere item vel publicâ calamitate vultus obvelaretur. Hinc videmus in Belgio non ſolùm in morte charorum pullas aſſumi veſtes, ſed etiam obduci cucullo atrato totum caput, vel pileo velove obvolvi.

Vſitatum hoc Perſis fuiſſe vel hic locus ſatis admonet; Pro hoc facit & Curtius lib. 4, c. 25, ubi cognitâ uxoris morte Darius, capite velato diu flevit, manantibuſque adhuc lacrymis, veſte ab ore rejectâ ad cœlum manus tetendit, &c.

Accedit & legitima Hebræorum conſuetudo. Pauca ſubnoto. 2 Reg. c. 15, ℣. 30. *Porro David aſcendebat Clivum Olivarum ſcandens & flens, nudis pedibus incedens, & operto capite, ſed & omnis populus, qui erat cum eo, operto capite aſcendebat plorans.* Rurſus cap. 19, verſ. 4, ibidem: *Porro rex operuit caput ſuum, & clamabat voce magna: Fili mi Abſalom.*

Ieremiæ 14, verſ. 3. *Confuſi ſunt & affliſi, & operuerunt capita ſua.* & verſ. 4, *Confuſi ſunt agricolæ, operuerunt capita ſua:* ſcilicet deficiente pluviâ.

Clariſſimè autem docet Ezechiel hanc receptiſſimam Iudæis fuiſſe legem in luctu ora convelandi capite 24, verſ. 17, ubi uxore mortuâ à Deo prohibetur Propheta amictu ora velare; & iterum ℣. 22 dicit populo in communi luctu: *Ora amictu non velabitis, &c.*

Institvtvm Ethicvm.

Ambitioſorum & alienæ gloriæ æmulorum vita illætabilis; ſive, Superborum inteſtina & caca crux.

SApientiâ & pietate aureus Antiſtes Hipponenſis lib. primo ſuarum Confeſſionum generatim verè dixit cap. 12. *Juſſiſti Domine, & ſic eſt, ut pœna ſua ſibi ſit omnis inordinatus animus.*

Hoc perſenſit ambitione flagrans, & invidiâ tabeſcens Amanus, cujus viſcera depaſcebatur & ſtrangulabat occultus dolor, & tormentum, quo numquam excogitare Phalaris majus potuit, cruciabat; cùm imperio Aſſueri coactus Mardochæum æmulum ſuum, triumphantem per Suſanas plateas circumduxit. Non poterat tumidus ejus animus ferre tantum dedecus, cùm videret, vel ſaltem fingeret ſibi à palatinis vel civibus illudi, cùm aula ferax ſit invidorum & latentium hoſtium, quibus plerumque bene eſt, cùm aliis male. Nec patiebatur livor inquietum malum, tantum Mardochæo delatum decus. Invitæ proſiliebant lacrymæ, nunc exalbeſcebat, nunc rubeſcebat vultus; rumpebatur furore ſimul & mœrore pectus.

107. Superbiæ comes invidia.

Superbiæ & ambitus comes aſſiduus & accubuus pediſſequus eſt invidia, quâ cruciatus acerbior nullus, ita ut de illâ meritò pronuntiarit Venuſinus vates lib. 1 Epiſt. ad Lollium, 2:

Invidiâ Siculi non invenere tyranni
Tormentum majus.

Interrogatus Anacharſis Scytha: Quid hominibus maximè infeſtum eſſet; ipſi, inquit, ſibi ipſis: Sola enim ſibi nocet invidia.

Cùm ambitioſus omnibus affectet eminere, omnes impoſitis pedibus premere, ab omnibus tamquam numen quodpiam coli, ægreſcit dolore ſi ſuæ cupiditati quis ſe opponat.

De invidiæ malo verè cecinit Transformationum libro 2 Ovidius;

Carpitque & carpitur unâ,
Suppliciumque ſuum eſt.

107. Baſiliſcus ſymbolum invidiæ.

Baſiliſcus eſt livor peſtilentiſſimus. Hunc produnt Solinus & Ælianus ad funera terrarum natum, ſerpentem planè exitialem, ſolo aſpectu auras

auras inficientem, plantas exurentem, animantia necantem, ipsa saxa findentem. Hic tamen scipium, si in puro & lucido speculo intueatur, repercusso in se spiritu sive halitu, proprius armis interit.

Symbolum hic est venenatæ Amani linguæ, & invidi calumniatoris, qui cùm crimina ficta, in Mardochæum & Iudæos scelerum puras animas evibrat, sui intestinus carnifex fuit, & pœna occulta toxico alius innoxio, auctori verò qui miscuerat, maximè pestilente.

108. Invidia equus Trojanus.

Quantam calamitatum Ilıada Trojanæ urbi invexerit equus Durateus, sive ligneus Græcorum Dædalâ & dolosâ manu fabricatus, fusè persequitur princeps poëta Æneidos 2, paucis autem Lucretius lib. 1, cùm ita canit:

Nec dum Duratæus Trojanus Pergama partu
Inflammasset equus nocturno Grajugenarum.

Magno stetit equus ille admissus in Pergamo, pestifero suo nixu armatum militem effundens, qui totam urbem ferro, flammisque populatus est. Sed longè sæviore luc, & incendio truculentiore in animum Amani (vel cujuslibet gloriæ mancipii) furtim irrepens viscera ejus corrosit, medullas ebibit, uterum dilaceravit Ambitio, ejusque pedissequa Invidia.

Petronius Arbiter in carmine, cui index, Trojæ Halosis, id est, captivitas, quæ videtur lambea Virgilii Paraphrasis Æneidos 2. inter alia sic scribit:

Huc decumi prælio
Irata virtus abditur, stipant graves
Equi recessus Danai, & in voto latent:

Nimirum equi utero clausi, quem voverant. Voverat Amanus Mardochæo crucem maximam, altissimam, & mille duras, jam suo voto primus cruciatur, primus patitur.

109. Invidia viperina carne pasta.

Fingunt non inconcinnè Poëtæ, ut Ovid. Metamorphoseos 2, Invidiam viperinis pasci carnibus; siquidem, ut vipera parentem, sic livor auctorem dente viroso lancinat.

Extat apud Andream Alciatum tale de Invidiâ Emblema.

Squallida vipereas manducans femina carnes,
Cuique dolent oculi, quæque suum cor edit,
Quam macies & pallor habent, spinosaque gestat
Tela manu. Talis pingitur Invidia.

110. Superborum vertigo.

Nec superbia animos eorum, quibus dominatur, quiescere patitur. Instar Euripi perpetuo æstu agitantur; non tot tempestatum ventorumque motibus turbatur aër, quot ambitiosi pectus turbinibus convertitur. Vt ignis semper ad alta movetur; sic illi semper sublimia cogitant & affectant.

Quid est, ait Magnus Gregor. *potestas culminis nisi tempestas mentis?* 1, pag. Pastoral. cap. 9: quod perlege.

111. Hierosolymitani templi fastigium aureis verubus horrebat. Et cur?

Iosephus lib. 6 de Bello cap. 6, ait templum Hierosolymitanum augustissimum ab Herode restauratum in summo aureis verubus esse acutissimis horruisse, ne ab insidentibus volucribus fœdaretur.

112. Culmen dignitatum præceps, horridum mucronibus.

Culmen dignitatum, quò omni animi corporisque contentione superbus grassatur, auro renidet, sed & præceps est, & asperrimis stimulis & muricibus obsceptum est. Time casum, time mucrones.

In Amane propone tibi alterum Cainum iràt flammeum, invidiâ lividum, odio marcidum. Quid autem dicit Deus Genes. 4, vers. 6, ad Cain: *Quare iratus es, & cur concidit facies tua?* id est, quare mœroris nebulâ serenitas vultus tui obtegitur? aut, cur intestinum dolorem & livorem dejectâ in terram facie prodis? Et mox vers. 7: *Nonne si bene egeris, recipies: sin autem male, statim in foribus peccatum aderit?* 112. Caïnus typus Amani.

In Amanum quadrat; quem implacabili furore in Mardochæum & totam Iudæorum gentem percitum, statim peccatum, id est pœna peccati secuta est, juxta illud: *Culpam pœna premit comes.*

Obsidet enim peccati fores supplicium; ut fabulantur trifaucem Cerberum jacere ad Tartari ostia insopitum, latratu terrentem & undique personantem.

Consentit Apostolus ad Romanos 2, ℣. 9, & 10. *Tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum*, &c. *gloria autem & honor & pax omni operanti bonum.* Digna est Dei retributio, debita, hæc operibus ex gratia factis, & illa actionibus sceleratis.

Agnovere has angustias non solùm sacri, sed & profani auctores. Cicero 1 Officiorum. *Miserrima est omnino ambitio, honorumque contentio.*

Seneca: *Relinque ambitum. laborat invidia & quidem duplici: & invidetur ipsi, & invidet ipse.*

113. Musca fulgore lucernæ capta uritur, sic ambitiosus, dum honores appetit, ustulatur.

Musca (&, ut quidam volunt, Pyrausta, animalculum pennatum, muscæ simile) ad lucernam fulgore delectata advolat, & ad lumen alludit, donec tandem aduratur. Sic superbus honorum fulgentium cupidine captus, dum accedit propius vel liquefactis temeritatis alis corruit ut Icarus olim, vel ustulatur graviori tormento invidiæ.

Anagoge Resurrectionis Christi in triumphali Mardochæi pompâ depictæ:

SIVE,

Mardochæus typus Christi Resurgentis.

SAlianus postquam Estheræ historiam luculentè enarravit, more suo Parallela Christi & Mardochæi sive mutuam collationem subjicit: Excidit verò hæc illi Anagoge & manuductio magnificentissimæ traductionis Mardochæi: quæ mihi planè videtur typus & adumbratio fuisse gloriosæ Anastaseos sive Resurrectionis nostri Servatoris.

114. Mardochæus figura Christi patientis & resurgentis.

Mardochæus, qui nomine suo amarum animi mœrorem præfert, ante triduum scissis vestibus induerat saccum cilicinum, cinere & sordibus suum fœdaverat caput, magnis clamoribus amaritudinem animi sui ostenderat, ut habes cap. 4 nostræ historiæ: quo etiam tempore, cap. 13, humillimâ oratione deprecatus fuerat Dominum, ut acerbum suum & populi luctum in gaudium de superato hoste converteret; Hodie, regiis vestibus auro radiantibus induitur; exuto lugubri sicco, extersis furfuribus & pædore, diademate multis gemmis & auro splendido caput incingitur, gradario superbo & regifico luxu instrato invectus urbem Susianam plaudentibus amicis, hostibus frendentibus obequitat: præcedit & clamat sævissimus ejus inimicus: *Hoc honore condignus est, quem rex voluerit honorare.*

An

An noc hîc ſpecimen, & illuſtris pictura nobis exhibetur humani generis Aſſertoris Chriſti, qui in horto Getſemaneo triduo ante triumphalem ſuæ Anaſtaſeos lucem incredibili pavore conſternatus, mœrore inſolito confectus, oppletus lacrymis, ſanguineo imbre toto corpore perfuſus, quaſi morti vicinus, & dolore lethali in ſe irruente confoſſus, non ſemel clementiſſimi ſui Patris, & Domini piiſſimi, ſed tertiò auxilium humi defixis genibus, & depreſſo in terram vultu flagitavit, & volens inteſtinum animi ſui dolorem, & quidem amariſſimum declarare ſic cariſſimos ſibi ſocios eſt allocutus: *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem?*

Quis adeò hoſpes eſt in litteris divinis, qui ignoret veſtimenta ejus fuiſſe diſcuſſa, & impletum illud purpurei Vatis oraculum: *Diviſerunt ſibi veſtimenta mea* &c? Dubitet quis pulvere ſacrũ verticem & faciem ſordidatam cùm legerit in Olivarum clivo procidiſſe illum in faciem ſuam, ut pronuntiare potuerit illud Davidicum: *Adhæſit pavimento anima mea?* Quid memorem

Squalentem barbam, & concretos ſanguine crines,
Sputorum ſordes, liventes verbere malas?

Fortè etiam ſacco indutum Chriſtum aſpicere deſideras. Si non placeat Herodis veſtis Alba, aut militis coccineum paludamentum ludibrio injectum ejus humeris; ſuſpice mundi publicam lucem & Phœbeum jubar atro & funebri ſacco Chriſtum in cruce contegentem. Quin etiam ſi triſtem ejus requiris ejulatum, qui anguſtias & amaritudinem animi ejus declarat, arrige aures, & percipe luctuoſum illud carmen vel næniam Matth. 27, verſ. 46: *Eli, Eli, lamma ſabacthani? hoc eſt, Deus meus, Deus meus; quid dereliquiſti me?*

De quo Apoſtolus teſtatur ad Hebr. 5, ℣. 7: *Qui in diebus carnis ſuæ preces, ſupplicationeſque ad eum, qui poſſet illum ſalvum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus eſt pro ſuâ reverentiâ.* Sermo verò Apoſtoli eſt, ſi Patribus ibi commentantibus fidem habemus, de prece Chriſti patientis ſive in colle Olivarum, ſive in Golgotheo, cui permixtæ lacrymæ tum aqueæ, tum ſanguineæ. Et hæc quidem ita ſe habuerunt.

Vix autem tertia aurora creperâ ſuâ luce cœlum depinxerat, & inauraverat, & ecce, abjecto mortalitatis ſacco Magni cœlorum Imperatoris juſſu induitur veſtibus regiis, cinere deterſo ponitur regium diadema ſuper caput ejus; qui pedibus hactenus viâ laboriosâ moleſtiarum plenâ, & arduâ ingreſſus fuerat; jam ab inferis equo nive candidiore auris velociori inſidet, & de ſuperbiâ, invidiâ, odio Iudæorum triumphum agenti à beatis animabus, quas ex Erebi veſtibulo ut opima ſpolia abſtraxerat, Pæan & Epinicion accinitur: *Sic honorabitur, quem voluerit Rex honorare.*

115. Pſalmus 29 de gloria Chriſti Reſurrectionis.

Certè Mardochæus noſter gloriam ſuam & triumphum ipſe celebrat dulci regis Pſalmodi lyrâ; Pſalmo 29, qui totus manifeſtum vaticinium continet Chriſti Reſurrectionis.

Exaltabo te, inquit, *Domine, quoniam ſuſcepiſti me, nec delectaſti inimicos meos ſuper me. Domine Deus meus clamavi ad te, & ſanaſti me. Domine eduxiſti ab inferno animam meam, ſalvaſti me à deſcendentibus in lacum. Quoniam ira in indignatione ejus, & vita in voluntate ejus. Ad veſperam demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia*, ℣. 10, & ſequentibus uſque ad finem. *Ad te Domine, clamabo, & ad Deum meum deprecabor. Quæ utilitas in ſanguine meo dum deſcendo in corruptionem? numquid confitebitur tibi pulvis, aut annunciabit veritatem tuam? Audivit Dominus & miſertus eſt mei, Dominus factus eſt adjutor meus. Converſiſti planctum meum in gaudium mihi, conſcidiſti ſaccum meum, & circumdediſti me lætitiâ: Ut cantet tibi gloria mea, & non compungar* (rurſus mortis dolore & aculeo.) *Domine Deus meus in æternum confitebor tibi.*

Oedipode non eget Davidicum hoc præconium, & clariſſima de Chriſti exaltatione per Reſurrectionem prædictio; quam ſiquis interpretari velit, ſpiritualem ſaporem obtundet.

Veſtis vel ſtola regia, quâ Chriſtus reverſus ad ſuperos, ornatus fuit, deſcribitur à fatidico vate Iſaia cap. 63 primis verſibus, ubi vel beati ſpiritus, vel piæ animæ pars magna Chriſti triumphi, gloriam ejus ſuſpicientes, illum his verbis compellant: *Quis eſt iſte qui venit de Edom* (victis debellatiſque Idumæis, id eſt, gentibus) *tinctis veſtibus de Boſra?* (metropoli illius regionis) *Iſte formoſus in ſtolâ ſuâ* (trabeâ & paludamento triumphali) *gradiens in multitudine virtutis ſuæ:* inceſſu ſuo regio, & permagnifico, totiuſque corporis habitu auguſtiſſimo, robur invictum, animum verè heroicum præferens?

116. Vaticinium Iſaiæ de Chriſti gloria.

Eſt autem ſtola hæc caro Chriſti glorioſa, quatuor beatitudinis dotibus condecorata, quâ ſurrexit redivivus è tumulo, devictâ morte, Diabolo, mundo, ejuſque idololatriâ & ſceleribus aliis.

116. Stola eſt Chriſti caro.

Audi S. Auguſtinum ſermone 178 de tempore, qui eſt de Aſcenſione Domini. *Aſcendebat*, ait, *cruoris rubore perfuſus, trophæis victricibus laureatus. Viderunt cœlites cuncti ſpecioſum vulneribus Chriſtum, ſpolia caſtris tyrannicis reportata, & admirantes fulgentia divinæ virtutis vexilla, talibus concrepant hymnis, deducuntque lætantes. Quis eſt, inquiunt, iſte Rex gloriæ? Et ajunt, Dominus Virtutum ipſe eſt rex gloriæ. Hic eſt ille candidus & roſeus, compunctus à multitudine. Hic eſt ille, qui non habuit ſpeciem neque decorem. Infirmus in laqueo, fortis in ſpolio; vilis in corpuſculo, armatus in prælio; fœdus in morte, pulcher in reſurrectione; candidus ex Virgine, rubicundus in cruce; fuſcus in opprobrio, clarus in cœlo.* Hactenus ille.

Accipe & aliud è divinis libris teſtimonium, de myſteriis Apocalypſeos S. Ioannis, ubi ſic legimus cap. 19, verſ. 11, & ſequentibus. *Et vidi cœlum apertum, & ecce equus albus & qui ſedebat ſuper eum vocabatur Fidelis, & Verax, & cum juſtitiâ judicat & pugnat. Oculi ejus ſicut flamma ignis, & in capite ejus diademata multa, habens nomen ſcriptum, quod nemo novit niſi ipſe. Et veſtitus erat veſte aſperſa ſanguine & vocatur nomen ejus, Verbum Dei: Et habet in veſtimento & in femore ſuo ſcriptum: Rex regum & Dominus dominantium.*

117. Locus Apocalypſis de triumpho Chriſti.

Habes hîc expreſſa omnia in Chriſto inimicos ſuos debellante, cruento certamine triumphante, quæ in pompâ, juſſu Aſſueri exhibitâ Mardochæo, repræſentata ſunt.

Inprimis veſtis Chriſti murice pretioſo proprii ſanguinis ſaturatæ, & hoſtilis cruoris oſtro tinctæ typus fuit purpurea ſtola & trabea regia, quâ

quâ amictus Mardochæus. Talis enim color regem decet, & verè regius est; Talis amictus defluente vel proprio vel hostilis sanguinis imbre non fœdatur, sed magis purpuratur, & decoratur.

Albus grádarius, cui insidet, & ipse regius est, cujus usus erat proprius regis Persarum, ut Matth. Raderus docet suis in Curtium commentariis lib. 3, cap. 7.

118. Vehitur albo equo in Resurrectione Christus.

S. Hieron. in caput 66 Isaiæ commentans, *Equo*, ait, *sedebat albo* (Christus) *quando post resurrectionem, immortale & incorruptum corpus assumpsit. Et quicumque eum sequebantur, candidis utebantur equis; incorruptis videlicet immortalibusque corporibus.*

Quis nescit in magnificâ Christi Resurrectione, vel glorioso ejus ad cœlum ascensu semper Angelos niveis & albis stolis apparuisse, ut regiam ejus & festivam claritatem etiam foris ostenderent?

119. Christi diademata multa Persarum verò Regis solum unum.

Spectabilis quoque Christus est non uno dumtaxat diademate coronatus, ut Mardochæus, sed dicitur habere in capite diademata multa. Rex Persárum, quamvis regna multa suo frenaret imperio, uno tamen solo insigniebatur diademate, tum quia per Satrapas & præfectos provincias moderabatur, ut supra cap. primo dictum est: Non enim ubique præsens esse poterat, & per se omnibus providere; tum quia omnes regiones sibi subjectas Persarum legibus & moribus vivere volebat.

Christus Dominus est dominantium, & Rex regum, quod etiam nomen femori & vestimento suo inscriptum gerit.

Cum ergo (ut ipse partâ de hostibus victoriâ profitetur Matth. 28, ℣. 18: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra*) cœlorum terrarumque dominium teneat, & etiam omnium regum, regnorumque omnium Rex sit, & Apocalyps. 5, vers. 1, dicatur *Princeps regum terræ*; jure ipsius majestate plenum caput plurimis etiam regalibus coronis, & imperialibus diadematis incingitur.

De hac coronâ hymnodus Vates magnificè Christo gratulatur in sensu prophetico Psalmo 20, vers. 4. *Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso*, auream nempe, sed plurimis & radiantissimis unionibus distinctam & illuminatam, non tamen margaritarum fulgore magis, quàm illustrium meritorum gloria coruscantem.

120. In coronis triumphantium inculpta erant eorũ præclara facinora.

Tradunt vereres in coronâ triumphantium olim impressa fuisse præclara facinora, ob quæ illam meruissent. Specimen hoc fuit illius, quod in Redemptore nostro, & cœlitibus, qui ejus disciplinæ se dederunt, gerendum erat, nempe inscribendos diadematis Regis nostri & Sanctorum ejus characteres pulcherrimorum operum, quibus illa decora adepti essent ad laudem, gloriam & memoriam sempiternam.

VERSVS XIII, & XIV.

Narravitque Zares uxori suæ & amicis omnia quæ evenissent sibi. Cui respondérunt sapientes, quos habebat in consilio, & uxor ejus: Si de semine Iudæorum est Mardochæus, ante quem cadere cœpisti, non poteris ei resistere, sed cades in conspectu ejus.

Adhuc illis loquentibus, venerunt eunuchi regis, & citò eum ad convivium, quod regina paraverat, pergere compulerunt.

Hebraicè: Et narravit Haman Zeres uxori suæ, & omnibus amicis suis omne quod acciderat sibi: dixeruntque ei sapientes ejus, & Zeres uxor ejus: Si de semine Iehudæorum est Mardochai, cujus cœpisti cadere ad facies ejus (ante quem cadere cœpisti) non prævalebis ei, sed cadendo cades ad facies ejus (ante eum.)

Adhuc ipsis loquentibus cum eo, & eunuchi regis pervenerunt, & festinaverunt ut adducerent Haman ad convivium, quod fecerat Esther.

Iosephus sic in narratione suâ progreditur: Aman præ pudore domum se contulit, & cum fletu uxori ac amicis quæ contigerant, narravit. Respónderunt illi, ademptam ei jam omnem occasionem vindicandi in Mardochæum, quandoquidem illi manifestè Deus sit propitius. Hæc illis adhuc colloquentibus, venerunt Estheris eunuchi, Amanem sine morâ ad cœnam vocaturi: quorum unus Habuchadas visâ cruce defixâ in ipsius ædibus, quæ parata erat Mardochæo, scitatusque è quodam famulo, in quem usum parata sit; ut cognovit, quod reginæ patruo, quem Aman volebat à rege ad supplicium deposcere, tunc quidem siluit. Hæc ille affingens pro suo libito.

COMMENTARIVS.

AManus confectus luctu domum reversus magno cum fletu inexpectatum casum suum uxori, & amicis refert, qui, ut verisimile est, eò convenerant, ut viderent Mardochæum factum litteram longam, ut Plautinò ore loquar, id est, extensum in altissima cruce. Non enim dubitabant quin Amanus apud regem gratiosissimus, illud supplicium ipsi impetraturus esset. Sed secus est visum Deo, in cujus manu corda regum sunt.

Licet verò non ignorarent lugubrem Amani sortem & contra spem omnem & expectationem vidissent Mardochæum plaudente civitate magnifico apparatu circumductum, Amano ipso præconem tanti honoris agente (non enim ignotum ulli esse poterat, quod in omnium oculis & luce publicâ gerebatur) Amano tamen, ut gravatum mœstitudine animum levaret, quæ gesta erant, in sinum conjugis & familiarium effundere visum fuit, simul etiam ut rebus suis jam penè

deploratis, quâ possent, manum medicam adhiberent.

Strangulat inclusus dolor, atque exæstuat imo Pectore.

Cum autem à sapientibus, id est, consiliariis suis domesticis consilium peteret, simulque ab uxore, respondérunt illi una voce, & conjecerunt inauspicato principio exitum inauspicatum responsurum. Si, inquiunt, Mardochæus Iudæus hunc te afflixit, atque prostravit, non poteris ei prævalere: Græca: Non poteris eum ulcisci. Chald. Non poteris ei maleficere. Hebr. cadendo cades ante eum, id est, omnino & certò cades, ruina te involvet.

Quæres hîc primo: Quinam hi fuerint sapientes. Asserit Mariana non solum Persarum Regem, sed etiam Principes habuisse consiliarios, qui magi erant, & de futuris eventibus consulebantur. Ita & Serarius.

Censent alii cum Vatablo sapientes eosdem esse cum amicis, de quibus huc & cap. præcedente vers. 10, & 14, & contentit Iosephus supra.

Puto ego fuisse amicorum sapientiores, quibus cor fingente Minerva acrius.

Quæres 2, quomodo sapientes illi tamquam ex tripode Delphico, vel antro Sibyllæ ruinam Amani tam provide præsagierint?

Sunt, qui putant cum Lirano sapientes illos Pentateuchum Mosaicum in linguam Persicam translatum lectitasse, & Iudæi feminis populum Deo cordi præ ceteris gentibus esse didicisse.

Non legerant Persæ Pentateuchum, sed fortè aliqua capita Danielis.

Verùm non videtur hoc credibile, quamvis legisse multos Persarum prophetiam Danielis Chaldaice scriptam à cap. secundo usque ad septimum, sit verisimile, ubi continetur eximia & illustris Dei cœli providentia erga tres ephebos Hebræos, quos è fornace ardente liberavit, & rarum prodigium Danielis è lacu leonum erepti. Sacros verò codices in linguam Persicam fuisse conversos nullus facile probaverit tempore nostri Assueri.

Addit tamen Dionysius hîc: Dicunt Hebræi, Persas legisse, quod filii Israel fuerint stellis cœli comparati & pulveri terræ: ideoque dixerunt; dû incipiunt cadere, supplantantur ut pulvis, cùm verò incipiunt prævalere, exaltantur ut sidera.

Dicimus primò, historiam Iudaicam admirabilibus Dei operibus, & signis atque portentis refertissimam illos perspectam habuisse ex quotidiano convictu & sermocinatione cum Iudæis, qui non cessabant prædicare Dei victoriam relatam de Pharaone in Ægypto, in transitu maris Erythræi, in deserto de Amalecitis, in terra Chanaan de regibus indigenis, &c.

121. Ex convictu Iudæorum noverant Persæ eos Deo suo curæ singulari esse.

Sic Achior dux omnium filiorum Ammon, Iudith quinto, prolatis coram Holoferne mirabilibus Dei operibus, quibus populum Hebræum sibi curæ fuisse ostenderat, fusè prosequitur demonstrare, nullam vim hostilem illi posse resistere, quamdiu fidem Deo datam inviolatam servaret: ubi inter cetera sic perorat; vers. 17, & sequentibus. *Et non fuit qui insultaret populo isti, nisi quando recessit a cultu Domini Dei sui. Quotiescumque autem præter ipsum Deum sunum, alterum coluerunt, dati sunt in prædam & in gladium & in opprobium. Quotiescumque autem pœnituerunt sè recessisse a cultura Dei sui, dedit eis Deus cœli virtutem resistendi.* Hactenus ille.

Quæ ergo Achior vel à suis majoribus, vel relatione Iudæorum, cum quibus versatus fuerat, didicerat & acceperat, eadem prudentes illi, qui Amano à consilus erant, hausisse potuerunt.

Dicimus tamè secundo, cum pluribus Interpretibus, Sahiano, Serario, Menochio, nihil inconmodi esse, si fateamur sapientes hos divino quodam instinctu impulsos, quò præsaga mente præciperent & prædicerent ruinam Amano certissimè imminere, cum legamus fatidicas Sibyllas eodem actas spiritu multa futura prænuntiasse.

Fortè divinitus agi coverunt sapientes Amani exitum.

Tandem tertiò asserendum videtur consiliarios hos fuisse magos (qui apud Persas sapientiæ laude florebant) qui vel prudentiâ quadam sagaciore, vel solerti conjecturâ ita divinarunt, vel maleficis artibus consuluerunt malos genios, ut ita responderent.

Fuere Consiliarii Amani Magi.

Postremò illis loquentibus subitò adfuerunt eunuchi, qui Amanum ad Estheræ convivium pergere compulerunt. Hebraicum significantius videtur, festinaverunt adducere Aman, vel citò venire fecerunt: qui modus loquendi duo significat, & horam diei jam tardiorem, tempusque prandendi advenisse (prandium enim ab Esthera exhibitum, non cœnam, ut vult Iosephus, antè probavimus) & Amanum tergiversatum fuisse pudore impediente, & omnibus modis laborasse, ut à convivio abesset in quo aliquod malum sibi paratum præsagiebat.

Vix spatium habuerat extergendi lacrymas, vultum componendi, revocandi animum, maturè consultandi, quid eo temporis articulo agendum sibi esset. Nec tutum tamen erat subterfugere regis imperium, qui per eunuchos illum accersiverat.

Documentum Morale;

Interdum divina vindicta non diu differtur, sed subitò impiorum cervicibus ingruit.

NOn semper verum est illud Valerii: *Tardo gradu ad vindictam sui divina procedit ira*: vel illud vetus: *Dii plumbeos habent, vel claudos pedes*: quinimo Dei ultio citissimè aliquando, inexpectatò, & præter opinionem, vecta Pegasis & pennipede equo advolat, & fertur remigio alarum, impiumque opprimit & ruinâ involvit. Elegans est illum Græcum: ἢ νίμεσις ἀσὶ πόδας βάινει, id est, *Nemesis ad pedes adest*, & ultio properat.

122. Ultionem divinam interdum subitò advenire norunt Ethnici.

Exemplo est Amanus, qui vix quinq; diebus spe Mardochæi perdendi, quam mente conceperat, gavisus est. Volens nolens ad convivium festinato ire compellitur in quo pernicies certissima & ocyssima parata erat.

Hoc principium etiam insculptum Gentilium medullis. Sic enim ratiocinabantur Actor. 28, 4 Melitenses, cùm viderent viperam è manu S. Pauli pendentem: *Utique homicida est homo hic, qui cum evaserit de mari, ultio non finit eum vivere.*

Ecclesiastici cap. 5, vers. 9 ait Sirachides: *Subitò veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.*

Subscribit Ecclesiastes cap. 9, vers. 12. *Nescit homo finem suum: sed sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aves laqueo comprehenduntur, sic capiun-*

piuntur homines in tempore malo, cùm eis extemplo supervenerit. Sensus est.

123. Scriptura docet Deum semper vigilare ut scelestos puniat.

Dei animadversionem impiis cervicibus impendentem, gladiumque districtum non ex equitâ fertâ, sed ejus nutu citissimè immanentem, & jam vibratum non magis est extre aut evitare, quàm in avium quantumvis astutarum, vel in piscium industriâ tutum est retis aut nassæ occultas insidias evadere.

In ipsorum exitium intentum est insopitum oculatissimi Numinis lumen, & virga semper vigilans, id est, paratum ad percutiendum imparatos, quam alii oculatam exponunt.

Vigilabo ego (ait Dominus) *super verbo meo, ut faciam illud*: ut videlicet interam vindictam quam sum interminatus. Ieremiæ 1, ℣. 12.

Idem porro est sensus istius; *Nescit homo finem suum*, cum illo Maroniano.

Nescia mens hominum fati, sortisque futuræ:

Explicat enim suprà S. Hieron. *Nesciunt homines unde eis angustiæ veniunt, aut interitus.*

Est enim sortis extremæ, mortisque incertissimus & occultissimus exitus.

124. Captus fuit Aman instar piscis à piscatore vel avis ab aucupe.

Paulò post contemplabimur Amanum hamo captum, & unco elicâ celato miserè adhamatum & comprehensum, & in sublime omnium ludibrio expositum instar correpti piscis frustra cauda auras verberantis: contemplabimur illum, qui, ut aquila, volabat per ora virûm, abditis dolis detentum, illaqueatum retibus, laqueo suspensum.

Solent aviculæ fatuæ liberè vagari, cantibus aëra mulcere, pennas ludibundo plausu concutere, arboribus insidere, semina terræ defossa avidâ voracitate depascere; quas tamen fraudis, mortisque securas callidus auceps dolosis suis artibus, aut viscatâ virgâ fallit & structis insidiis decipit, attrahit, comprehendit, & ludos facit, tandemque obtorto collo necat.

Hæc icon Amani nostri, & plurium aliorum ambitiosorum, superbiâ præfidentium, quos tenator callidissimus & Avernalis auceps in pedicas & retia sua coactos claudit, & paulò pòst inexpectato & acerbissimo letho mactat.

Sic, inquit Salomon, *capiuntur homines in tempore malo, cùm eis extemplo supervenerit.* Vtique astu suo & Labyrinthæis technis, & retibus inextricabilibus illaqueat Tartareus ille latro & piscator Phlegethontæus & honoris blandâ specie, aut illecebris gloriæ deceptos, mortiferis laqueis constringit.

Cetertim temporis ille articulus, quo præpropere Amanus ad convivium festinare compulsus est, in quo rete oppansum, sed latens, illi paratum erat, verè malum tempus fuit, tum quia calamitosum & periculosum, tum quia subitum & inopinatum illi interitum allaturum erat.

125. A cœlo supervenit malis interitus.

Observa verò malitiam illam & cladem extemplo, repentè & improvisò superventuram, id est, ut solerter notavit Cajetan. ibi, desuper subitò venturam & profecturam à causa superiore, quam nemo evitare, aut evadere possit. Sic etiam explicat Chaldæus, cùm ita reddit: *Quod evitarum est super eos puncto uno cœlitus.*

125. Vindicta impiis parata similis est pluviæ laqueorû.

Expressit hanc cœlitus effusam divinam vindictam vates Psalmodus insigni Metaphorâ, Psalmo 10, vers. 7. *Pluet super peccatores laqueos.* Hæc cœlestis ultio per pluviam adumbrata & laqueos indicat pœnam gravem, copiosam, magnam, peccatorum vertici ingruentem; insuper, meluctabilem, improvisam, cujus pars nulla in irritum cadit, & nec caveri potest, ita ut, quò magis illam effugere impius conatur, eò magis eâ teneatur.

Paucis hoc caput exemplis illustratum pergo. Rem raram & insolentem, vixque auditam refert Petrus Abbas Cluniacensis lib. 2 Miracul. cap. 1. Fuit comes Matisconus, qui scelera plura scelestibus addens cœlestis vindictæ & judicii immemor vivebat, nec Deum nec homines verebatur, de quo dici poterat illud Salomonis, Proverb. 18, 3. *Impius, cùm in profundum venerit peccatorum, contempsit: sed sequitur eum ignominia & opprobrium.* Minatur quidem Deus, Sapientiæ cap. 6, vers. 3. *Horrendè & citò apparebit vobis.* Sed ab hujusmodi teterrimis hominibus animæ divinæ ridentur. Igitur flagella, & cruciatus ut Pharaoni & Ægyptiis, experiri convenit. Sic plane Deus cum hoc Comite egit. Cùm quodam solenni die Matisconæ in aulâ suâ consedisset, pluribus diversi ordinis adstantibus, improvisò & subitò quispiam ignotus eques ingressus triclinium est, qui intrepidè ad ipsum pervenit, quem etiam ad arcanum colloquium evocans sequi se despoticè imperavit. Comes virtute quadam latente attractus è loco suo surrexit; & volens nolens ducem præcedentem ad palatii fores usque secutus est. Ibi equum paratum jussus conscendere, obluctari aut recusare non potuit. Vix frenum equi prehenderat, & repentè in sublime unà cum altero equite abreptus est. Hic miser Comes clamare, ejulatu lugubri totam urbem complere, ita ut ad miserabile & invisum spectaculum certatim concurrerent cives plurimi, qui Comitem sibi notum equo per aëra avehi, quamdiu oculi sequi poterant viderunt stupefacti, sed viderunt tantum. Vociferabatur quidem homo scelestissimus: Adjuvate, cives, succurrite. Sed frustra omnia. Sic pereunt inimici Domini, & sæpe repentinus illis desuper ingruit interitus.

126. Matisconensis Comitis horrenda punitio.

Hector Boethius lib. 18, historiæ Scotorum, hunc par exemplum divinæ vindictæ inexpectatæ narrat. Fuit Ioannes Cameron Glascuensis homo pluribus flagitiis coinquinatus. Is principem & regni administratores suis machinis ad injustam necem innocentium patrandam impulerat, rapinis nobiles juxta atque plebeios vexaverat, iniquas exactiones imposuerat. Non tulit diutius hominis conscelerati insolentiam ultionum Dominus. Etenim nocte, quæ Christi natalem antecedit, cùm in arce suâ securus quiesceret, vox cœlitus auribus ejus illabitur, quâ ad supremi Iudicis tribunal nullâ interpositâ morâ vocabatur. Verba erant: *Cameron, ad Dei tribunal te cyto siste, rationemque redde villicationis tuæ.* Hac horrendâ voce attonitus evigilat, somniumque sibi oblatum existimans, famulos extemplo advocat, lumen accendi imperat, & paulùm respirans animumque recipiens jussis abire famulis librum apprehendit. Vix famuli cubiculo excesserant, cùm iterum eadem vox insonat, omnibus timore obmutescentibus, & grave aliquod malum imminens meritò metuentibus. Nec mora longa fuit, cùm ecce tertiò eadem vox magis quàm ante horrifica auditur, simulque,

127. Cameronis scelesti terribilis mors.

Cameron sceleratam animam exertà turpiter & enormiter linguà exspuit, ad divini tribunalis subsellia caulam dicturus. Verè *horrendum est incidere in manus Dei viventis*, ad Hebr. 10, vers. 31.

Dei vindicis manus ferreæ sunt, adamantinæ sunt, quas nemo nocens effugere potest.

128. Deus ante ostium facinorosorum præsto est ad vindicandum.

Præclarè dixit S. Iacobus epist. cap. 5, ℣. 9. *Ecce Iudex ante januam assistit*, q. d. ita Deus è cœlo omnia vestra crimina intuetur, atque si ante ostium domorum vestrarum apertum consisteret, qui etiam paratus est in flagrante delicto deprehensos, statim ad supplicium rapere, quemadmodum si prætor cum suo satellitio securibus & fascibus instructo ante januam præsens esset, vel si lictor reum fune constrictum teneret.

Litteræ sacræ plura hujusmodi divinæ vindictæ documenta suggerunt, quæ omnibus nota; ut Danielis 4, vers. 21, & sequentibus; ubi Nabuchodonosoris à Dei sententiâ plectitur superbifica vox vix prolata, & rursus filii ejus Baltassaris sive Evemerodachi insolentia vindicatur ibidem cap. 5, vers. 30, ubi dicitur: *Eadem nocte* (convivii) *interfectus est Baltassar rex Chaldæus.*

Vno contentus ero: Actor. 12, vers. 21, & sequentibus sic describitur à Lucâ Herodis Agrippæ miserandus exitus. *Statuto die Herodes vestitus veste regiâ sedit pro tribunali, & concionabatur ad eos*, (Tyrios ac Sidonios) *Populus autem acclamabat: Dei voces, & non hominis. Confestim autem percussit eum Angelus Domini, eò quòd non dedisset honorem Deo, & consumptus à vermibus expiravit.* Sic breviter S. Lucas.

Fusè autem eamdem mortem depingit Iosephus 19 Antiquitat. cap. 8, vel 7: qui tamen & ipse adulatus genti & regi suo, Herodis constantiam in funesto casu commendat. Sic ergo scribit.

129. Herodis Agrippæ funesta mors.

Iam tertium Iudææ totius regni annum exegerat, cùm pervenit in urbem Cæsaream, quæ prius Stratonis turris dicta est; ubi solemnes ludos celebravit pro salute Cæsaris; ad quam festivitatem magna multitudo nobilium ac procerum convenerat ex totâ provinciâ. Ejus celebritatis die secundâ processit manè in theatrum amictus veste tota ex argento mirabili opere contextâ, quæ radiis exorientis solis percussa & divinum quemdam fulgorem emittens, venerationem cum horrore incutiebat spectantibus: moxque adulatores pernicioſi alius aliunde acclamantes, rogantes ut faveret propitius: hactenus enim ut hominem reveritos, nunc agnoscere & fateri in eo quiddam mortali naturâ excellentius. Hanc impiam adulationem ille nec castigavit, nec repulit: paulòque post suspiciens vidit supra caput suum bubonem funi extento insidentem: moxque ut sensit hunc esse calamitatis nuntium, qui olim felicitatis fuerat, ex intimis præcordiis indoluit. Secuta sunt ventris tormina, statim à principio vehementia (quæ corrosione suâ fœdi vermiculi sive pediculi inferebant; quod in commendationem regis sui Iosephus omisit) *Conversis igitur in amicos oculis: En ego, inquit, ille vestra appellatione Deus vitam relinquere jubeor, fatali necessitate exigente vestrum mendacium, & quem immortalem salutastis, ad mortem rapior.* (prætermitto quæ Iosephus hîc ingerit ut suum regem Stoicæ patientiæ exemplar deprædicet) *Cruciatu deinde per continuos quinque dies nihil se remittente, confectus vitam finiit.* Hactenus ille.

130. Deus dicitur unicornis, & quare.

Dicitur Deus Psalmo 28, vers. 6, *dilectus quemadmodum filius unicornium.* Observant verò quidâ rectè Deum vel Christum dici similem unicorni vel monoceroti, non solùm propter insuperabile robur, cui nemo resistat, cum ferire parat, vel incredibilem celeritatem, quâ prævalet: sed maximè quia cornu suum infra oculos habeat, sic ut videat quid, ubi & quomodo percutiat: taurus verò quod cornua supra oculos gerat, non advertit ubi ea figat. Significat autem hoc Deum instar Monocerotis destinatum, certum, celerrimè & fortissimè vulnus & vindictam sceleratis inferre. Quod si interdum etiam piis plagam infigat, statim etiam eos sanare, sicut cornu illius animalis etiam amuletum est sanans.

Capitis hujus Allegoria ex Hugone de S. Victore suprà.

NOlem vos duxit insomnem, &c. quia *non dormitabit qui custodit Israel*, Psalm. 120. Deus in se immobilis cursus temporum & actus hominum contemplatur & nulla eum later cogitatio. Gesta Mardochæi coram rege memorantur, quia bona opera Doctorum numquam coram Deo oblivioni traduntur. Psalm. 111. *In memoria æterna erit justus.* Aman Mardochæum præcedens clamat: *Sic honorabitur*, &c. Sic Magistri Ecclesiæ omnium virtutum cultu decorati honorantur diademate regiæ dignitatis, ascendunt super equum regium tamquam membra summi regis, id est, super populum fidelium, in quorum cordibus Deus sedet; Habacuc 3: *Ascendes super equos tuos*, &c. His Aman spiritualis hostis invitus præbet obsequium; cùm persecutores Ecclesiæ coguntur reddere testimonium, non valentes occultare quod manifestum est.

Reversus est Mardochæus, ad januam palatii, & Aman festinavit in domum suam, &c. *Hæc mutatio dexteræ Excelsi*, Psalm 76. Qui videbatur aliis glorioſior, humiliatur: Isaiæ 29: *Convertetur Libanus in Charmel & Charmel in saltum reputabitur.* Sic Synagogæ superbia est depressa, & Ecclesiæ humilitas exaltata. Sic persecutores Ecclesiæ ad nihilum sunt redacti, & Confessores Christi toto orbe exaltati. Caput in caudam, & cauda in caput versa est.

CAPVT

CAPVT SEPTIMVM.

ARGVMENTVM.

Die quarto à communi luctu & jejunio Iudæorum, cum Assuerus & Amanus ad convivium ab Esthera paratum convenissent, jam vino exhilaratus Rex rursum Reginæ offert, ut postulet quodcumque animo libuerit, quidlibet se impetraturam. Illa suppliciter & comiter suam, suique populi vitam flagitat, & à sævissimo hoste liberationem, qui sanguinem eorum sitiat nedum servitutem. Regi obstupenti quisnam ille esset, cui tantum liceret, Amanum esse respondit. Quo audito attonitus hæsit Aman iram regis & reginæ non sustinens. Interim Assuerus excandescens quasi deliberabundus in hortum arboribus consitum discedit. Aman verò ad genua Esthera accidit, illam pro se deprecaturus. Cùm autem Rex reversus ad convivii locum Amanum deprehendisset super lectum tricliniarem Reginæ corruisse, zelotypiâ accensus Amano signis mortem intentat. Vnde regii ministri faciem ejus obnubunt, & eorum unus significat Regi Amanum Mardochæo patibulum erexisse. Rex itaque jubet illum suspendi in cruce quam Mardochæo paraverat.

TEXTVS.

INtravit itaque rex & Aman, ut biberent cum regina. 2 Dixitque ei rex etiam secunda die, postquam vino incaluerat: Quæ est petitio tua Esther ut detur tibi? & quid vis fieri? etiam si dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis. 3 Ad quem illa respondit: Si inveni gratiam in oculis tuis ô Rex, & si tibi placet, dona mihi animam meam, pro quâ rogo, & populum meum, pro quo obsecro. 4 Traditi enim sumus ego & populus meus, ut conteramur, jugulemur, & pereamus. Atque utinam in servos & famulas venderemur: esset tolerabile malum, & gemens tacerem: nunc autem hostis noster est, cujus crudelitas redundat in regem. 5 Respondensque rex Assuerus ait: Quis est iste, & cujus potentiæ, ut hæc audeat facere? 6 Dixitque Esther: Hostis & inimicus noster pessimus iste est Aman. Quod ille audiens, illico obstupuit, vultum regis ac reginæ ferre non sustinens. 7 Rex autem iratus surrexit, & de loco convivii intravit in hortum arboribus consitum. Aman quoque surrexit ut rogaret Esther reginam pro anima sua, intellexit enim à rege sibi paratum malum. 8 Qui cum reversus esset de horto nemoribus consito, & intrasset convivii locum, reperit Aman super lectulum corruisse, in quo jacebat Esther, & ait: Etiam reginam vult opprimere, me præsente, in domo mea. Necdum verbum de ore regis exierat, & statim operuerunt faciem ejus. 9 Dixitque Harbona, unus de eunuchis, qui stabant in ministerio regis: En lignum, quod paraverat Mardochæo, qui locutus est pro rege, stat in domo Aman, habens altitudinis quinquaginta cubitos. Cui dixit rex: Appendite eum in eo. 10 Suspensus est itaque Aman in patibulo quod paraverat Mardochæo, & regis ira quievit.

VERSVS I, II, III & IV.

Intravit itaque Rex & Aman ut biberent cum Reginâ.

Dixitque ei rex etiam secundâ die, postquam vino incaluerat: Quæ est petitio tua, Esther, ut detur tibi? & quid vis fieri? etiamsi dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis,

Ad quem illa respondit: Si inveni gratiam in oculis tuis, ô Rex, & si tibi placet, dona mihi animam meam pro qua rogo, & populum meum, pro quo obsecro.

Traditi enim sumus ego, & populus meus, ut conteramur, jugulemur, & pereamus.

Atque utinam in servos & famulas venderemur: esset tolerabile malum, & gemens tacerem: nunc autem hostis noster est, cujus crudelitas redundat in regem.

Hebraicè: Et, venit Rex & Haman ad

bibendum cum Esther: Dixitque rex ad Esther etiam in die secundâ in convivio vini: Quæ petitio tua est Esther regina, & dabitur tibi? & quæ postulatio tua? usque ad dimidium regni (scilicet, pete) & fiet. Et respondit Esther regina & dixit: Si inveni gratiam in oculis tuis, rèx, & si super rege bonum (si regi placet) detur mihi anima mea, in (pro) petitione mea; & populus meus in postulatione meâ. Quia venditi sumus ego & populus meus ad delendum, ad occidendum & ad perdendum: & si in servos & in ancillas venderemur, tacuissem; quia non angustiator æquans in damno regis (quanquam hostis non compensaret damnum regis.)

Iosephum etiam audiamus: Ceterùm, inquit, postquam rex cum Amane suaviter epulis acceptus, jussit reginam indicare quidnam eum sibi largiri cuperet, accepturam quidquid petierit: cœpit deplorare periculum sui populi, dicens se ad interitum cum totâ suâ gente deditam, & ideo nunc eâ de re verba facere: Neque enim se negotia ejus interpellaturam fuisse, si in amaram servitutem vendi eos jussisset, quòd mediocrem hanc calamitatem duceret: nunc verò orare, ut se ab imminenti clade eripiat.

COMMENTARIVS.

Effectus hîc describitur jejunii publici & solennis supplicationis Iudæorum: Divinitus enim animata Esthera facinus planè Heroicum & muliere angustius aggreditur, nequaquam tantum ausura, nisi Numen illi vires, animumque ministrasset. In convivio, accusat præsens præsentem Amanum apud Regem gratiosissimum, hostem potentissimum simul & crudelissimum; id petit, à quo pendebat totius populi Hebræorum salus & incolumitas, quam illa non solùm dimidio, sed & toto Persarum regno cariorem habebat.

Artificiosa Estheræ oratio.

Constat autem Reginæ brevis & contracta verbis oratio insigni artificio, in quo primùm mirus ejus candor, simplicitas, & animi submissio elucet: deinde complorationis affectus, qui posset etiam tyranni viscera commovere, nedum mariti uxoris suæ amantissimi & studiosissimi: postremo singularis prudentia, quâ ostendit ex Amani crudelitate Regis Persarum ærarium, existimationem & personam etiam ipsius in periculum vocari; se verò regem non fuisse interpellaturam, nisi de suo capite & populi sui vitâ & imperii totius salute ageretur.

Sulpitii explicatio.

Severus Sulpitius lib. 2 Sacræ Historiæ sic rei seriem scribit. *Rex ad cœnam* (prandium accipe vel generatum convivium) *Reginæ perducitur, unàque cum illo Amanille regi carus, & Iudææ genti infestus. Igitur cum jam post epulas multis poculis convivium calere cœpisset, Esther genibus regis advolvitur* (ex sacro textu hoc non colligitur) *gentis suæ perniciem deprecatur. Rex verò nihil se petenti, liquid ultrà peteret, negaturum pollicetur. Tum Esthera arrepto tempore, Amanis mortem flagitat, in ultionem gentis, quam perditam cupierat. Sed Rex amici memor, paulisper cunctatur, deliberandique gratiâ modicum secessit*, &c.

Ruperti animadversio circa Estheræ orationem.

Rupertus lib. 8, de victoriâ Verbi Dei cap. 19 non sine ratione prudentiam Estheræ in sua hac oratione admiratur conjunctam cum magnâ animi demissione. Paucula ejus verba describo.

Laudabilis in tali elocutione prudentia est, prudentia sana cujus doctrix est sanctis & matura humilitas. Numquid reginam se esse sciebat, quæ tali modo regi supplicabat? Numquid amari sese sentiebat, quæ cum tanto timore obsecrabat? Profectò miraris rex ipse poterat, qui si peteret illa dimidiam regni sui partem, dare paratus erat, miratis, inquam, quòd regina sua, dilecta sua, digna imperio præ cunctis mulieribus existimata, ubique præ omnibus feminis complacita, pro animâ suâ, id est, pro vita sua supplicabat tamquam captiva, tamquam proscripta, velut si ab ipso rege fuisset condemnata. Hæc ille.

Sed verba textus, quæ dignum vindice nodum habent, enodemus.

Intravit rex & Aman ut biberent cum regina. Sic etiam Hebræa habent, & Septuaginta, συμποσίων, ad compotandum. Vnde apud Hebræos cœnationes & comessiones dicuntur משתה misteh, compotationes à שתה Sathah, à bibendo, ut & sympotia apud Græcos, quæ apud Latinos melius dicuntur convivia à convictu amicorum.

Observat autem Cajetan. hîc nihil adspergi maculæ vel dedecoris Assuero, cùm dicitur usus ad bibendum. Tempus enim æstivum erat, videlicet mensis tertius à sole in ariete. Magis autem in æstate bibitur quàm comeditur. Hæc ille. Quamvis non laborandum nobis sit, ut Persarum reges vel etiam Assuerum nostrum à bibacitate excusemus, cùm constet & illos ebrietati fuisse deditos, & hunc compotationibus & conviviis impensè delectatum, & hîc additur vers. 2, *postquam vino incaluerat*; Hebraicè autem est, in conviyio vini, quod nos efferimus, inter pocula: Cajetanus autem suprà existimat nihil aliud indicari, quàm convivas inter prandendum vino madidos eodem etiam fuisse exhilaratos.

Vnde non est necesse cum quibusdam apud Feuardentium enarratoribus, distinguere in Persicorum Regum epulis duas partes, unam, in quâ sitim suam sedabant aquâ, idque in capite convivii, alteram quâ mero se ingurgitabant. Herodotus enim lib. primo, & Athenæus lib. 2, tradunt Persarum reges unus Choaspis fluminis Susa præterlabentis aquam potasse, eamque idcirco decoctam & vasis argenteis conditam, quacumque iter facerent, multis quadrigis vexisse, capitis pœnâ propositâ, siquis illam in potu adhibuisset præter Regem & filium ejus. Sed hanc rem suprà etiam tetigimus. Quis autem

tem dixerit Persarum reges, de quorum temulentiâ & vinositate suo loco dicimus, semper frigidâ Choaspis primam sitim restinxisse, & non ab initio meraco incaluisse?

Cajetanus etiam suprà notat pro verbis illis ℣. 4, *Traditi sumus*, &c. Hebraicè esse; *venditi sumus ego & populus meus in contritionem & interitum*; & hoc quidem, quia Amanus cap. 3, ℣. 9, obtulerat gazæ regiæ, decem millia talentorum, ut Iudæorum gentem stirpitus deleret.

Ceterum nulla alia interpretatione indigent nisi illa; *Cujus crudelitas redundat in regem*, quorum plurimæ extant expositiones. Inprimis Hebraica variè à diversis explicantur. Pagninus sic: quamquam hostis non æquaret vel compensaret damnum regis, scilicet eâ pecuniâ, quam pro cæde Iudæorum addixit. Majus nocumentum est ob tributa quæ Iudæi pendunt vel pendebant.

Cajetan. Hostis non curat damnum regis; & hoc dicit, quia non obtulerat Aman regi pecuniam, ut detrimentum regi proveniens relaxaret, sed in odium Iudæorum.

Vatabl. Hostis compensare damnum regis non posset.

Aliqui apud Serarium: Non æstimat damnum quod ex tanta lanienâ rex accipiet: alioqui nos in servitutem & ergastula potius abripi, quam occidi curasset.

Rursus alii. Non hostis contentus damno regis. q. d. Non sufficit illi thesauros regis expilasse, majora meditatur. Item: Satius fuisset gentem nostram totam vendi in servitutem. Sic enim multo plus Rex acciperet quam Aman offert.

Longè aliter septuaginta: οὐκ ἄξιος ὁ λοίδορος τῆς αὐλῆς τῦ βασιλέως. Non est calumniator dignus aulâ regis.

Latinam etiam versionem ad varios sensus commentatores trahunt.

Plerique hoc dictum asserunt, quia plurimum emolumenti ærario regis periturum erat ex Iudæorum interitu; cum omnes essent regi subditi & vectigales. Ita Cajetanus, Gordonus, Sa, alii.

Dionys. Stephanus Menochius, & alii: quia regi Amanus maximum numerum fidelium subditorum qui illi obsequium & servitium præstabant, & etiam carissimam conjugem eripiebat, cujus injuria ad maritum tranit.

Iacobus Tirinus: Non satis fuit Amano nobis nocuisse, voluit etiam crudelitatem suam in te exercere; nam si solùm in servos venditi essemus, ingens proventus ex opere manuum nostrarum regi proveniret, nec ego quæ tua sum uxor, à te avellerer; sed jam cùm jubemur omnes simul jugulari, perire vult omnes proventus istos, & me à toro tuo separari.

Sanctius hoc ideo ab Esthera dictum putat, cui etiam consentit Liran. quia ante Amanus cum duobus eunuchis in parricidium Assueri conspiraverat, ut colligitur ex cap. 12, ℣. 6, ubi ipse dicitur *voluisse nocere Mardochæo & populo ejus pro duobus eunuchis regis, qui fuerant interfecti*, & ex cap. 16, ℣. 12, ubi profitetur Assuerus Amanum in tantum tumorem sublatum, *ut regno*, inquit, *nos niteretur privare & spiritu.*

Habent omnia hæc interpretum placita aliquid æqui & veri. Ego omnia calculis in unum collatis, *rè: Cujus crudelitas redundat in Regem* latissimè sic explicari posse censeo. Non solùm adversarii nostri mens est populo Iudæorum noxam afferre dum in ipsorum capita ficam suam exarent, sed etiam mihi; quæ sum tori regii consors, Regi & regno. Quis enim sublato è medio Mardochæo patruo meo amantissimo, altero patre & educatore meo me solitariam protegat? Immo quis tam fidus regi ac regno erit atq; idem Mardochæus, qui perduelliũ muerones à jugulo ejus avertit, quem etiam summâ opum vi Amanus ut fera bellua extinguere & opprimere conatur? Quis præterea non judicet illius crudelitatem in Regem redundare, qui reginam thalami sociam vitâ & spiritu nititur privare, cùm conjuges una persona apud omnes gentes & sint & habeantur? Taceo detrimentum quod fiscus regius patietur tantis vectigalibus amissis quæ Iudæorum gens pendebat.

Nec commemorabo maculam inelibilem, quâ fama & existimatio Assueri apud omnes populos aspergetur, ubi audierint gentem fidelem, placidam & quietam, veri Dei cultricem, innocentem, regi utilem & regno commodâ, pro salute Reipubl. puras quotidie preces offerentem, indictâ causâ, immo inauditam, uno decreto, uno die morti destinatam, justam ab infestissimis hostibus contrucidari.

Hæc & plura alia illis verbis involuta existimo: Quantos verò & quàm varios motus ista reginæ oratio in animo Assueri concitaverit, facilius est cogitare, quàm verbis exprimere.

Symbolica Digressio:

Estheræ convivium Amano exhibuit simulacrum Labyrinthi:

Item: Incerti exitus hominum mundum hunc imaginem Labyrinthi præferre demonstrant.

EX professo hoc luculentè versat & explicat Georgius Stengelius in primâ parte sui Labyrinthi cap. 1. Ex quo, quia liber rarus est, & paucorum manibus teritur, in studiosi lectoris gratiam, pauca decerpsi, quibusdam demptis, additis, mutatis.

1. Quid Labyrinthus?

Labyrinthus, nomen notum ex historicis & poëtis, locus est ad delicias & ludibrias idoneus (mente contemplare Estheræ epulum) in quo Charites & Sirenes, Gratiæ & Furiæ regnant & triumphant. Amœnitas ibi altera super alteram, & admiratio una aliam excipit. Sed & fallacia alia aliam trudit, ac error errorem serit. Neque facilè dignoveris, quinam in eo ambulent, aut errent. Via ubique est devia, & cum nusquam non possit rectè iri, nusquam deest periculum seductionis. Quot januæ, tot offuciæ, quot ostia, tot retia; perque tot exitus, paucissimi sunt, qui exierint; sicut nec multi per tot ingressus intraverunt, quo voluere. Vbique patet iter & nusquam.

2. Vita humana Labyrinthus.

Quod vitam humanam Labyrintho maximè reddit parem est ipsa viarum fallacia & incertitudo, & quod homines fallat indeprensus & inextricabilis error. Multi in Labyrintho sibi exitum

tum pollicentur, quem non adipiscuntur. Itaque ipsos suâ promissione decipiunt, immo & opinione. Vsque adeò miseri mortales incerti sunt quò vadant, seu cùm vivunt, seu cùm moriuntur.

3. Acutum Æsopi responsum interrogati quo iret, qui respondit, se nescire.

Hujus rei, de quâ agimus, exemplum nobis reliquit fabulator Phryx (Æsopus ejus nomen, cujus extant sale asperi Apologi) Is, auctore Maximo Planude, & Isaaco Nicolao Neveleto in vita ejus, cùm à Xantho hero suo in balneas amandaretur visum; An multi adessent, qui lavare cupientem impedirent; inter eundum casu obvium habuit urbis prætorem. Qui cum Xanthi esse cognovisset servum, interrogavit, quonam iret. Respondit ille nequaquam serviliter, sed Stoicâ quadam libertate; Nescire se, quò iret. Hac dicendi parrhesiâ sive licentiâ, immo, ut videbatur, mendacio irritatus prætor, se contemni existimans, lictoribus, qui eum comitabantur, extemplo mandavit, ut homini pervicaci manus injicerent, & in carcerem abducerent. Æsopus inopinatus captivus cùm passus aliquot processisset, subitò constitit, & ad prætorem conversus exclamavit. Vides, ô Prætor, quam rectè responderim, Nescire me, quò irem? Quippe, qui & non expectavemm me tibi in viâ occurlurum, & nescieram à te mittendum, ab his autem in carcerem pertrahendum.

Admirans Prætor promptum, argutumque responsum, liberum abire Phrygem jussit, quòd ab co certior factus esset de viarum humanarum incertitudine. Nimirum hoc est, universi mortales tamquam in Labyrintho incedimus, & sæpe venimus quò minimè cogitamus, quóque tendimus, nequaquam attingimus.

Documentum, si umquam aliud, notabile, & illustre dedit Amanus, quo de agimus.

4. Amanus incedit per Labyrinthum, quo iret inscius.

Nonne utramque in hoc Labyrintho fortunam, præter opinionẽ suam, celeriter est expertus? Evectus erat supra omnes Persidis satrapas, uno solio regni Imperatore inferior, ab omnibus famulis aulicis genu curvato adorabatur, à reginâ Esthera solus cum rege ad convivium invitatur, lætus & alacer inde redit domum, & statim excelsam Mardochæo æmulo suo jubet parari crucem. Securus, æqualis superis, & vertice tantum non attingens astra, per Labyrinthum, ansatus, superbifico gressu incedit. Sed quàm repentè omnẽ honoris gradum recalcavit? In faucibus Labyrinthæis hærenti, sortis suæ inscio imperat Assuerus, ut Mardochæum regiâ stolâ indutum, regis equo insidentem, regio diademate coronatum per Susianas plateas circumducat, apprehensis habenis præcedat, & voce præconis proclamet: *Hoc honore condignus est, quemcumque voluerit rex honorare.*

Hæc prima in laboriosis anfractibus & dolosis ambagibus mundani Labyrinthi fuêre ab Amano fixa errabunda vestigia.

Pergamus. Ingreditur iterum ad Reginæ convivium cum Rege. Quàm tum etiam nescivit Amanus quò intraret? Vbi tum Ariadna erat, quæ porrectâ tramâ, aut glomere fili, illum Estheræ dolis & cassibus intricatum expediret? Quis non viam illam ad Estheræ epulum regifico luxu instructum, januam ad gloriam, ad honores apertam & facilem juraret? Quis non portam ad delicias & voluptates? Exitus tamen docuit fuisse aditum lubricum & præcipitem ad ruinam, ad ignominiam, ad dolores, ad furcam, ad barathrum. Itaque, dum cyatho inhiavit a Gratiis temperando, bibit poculum furoris.

Fortasse & inebriatus est, ne sobrius moreretur. Certè prosperi eum successus inebriaverant, ne animadverteret fortunæ volubilitatem, & humanæ felicitatis inconstantiam. Aliò igitur Aman in hoc mundi Labyrintho voluit, aliò venit.

5. Non solum Aman captus in convivio Estheræ sed etiam sub typo ejus diabolus.

Rupertus lib 8 de Victoria Verbi Dei cap 21, ostendit illud ipsum hisce verbis. *Amplius*, inquit, *illud, quod adhuc dicere libet, prudentia Esther pariter & divinæ providentiæ laus est. Denique de diabolo dictum est ad beatum Iob* cap. 40: *In oculis ejus quasi hamo capies eum. Item, An extrahere poteris Leviathan hamo? Profectò per escam capitur, quod hamo extrahitur, esca ostenditur, ferrum subtegitur. Quod secundum hanc similitudinem diabolus, persequendo Christi humanitatem, ab ejusdem divinitate fuerit comprehensus, notum & usitatum habemus; nimirum illius, scilicet diaboli servus & satelles erat Aman præcipuus, & in illo habitans ipse diabolus rem tanti sceleris machinabatur. Nonne igitur mirabile est & cogitatu delectabile quod in convivio captus est, dicente reginâ: Hostis & inimicus noster pessimus iste est Aman. Denique quasi hamo captus est in oculis suis, comprehensus est, qui convivando super mensam, invenit pœnam. Manifestè & miro modo gessit diaboli figuram, contra Christi Mardochæus typum gessit. Sicut enim Aman in cruce suffixus est, quemodo Mardochæo paraverat, & Mardochæus super equum reginum ascendit, quem honorem sibi Aman à rege parari putaverat: ita diabolus in cruce damnatus & triumphatus, quam Christo parari fecit, & Christus vivens sedet ad dexteram Patris, cujus similitudinem diabolus sibi arrogare præsumpsit.* Hactenus Rupertus.

Divina oracula hujusmodi exemplorum plena sunt; quibus depingitur humanorum eventuum incertitudo, & inexpectatus providentiæ nostræ exitus.

6. Sic Sisara in Labyrintho à Iahele occisus.

Iudicum 4, Sisara fugiens è prœlio pervenit ad tentorium Iahelis, quæ exceptum illum hilari vultu & verbis pacificis operuit pallio, & sitienti ex utre lac propinavit, & ut dicitur cap. 5, ℣. 25 in Epinicio Debboræ & Baraci; *Aquam petenti, lac dedit, & in phialâ principum obtulit butyrum.* Securus periculi & imminentis mortis profundum somnum capiebat Sisara, cùm ecce opportunitatem nacta Iahel facinus memorabile aggreditur. Arripit clavum & malleum, & ingressa absconditè tabernaculum, cum silentio posuit suprà tempus capitis ejus clavum, percussumque malleo defixit in cerebrum usque ad terram: qui soporem morti consocians defecit & mortuus est.

Non invenit hic egressum in Labyrintho.

Sic Samson.

Sic dormiens in sinu Dalilæ Samson Herculeus ille Heros, à Philisthæis comprehensus est, frustra sibi persuadens se posse eorum manus exire, Iudicum 16.

Ita Amnon.

Ita 2 Regum 13 Amnon primogenitus regis Davidis jussu Absalomi fratris in convivio regifico remulentus obtruncatus est, nihil sibi infaustum metuens.

Ita Holofernes.

Pari modo Holofernis principis exercitus Assyriorum nimiâ ebrietate sopiti caput abscidit

scidit Iudith a vitago fortissima cap. 13.

Ita Simon Machabæus.

Similiter Simonem Machabæum ducem invictissimum cum filiis magnifico epulo exceptum ex insidiis, inebriatumque occidit Ptolomæus, ut narrat Machabæorum liber primus cap. 16, sub finem.

Item Ionas.

His germanas plures historias congessit Stengelius suprà, ut de Ionâ prophetâ fugitivo, Ionæ primo & secundo, qui in Tharsis, quò navigationis cursum instituerat, & tendere volebat, non pervenit, devenit verò in belluæ marinæ barathrum, de quo ne quidem ante dormiens somniaverat, & tandem in eam ipsam Niniven, quam velis, remisque fugiebat, est deportatus. Maris illi profundum pro Labyrintho fuit, & cetus pro Minotauro.

Rursus Pharao.

Talem etiam Labyrinthum ingressus est Pharao cervicosum caput, cum mare ingredi ausus est, Exodi 14, ℣. 24. Etenim eo ipso curru, quo se existimavit ad victoriam atque triumphum vehi, vectus est ad interitum, ut periret, cùm Hebræos perdere cogitaret.

7. Quærit & mundo sæpe quis vitam, & invenit mortem.

Hi sunt doli Labyrinthæi, & perplexa itinera, in quibus semita illa ipsa, quæ ad dexteram tendere videtur, & vitam, repentè deflectit ad sinistram & mortem: Sic in mundo isto, juxta sapientis Regis placitum Proverb. 16, 25, *est via quæ videtur homini recta, & novissima ejus ducunt ad mortem*, vel juxta Septuaginta, spectant in fundum inferni.

Nec hoc, quod dicimus, solùm locum habet in his, qui abrupta & implexa scelerum sectantur, sed etiam in ipsis, qui semitas virtutum & justitiæ premunt. Hi enim non semper prospiciunt quo in Labyrintho hoc mundano pertendant.

Mardochæus etiam aliud invenit quam expectavit.

Ex historiâ licet, quam explicamus, specimen sumere: Mardochæus enim, qui ingens cordolium Amano erat, altissimam sibi paratam crucem screbat, jamque nihil expectaverat, quàm ut in illam raperetur. Et eccum repentè via à patibulo ad regi pares honores deflectit, & totius theatri scena & choragio mutato, non collum laqueo, vel manus clavis induuntur, sed digitum annulo inserere jubetur, cum quo totius domus reginæ accipit potestatem. Vt ergo in eodem Labyrinthi orbe alius rectâ graditur, alius erroribus & ambagibus involvitur; ita eodem annulo Aman meruit suspendi, quo Mardochæus triumphavit, uterque autem præter expectationem.

Hoc ipsum & aliis contigit. Siquidem nobilissimum illud castitatis lilium, & integritatis flosculus Ioseph in servitutem, in vincula, & tantùm non in extremam perniciem deflexit, ea tamen ipsa via illi ad gloriam, & culmen honoris fuit; ut videre est Genes. 39. Quapropter cùm maximè à felicitate & libertate aberrasse crederetur, felicitatem & libertatem maximam est consecutus. Atque illi ipsi fratres, qui ante eum ut mancipium quoddam vendiderant, postea reflectente se orbitâ fortunæ, vel potius divinâ sic dirigente providentiâ, eumdem servilitèr adoraverunt.

Ioseph à carcere ivit ad honores à servitute ad libertatem.

8. Saul quærens asinas regnum invenit.

Saul etenim nesciebat penitus, quò eum pedes ferebant, cùm totus in id unum intenderet, ut perditas parentis sui asinas quærendo inveniret, 1 Regum 9, vers. 3. Iumenta quærivit, regnum invenit, & cùm in re vilissimâ patri serviret, universo Israel cœpit dominari.

Plurima sunt hujus generis argumenta, quæ diligens lector facilè reperiet.

Quot errones in hoc mundano Labyrintho palabundi discurrunt, qui thronos & sublimes sedes ambitiosè quærunt, & patibula, cataslas & ergastula inveniunt quæ non quæritabant? Affectant aliqui diademata & coronas, & in laqueos aut compedes incidunt. Quot sunt qui per fas, nefas divitias persequuntur, & in paupertatem extremam incurrunt?

9. Quærens laqueum invenit aurum; aurum quærens invenit laqueum.

Scitum est illud ex Græcorum Epigrammatis, de quodam, qui cùm desperabundus laqueum qua gulam sibi frangeret, sollicite inquirit, ollam auro refertam nanciscitur, ejusque loco laqueum deponit. Adveniens verò is qui aurum deposuerat, & minimè reperiens, invento laqueo fauces sibi elidit.

Sic habet in Anthologiâ seu florilegio Epigrammatum Statylius Flaccus.

Χρυσὸν ἀνὴρ ἐυρὼν ἔλιπε βρόχον, αὐτὰρ ὁ χρυσὸν
ὃν λίπεν οὐχ ἑυρὼν, ἧψεν ὃν εὗρε βρόχον.

Aurum vir inveniens reliquit laqueum; ille sed aurum
Quod reliquit, sibi non invenit, aptavit quem
invenit laqueum.

Caduca mundi felicitas sæpe desivit in infortunium, sicut maris malacia plerumque excipitur à tempestate. Contrà rebus afflictis sæpe secundiores succedunt, & ut sanctitate illa spectabilis Raguelis filia Sara profitetur, Tobiæ 3, vers. 22, *Deus post tempestatem tranquillum fecit, & post lacrymationem & fletum, exultationem infundit.* Hi sunt flexus & reflexus nostri Labyrinthi.

VERSVS V. & VI.

Respondensque rex Assuerus, ait: Quis est iste, & cujus potentiæ, ut hoc audeat facere?

Dixitque Esther: Hostis & inimicus noster pessimus iste est Aman; quod ille audiens, illico obstupuit, vultum regis ac reginæ ferre non sustinens.

Hebraicè: dixitque rex Achasueros, & dixit ad Esther reginam: Quis ipse hic, & ubi hic ille (q. d. qualis est hic) quod replevit ipsum cor suum ad faciendum sic? Et dixit Esther: Vir angustiator (hostis) & inimicus est Haman malus hic. Et Haman est territus à faciebus regis & reginæ.

Pauca hic Iosephus. Quærente autem rege, quisnam hoc moliretur, jam apertè accusando in Amanem invecta est, dicens hunc, quod pessimè erga eos affectus esset, auctorem talis consilii.

COMMENTARIVS.

CONsideranda hîc Lectori tria se offerunt. Primum: Multiplici jaculo verba Estheræ pectus Assueri sauciaverant, & grave vulnus intus alebat. Supra modum admirabatur posse inveniri quempiam qui se inscio tale quid vel cogitare vel moliri præsumeret.

Deinde gravi furore accendebatur adversus hostem nefarium, qui & populum sibi fidelem delere, & conjugem sibi carissimam vitâ privare, in se quoque crudelitatem exercere non dubitabat. Postremò stimulabat & fodicabat ejus animum commiseratio & amor erga reginam dimidium animæ suæ, quam viderat & audierat tam anxiè, tam suppliciter, tam cordatè pro se, & populo suo deprecantem.

Perpendendâ etiam Estheræ constantia, & animosum pectus, quæ nihil verita Amani gratiam, quâ apud regem valebat plurimùm, potentiam, quâ omnes totius regni proceres præibat, gloriam, quâ ob omnibus Persis, ut quidam semideus colebatur; magnâ tamen libertate illum ipsum fugillabat, accusabat præsentem, ipsius unius caput petebat, inveteratum ejus odium in totum Hebræorum genus patefaciebat. Addiderat illi hauddubiè animos è cœlo Deus, quê ipsa cum populo triduanâ inediâ, multis lacrymis, humicubationibus, & precibus placare studuerat.

Tertiò, nec prætereunda est Amani perturbatio, ita ut vix mente consisteret, videns reginam sibi infestissimam, quam sui studiosissimam sibi persuaserat, quippe quem solum è tot principibus regni ad convivium vocaret: perspiciens etiam vultum regis sibi devinctissimi repentè immutatum, ejus animum planè à se aversum. Nesciebat, quò se verteret, quâ viâ rebus suis consuleret jam desperatis. Seipsum culpabat, qui inscius Reginam (quæ tantum apud regem auctoritate poterat, ut rex dimidium regni ei offerret) è stirpe esse Iudæorum, tantum flagitium in ipsius populum designaverat. Igitur terrore attonitus instar lapidis obrigescebat.

Circa textum pauca occurrunt explicanda. Mirum videtur, quomodo Assuerus ignoraverit, populum, cui Amanus, perniciem & interitum machinabatur, quem etiam suo decreto perire jusserat, fuisse Iudæos (nam Reginæ genus illi non innotuisse minus mirandum videtur cùm illa jussu patrui sui illud studiosè celaverit) cùm tamen & reges Persarum provincias suas obire soliti essent, & perlustrare, veteri Cyri instituto, ut constat ex Xenophontis Oeconomico, & ex Brissonio pag. 85; & meminit Feuardentius hîc. Convenit enim regem lucidissimi & velocissimi sideris more omnia provinciarum negotia perspecta habere, & quasi omnibus assistere.

Erant præterea inter ministros Regis, ut alibi commemoravimus, quidam, qui aures regiæ, & Imperatoris oculi dicebantur, per quæ officiorum genera, inquit Apuleius ex Aristotele libro de mundo, & alii, Rex ille ab hominibus Deus credebatur, cùm omnia quæ ubicumque gererentur, Otacustarum relatione disceret: Quidquid sit, vel immemor erat Assuerus suæ temeratiæ concessionis, quâ permiserat Amano populum aliquem funditus pessumdare, vel, quod planè verisimile est, etsi sciret hoc decretum à se latum, nesciebat tamen ille Iudæos condemnatos, & planè ignorabat reginam ex eorum sanguine progenitam. Hinc admirabundus interrogat: *Quis est iste, & cujus potentiæ, ut hæc audeat facere?* quæ ἐμφαντικῶς sunt in primigenio Hebræo: *Dixitque rex Assuerus & dixit ad Esther*, id est, semel atque iterum dixit, & interrogavit, quasi se non capiens præ stupore, ut indicant etiam ista, *Quis est iste?* Hebraicè: *Quis hic, & ubi ille est?* ut scilicet, & ego illum ignorem, qui tantum audeat? ubi S. Hieron. sensum tantùm expressit elegantissimè suo more; cùm ait: *Quis est iste, & cujus potentiæ, ut hæc audeat facere?* ubi Hebraicè est: *qui replevit cor suum ut hoc faceret*: ubi significatur & magna improbi illius audacia, quâ animo tantum scelus designare præsumpserit, & ingens potentia, quâ id exequi valuerit.

Dicitur quoque in Hebræo Amanus territus à facie regis & reginæ, quod rectè expressit S. Hieronym. *Vultum regis & reginæ ferre non sustinens*: tum ob verecundiam & confusionem, tum quia irâ Regem inflammatum videbat, facies enim apud Hebræos etiam excandescentiam denotat.

Ethologica Parecbasis, sive excursus moralis ad illa vers. 6;

Aman obstupuit, vultum regis ac reginæ ferre non sustinens:

Incredibilis pudor, stupor, & horror impii ad tribunal Christi Iudicis protracti.

HOc documentum nobis suggerit hîc Hugo Carensis. *Audiens*, inquit, *Aman sibi crudelitatem objici, præ pudore obstupuit. Quanta ergo confusio erit impiis in die judicii, quibus Rex dicet: Esurivi, & non dedistis mihi manducare*; &c.

Hebræa significant Amanum terrore perculsum coram facie regis, quam, scilicet, ferre non poterat. Hærebat lingua & obmutescebat, mens sibi non constabat, rubore vultus perfundebatur, memoria perturbabatur, & quamvis diu Apologiam præmeditatus fuisset, vix illam, ut mihi persuadeo, præ exanimatione & metu promere potuisset. Væ igitur impiis cùm ad judicium Dei rapientur.

Quantus tremor est futurus,
Quando judex est venturus,
Cuncta stricte discussurus!

Matth. 22: vers. 12:

Cùm vidisset Rex Parabolicus in nuptiis hominem non vestitum veste nuptiali, eique dixisset: *Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? ille obmutuit*, lingua ejus ante erat ligata, quàm ei manus & pedes ligarentur.

Scribit Alexandrinæ historiæ cultissimus auctor Curtius lib. 7, cap. primo, sub exôrdium;

Lyn-

Lynceſten, qui regem Alexandrum occidere voluerat, à duobus indicibus delatum, tertium annum cuſtoditum fuiſſe in vinculis.

10. Lynceſtes tribus annis meditatus ſuam defenſionem præ timore vix aliqua proferre potuit.

Is igitur ex cuſtodia eductus, juſſuſque dicere, quamquam toto triennio meditatus erat defenſionem, tamen hæſitans & trepidus, pauca ex iis, quæ compoſuerat, protulit: ad ultimum non memoria ſolum, ſed etiam mens eum deſtituit. Nulli erat dubium, quin trepidatio conſcientiæ indicium eſſet, non memoriæ vitium. Itaque ex iis qui proximè aſſiſterant, oblutitantem adhuc oblivionis lanceis confoderunt. Eadem refert Diodorus Siculus.

Lynceſtes triennium habuit, ut objecto ſibi crimini reſponderet, Amano nullum tempus datum eſt, ut mentem excuteret, & orationem Apologeticam concinnaret. Vterque tamen verbis in illo articulo deſtitutus eſt.

Multo magis & ratio & oratio deerit in die illo decretorio, cùm ad Tribunal illud horrificũ incorrupti Iudicis Chriſti, quod meritò dixerim reorum ſcopulum, impii ſiſtentur: Sive enim ex tempore, improviſò, in flagrante delicto quis rapiatur ad judicium, ſive poſt plurimos vitæ annos, cui longum ſpatium divina bonitas indulſit, tum ad pœnitentiam de commiſſis piaculis peragendam, tum ad cauſæ defenſionem ex amuſſim parandam; cùm impius è cuſtodia corporis educetur, & reus patrono omni deſtitutus ante Iudicem ſupremum ſtabit, non memoria eum deficiet tantùm, ſed ſilentio, perturbatione, terrore, confuſione ſcelerum conſcientia illum prodet.

11. Duo aulici Philippi ſecundi ab ipſo reprehenſi tota vitâ terrore perculſi fuerunt.

Scribit ex Ordine Prædicatorum inſignis Eccleſiaſtes, feriâ 2 poſt Dominicam primam Quadrageſimæ (nomen auctoris eſt Raphael de Columba) Philippum 2 Hiſpaniæ regem, cum ſacris myſteriis adeſſet, duos è ſuis proceribus ſibi vicinos familiarius inter ſe conſerentes fabellas audiviſſe, & diſſimulaſſe; redeuntem verò in palatii conclave illos ipſos ſevero & contracto vultu notaſſe ac dixiſſe: Vos duo cavete ne poſthac in conſpectum meum veniatis. Ita illos hæ ſolæ voces attonuerunt, & quaſi fulmine ferierunt, ut alter mœrore ſenſim contabuerit; alter verò ſtupido & panico terrore correpto ſimilis in reliquam vitam permanſerit.

Si regis perituri & mortalis, ceteris hominibus æqualis vox exiguæ culpæ reos ſic perculit, & terrefecit: quis horror, quæ trepidatio, quod corpavium invadet conſceleratos omnibuſque flagitiis coopertos, cùm Rex cœleſtis & immortalis deſuper horrificum illud intonuerit: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum*: Cavete ne amplius coram me vos videam, quibus cum dæmonibus perpetua incendia ſunt præparata.

11. Idem coram eodem Rege accidit alteri, qui repente obmutuit. Item alteri coram Cæſare Ferdinando.

Novi ego quemdam è noſtrâ Societate, qui è Belgio Madritum veniens, ut eumdem Hiſpaniæ regem ſalutaret, & paucis, præmeditatiſque verbis alloqueretur, hæſiſſe in orationis ſuæ limine nec potuiſſe hiſcere quidem, magis piſce mutum effectum; cùm tamen blandè rex illum compellaret, metum tolleret, adderetque illum non fuiſſe primum, qui coram ſe vel exalbeſceret vel conticeſceret. Tartarorum Regis Legatus in conſpectu Imperatoris Ferdinandi II poſitus, obmutuit: interrogatus ab Interprete quî ita hæſiſſet ſuaviſſimo corã principe? reſpondit, fulgore ſe fuiſſe victum quo Cæſaris Majeſtas emicabat. Ita libellus de Ferdinandi virtutibus c. 22.

Sic regia majeſtas in vultu & oculis relucens ſacro quodam horrore & veneratione aſtantes perfundere ſolet.

Quanta igitur, putamus, formidine, & terrore concutiet flagitioſos Chriſti Iudicis aſpectus ira, furoris, & indignationis plenus? ante quem, ut legimus Apocalyp. 6. ℣. 15 & ſequentib. *& reges terræ, & principes, & tribuni & divites, & fortes, & omnis ſervus & liber, abſconderunt ſe in ſpeluncis, & in petris montium, & dicunt montibus & petris: Cadite ſuper nos, & abſcondite nos a facie ſedentis ſuper thronum & ab ira Agni, quoniam venit dies magnus iræ ipſorum: & quis poterit ſtare?*

Quam horribilis futura ſit indignatio Agni proritati crimnibus impiorum, colligе ex ejuſdem benignimre & placabilitate duobus verbulis eos, qui ut ſe caperent venerant, in terram proſternentis, Ioannis 18, ℣. 5.

12. Ad vocem Chriſti: Ego ſum, Iudæi proſternuntur.

Sic ſcribit S. Leo ſermone primo de Paſſione Domini: *Ego ſum*, inquit, *& ad vocem ejus, turba proſternitur impiorum. Quid jam poterit majeſtas ejus judicatura, cujus hoc potuit humilitas judicanda?* Et Gregor. lib. 17, Moral. cap. 21. *Quis ejus iram toleret, cujus & ipſa non potuit manſuetudo tolerari?*

Non ſolùm votum conſceleratorum erit obtegi montibus, obrui collibus, abſcondi terræ cavernis coram ſeveriſſimo Iudice Chriſto, ſed etiam Tartari flammivomis ſpecubus involvi. Longè enim tolerabilius erit æternum inferorum ſupplicium illo terrore, pavore, pudore, confuſione. quam rei illi criminum plurimorum conſcii patientur: Vide S. Baſilium homiliâ contra divites avaros, & ſermone de S. Cruce, & de adventu ſecundo Domini, & ſermone de Timore Dei, tomo 3.

13. Horrenda tonitrua in Scythia.

Referunt in Scythiâ tonitrua tam ingenti fragore aliquando perſonare, ut homines metu exaniment. Longe terribilius tonitru immugiet, cum veniet ad judicandum Deus, cujus tantus erit horror, ut eo animus humanus, ni immortalis eſſet, perimeretur.

14. Ananias & Saphira à S. Petro icti.

Scimus Ananiam & Saphiram conjuges Apoſtolorum Principis paucis verbis terræ alliſos, & quaſi fulmine tactos interiiſſe, Actorum cap. 5, quod admirans Gregor. Magnus: *Petrus*, inquit, *utrique conjugi vitam abſtulit arguendo, qui Actor. 9, Tabithæ vitam reddidit orando.*

15. S. Catharina Senenſis à S. Paulo reprehenſa incredibili pudore ſuffundi-tur.

Catharina illuſtre ſanctitatis ſpeculum, Virgo ex Ordine S. Dominici, dicta Senenſis, ut habent ejus Acta cap. 24, Aprilis 29 apud Surium, quod temporis aliquantulum non bene collocaſſet, arcana reprehenſione à B. Paulo ſic ſugillata & objurgata eſt, ut maluiſſet coram orbe univerſo pudefieri, quàm judicio tam acri caſtigari.

S. Hieronym. tomo 1 epiſt. 5, ad Florentium ſub initium decretorii illius diei metuens: *Ego*, inquit, *cunctis peccatorum ſordibus inquinatus, diebus ac noctibus opperiar cum tremore reddere noviſſimum quadrantem.*

16. Timor judicii in S. Hieronymo. Arſenio, Agathone, Auguſtino.

Arſenius, auctore Ruffino, & Pelagio in vitis Patrum libello 15. n. 9, qui ſinu ſemper ſtrophiolum gerebat ad lacrymas ſiccandas jugiter profluentes, cùm annum ageret centeſimum viceſimum, jam vicinus morti, jam indictâ judicii horâ, poſt vitam tam rigidè tam ſanctè actam, in lecto fatali fiere cœpit. Mirati hoc qui aderant,

quærebant: *Quid fles, Pater? Numquid & tu times?* quibus respondit: *In veritate timeo: & timor iste qui nunc in me est, semper in me fuit, ex quo factus sum monachus.* Cum autem illum Pœmen jam exhalasse spiritum vidisset; *Beatus es*, inquiebat, *Arseni, quia te tantum in hoc seculo planxisti. Qui enim hic se non planxerit, illic in perpetuum lugebit.*

Agathon, iisdem auctoribus, cùm sub vitæ finem jam animam traheret, & sensim extingueretur, per triduum oculos immotos, apertosque tenuit. Cùm verò eum, qui aderant, tangerent & rogarent: *Vbi nunc es, Pater?* hæc verba subjecit. *In conspectu judicii Dei sto.* Cùm iidem rursùs sciscitarentur: *Numquid & tu times?* respondit: *Quantum potui, voluntati divinæ obsequi, & Dei leges servare studui, sed homo sum, & unde scio opera mea Deo placuisse?* At illi iterum: *Non confidis, Pater, apud Deum te esse in gratiâ?* Ad hoc Agathon: *Nihil confido, aut, donec ad Deum venero, & audiero sententiam in me ferendam. Aliud est enim judicium Dei, aliud hominum.*

Hinc meritò exclamat S. Augustin. lib. Meditation. c. 39. *Væ mihi misero, cum venerit dies judicii, & aperti fuerint libri conscientiarum, cùm dicetur de me: Ecce homo & opera ejus! Ecce nihil respondere potero, sed demisso capite præ confusione coram testabo trepidus, & confusus. Heu me miserum, quid dicam?* Ita S. August.

Si viri sanctissimi, animæ integræ, & scelerum puræ, Angelis potius cœlestibus quàm hominibus terrestribus similes, Religionis nostræ columnæ ita nutarunt, & trepidarunt ex consideratione ultimi judicii, & extremæ sententiæ: quid eos facere convenit, quibus nulla pietatis mica est, qui in teterrimis flagitiis volutantur, qui Cacodæmonum magis, quàm beatorum mores sectantur, qui arundinum instar, omni vento agitantur? Quomodo nutabunt arundines illæ, ubi cœli columnæ contremiscent?

17. Felix Præses impro bus audito Paulo de judicio disputante contremiscit.

Nec tamen exempla nobis desunt hominum injustorum & impurorum, qui ad solam mentionem divini judicii toto corpore exhorruerunt.

Prodeat Felix Præses Iudææ gentilis, adulter, tyrannus, de quo habent hæc Apostolorum Acta cap. 24, ℣. 25. *Disputante Paulo de justitiâ & castitate, & de judicio futuro, tremefactus Felix respondit: Quod nunc attinet, vade,* &c. Scelestum caput divini judicii tonitru Apostoli ore tamquam è nube displosum ita perculit, ut timore horribili quateretur: Quid ergo faciet, cùm non ore alieno, sed proprio Christi in fatali illo & decretorio die personabit?

18. Dies judicii cur dicatur dies conversionis faciei.

Prudenter monet Sirachides Ecclesiastici 18, ℣. 24. *Memento iræ in die consummationis, & tempus retributionis in conversatione faciei.*

Loquitur verò manifestè de horâ mortis, & extremo judicio, & utriusque memoriam nobis ob oculos ponit. Tunc enim Deus iram suam hîc collectâ in peccatores effundet; tunc erit omnium consummatio, tunc tempus vindictæ, quam patietur in hostes suos, tunc dies retributionis, tunc aversio vultus ut habet Græcus, cùm scilicet Deus ab impiis faciem suam avertet, & intonabit illud horrificum: *Discedite à me maledicti, &c.* Latinus appellat conversationem faciei, quod idem est atque conversio: die enim extremo Deus convertet faciem suam, & vultum suum exasperabit, implacabiliter sæviens in impios, quos nunc clementer sustinet.

Iacobus Tirinus breviter sensum utriusque textus expressit: Cùm Deus suavem faciem suam avertet ab impiis; & terribilem ad eos vultum convertet. Historiam subjicio ex vetustis Annalibus, ex quâ clarè perspicitur, quantum in animis hominum etiam genticæ superstitioni addictorum vel nondum in veræ fidei cultu confirmatorum, valeat permovendis ipsius extremi judicii & Christi tribunalis imago solummodo adumbrata.

19. Bogaris Bulgarorum Princeps ad fidem Christianam convertitur visa futuri Iudicii imagine.

Ex Curopalate narrat Cardinalis Baronius tomo Annalium decimo, anno Christi 845, apud me pag. 23, quod accidit Bogari Bulgarorum principi, & in cultu Orthodoxæ fidei eum corroboravit. Princeps hic insatiabiliter venationi deditus erat, quâ oblectare se studebat, non modò cùm venatum se conferret, sed etiam quando otiosus esset domi, idque per animalium pictas figuras. Constructâ nova domo Methodium monachum quemdam, arte pictorem jussit domum illam picturis ornare. Verùm quasi divinâ quadam providentiâ ductus, non præscripsit definitè quænam & qualia pingeret animalia; sed quæcumque ipse vellet, jussit pingere, terribilia tamen essent, quæ pingerentur, ut spectantibus terrorem & metum incuterent. Ille autem nihil aliud terribilius noscens secundo Christi adventu, hunc ibi descripsit. Cùmque jam finita illa esset pictura, conspicatus Princeps ex alterâ parte justorum cœtum coronari, ex alterâ verò impios puniri, & à pictore perceptâ picturæ mente, statim propriam ejurat religionem, imbutusque à sancto quodam Episcopo divinis mystoriis, intempestâ nocte sacrum percepit Baptisma. Sic ibi.

Si futuri judicii mutum simulacrum & umbra tamquam machina quædam in animo Principis superstitionem evertit; quo terrore concutiet & prosternet impios Dei viventis horrenda facies, & vera vox, veluti fulminea romphæa & gladius anceps, Christi ore evibrata. Sed plura de hoc argumento tractat Hieremias Drexelius libello, quem inscripsit, Tribunal Christi.

VERSVS VII.

℣.

Rex autem iratus surrexit, & de loco convivii intravit in hortum arboribus consitum.

Aman quoque surrexit, ut rogaret Esther reginam pro animâ suâ, intellexit enim à rege paratum sibi malum.

Hebraicè: Et Rex surrexit in furore suo de convivio vini ad hortum ædis (palatii) & Haman stetit ad postulandum super (pro) anima sua ab Esther regina: nam vidit quod completum esset in se malum à rege.

Iosephus paucis hæc perstringit: Tum

rex

rex turbatus recepit se in hortos è convivio: & Aman paratum jam sibi intelligens infortunium, cœpit apud reginam quæ erat suum agnoscere, & precari veniam: simulque in lectum ejus procubuit.

COMMENTARIVS.

ASsuerus naturâ suâ biliosus, vino æstuans, atrocitateque parricidii, de quo nomen Amani deferebatur, exardescens, iratus è toro surgit. Videbat reum conscientiâ sceleris exalbescentem, nè hiscere quidem audere, nec posse factum suum purgare, dolebat se ejus nequitiæ in transversum actum, ejus consiliis deceptum decretum temerarium & crudele in populum innoxium, sibi fidelem & utilem indictâ causâ sustulisse, animi sui præcipitem sententiam condemnabat. Ne tamen quidpiam in reum statueret, cujus illum postea pœniteret, ut aliàs fecerat, è loco convivii discedit, ut de pœna ejus & supplicio decernat. Severus sic scribit. *Rex*, inquit, *amici memor, paulisper cunctatur, deliberandique gratiâ modicum secessit*, &c. Alii addunt regem abiisse eò quòd nollet ultra videre tam scelestum caput, & ominosum spectaculum. Crediderunt ego & illud fuisse, ut sanguinem effervescentem secessu in hortum umbrâ densarum arborum opacatum, & vento frigidiore frondibus illudente perflatum, paulum restingueret & temperaret. Nemore enim sive paradiso arboribus consito nihil quietius, nihil almius, nihil amœnius. Serviebat ergo animo furore exacerbato placando ille secessus. *Nam iracundum habet misericordiam, nec erumpens furor: & impetum concitatæ ferre quis poterit?* Proverbior. 27, vers. 4, Rursus: *Sicut fremitus leonis, ita & regis ira*: Ibidem cap. 19, vers. 12. Iterum ibidem cap. 16, vers. 14: *Indignatio regis, nuncii mortis*: quæ omnia hic locum habent. Quod autem mox subditur, *& vir sapiens placabit eam*: hîc locum non habuit, nullum enim Amanus sapientem reperit, qui furori regis se objiceret, nec enim scelus illud merebatur. Surrexit quidem de loco suo, ut reginam deprecaretur, non, ut non excideret dignitate & gradu suo, sed pro animâ suâ, quod est calamitosorum & ad extrema redactorum; viderat enim ex commutatione vultus regii paratum sibi interitum, ideoque ad genua reginæ procidebat putans se illius iram & per illam regis mitigare & placare posse, sed putabat solùm, & spe suâ falsus fuit.

PARECBASIS SIVE EXCVRSVS,

De hortorum honestate, utilitate, amœnitate.

QVamvis ad cap. primi vers. quintum hujus historiæ, nonnulla de regiis Persarum hortis, commemorata sint (ubi etiam breviter ostendimus studium agri colendi, inserendi arbores, in quincuncem plantarum ordines dirigendi, non fuisse regibus indignum) quod argumentum etiam attigimus Ecclesiastici 7, vers. 16. *Non oderis laboriosa opera, & rusticationem creatam ab Altissimo*; pluscula tamen adhuc supersunt, quorum quædam hîc perstringemus.

Hortus construitur vel animi gratiâ, hoc est, ad honestam oblectationem (cujusmodi Epicurus Athenis primus instituisse intra mœnia creditur, ut Cicero memihit in libris de naturâ Deorum unde etiam otii magister à Plinio l. 19, cap. 4. dictus est) vel etiam utilitatis. 20. Hortorum finis voluptas vel utilitas.

Ibidem Plinius ait *antiquitatem nihil prius miratam esse, quàm Hesperidum hortos, ac Regum Adonis & Alcinoi, itemque pensiles, sive illos Semiramis, sive Assyriæ rex Cyrus fecit* (alibi tamen, lib. 36, cap. 4, ait pensiles hortos fecisse Ægyptias Thebas.) *Romani quidem Reges ipsi coluere. Quippe etiam Superbus Tarquinius nuntium illum sævum atque sanguinarium filio remisit ex horto.* Hæc Plinius.

Porrò pensilem hortum indigetamus, qui suprà columnas, vel ædificia factus quodammodo pendere videtur, cujus imaginem referunt ii, quos plebs urbana de fenestris suis appendere solet, ut quotidiana oculis rura præbeat, ut ait Plin. suprà lib. 19. cap. 4. 21. Pensilis hortus ejusque descriptio & auctores.

Sed, ad rem nostram juvat Lectori proponere tamquam in tabulâ typum hortorum pensilium, prout eos depinxit Curtius in descriptione Babylonis lib. 5, cap. 4. *Super arcem*, inquit, *vulgatum Græcorum fabulis miraculum, pensiles horti sunt* (miraculum hoc è septem unum non fabulis, sed veris historiis celebratur, Strabonis, Diodori, Philostrati, Iosephi; Suidæ, Eustathii & aliorum, quamvis etiam poëtæ, illud decantarint) *summam murorum altitudinem æquantes, multarumque arborum umbra, & proceritate amœni. Saxeæ pilæ* (columnæ) *quæ totum onus sustinent, instructæ sunt. Super pilas lapide quadrato solum stratum est, patiens terræ, quam altam injiciunt, & humoris, quo rigant; adeoque validas arborum sustinent moles, ut stipites earum octo cubitorum spatium crassitudine æquent, in quinquaginta pedum altitudinem emineant, & frugiferæ æquè sint, ac si terra sua alerentur. Et cum vetustas non opera solum manufacta, sed etiam ipsam naturam paulatim exedendo perimat, hæc moles, quæ tot arborum radicibus premitur, tantique nemoris pondere onerata est, inviolata durat: quippe viginti lati parietes sustinent, undecim pedum intervallo distantes, ut procul visentibus silvæ montibus suis imminere videantur. Syriæ regem Babylone regnantem hoc opus esse molitum memoriæ proditum est, amore conjugis victum, quæ desiderio nemorum, silvarumque in campestribus locis, virum compulit naturæ genium amœnitate hujus operis imitari.* Ita Curtius.

Iosephus tamen lib. 18 Antiquitatum, & Suidas horum hortorum auctorem faciunt Nabuchodonosorem, alii alium, ut ex Plinio antè notavi.

Qui hortorum pensilium delineationem desiderat, adeat Explanationes Matthæi Raderi in locum Curtii productum.

Fuisse etiam Susis hortos pensiles in caput primum hujus libri docui ex Dione Chrysostomo.

Cetertim ex illorum structurâ & formâ colligimus, finem regibus illis propositum fuisse opum suarum magnificentiam, simulque spectatorum voluptatem, maximè reginæ, in cujus gratiam horti illi suspensi erant, quæ nulli spectabilis poterat in iis ambulare, & omnia contemplari.

22. Voluptas hortorum.

Et certè horti bene consiti viridi suo peripetasmate honestissimum, & jucundissimum animis ingenuis præbent spectaculum, & oblectamentum, ad quod etiam optimus, modestissimusque quisque à naturâ trahitur. Testatur Sirachides Ecclesiastici 40, vers. 22: *Gratiam*, inquit, *& speciem desiderabit oculus tuus, & super hæc virides fationes*; ubi præfert recreationem & voluptatem, quæ hauritur ex aspectu pratorum & satorum, quibus Deus mundanam hanc villam & domum rusticam, sive suburbanum suum tamquam quibusdam peristromatis convestit & exornat, oblectationi, quæ percipitur ex intuitu gratiæ, formæque vultus sive viri sive feminæ, quamvis grato nitore & rubore arrideat, & invitet.

Hortorum cultura (modò abstit vanitas, & otiosus torpor, homine libero indigna vitia) egregia & laudabilis est, non solum quia honesto labore corpus exercet, corpori salubrem victum & medicinam subministrat, animum à curis & turbis sevocat, & ad cœlestium rerum contemplationem subvehit, sed quia liquidâ & purâ delectatione mentem non planè stupidam perfundit.

Capiunt me, quæ in hoc genere olim scripsit Iustus Lipsius in Constantiâ suâ lib. 2 cap. 2. Ex quo nonnullos decerpsi flosculos Lectoris oculis & naribus hauriendos.

23. Hortorum laus ex antiquis illorum cultoribus.

Non aliam, inquit, voluptatem dixeris, in quam ab omni ævo tam cupidè consenserint selecti inter gentes. Sacras litteras lustras? videbis unà cum orbe nato natos hortos: quos Deus ipsi primo homini domicilium attribuit, & velut sedem beatæ vitæ. Profanas? Ecce Adonidis & Alcinoi, & Tantali & Hesperidum hortos proverbia & fabulæ loquuntur: & in veris certisque historiis, reperies Cyri regis manu plantaria instituta, & Semiramidis aërios, pensilesque flores, & Masanissæ novum & celebrem cultum, Africâ mirante. Iam inter priscos Græcos, Romanosque, quot illustria capita tibi proferam, qui positis aliis curis, soli in hac curâ? In illis quidem, uno verbo, omnes philosophos & sapientes; qui se hortorum spatiis, sepibusque, remoti ab insano foro & urbe clausérunt. At in istis, Tarquinii regem video jam tum priscâ illâ Româ, in hortis molliter ambulantem, & papaverum capita resecantem: Catonem Censorium agnosco in re hortensi deditum, & de eâ seriò scribentem: Lucullum post Asiaticas victorias, in iisdem otiantem: Sullam, abjectâ dictaturâ suaviter hîc senescentem: & Diocletianum Principem, olera sua & lactucas ad Salonam, purpuræ & omnibus sceptris præferentem. Nec abivit ab hoc meliorum judicio vulgus: in quo ipso simplices omnes, & sine malâ ambitione animas scio fuisse in hoc cultu.

Est enim profectò arcana quædam & congenita nobis vis, quæ ad hanc innoxiam delectationem trahit non nos tantùm qui propendemus, sed illos ipsos serios & severos, qui reluctantur & irrident. Atque ut cœlum & æternos illos ignes nemini aspicere fas, sine occulto horrore quodam & religione: non item Terræ sacras opes & hunc inferioris Mundi mundum, sine tacito quodam gaudii sensu. Animum tuum percontare: capi se ab hoc aspectu dicet, imò pasci. Oculos, sensumque: fatebuntur non alibi libentius se acquiescere, quàm in his areis & pulvillis. Circumsiste, quæso te, paululum hæc agmina florum, & augmenta. Vide mihi illum è calyce, hunc è vagina, alium è gemmâ proturberantem. Vide hunc morientem subitò, alium subnascentem. Denique inspice in uno aliquo genere cultum, formam, faciem mille modis paria & diversa. Quæ illa tam rigida mens, quæ inter hæc non flectat se molli aliquâ cogitatione, & liquescat? Iam ades curiosè tu ocule: defigere paullùm in nitores istos & pigmenta. Inspice hanc nativam purpuram, hunc sanguinem, hoc ebur, hanc nivem, hanc flammam, hoc aurum: & tot colores, quos artifici cuique penicillo æmulari fas; æmulari, sed non imitari. Denique quis exhalans ille odor? quis penetrans spiritus? & nescio quæ pars æthereæ auræ infusa ab alto. Vt non vanè poëtarum nostra gens flores pleroisque natos finxerit è succo aut sanguine immortalium deorum.

24. Quam potissimum in hortis sensuum voluptas.

Hæc & plura juvenili calore efferveſcens effudit Lipsius; quæ spectacula floscolorum & herbarum siquis piâ mente ad Deum laudandum transtulerit; quantis deliciis, quàm sanctis, quàm puris inundabit? Sed de his sequente excursu agendum.

Encomia horruli elegantibus Trimetris complexus est poëta quidam, cujus carmen habetur inter Idyllia, quæ Virgilio adscribuntur.

Ejus verò commoda fusè prosequuntur, qui de re hortensi vel culturâ hortorum tractatus ediderunt, inter quos censendus Antonius Mizaldus in suo Ἀλεξικήπῳ sive Auxiliari & medico horto.

PARECBASIS ALTERA:

Hortorum secessus viris magnis in votis fuit, ut animum à curis abstractum cœlo, Deóque defigerent.

ASsuerus noster vino gravatus, & irâ fervidus, animi motibus placandis, stomacho concoquendo, mentis consilio cogendo, in amœna vireta, & opaca nemoris umbracula, pergulasque opere topiario constructas secessit. His enim locis æstus & corporum & animorum gratâ & refrigerante aurâ temperatur.

Has umbras, hos recessus, hæc devia & avia frequentarunt quotquot viri magni ab orbe condito hactenus vixerunt, ut sibi, Deóque vacarent, & novæ vitæ inspirationem haurirent remoti à curis & turbis.

Parens nostri generis Adamus à Deo conditus & maximis beneficiis auctus, ornatusque in Edenæo viridario & voluptatis Paradiso collocatus fuit ut operaretur & custodiret illum non laboriosâ culturâ, aut curâ anxiâ, sed operatione dele-

25. Adamus Genes. 2. Hortorum Paradisiacum coluit.

delectabili, & negotio otioso; ubi, ex admiratione naturæ, viridi arborum textu, rosarú purpurâ, liliorum nive, caltharum auro, tam multiformi divinæ potentiæ & sapientiæ lusu in tantâ stirpium varietate, tam concinno ordine, tantâ colorum diversitate, tam suavi odorum è floribus afflatu, in ipsius Opificis laudem assurgeret, cujus artificium & majestatem quasi in quodam omniparentis & beneficæ Pandoræ volumine legebat. Sed hoc omisso, in mentem mihi venit integritatis illud speculum Isaacus, qui Genes. 24. ℣. 63. *Egressus fuerat ad meditandum in agro, inclinatâ jam die.* Porro certum est omnium fere Interpretum sensu Meditationem hîc accipi pro internâ locutione cum Deo, vel etiam externa & vocali, conjunctâ tamen cum sedulâ attentione, unde Chaldæus reddidit expresse illum exivisse ad orandum. Non enim ad parentes agros, & loca solitaria secesserat vir Deo familiaris, ut cum silvis, aut feris loqueretur, sed ut Deo futuras suas nuptias commendaret; illo autem deambulante Rebecca à Paranympho ad eum deducebatur. Recte Procopius: *Iter illud convenebat Isaaco, ut quod non multos frequentaretur hominibus & omni strepitu esset segregatum; & per illud incedens, & speculationi rerum divinarum incumbens pervenit ad fontem visionis.* Et S. Hieron. in quæstionibus Hebraicis: *Egressus vir domo vir justus ad orationem; & spirituales Deo victimas obtulit.* Hæc ille. Locus ergo remotus ab arbitris studiosè meditari volenti convenit. 26. S. Isaac ut cum Deo liberius ageret in agros se contulit.

Ajunt verò quidam expositores eximium illum Patriarcham typum prætulisse Christi Domini, qui sub noctem ad montes, & loca deserta se conferebat, ut orationibus & arcanis cum cœlesti Patre colloquiis liberius frueretur.

Nec dubitandum, ducem illum & legislatorem sapientiâ & religione insignem Moysen se ad piarum rerum commentationem contulisse, cùm Exodi 3 vers. 1, *pascens oves soceri sui Iethro minavit gregem ad interiora deserti*, ubi & Dominus apparuit ei in flammâ ignis de medio rubi. Idem planè sentiendum de Davide adhuc puero, qui in pascuis opilionem agens sacris odis pangendis jam tum proludebat. Idem factitarunt Elias, Elisæus, & filii, qui dicuntur, prophetarum, pluresque alii à Deo inspirati vates, qui terrenarum rerum obliti, cogitationem omnem in cœlestium contemplationem erigebant. 27. Sic Moses, Elias, Elisæus deserta incolerunt.

Quid memorem Ioannem Christi prodromum, terrestrem Angelum, hominem cœlestem, qui teneris ab annis secretus ab humilium rerum curis solitudinem, & nemora petiit, ut securius cum Deo ageret, & meditaretur? quod Nazianz. Oratione 41, appellat ἀναχωρῆσαι ϑεῷ *secedere Deo*, subducere se ad Deo vacandum. Imitatæ sunt myriades Anachoretarum, qui eremum coluerunt, quorum plerique cùm litteras nescirent, magnum tamen illud creaturarum volumen ante oculos suos expansum assiduè pervolutabant, cœlum, ejusque radiantes flores, solum, ejusque ridentes stellas, viridaria nativo suo ornatu illos ad superos extollentia; unde & ϑεοδίδακτοι, & ϑεόλογοι subitò evaserunt. Libet hîc exclamare cum S. Hieronymo, qui & ipse magnum lumen eremo illuxit, epistolâ primâ ad Heliodorum de laude vitæ solitariæ: *O desertum Christi floribus vernans! ô solitudo, in quâ illis nascuntur lapides, de quibus in Apocalypsi, civitas magni Regis extruitur! O Eremus familiarius Deo gaudens! Quid agis frater in seculo, qui major es mundo? Quamdiu te tectorum umbræ premunt? Quamdiu fumosarum urbium carcer includit? Crede mihi, nescio quid plùs lucis adspicio. Libet sarcinâ corporis abjectâ ad puram ætheris evolare fulgorem.* Et post paululum: *Infinita eremi te vastitas terret? sed in paradisiaca mente deambula. Quotiescumque illuc cogitatione conscenderis, toties in eremo non eris.* Hæc ille solitudinis Angelis amicæ Encomiastes. 27. Sic S. Baptista, & Anachoretæ.

Dicit alibi in Eclogis suis poeta Latinus.

Habitarunt Dii quoque silvas.

Profanos intelligit Faunos & Satyros. Nos verius dicamus. Quis non aureo illo seculo nemorum, lucosque incoluit Deo, superisque proximus, cùm in solitudine cœlestem vitam, & felix ævum degerent Antonii, Pauli, Macarii, Hilariones, Hieronymi, & cetera religionis nostræ specimina; ut nihil dicam de mulieribus, innuptisque puellis, quæ virorum æmulæ & ipsæ ad eremum confugiebant. Finis non sit, si recensere voluero præclaros illos Ecclesiæ Græcæ simul ac Latinæ Præsules, qui Deo duce in solitudinem interdum confugerunt, ubi abjectâ tantisper sollicitudine negotiorum sui officii, in aulâ mentis, divinæ vacarent sapientiæ, *ubi omni strepitu terrenarum silente curarum, in meditationibus sanctis, & in deliciis lætarentur æternis*; ut loquitur magnum illud Ecclesiæ Romanæ columen Leo, Sermone 8 de jejunio decimi mensis. Tales fuere Nazianzenus, Basilius, Martinus, Augustinus & alii innumeri. 28. Laus solitudinis. 29. Sancti viri & mulieres Eremum habitarunt.

Egregiè profatus est disertissimus Iudæorum Philo, lib. de Abrahamo, virum probatum ἀναχωρεῖν, καὶ μόνωσιν ἀγαπᾶν, *à vulgo secedere, & solitudinem amare*, ubi, ut loquitur Seneca epistola 53, *vacatur bonæ menti, ad quam nemo pervenit occupatus.* Quod religiosius elocutus est Isidorus Peluseota Ægypti oraculum epistolâ 402. ὁ μὴ σχολάσας, ϑεὸν γνῶναι οὐ δύναται, *qui in otio non agit, ad Dei cognitionem non pervenit.* Hinc *sapiens*, auctore Theophrasto apud S. Hieronym. lib. primo adversus Iovinian. *si hominum inopia fuerit, loquitur cùm Deo. Numquam minus solus erit, quàm cùm solus fuerit.* Est ergo solitudo corporis simul & animi, adytum sanctitatis, religionis oracultum, phrontisterium vitæ beatioris, seminarium virtutis. 30. Solitudo virtutis & contemplationis seminarium.

Quantam lætæ & viridis segetes segetem viris spiritu divino plenis præbent Dei laudes celebrandi! quantam gramine fœcundo vestita prata! Quis horrorum areolas, pulvillosque ridentibus floribus depictos & variegatos intuens non cupiat diversarum virtutum nitore & gloriâ decoratum animum habere, ut Numini cœlesti gratior fiat? Quis non deploret mentis suæ fœditates & tetra crimina cùm germinare videt è suis obeliscis rubeas rosas, Irides expandere ad solem, cæruleos suos calathiscos?

Quantum in Deum excitandi fiduciam argumentum exhibent nativo suo, niveoque imbuta lacte lilia, de quibus Christus disserit Matth. 6, vers. 28. *De vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri quomodo crescunt: Non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloriâ suâ coopertus est, sicut unum ex istis. Si autem fœnum agri, quod hodie est, & cras*

in

in elibanum mittitur, Deus sic vestit: quanto magis vos modicæ fidei?

Sed quia hoc argumentum plures auctores versarunt, ad illos Lectorē remittimus. Inter recentiores est Iulius Nigronus, qui tractatum suum Asceticum sextum inscripsit de secessu ad meditandum. Inter veteres legendus S. Cyprianus Epist. ad Donatum, quæ est 2, maximè sub initium. Hoc quod dixi adeò verum est, ut omnes ferè præclari scriptores, Philosophi, Oratores, Poetæ hanc sevocationem mentis à turbis, solitudinem, & ab urbibus separationem amarint, ut se abderent, & litteris totos applicarent. Vnde extat illud Horatianum lib. 2, Epistolâ ultimâ:

Scriptorum chorus omnis amat nemus, & fugit urbes.

Noverunt hoc etiam litterati viri apud Sinas (quos meritò dixerim barbarorum politissimos) Hi, ut Nicolaus Longobardus Societatis nostræ testis oculatus narrat epist. scriptâ 18 Octobris 1598, *probant apprime quosdam rusticanos secessus, & solitaria loca petunt, luminis naturalis contemplandi gratiâ, & sui ipsius reformandi, in quo (ut ipsi loquuntur) à Cœlo creati fuerunt.*

31. Sinæ contemplationis gratiâ rusticanos secessus petunt.

Finiamus hoc argumentum verbis Iusti Lipsii suprà cap. tertio. *Virids*, inquit, *Lyceo tot dissertationes de natura debemus: umbriferæ Academiæ de moribus: & ex hortorum spatiis diffusi uberes illi Sapientiæ rivi, quos bibimus, & qui fecundâ diluvie orbem terræ inundarunt. Scilicet attollit se magis, erigitque ad alta iste animus, cùm liber & solutus videt suum cœlum: quam cùm ædium aut urbium carceribus inclusus. Hæc hortorum usio & finis, otium, secessio, meditatio, lectio, scriptio, & ea tamen omnia per remissionem & per lusum. Vt pictores longâ intentione hebetatos oculos ad specula quædam & viveres colligunt: Sic nos hîc animum defessum, aut aberrantem. Pergula enim illa opere topiario Musarum domus est, Sapientiæ gymnasium & palæstra.* Hæc ille & plura.

32. Vt pictor oculos hebetatos ad speculum recreat, sic Asceta ad viretа solitudinis.

Excvrsvs Allegoricvs:

S. Maria se invocantibus in rebus desperatis præsens auxilium.

VT in hunc locum excurramus, quem vertimus, & versamus, versus nobis ansam præbet, qui est: *Aman furiexit, ut rogaret Esther reginam pro anima sua; intellexit enim à rege paratum sibi malum.*

Diximus, & sæpius ostendimus Dei Matrem Estheræ fuisse Antitypum; non est autem necesse ut hoc cum typo vel figurâ suâ in omnibus consentiat (ut vulgo etiam notum est) unde signanter Antitypum vocamus.

Igitur magnum discrimen videre est inter misericordiam & beneficentiam Reginæ cœlorum, & Reginæ Persidis, Estheræ & Mariæ.

Amanus exitium sibi ab Assuero intentatum non dubiis signis conjiciens surgit, super discubitorium Estheræ torum se prosternit, supplicat humillimè pro vitâ suâ, amplectitur, ut infrà videbimus, ejus genua, more antiquo eorum qui gravem calamitatem vel pœnam à capite suo amoliri studebant. Sed quid opis hæc demissio & genuum amplexatio contulit? Prorsus nihil. Lacrymæ funduntur inanes. Ira regis magis accensa fuit, ut mox patebit. A genibus in malam crucem abripitur. Esthera quamvis in Deum pietate singulari, in miseros & ærumnosos facilitate & placabilitate eximiâ, supplicis non misereatur, nullas pro acerbissimo hoste preces interponit apud Regem maritum, ab asylo, ad quod confugerat, illum invitum avelli patitur, & silet. Vbi est tenerum illud pectus, Esthera? Vbi misericordiæ viscera? Vbi effusa caritas in calamitosos?

Illa immota manet, nec infestissimi populi sui adversarii aut lacrymis, aut suspiriis flectitur.

33. Dei Mater Esthera multum miseratione superat.

Putamus talem Mariam cœlorum Reginam erga multorum scelerum reos sibi advolutos & supplices esse, aut umquam fuisse? Absit. *Regina est, quam didicit misericordia dicere matrem.* Ad hanc si quis Aman facti pœnitens accesserit, veniam obtinebit; Tenerum ejus pectus precantium lacrymis planè liquescit, flere cum flentibus etiam Filium suum facit. Exemplum hujus oculis subjicio. Nicolaus Orlandinus celebris Societatis nostræ scriptor in Annalibus Indiæ Orientalis sic memorat. In oræ Travancoris pago res accidit digna litteris. Miles ex Myoparone desiliens omni spe salutis abjectâ, quoniam diabolo se addixerat, ingressus est templum, & coram sanctissimæ Dei Matris imagine prostratus in genua auxilium ab eâ multis lacrymis implorabat. Cùm ecce tibi ex amplexu Virginis puer Iesus visus est cum milite lacrymari; è Matris autem manibus emicare fons aquæ, quæ totam perfudit aram; ut intelligeret miles quanta sibi veniæ spes esset ab eâ, quæ totius misericordiæ fons est, & quàm non difficilis sit Filius ad matris preces, qui cum lacrymis perditum hominem ad se redeuntem excepit. Admoniti de re totâ comites accurrerunt, ut quò plures oculi conspexissent, eò major prodigii fides foret: qui quidem imbutum aqua sudariolum, quâ aram diximus madefactam, partiti sunt inter se. Miles verò universæ vitæ flagitia confessus religionem vovit, ut quanto iniquius se devinxerat dæmoni, tanto arctius se Deo astringeret.

34. Dei Matris erga militem, qui se dæmoni devoverat, clementia.

Testatissima est hoc & aliis miraculis Dei Matris erga peccatores misericordia.

Quid (inquit ejus perstudiosus Bernardus sermon. primo in Dominicam primam post Octavam Epiphaniæ) *de fonte pietatis procederet, nisi pietas? quid, inquam, mirum, si pietatem exhibent viscera pietatis? Nonne qui pomum in manu sua tenuerit dimidia die, reliqua dies parte pomi servabit odorem? Quantum igitur viscera illa virtus pietatis affecit, in quibus novem mensibus requievit? Nam & ante mentem replevit quam ventrem, & cùm processit ex utero, ab animo non recessit.* Hactenus Virginis amator Bernardus.

35. Maria fons pietatis.

Scilicet Maria fons est, cui adscribitur illud Proverb. 8, v. 35: *Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino.*

Arca fœderis quondam Hebræorum populo habebatur tamquam ultimum refugium in rebus deploratis, & summis Reipub. calamitatibus. Colligere hoc est ex primi Regum 4, vers. 3 & sequentib. ubi dicunt majores natu de Israel: *Quare percussit nos Dominus hodie coram Philistheis? Afferamus ad nos de Silo arcam fœderis Domini,*

36. Arca fœderis ultimum perfugium in rebus deploratis populo Israel.

mini, & veniat in medium nostri, ut salvet nos de manu inimicorum nostrorum. Misit ergo populus in Silo, & tulerunt inde arcam fœderis Domini exercituum sedentis super Cherubim, &c. *Cumque venisset arca fœderis Domini in castra, vociferatus est omnis Israel clamore grandi, & personuit terra.* Additur verò ibidem vers. 6, & sequentibus, quòd audientes Philisthum arcam Domini in castra venisse, timuerint, & ingemuerint, dicentes: *Væ nobis: Quis nos salvabit de manu Deorum sublimium istorum?* &c.

Vnde & vocabatur arca fortitudinis; teste Psalmographo Regio tum 2 Paralip. 6, ℣. 41: *Consurge Domine Deus, in requiem tuam tu & arca fortitudinis tuæ*, tum Psal. 131, ℣. 8, ubi nos habemus: *Surge Domine in requiem tuam tu & arca sanctificationis tuæ* vertit S. Hieronym. *fortitudinis tuæ*, & S. Chrysost. ait, in isto Davidis de arcâ Encomio, legi à quibusdam pro *sanctificationis*, ἰσχύος, roboris, ab aliis κράτους, potentiæ, nempe quia illâ præsente Deus gravissimis plagis sæpe Iudaici hostes nominis attrivit, ut ex sacrosanctis oraculis constat. Quocirca etiam cùm per castra Arca sublata locum mutabat, Sacerdotes personabant illud quod habemus Psalmo 67. *Exurgat Deus, & dissipentur inimici ejus*, &c.

37. Vocabatur Arca fortitudinis.

Et tamen primi Regum 4 hujus Arcæ præsentia populum Iudæorum non eripuit de manu Philistinorum, sed potius ipsi eorum hostibus suis cecidêrunt, ut habes ibidem vers. 10: *Pugnaverunt ergo Philisthiim & cæsus est Israel, & fugit unusquisque in tabernaculum suum: & facta est plaga magna nimis: & ceciderunt de Israel triginta millia peditum*, & additur vers. 11: *Et arca Dei capta est.*

38. Fuit Arca figura Dei Matris, sed inter hanc & illam magnum discrimen.

Arcam hanc, gloriam, pulchritudinem, sanctitatem, robur populi Hebræorum Dei Matris umbram fuisse & figuram apud omnes in confesso est, per quam sanctitatem, gloriam, & etiam vires, animumque exaggeratum consequimur.

Sed non in omnibus umbra & veritas sibi respondent. Siquidem quamvis frequenter auxiliarem dexteram Hebræis Arcæ præsentia protenderit, ut cùm plagâ fœdissimâ percussit Azotios, & Dagonem ipsorum idolum prostravit, muros Ierichuntinos subvertit, &c. ut tamen paulò ante diximus, ex libro primo Regum cap. 4, in bello contra Philisthæos omne auxilium Hebræis etiam vociferantibus denegavit.

Videtur igitur Arca illa prisca ex æquo potentiam & robur suum exeruisse nunc ad opem ferendam, nunc ad castigandum.

Non sic Regina misericordiæ, non sic, quam Andreas Ierosolymit. sermone de Salutat. Angelicâ nuncupat κιβωτὸν, ἐν ᾗ τὸ σύμπαν μυστήριον καινοπρεπῆς δόξης, *Arcâ, in quâ novæ sanctificatio gloriæ.*

39. Dei Mater non percutit, ut prior Arca, sed protegit.

Non enim brachia sua extendit ad percutiendum, sed ad eos, qui se in rebus desperatis invocant, protegendum. Sinum suum aperit, non ut tela, hastas aut bellum effundat, sed ut omnes ad se confugientes excipiat.

Omnes ad se blandissimis verbis invitat Ecclesiastici 24, ℣. 26: *Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini. Spiritus enim meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel & favum.* Apicula est, & apum regina, quæ mella quidem fundit, sed mucrone caret, & aculeolis neminem pungit. Omnes ejus conatus in hoc unum colliguntur, non ut noceat sibi supplicantibus, sed ut patrocinetur, & misereatur.

40. Similis platano Dei Mater; & quare.

Ecclesiastici 24, vers. 19 se ipsam componit cum platano: *Quasi platanus*, inquit, *exaltata sum juxta aquam in plateis.* Ajunt verò Dendrologi, qui de naturâ plantarum & arborum disserunt, hac potissimum re platanum commendari, quòd æstivo sole sub eâ quiescentes ab ardore radiorum protegat quasi oppanso tabernaculo: Ipsius enim folia ita arctè inter se sunt connexa & contexta, ut vim omnem caloris noxiam penitus arceant. Brumâ verò appetente frondes, quæ ante sibi densâ compage cohærebant, sic explicantur, & diducuntur, ut æstus solis, ejusque radii penetrent usque ad ejusdem radices.

Officium Reginæ pietate affluentissimæ præclarè symbolo platani adumbratur. Ipsa enim, dum Sirius iræ divinæ sævit, & æstuat, mediam se velut umbraculum interponit, ne peccatores ad se convolantes feriat & consumat.

Hiberno verò frigore, dum pectora eorum quasi glacie constricta obrigescunt, ipsa viam aperit quâ benigniores divinæ clementiæ radii transfundantur, quibus induratum ipsorum cor ut cera liquescat.

Pertinet huc illud S. Fulgentii Sermone de laudibus Mariæ: Ex partu Salvatoris facta est Maria fenestra cœli, quia per ipsam Deus verũ seculis fudit lumen. Facta est scala cœlestis, quia per ipsam Deus descendit ad terras, ut per ipsam homines ascendere mereantur ad cœlos.

Solent gravi crimine obstricti ad templa & præcipuè altaria confugere, eaque prehendere, ut judicum pœnam evadant. Ecclesiarum enim ea est immunitas, ut dum ibi morantur, tuti sint tamquam in asylo. Plures tamen rei, ut publici sicarii & latrones, sacrorum locorum beneficio non gaudent; unde etiam impunè à sanctis aris abstrahuntur & in crucem abripiuntur. Hinc 3 Regum 2, vers. 28, & sequentibus, veritus Ioab ne à Salomone interficeretur, fugit in tabernaculum Domini & apprehendit cornu altaris; securum se ibi ab omni injuriâ putabat ob loci sanctitatem. Et certè Banaias missus ad eum obtruncandum horrore sacro perfusus ausus non fuit aram ejus sanguine cruentare, imò nec eum inde vi abstrahere. Sed quid ait Salomon ad Banajam: *fac, sicut locutus est* (Ioab, qui dixerat se ibi morituum) *& interfice eum. Et aggressus eum interfecit.* Nihil Ioabus præsidii à domo Dei, ad quam se contulerat, nihil ab arâ, quam tenebat, accepit. At siquis ad Dei Matrem, verum tabernaculum fœderis, & sacratiorem aram supplex confugerit, immunis erit;

41. Non omnes rei ad templorum aras confugientes, ibi tuti sunt; sed qui ad Dei Matrem se recipiunt, servantur.

Hæc ara tuebitur omnes.

Eutychianus apud Surium in pœnitentiâ Theophili, Februarii 4, ipsam vocat *pontem peccatorum ad Deum, & spem eorum, qui spes omnes abjecerunt*, ubi & plura habet.

42. Maria spes desperatorum, & pons peccatorum apud Deum.

Vidua Thecuitis etiam ab Absalomo non rogata 2 Reg. 14, vers. 24, reditum illi in patriam à Davide parente impetrat: cujus benignitatem commendat S. Ambros. epistola 43 ad Siagnium: *Quid*, inquit, *de sancto Davide loquar; qui degenerem filium, & fraterno oblitum sanguine, ad unius mulieris petitionem, paternis visceribus mentem emollitus domo recepit?*

43. Dei Matris oratio efficacior illâ Thecuitis.

Dei Mater altera Thecuitis etiam à nobis non ſolicitata precibus, pro nobis orat & exorat, & cùm illius obliviſcimur, noſtri tamen meminit: Imò ipſius intercelſio longe illâ viduæ Thecuitis efficacior. Siquidem illa impetrare non potuit, ut jucundiſſimo parentis ſui conſpectu Abſalom frueretur: nam ait David ſuprà: *Faciem meam non videat*: hæc verò non ſolùm nos cœlo aſſert & inſert, ſed etiam ſuis precibus ſereniſſimum Filii ſui vultum nobis oſtendit.

Vnde & illam obſecrat per orbem diffuſa Eccleſia. *Ieſum benedictum fructum ventris tui nobis poſt hoc exilium oſtende.* Et iterum: *Iter para tutum, ut videntes Ieſum ſemper collætemur.*

44. Acies Romanorum militum triplici ordine conſtabat, quorum poſtremi erant Triarii, & eorum ſcuta vocabantur θυρεοί, id eſt, oſtia.

Acies quondam apud Romanos triplici militum ordine conſtabat, ut liquet ex Livio lib. 12 primi dicebantur haſtati, hi primo loco hoſtem aggrediebantur, qui ſi eum profligare non poſſent, ſecundi in eorum locum ſuccedebant ſcutati principes. Quòd ſi nec à principibus quidem feliciter eſſet dimicatum, tum tertio loco Triarii ſubſidio veniebant, ita dicti quòd tertio ordine collocarentur in acie, & certamen inibant. Erant autem milites veterani, firmis lacertis, giganteo & Herculeo robore præſtantes, ſpectatæ virtutis, qui multa ſtipendia fecerant. Ex more verò, quo Triarii nullâ poſt ſe relictâ ſpe vel ſuppetiarum fiducia uno agmine cum aliis in hoſtes ruebant, ductum eſt Adagium, quo fertur *res ad Triarios rediiſſe*, id eſt, veniſſe in ſummum diſcrimen, eóque adductam eſſe, ut ſummo conatu, omnique animorum & corporum contentione & viribus enitendum ſit. Ferebant autem Triarii ſcuta grandia & robuſta quæ etiam dicebantur ἀνδρομήκη, quod altitudine corpori humano æquabantur, & θυρεοί, teſte Euſtathio, quòd θύρας id eſt, oſtiis mole ſuâ paria eſſent.

Quæ diximus eò ſpectant, ut hinc colligamus Dei Matrem deficientibus aliorum Divorum auxiliis, haſtatorum, videlicet Martyrum, principũ, Apoſtolorum; ipſa nobis in extremo periculo vitæ, ſalutiſque laborantibus ſuppetias ferat tamquam ordo Triariorum, cum ipſa per ſe ſit *Terribilis ut caſtrorum acies ordinata*, Cant. 6, verſ. 3. quæ verba excutiens Rupertus, *Tu*, ait, *contra malignos ſpiritus in procinctu es ſecundum caſtrorum ſimilitudinem.*

45. Dei Mater eſt nobis Triaria vel acies Triariorum terribilis, & quare.

Nec hoc à propoſito abludit quòd Triarii inſtructi eſſent clypeis inſtar oſtiorum altis & vaſtis; nam collum ejus vocatur Cant. 4, verſ. 4. Turris David. *Sicut turris David collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Eſt ergo hæc Triariorum vel Triaria Regina & acies, invictiſſimum propugnaculum ſive arx ad repugnandum juxta atque ad oppugnandum, & armatura ſive panoplia fortium, ſive quòd præſidium ejus tam efficax ſit, ut in propugnando ſuos tirones & milites, longè excedat omnium beatorum vires & potentiam, ut Triarii exſuperabant virtute haſtatos & antepilanos, ſive, quia omnes, qui hactenus victores & triumphatores ex conjuratis humani generis hoſtibus redierunt, & opima ſpolia reuulerunt, ex ejus arce arma ſumpſerint, ex ejus armamentario tela prompſerint, ejus favore à Deo conſtantiam, & animum exaggeratum obtinuerint.

46. Quare clypeus quem Dei Mater nobis prætendit, vocetur oſtium.

Rectè verò clypei, qui ex hac Turri Davidicâ pendent, à Septuaginta nuncupantur θυρεοί, id eſt, oſtia, quo etiam modo legit S. Ambroſ. in Pſalm. 118 ſerm. 4, in verſu primo, quia clypei illi, quos noſtri protegendi causâ objicit, & prætendit Virgo Triaria etiam januæ ſunt & biſores valvæ, quibus vitam ingredimur ſempiternam.

Et hæc hactenus.

VERSUS VIII, & IX.

Qui cùm reverſus eſſet de horto nemoribus conſito, & intraſſet convivii locum, reperit Aman ſuper lectulum corruiſſe, in quo jacebat Eſther, & ait: Etiam reginam vult opprimere, me præſente, in domo meâ. Necdum verbum de ore regis exierat, & ſtatim operuerunt faciem ejus.

Dixitque Harbona, unus de eunuchis, qui ſtabant in miniſterio regis: En lignum, quod paraverat Mardochæo, qui locutus eſt pro rege, ſtat in domo Aman, habens altitudinis quinquaginta cubitos. Cui dixit Rex: Appendite eum in eo.

Hebraicè: Et rex reverſus eſt ab horto ædis (palatii) ad domum convivii vini, & Haman ceciderat ſuper lectum in quo erat Eſther in eo, dixitque rex: Num etiam ad ſubagitandam reginam mecum in domo? (id eſt, me exiſtente, &c.) verbum egreſſum eſt ex ore regis, & faciem Haman operuerunt.

Dixitque Charbona unus de eunuchis ad facies regis (qui erat ante regem) Etiam en lignum quod fecerat Haman pro Mardochai, qui locutus eſt bonum ſuper regem, ſtat in domo Haman, altum quinquaginta cubitis, dixitque rex: Suſpendite eum ſuper illo.

Pergit Ioſephus: Amanus in lectum reginæ procubuit: Interim ſuperveniens rex, & hoc viſo magis etiam commotus; Sceleſtiſſime, inquit, etiam vim uxori meæ inferre vis? Amane autem ad hanc vocem exterrito, & ne hiſcere quidem valente, ibi verò Habnchades eunuchus accedens accuſabat Amanem, quòd in ædibus ejus inveniſſet crucem Mardochæo paratam: id enim compertum ex ipſius famulo, cùm ad invitandum eum veniſſet, eſſéque eam crucem altam quinquaginta cubitos. Quo audito Rex decrevit non alio ipſum afficere ſupplicio, quàm quod in Mardochæum excogitaverat, juſſitque ut confeſtim in eam crucem ſublatus necaretur. Subit hîc mihi admirari divinam potentiam, juſtitiamque ac ſapien-

pientiam vel ex hoc facto colligere, qui non solùm Aman merito supplicio tradidit, verum etiam pœnam in alterum excogitatam, in caput inventoris illo insçio convertit. Hactenus ille, qui non malè de suo addidit in supplicio Amani manifestatam esse Dei providentiam & justitiam.

COMMENTARIVS.

ASsueri ira nonnihil deferbuerat, & collecto animo fortè contulerat Amani merita, antiquamque necessitudinem cum recenti ejus crimine (deliberabundus enim secesserat) cùm reversus ex nemore, hortoque regio ad triclinium, conspicit Amanum super accubitorium vel epularem reginæ lectum corruisse, ejusque genua amplexu strinxisse. Recrudescit subitò furor, & accenso gliscit violentia corde: Accedit zelotypia commune Persarum malum; opinatur Amanum supplicem, nihil minus cogitantem, erga reginam quid flagitii & turpitudinis moliri, statimque palatini ministri & ephebi ex signis & nutibus Regis mentem ariolantes, vultum rei obnubunt, & suggerente uno ex illis Harbona nomine Amanum excitasse Mardochæo suspendendo celsissimam crucem, qui tamen pro salute Regis insidias eunuchorum detexerat, statim jubet rex illi nefarium caput affigi.

Iam singula, quæ interpretatione indigent, enodemus.

An Aman genua Reginæ complexus.

1. Quæritur, an Amanus Reginæ supplex factus ejus quoque genua prehenderit.

Ita sentiunt plures; S. Athanas. in Synopsi: *Aman*, inquit, *cum regem mœrore affectum & irâ commotum propter indignum contra Iudæos facinus vidisset, illo absente, Reginæ supplicavit ad genua illius procumbens, & ablandiens: Rex cùm regressus videret Aman genua Reginæ contingere, suspicatus quod ad turpitudinis causa faceret*; &c. Idem tenet Severus sacræ historiæ lib. 2: *Rex*, ait, *regressus, vidit Aman reginæ genua complexum: succensus ira, & appetitam reginam clamitans, morte eum affici jubet.*

Chaldæus tamen ait Amanum eodem gradu constitisse.

47. Ritus genua amplectendi apud gentes.

Ceterùm ex ritu Græcorum & aliorum populorum, quibus usitatum erat ad genua supplicabundos accidere eorum, à quibus veniam criminum deprecabantur, vero simile mihi fit, etiam Persas eumdem morem usurpasse. Plinium audiamus lib. 11, cap. 45. *Homines*, ait, *genibus religio quædam inest, observatione gentium: hæc supplices attingunt, ad hæc manus tendunt, hæc, ut aras adorant, fortasse quia inest iis vitalitas.*

Alexander Neapolitanus lib. 2, Genialium Dierum cap. 19, hæc de more illo habet. *Hominis genibus quamdam esse religionem & pietatem novimus. Etenim supplicantes, & qui pie exorare aliquid volunt, Deorum, hominumque genua amplectuntur, manus apprehendunt, ad genua procumbunt, illaq; tamquam sacra supplices venerantur & colunt; in his numen & sedem miserationis esse arbitrati.*

Aristippus, ut auctor est Laërtius lib. 2, c. 8. Siculum tyrannum Dionysium pro amico deprecabatur. Sed frustrà. Accidit ergo ad pedes & genua ejus, & quod petebat, impetrat. Cùm verò quispiam factum Philosophi veluti non satis decorum argueret, respondit Aristippus: Bene id me fecisse arbitror: Nam Dionysius aures in pedibus habet. Ita ibi. Persuaserat fortè idem sibi Aman, & humili demissione Estherem placare studebat.

Illustrat hunc usum variis exemplis Tiraquellus in suis Semestribus ex Homero tam in Iliade, quam Odisseâ, ubi illud frequens γνάθμοι λαβεῖν, *apprehendere genua*, qui mos est supplicum.

Ex Virgilio Æneidos 3 de Achæmenide:

Dixerat, & genua amplexus, genibusq; volutans
Hærebat.

Vbi Servius scribit Physicos genua misericordiæ consecravisse.

Ex Ovidio Metamorph. 3.

Et genibus pronis supplex, similisque roganti.

Ex Livio pluribus locis, unus sufficiat.

Tertiæ decadis lib. 6, de legatis Syracusanorum scribens sic ait. *Ad genua se Marcelli consulis projecerunt, obsecrantes.*

42. Gentiles genua Deorum cerâ linebant & amplectebantur.

Hinc ortum est, quod profani gentiles Deorum suorum genua cerâ oblinerent, & in eis vota sua imprimerent, unde est illud Iuvenalis Satyrâ decimâ.

Propter quæ fas est genua incerare Deorum.

Amanum etiam hoc ritu Reginæ genua amplexum præter alia, hoc etiam suadet, quod ex loco & situ, quo ille super accubitorium Reginæ lectulum corruerat, suspicatus fuerit Rex illum flagitium aliquod circa reginam attentare.

43. Ignem apprehendere ritus supplicandi apud Persas.

Scimus tamen ex Plutarcho, Commentario de Primo frigido, apud Persas supplicandi modum gravissimum fuisse & quem rejeciisse maximum nefas haberetur, si quis ignem supplex accepisset: ac si voto excideret, in aquam se conjecturum interminatus fuisset. Proinde, quod petisset, consequebatur quidem, sed interminationis nomine repascebatur ad pœnam, quod præter legem, & naturæ rationem esset intentata. Hæc Plutarch.

Quid significet hic opprimere.

Quæritur 2, quid velit verbum Assueri cùm ait, *Etiam reginam vult opprimere*, quod Hebraicè legitur interrogativè: Num reginam vult subjicere mecum domi?

Quidam accipiunt oppressionem pro præfocatione, quasi furore quodam ac rabie actus Aman conatus fuerit reginæ fauces præludere: sed certum est *ut* opprimere intelligi hic non de eteptione vitæ, sed pudoris, sic enim loquitur Thamar Amnoni fratri suo 2 Regum 13, ℣. 12. *Noli frater mi, noli opprimere me*; & satis insinuant hæc Hebræa, Chaldæa, Græca; & ante omnia Regis zelotypia.

Amano omnia adversantur.

Observa interim Lector, scelerato homini omnia adversari, quæ antea ad nutum fluere videbantur. Combatur omnibus modis Reginam placare, & infimis precibus, etiam gentium apprehensione eam demereri, & ad misericordiam flectere. sed venia indigna erat cruenta bellua,

quæ innocentum sanguinem sitiebat. *Facta est ei oratio in peccatum* Psalm. 108, vers. 6. quia preces pro salute oblatæ ad genua Estheræ magis periculum auxerunt quàm liberationem impetrarunt: nam *diabolus* (calumniator, criminator) *stetit à dextris ejus*, ibidem vers. 5. Siquidem Assuerus falsum etiam ei imposuit crimen, Deo permittente, qui gentem innocuam impiè ante detulerat.

§2. Cur facies Amani operta? Quæritur 3, Quæ causa fuerit regis ministris, quibus fortè Amani potentia fuerat odiosa, ut operirent ejus faciem.

Attulimus cap. 6, suprà, vers. 12, circa litteram varias causas hujus ritus apud diversas gentes, quarum pleræque hìc locum habere possunt.

Quia rex illi iratus. Aben-Ezra, Vatablus, Cajetan. & alii autumant moris fuisse Persarum obtegere faciem ejus cui rex succensebat, ne eo viso magis irà incenderetur, vel quia indignus erat, qui regem intueretur, & in quem rex oculos conjiceret.

Quia reus mortis. Liran. Dionys. & Iacobus Gretserus lib. 1 de Cruce cap. 21, censent obvelatam ejus faciem, ut puta rei, & ad mortem condemnati: Porro, inquit Gretserus, crucifigendis obnubebatur caput, & facies cooperiebatur, aliquando in eductione ad crucem, aliquando & maximè tunc, cùm jam clavi in manus pedesque adigerentur. Morem hunc testatur apud Livium & Ciceronem ferale illud & dirum carmen. *I lictor, colliga manus, caput obnubito, infelici arbori suspendito.* Abreptum verò in crucem Aman constat. Vnde existimat idem more Romanorum Christo, saltem cùm clavis cruci affigeretur faciem fuisse obtectam. Ego verò solùm lego Christum velatum, cùm illuderetur Lucæ 22, ℣. 64, Marci 14, vers. 65. Quidquid sit de Christo; sic planè factum Sedeciæ Regi, antequam ejus oculi eruerentur; ut habet Ezechiel cap. 12, vers. 12: *Faciem ejus operietur, ut non videat oculo terram* Ita quidam accipiant locum Threnorum 3, vers. 43. *Operuisti in furore, & percussisti nos.* Verum alii explicant de afflictione, & flagellis quibus Deus iratus undique cinxit, & quasi veste circumdedit sibi rebellem populum Ierusalem.

Aman coopertus fuit verecundiâ. Chaldæus & alii volunt Amanum verecundiâ, confusione, & rubore coopertum fuisse, quod etiam verum fuit. Septuaginta: διελέγχη τῷ πρόσωπῳ, quod licet Complutenses reddant non malè, erubuit facie, vox tamen Græca, ut rectè observavit Serarius hìc, latius patet, ut non rubor tantùm, sed & confusionem, pallorem, tristitiam & alios affectus complecti possit, adeoque etiam faciei aversionem vel velationem, ita ut oculis videre non quiret. Potest etiam διελέγχειν verti, immutatus est facie, vel confusus vultu. Addit verò Sanctius consuetudinem velandi reorum vultum originem sumpsisse à pietate, ut homo à pudore & confusione vindicetur, quibus facies maximè obnoxia est.

Ceterùm licet rex Aman supplicium animo destinaverat, nihil tamen de cruce cogitabat; sed Charbona vel Harbona (quem Iosephus & Septuaginta aliter indigetant) qui Amanum ad Reginæ convivium vocaverat, ex famulo Amani intellexit altissimum patibulum in ejus ædibus paratum Mardochæo, quod Assuero suggessit. Sic Septuaginta & Iosephus.

Digressiuncula:

Zelotypia Persarum & nimius amor erga uxores.

Irrequietum malum & ægritudo pessima est Zelotypia, qua quis suspicatur & timet, ne uxor admittat rivalem. De hoc morbo multa memoravimus Commentariis nostris in Ecclesiastici caput 9, vers. 10. Hac æmulationis perturbatione, siqui alii populi, laborarunt Persæ, ut constat ex hoc loco, quem versamus, ubi videns Rex Amanum corruisse super accubitorium Reginæ torum, exsurgit in iras, suspicatus illum Reginam ad flagitium sollicitare.

Idem colligitur ex pluribus hujus Historiæ locis, ut cap. 2, ubi regiæ concubinæ ab eunuchis arctè servantur; cap. 4, ubi Esthera per Atachum internuntium cum patruo suo Mardochæo negotium maximi momenti peragit.

Audi Plutarchum de hoc in Themistocle.

Nationes barbaræ, inquit, *fere, & præter ceteras Persica, æmulatione erga mulieres asperæ naturâ sunt, & atroces; neque enim uxores solum, sed ancillas quoque empticias, & pellices anxiâ sepsiunt custodiâ, ne à quo domestico conspiciantur, verum domi degant conclusæ, & per viam undique septæ in tentorio vehuntur curribus. Hujus indicium est, quòd Themistocles tectus instar concubinarum, ignotus omnibus ad regem in vehiculo delatus est, quasi Ionica muliercula. Quod Phædima Otiani filia magi regis concubina, ut testatur Herodotus lib. 3, ne cum patre quidem suo palam colloqui poterat, imò ne cum aliis quidem concubinis; sed locis disclusa solitariam vitam agebant, ut siquid cum alio agendum esset, id per cubicularios internuntios sive eunuchos agere oporteret.*

§1. Asperitas Persarum in mulieres, & arcta earum custodia.

Tradit Iosephus Persarum sancitum legibus, ne mulieres extraneis viris inspiciendas se præberent. Ita l. 11 Antiquit. c. 9.

§2. Zelotypia hominem in furorem vertit. Nec mirum Assuerum regem potentissimum & sanguine Persarum satum æmulationis hujus œstro percitum in Amanum, quem conjugis rivalem suspicabatur, excanduisse. Nulla enim ægritudo hac furiosior est, nulla perturbatio vehementior, ut quæ mentem perturbet, & veluti eripiat, in furorem adigat, in neces aliorum armet & impellat.

Notum est illud Salomonis Proverb. 6, ℣. 34, & 35: *Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ; nec acquiescet cujusquam precibus, nec recipiet pro redemptione dona plurima.*

Vbi vides Regem Sapientiæ columen sub eodem jugo junxisse furorem & zelum; sunt enim sibi vitia connexa; Denique zelotypiæ affectio etiam ipsum corpus corrumpit, & labefactat & ad senectutem accelerat. Sic dicit Sirachides Ecclesiastici 30, vers. 26: *Zelus & iracundia minuunt dies, & ante tempus senectam adducet cogitatus.*

§2. Homo animal zelotypum. Scimus quidem hominem esse animal zelotypum teste Homero sub finem l. 7. Odyssææ, ubi canit.

Δύσζηλοι γὰρ Τίτανες ἐπὶ χθονὶ φῦλ' ἀνθρώπων.
Zelotypi sunus ætherea qui vescimur aura.

Tanta autem est hujus morbi gravitas vel rabies potius, ut viri frequenter legantur uxores immerentes interemisse. Vnum ex multis nobis refert

retert Andreas Tiraquellus variis locis.

53. Iustina pulcherrima puella à novo marito interfecta zelotypiæ furore accenso.

Iustina nobilissima puella Romana virgines ætatis suæ formâ longè supergressa, cùm juveni cuipiam nuptum esset à parentibus tradita, ob solam suam pulchritudinem in suspicionem marito venit, qui candidissimæ uxoris cervicem conspicatus inclinantis se ad exuendum calceum, furore ex zelotypiâ accensus, teneram puellam, novamque conjugem jugulavit. Extat ejus Epitaphium tale.

Immitis ferro secuit mihi colla maritus,
Dum propero nives solvere vincla pedis.
Nec culpa est meruisse necem; bona numina testor;
Sed jaceo fati sorte perempta mei.
Discite ab exemplo Iustinæ, discite patres,
Ne nubat fatuo filia vestra viro.

Sed nobis propositum non est hoc loco plura de hac vitiosâ animi affectione disserere, cùm copiosè de hac scripserit egregius Iure consultus Tiraquellus in legem Connubialem 13, n. 28, & sequent. item in Legem 16 ab initio & deinceps.

Sunt Scriptores, qui ex versu 8 hîc ansam arripiunt agendi de audaciâ peccatoris præsumentis Deo præsente peccare. Vide inter alios Iacob. Lobbetium lib. 5, de peccato, §. 4.

Morale Documentum.

Fallacia humanæ felicitatis.

NOlo hîc disputare de æquitate supplicii à Rege Amano decreti. Certum enim est tyrannum cruentissimum, qui Mardochæo innocentissimo crucem erexerat, & innoxium Iudæorum populum ad necem devoverat, in patibulum & furcam justissimâ vindictâ abreptum.

Voluit autem Deus in hoc postremo Amanianæ Tragœdiæ Actu & Catastrophe, tamquam in imagine quadam, pictâque tabellâ describere instabilitatem, fallaciam, & conversionem felicitatis mundanæ. Quàm versatilis sit fortunæ & conditionis humanæ rota ex hoc uno discere datur. Describitur hæc à S. Cypriano in quadam epistolâ ad Donatum, quæ est prima, quam post acceptum Baptismum scripsit. Paucula ex illâ hic delibo. Paulo post medium.

54. Fallacia felicitatis humanæ ex Cypriano.

Quos honores putas esse? quos fasces? quam affluentiam in divitiis? quam potentiam in castris? in magistratu purpuræ speciem? in principatu licentiæ potestatem? Malorum blandientium virus occultum est, & arridentis nequitiæ facies quidem læta, sed calamitatis abstrusæ illecebrosa fallacia instar quoddam veneni, ubi in letales succos dulcedine aspersâ calliditate fallendi sapore medicato, poculum videtur esse quod sumitur; ubi ubi epotaveris, pernicies hausta grassatur, &c.

Et circa finem. *An tu vel illos putas tutos, illos saltem inter bonorum insulas, & opes largas stabili firmitate securos, quos regalis aulæ splendore fulgentes armorum excubantium tutela circumstat? Major illis quàm ceteris metus est: tam ille timore cogitur, quàm timetur. Exigit pœnas pariter de potentiore sublimitas, sis licet satellitum manu septus, & clausum ac protectum latus numeroso stipatore tueatur. Quàm securos non finit esse subjectos, tam necesse est non sit & ipso securus. Ante ipsos terret potestas sua, quos facit esse terribiles. Arridet ut sæviat: blanditur ut fallat: illicit ut occidat: extollit ut deprimat. Fœnore quodam necendi quam fuerit amplior summa dignitatis & honorum, tam major exigitur usura pœnarum.*

Et postea: *Caduca sunt, quæcumque fucata sunt, nec fiduciam præbent possidentibus stabilem, quæ possessionis non habent veritatem.*

Hæc ille ex Rhetore Christianus, & plura, quæ quàm aptè Amano conveniant, & cuilibet fugacibus mundi bonis inhærenti, quilibet videt.

S. Hieronymus epistolâ primâ ad Heliodorum. *Nolite credere, nolite esse securi. Licet in modum stagni fusum æquor arrideat; licet vix summa jacentis elementi spiritu terga crispentur; magnos hic campus montes habet, intus incluſum est periculum, intus est hostis. Tranquillitas ista tempestas est.* Seneca Tragicus:

Semel profectò premere felices Deus
Cùm cœpit, urget; hos habent magna exitus.

55. Timenda conditionalmis secunda.

Vnde rectè Magnus Alexander l. 3 apud Curtium cap. 15. *Illam ipsam fortunam, quâ aspirante res tam prosperè gesserat verebatur. Nec injuriâ. Ex his quæ tribuisset sibi, quàm mutabilis esset, reputabat.*

Idem Curtius c. 22, ibidem vocat *impotentis fortunæ speciem.*

Valerius verò lib. 6, cap. 9. Caput, quo agit de morum & fortunæ mutatione ita concludit. *Caduca nimium hæc & fragilia, puerilibusque consentanea crepundiis sunt, quæ vires atque opes humanæ vocantur. Assiunt subitò, repente dilabuntur: nullo in loco, nulla in persona stabilibus nixa radicibus consistunt: sed incertissimo flatu fortunæ, huc atque illuc acta, quos in sublime extulerunt, improviso decursu destitutos, profundo cladium miserabiliter immergunt. Itaque neque existimari neque dici debent bona, quæ ut infelicium malorum amaritudine desiderium sui duplicent, propensiore favore primo delinitos, majore postea malorum cumulo opprimere solent.* Sic ille.

56. Instabilitas bonorum fortunæ.

Omnis hujus mundi prosperitas, ut spuma dissipatur & evanescit, juxta illud Oseæ 10, vers. 7. *Transire fecit Samaria regem suum quasi spumam super faciem aquæ.* Vbi S. Hieron. *Sicut spuma*, inquit, *quæ super aquam est, citò dissolvitur: sic regnum decem tribuum velocissimè interiit.* Ita ille.

57. Instar spumæ sunt regna, & omnia humana.

Deus enim exacerbatus scelcribus, & maximè idololatriæ impietate, regnum Israëlis penitus dissolvit.

Consentanea est gloriæ humanæ species bullæ, quam ludibunda puerorum turba smegmate & aquâ compositam in putamine nucis versicolore paratu straminea fistulâ vel arundine excitat; Sicut enim spumæ in ære flatu elatæ, quò magis intumescunt, eò evanescunt celerius, majorque ille tumor non est aliud quàm velocior ad interitum transitus: ita quoque excelsior honoris gradus, ambitiosior pectoris fastus, altior dignitatum & opum cumulus est præcipitis ac impendentis ruinæ certius argumentum.

57. Quò magis humana eminent, eò citius evanescunt.

Mundus hic Deo est quasi campus Martius; in quo Romana juventus pilæ ludo se exercebat. Siquidem Deus homines præsertim opibus, potentiâ, gloriâ turgidos instar follis vel pilæ paganicæ inflatos & suffertos quàm celerrimè projicit, mittit remittit quasi reciproco jactu, volvit, revolvit, pro libito, secundum illud Plautinum;

58. Mundus Deo Campus Martius.

58. Deus hominibus quasi pila ludit.

Dii nos homines quasi pilas habent.

Quinimo aliqui sic quondam hominem finierunt. *Homo pila est, quâ ludit Deus.*

59. Belisarius pila fortunæ.

Vnde & legimus Belisarium celebrem illum tempore Iustiniani Imperatoris ducem modo fortunatissimum, modo ærumnosissimum, *Pilam fortunæ* nuncupatum. Aliqui tamen hunc titulum Ablanio tribuunt, ut infrà.

Mirabile volubilis fortunæ spectaculum vel ludibrium potius fuit Carolus Crassus (qui nomen hoc tulit à crasso corpore) Imperator, cujus monimentum cum hac Epigraphe visitur apud Helvetios in Cœnobio Chugnteldenli.

60. Carolus Crassus Imperator ludibrium fortunæ ut docet historia.

Carolus Crassus Rex Sueviæ, promptos Caroli Magni Italiam potenter intravit, eamque devicit, Imperiumque Romanum, ubi Cæsar coronatus, obtinuit: Ac mortuo fratre suo Ludovico universam Germaniam & Galliam jure hæreditario acquisivit. Demum animo, mente & corpore deficiens ab imperio, magno sane ludibrio dejectus, à suis omnibus postpositus, humili hoc in loco sepultus jacet. Obiit Anno Domini 888. Idib. Ianuarii.

Narrant hanc fortunæ conversionem vel Tragœdiam plures Historici, ut Hermanus Contractus, Regino, Baronius tomo 8, Andreas Bruuner lib. 7 Boiorum, & alii. Compendium accipe.

Carolus dum per Alsatiam iter facit, repentè viribus & valetudine destitutus ægrè Alemaniam attigit. In Potamensi castro decumbenti ferrum etiam medici admoverunt. Levatus nonnihil sectione, Weidlingæ conventus egit. Post quos labascente subinde corpore, nec mente satis constitit, quousque odiis popularibus increscentibus regno excidit. Nam dum mense Novembri sub Martinalia Triburias vel Francofurtum (variant enim scriptores) comitia edicit, Franci, Saxones, Thuringi, attractis in partes suas Bojorum, Alemannorumque proceribus, de abrogando ipsi imperio consultant: & conspirantibus sententiis, Arnulphum Carolomanni filium Pannoniæ ducem evocant, abdicatoque Carolo, qui patruus ejus erat, ipsum regem salutant. Carolus cùm Arnulphum bello statuisset persequi, aversis omnium mortalium à se voluntatibus, & ne uno quidem operam pollicente, necessariò cœpto destitit; maximè cùm jam etiam Alemannos fidei suæ, quâ ipse plurimum nitebatur, pœnituisset. Quibus dilapsis, neque familiaribus servulis verecundiæ fuit, dominum projicere, quem paulò antè totus orbis adoraverat.

Tandem, ut suum ludum fortuna absolveret, Imperator, Carolo Magno, ut æqualis nomine, ita potentiâ proximus, cum ultimis humanæ vitæ ærumnis conflictatus, famem solâ Luitberti Moguntini Antistitis liberalitate sustentabat. Quæ necessitas illum impulit ut post imperii curas, de sportulâ sollicitus, ad stipem eamque stipem impetrandam, Bernardum filium extra leges conjugii susceptum ire legatum ad Arnulphum, verbisque, pro præsente fortunâ & tenuissimis pristinæ opulentiæ reliquiis instructum, novo patrono fieri supplicem jusserit, uti memor sortis humanæ & mundi fallacis, Carolo nuper Imperatori, Caroli Magni pronepoti, patrono suo, cujus ipse viventis heres esset, daret de tot regnis, non quantum regi ad pompam, sed quod homini ad vitam satis esset: rebusque omnibus fortunæ invidiâ, aut ludibrio ereptis, ultimi se voti damnaret: ne animam ulli mortalium potius, quàm Arnulpho debere cogeretur. Cui, ut prodesse, ne exemplo quidem posset, non tamen indecorum illi fore, inter mendicabula pascere Cæsarem. Arnulphus supplici in Suevia de regiis vectigalibus annonam statuit, concessitque, ut Nerdingæ, vitæ reliquum exigeret; quod quidem insigni animi æquitate præstitit.

Illustre documentum Carolus fuit, quid sperare quis possit in honorum, imperiorumque fastigio positus à mendace & sycophantâ mundo, & mobilitate vigente Fortunâ, quæ ut ille canit, *Ludum insolentem ludere pertinax.*

Plura hujuscemodi argumenta & alibi suggessimus, & etiam inferius dabimus.

Præclarè Seneca Epistolâ 36: *Res inquieta est felicitas, ipsa se exagitat, movet cerebrum non uno genere vitiorum: sed alios in altum irritat; hos in potentiam, alios in luxuriam, hos inflat, hos mollit, & totos resolvit, aliquos ad omnia vitia impellit.*

61. Noli fortunæ fidere.

Idem Epistolâ 4: *Neminem eò fortuna provexit, ut non tantum illi minaretur, quantum permiserat. Noli huic tranquillitati confidere. Momento mare vertitur: eodem die, ut luserunt navigia, sorbentur. Cogita posse latronem & hostem admovere jugulo tuo gladium: ut potestas major absit, nemo non servus habet in te vitæ, necisque arbitrium.*

62. Exempla utriusque Fortunæ, Pompeji & Crassi, alii.

Præmiserat ibidem exempla quorumdam, qui utriusque fortunæ vim fuerant experti: *De Pompeii*, inquit, *capite pupillus & spado tulere sententiam* (rex scilicet Ægypti puer & sub tutelâ, & Pothinus eunuchus regis & rerum potens) *De Crasso crudelis & insolens Parthus. Cujus Cæsar jussit Lepidum Decimo tribuno præbere cervicem: ipse Chæreæ præstitit.*

Manil. lib. 4, Astronomicon.

Quid memorem eversas urbes, regumque ruinas,
Inque rogo Cræsum, Priamumque in littore truncum,
Cui nec Troja rogus? Quid Xerxem, majus & ipso
Naufragium pelago? Quid captos agmine reges?

Plurima hujusmodi fortunæ inconstantis exempla congessit S. Hieronymus epistolâ consolatoriâ ad Heliodorum Episcopum super morte Nepotiani nepotis sui, paulo ultra medium.

VERSVS X.

Suspensus est itaque Aman in patibulo, quod paraverat Mardochæo: & regis ira quievit.

Hebraicè: & suspenderunt Haman super ligno, quod parari fecerat Mardochai: & ira regis quievit.

COM-

COMMENTARIVS.

An Aman cruci clavis affixus, an verò strangulatus?

QVæritur hîc primò; num Amanus præfocatâ laqueo gulâ pendulus in aere è furca hæserit, & more latronum noſtri temporis ſuſpenſus fuerit; an verò cruci clavis affixus ſit. Priore modo ſupplicio affectum indicat Aſſuerus ℣. 9. *Appendite eum*, inquit, *in eo*, cùm dixiſſe debuerit, Affigite eum.

Fuit cruci affixus.

Nihilominus Iacobus Gretſerus, cui ſubſcribo, l. 1, de Cruce c. 19, affirmat Amanem clavis in patibulo confixum.

Colligo illud primò ex verbis Aſſueri cap. 8; ℣. 7, ubi ſic loquitur: *Domum Aman conceſſi Eſther, & ipſum juſſi affigi cruci, quia auſus eſt manum mittere in Iudæos.*

Secundò, quia ubi nos habemus hîc ℣. 9: *Appendite eum in eo*, Septuaginta habent, σταυρωθήτω ἐν αὐτῷ, *crucifigatur in eo.*

Vnde non obſtant ſenſui ſuo illa: *Appendite eum in eo*, &, *ſuſpenſus eſt itaque Aman in patibulo*, & cap. 16, ℣. 18: *pendet in patibulis*; verè enim, inquit Gretſerus, ſuſpenditur vel appenditur in cruce, qui cruci clavis ſuffigitur, & Deuteron. 21, ℣. 22, is, qui more Iudæorum clavis cruci affixus fuerat, dicitur appenſus in patibulo. *Quando*, inquit, *peccaverit homo quod morte plectendum eſt, & adjudicatus morti appenſus fuerit in patibulo*: &c. Diverſis enim loquendi formulis idem ſupplicium exprimitur. Sic 2 Regum 21, 6, ubi Gabaonitæ dicunt David: *Dentur nobis ſeptem viri de filiis ejus* (Saulis) *ut crucifigamus eos Domino*; habent Septuaginta: *des nobis ſeptem viros, καὶ ἐξηλιάσωμεν αὐτοὺς τῷ κυρίῳ, & ad ſolem expandemus eos Domino.* Et rurſum ibidem ℣. 9, ubi noſter legit: *Crucifixerunt eos in monte coram Domino*, habent iidem interpretes, καὶ ἐξηλίασαν αὐτοὺς ἐν τῷ ὄρει, *Et expanderunt eos ad ſolem in monte.* Et aptè quidem omnino hoc loquendi modo expreſſerunt crucis ſupplicium. Quis enim ſolis radiis magis expoſitus, quam qui in cruce pendet fixa in monte.

Etiam Perſæ reos cruci affigebant.

Tertiò, quia vetus & tritus crucifigendi modus clavis fiebat, etiam, ut videtur, apud Perſas, de quo poſtea agendum. Solum hic ponam verba Darii regis, quæ habet in ſuo Decreto, primi Eſdræ cap. 6, ℣. 11. *A me ergo*, inquit, *poſitum eſt decretum: Vt omnis homo, qui hanc mutaverit juſſionem, tollatur lignum de domo ipſius & erigatur, & configatur in eo, Domus autem ejus publicetur.* Completum verò fuit hoc decretum ad verbum in Amani occiſione.

Quæritur 2, An Amanus ſuſpenſus fuerit in proprijs ædibus, ubi patibulum erexerat Mardochæo.

Suſpenſus Amanus ante portas Suſianas.

Ita factum autumat Salianus, ſed poſtea ejus cadaver tranſlatum ad portas Suſianas.

Contrà cenſent Interpretes, Serarius quæſt. 21, & Sanctius hîc, ſcilicet patibulum, quod erexerat Mardochæo appendendo Amanus, domo ejus ablatum fuiſſe & fixum loco magis publico & conſpicuo ante portas urbis Suſorum, ut furcifer Amanus ab omnibus ſpectaretur. Sic enim hoc etiam tempore læſæ majeſtatis rei & latrones vel intra vel extra pomœrium ſuſtolli in furcis & rotis ſolent. Indicant hoc Septuaginta cap. 8, & ex regis Artaxerxis litteris patet in Latino cap. 16, verſ. 18, ubi loquens de nequitiâ Amani: *Pro quo ſcelere*, inquit, *ante portas hujus urbis, id eſt, Suſan, & ipſe qui machinatus eſt, & omnis cognatio ejus pendet in patibulis: non nobis, ſed Deo reddente ei quod meruit.*

Sublato verò è mediò Amano totius mali architecto furor regis deferbuit.

Sylloge, & ſummarium decretorum capitalium & pœnarum apud Perſas uſitatarum.

MVltâ de hoc argumento obſervavit Barnabas Briſſonius lib. 2, de regio Perſarum principatu pag. 258 & ſequentibus, & Spicilegium coacervavit Feuardentius hic. Nos pauculâ tantùm ſeligemus.

Hæc itaque erant apud Perſas uſitatiora ſupplicia, quibus rei multabantur.

61. Capitis præciſio.

Primò, Capitis præciſio, ut conſtat ex Herodoto & Xenophonte. Plutarchus de hac ſic ſcribit in Artaxerxe, de Dario ob conjurationem adverſus Artaxerxem patrem ſuum extremo ſupplicio affecto: *Omnium*, ait, *regiorum conſiliariorum ſuffragiis damnatus Darius, capitalique ſupplicio addictus, à lictoribus in propinquum carcerem eſt abductus. Carnifex acetum, manu tenens novaculâ, quâ damnatorum capita abſcindi ſolent, ut vidit Darium, perterritus receſſit: foris autem judicibus minaciter, ut mandata exequeretur, jubentibus, reverſus intrò, altera manu comam apprehendit, cervicemque depreſſam novacula abſcidit.*

Combuſtio.

Secundò, Vivi hominis crematio. Oſtendit hoc Heliodorus in hiſtoriâ Æthiopicâ l. 8, agens de Charicliæ ſupplicio.

Pellis detractio.

Tertiò, Pellis cutiſque detractio: cujus multa extant exempla, de quâ & ſcribit Ammianus Marcellinus lib. 23. *Cutes*, inquit, *vivis hominibus detrahunt particulatim vel ſolidas.* Valerius lib. 6, cap. 3. *Cambyſes inuſitatæ ſeveritatis, qui mali cujuſdam judicis ex corpore pellem detractam, ſellæ intendi, in eaque filium ejus judicaturum conſidere juſſit. Ceterùm & Rex & barbarus atroci ac nova pœna judicis, ne quis poſtea corrumpi judex poſſet, providit.* Idem factum recenſet Herodotus lib. 3.

64. Cambyſes judici malo pellem detrahi juſſit.

65. Sic Manetis cutis avulſa.

S. Cyrillus Hieroſolymit. Catecheſis ſic refert de punito Manete Manichæorũ ſcelerato parente. Cùm enim hic à Perſarum Rege in carcerem conjectus, neſcio quo pacto inde profugiſſet, atque ob eam rem cuſtodes carceris morte multati eſſent; tandem à regiis ſatellitibus perquiſitus, regis decreto, cùm inventus eſſet, vivo pellis, coriumque à corpore divulſum eſt.

Narrat Procopius lib primo de bello Perſico Baſilii à Magis damnati pellem detractam, & inde culeum ſive utrem confectum, & è procerâ arbore ſuſpenſum.

Vivi hominis defoſſio.

Quartò, Vivorum hominum defoſſio & ſepultura: Teſtatur Herodotus lib. 7. *Perſicum*, inquit, *eſt defodere vivos. Nam & Ameſtrim Xerxis uxorem jam provectæ ætatis audio bis ſeptem illuſtrium*

stirium Persarum liberos defodisse, ad referendam pro se gratiam Deo, qui sub terrâ esse fertur. Sic ipse.

Supplicium crucis.

Vulgatum quoque apud Persas fuit patibuli vel crucis supplicium, ut ex Scripturâ exempla prolata ostendunt; Sic Esther 2, vers. 23, duo eunuchi, qui contra Assuerum conspiraverant, appensi in patibulo: Sic Amanus hic: sic decem ejus filii c. 9, ℣. 14. Et omnis ejus cognatio c. 16, ℣. 18. Idem ostendunt verba Darii l. primi Esdræ cap. 6. vers. 11.

66. Etiam proceres eo afficiebantur.

Afficiebantur etiam eâdem pœnâ maximâ dignitate præditi. Ita scribit Cicero lib. 5 de finibus Polycratem Samium ab Oroëte Prætore Darii in crucem actum, quod etiam memorat Herodotus lib. 4. Similiter Artaphêrnes Sardium Præses & Harpagus Histiæum Milesium in crucem, sed truncato prius capite sustulerunt, ut auctor est idem Herodotus l. 6. Sataspes etiam, quòd Zopyri filiæ virgini vitium obtulisset, in crucem sublatus est, ut idem habet lib. 4. Præterea ipsum Leonidæ Spartanorum Regis, qui ad Thermopylas occubuerat, truncum, & à capite avulsum corpus in crucem tolli Xerxes & Mardonius ejus Prætor jusserunt. Herodot. l. 9.

Alexander quoque Macedo multos etiam Satrapas Persarum in crucem egit, ut tradunt Arrianus l. 6, & Curtius lib. 9.

67. In carceres rei conjiciebantur, & nobiles aureis compedibus vinciebantur.

Cæterùm moris apud Persas plerumque erat reos in carceres & publicas custodias dari, & dignitate præcellentes viros etiam aureis argenteisque manicis & compedibus vinciri in quoddam, ut existimabant, miseriarum solatium: quò alludens Tertullian. libro de habitu mulierum: *Apud barbaros quosdam*, inquit, *quia vernaculum & copiosum est aurum, auro vinclos in ergastulis habent, & divitiis malos onerant tanto locupletiores, quanto nocentiores.*

Deinde habebat Rex penes se judices, consiliarios vel Septemviros, ad quos causæ capitales deferebantur, & quos Rex consulebat, ipsumque quocumque iter faceret, comitabantur, ut constat hic c. 1, ex Iosepho lib. 11. c. 6, Antiquit. & Xenophonte in Cyropædia, Herodoto & aliis.

68. Reorum merita & demerita conferebantur inter se.

Postremò, tradunt Herodotus lib. 7, & Diodor. lib. 16, inter Persas consuetudine & usu receptum, ut siquis in periculum capitis vocaretur, ejus merita & demerita, bona & mala facinora compararentur, & ponderarentur: Et quidem, si ea quæ præclarè pro Rege vel patriâ gesserat, pondere ac numero superarent, omnium calculis absolvebatur, ut Sandaces, & Tiribazus; si verò mala prævalerent, ultimo supplicio plectebatur. An hæc tria Assuerus observaverit in Amani condemnatione, non satis liquet. Putant aliqui eum cum Septemviris, & judicibus deliberasse cum in hortum arboribus consitum secessit. Sed hoc incertum est.

Vinctum etiam fuisse Amanum & fortè aureis catenis cùm ad crucem raperetur, satis verisimile est. Meritorum ejus nulla hîc collatio videtur instituta. Quorsum enim librarentur ejus beneficia cum gravissimo scelere, quo tot regi fideles subditos perdere destinaverat?

Ethologia Prima.

Cicero. *Malum consilium consultori pessimum.*

Hesiodus. Ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη.

HOc, si quis alius, docuit exemplo suo Amanus. Sic ratiocinatur hîc Iosephus; ubi ait, Deum non solùm Amanum merito supplicio tradidisse, verùm etiam pœnam in alterum excogitatam, in caput inventoris convertisse.

69. Patibulatus Amani in Adagium abiit, contra eos qui fraude pereunt propriâ.

Quinimo patibulum Amani in Adagium versum est, in eumque dicitur, qui perüt fraude, quam alteri intentarat.

Sic usurpant veteres gentiles Busiridis aras, & Phalaridis taurum, quia primi artifices arte suâ se perdiderunt. Hinc cecinit Claudian. lib. 1, in Eutropium.

70. Sicut & Busiridis aræ, & Phalaridis taurus.

Quam bene dispositum terris, ut dignus iniqui
Fructus consilii primus auctoribus instet.
Sic multos fluvio vates arente per annos
Hospite qui cæso monuit placare Tonantem,
Inventas primum Busiridis imbuit aras,
Et cecidit sævi, quod dixerat, hostia sacri.
Sic opifex tauri, tormentorumque repertor,
Qui funesta novo fabricaverat æra dolori,
Primus inexpertum, Siculo cogente tyranno,
Sensit opus, docuitque suum mugire juvencum.

71. Thrasium mactatus à Busiride suo consilio.

Historia vel fabula, quam indicat Claudian. primo loco hæc est: Thrasius vel Thrasius augur in summâ siccitate Busirim Ægypti tyrannum conveniens, ostendit à Iove posse impetrari pluviam, si ei hospites immolaret. Quærente verò Busiride, qui genus vel unde domo esset; cùm se peregrinum profiteretur; tu ergo primus, inquit, Ægypto aquam dabis.

De hoc Thrasiâ sic Ovidius lib. 3, de Arte amandi.

Dicitur Ægyptus cæruisse rigantibus arva
Imbribus, atque annis ficca fuisse novem.
Cùm Thrasius Busirin adit, monstratque piari
Hospitis effusi sanguine posse Iovem:
Illi Busiris: fies Iovis hostia primus,
Inquit, & Ægypto tu dabis hospes aquam.

72. Perillus suo tauro à Phalaride inclusus.

Historia altera sic se habet. Perillus apud Athenienses nobilis faber Phalaridi tyranno Agrigentino, qui novis excogitatis semper delectabatur tormentis, æreum taurum magno artificio confecit, in quo reus clauderetur, qui ignibus subjectis mugitus bovis ederet, cujus muneris nomine cùm amplissimum à Tyranno munus speraret, primus ipse tauro inclusus igne subdito *cum expertus est cruciatum justiore sævitiâ*, ait Plinius l. 34, c. 8: unde Sulmonensis poëta ita cecinit primo de Arte.

Et Phalaris tauro violenti membra Perilli
Torruit: infelix imbuit auctor opus.

Quin etiam immanissimus ille Siciliæ tyrannus, si eidem poëtæ credimus, videtur à suis comprehensus, linguâ prius resectâ in eumdem taurum conjectus fuisse. Sic hic invectus in Ibin:

Ære Perillæo veros imitare juvencos,
Ad formam tauri conveniente sono.
Vique ferox Phalaris linguâ prius ense resectâ,
Mugiat Paphio clausus in ære gemas.

Pa-

ri Paphium æs dixit pro Cyprio : nam ex ære Cyprio sive cupreo bos conflatus erat.

Vide eumdem Ovidium lib. 3 Tristium Elegiâ 11. Lucianum in Phalaride, Valer. Maximum lib. 9, de crudelitate, Ciceron. in Pisonem, Orosium lib. 1, cap. 20. Sanct. Augustin. lib 18, de Civitate cap. 12, & ipsum Phalaridem Epist. 103.

His gemina multa subministrant nobis divina oracula ; quibus veritas confirmatur Sapientissimi regis ore profecta, Sapientiæ 11, vers. 17, *Per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.*

71. Adonibezec punitur pœnâ, quâ alios affecerat.

Accipe nonnulla. Iudicum 1, ℣. 6. Populus Iuda comprehenderunt Adonibezec cæsis summitatibus manuum ejus ac pedum : Dixitque ℣. 7. Adonibezec : *Septuaginta reges amputatis manuum ac pedum summitatibus colligebant sub mensa mea ciborum reliquias : sicut feci, ita reddidit mihi Deus.* Sic ille.

Neque enim lex justior ullaest
Quàm necis artifices arte perire sua,

Ait lib. 1, de Arte Ovid.

74. Banajas Ægyptium hastâ propriâ occidit.

Secundi Regum 23, vers. 21, *Banajas filius Iojadæ interfecit virum Ægyptium : virum decorum spectaculo, habentem in manu hastam : itaque cum descendisset ad eum in virga ; vi extorsit hastam de manu Ægyptii, & interfecit eum hastâ sua.*

75. Sic alii apud Danielem supplicio quod alius paraverant, interierunt.

Sic Danielis 3, ℣. 22, viros qui tres juvenes Hebræos in fornacem accensam miserant, absumpsit flamma ignis, ipsis omnino intactis versu 50.

Ita Daniel bis conjectus in lacum leonum innoxius, ejus delatoribus subitò ab iisdem discerptis, Daniel cap. 6 & 14.

Veterani illi veteratores, qui integerrimam Susannam falsò accusaverant, interierunt pœna, quam eidem intentaverant, Daniel. 13, 61, & 62. *Consurrexerunt*, inquit, *adversus duos presbyteros, fecerunt q; eis sicut malè egerant adversus proximum, ut facerent secundum legem Moysi : & interfecerunt eos, & salvatus est sanguis innoxius in die illa.*

76. Maxentius paratâ Constantino fraude periit.

Historia etiam Ecclesiastica his paria plurima profert. Cùm Maxentius fallendi Constantini causâ naves dolose connexas Tiberi imposuisset, & pontibus ad fraudem compositis instravisset, ipse incautus in pugnam ruens, & pontes transiliens dissolutâ navium compaginatione submersus perit. Ita Eusebius l. 9. Histor. c. 9, & lib. primo de vitâ Constantini.

77. Sic Eutropius à templo abstractus, cujus asylum denegandum alius auctor fuerat.

Socrates lib. 6, cap. 5, & alii non absimile produnt de Eutropio Arcadii Cæsaris eunucho potentissimo. Hic dum studet quotidam, qui ad templum confugerant, perdere, persuasit Imperatori, ut sacri loci immunitas nulli nocenti prodesset. Tandem ipse cùm gratia Cæsaris excidisset, & ad aram confugisset, inde protractus, capite plexus est, primusque suo consilio perit.

78. Portatur in exilium Euthymius eodem carpento quo S. Ambrosium deceverat deportare.

Serarius hic non dispar refert ex Paulino in vitâ S. Ambrosii cap. 5 ; apud Surium April. 4, de quodam Euthymio Ariano, qui Iustinæ Imperatricis hæreticæ promissis excitatus S. Ambrosium in exilium perducere conabatur.

Hic itaque juxta Ecclesiam sibi domum paravit, atque in eadem carrum constituit, quo facilius Episcopum raptum in exilium deportaret. Sed iniquitas ejus in verticem ipsius descendit, Psal. 7. *Post annum enim eodem die, quo illum rapere se arbitrabatur ; eodem carpento impositus, de eadem domo ipse ad exilium destinatus est, reputans sibi justo judicio Dei id in se esse conversum, ut in eodem carpento dirigeretur ad exilium, quod ipse paraverat facere alteri.* Ita Paulinus.

79. Cum Theodosius Imperator contra Eugenium pugnaret, spiculâ ab hostibus missa contra ipsos retorquebantur.

Addo & aliud, quod Baronius memorat tomo 4, Anno Christi 394, Theodosii Senioris 16, ex Ruffino lib. 2, cap. 33, Socrate lib. 5, c. 24, Sozomeno l. 7, c. 24, Orosio l. 7, c. 35, Theodoreto lib. 5, cap. 24, & Claudiano gentili poeta in Panegyr. ad Honorium Imperatorem, in 3 ejus consulatu. Memorabilis fuit victoria divinitus parta Theodosii adversus Eugenium tyrannum, cùm in prœlio spicula ab hostibus emissa, in ipsos magno miraculo remitterentur. Paucis refero verba Theodoreti suprà. *Cum tela*, inquit, *utrimque conjici capta sunt, sum antesignani Imperatoris* (S. Ioannes Euangelista & Philippus Apostolus, qui sub tempus noctis illi visi fuerant candido vestitu amicti, equis albis vecti, qui se auxiliares ad eum missos esse testabantur) *vere promissa præstitere. Nam ventus violentus e regione hostibus irruens illorum sagittas, jacula, spiculaque in ipsos retorquet, adeò ut nullum teli genus eis adjumento fuerit : neque miles gravis armaturæ, neque sagittarius jaculator Imperatoris exercitum lædere potuerit. Quin etiam tanta pulveris copia in eorum facies impetu ferebatur, ut palpebras occludere & pupillas oculorum ut graviter oppugnatas tegere ac tueri eos coëgerit. Imperatoris autem exercitus nullo damno, incommodove ex illo turbine accepto fidentibus animis homines trucidant. Qui quidem his rebus perspectis, & divino auxilio, quod Imperatoris copiis allatum erat, cognito, abjectis armis veniam ab Imperatore supplices petunt.* Hucusque Theodoretus, cui concinit Claudian.

Te propter gelidis Aquilo de monte procellis
Obruit adversas acies, revolutaque tela
Vertit in auctores & turbine repulit hastas :
O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Æolus armatas hiemes, cui militat æther,
Et conjurati veniunt ad classica venti !

Hatto Moguntinus Episcopus plures pauperes, quos mures vocabat, horreo concluserat, quod incendit. Dum autem miselli ejularent in flammis, dixisse fertur, Hem! ut musculi illi sibilant. Sed non diu vindictam suspendit Deus. Hatto quidquid ageret quocumque se verteret, vel fugeret, licet sedem suam è terrâ ad aquas transferret ; mediis tamen in aquis à murèbus detentus & corrosus interiit. Etiam modò vetus rei signum visitur Turris murium Rheno cincta. Ita plures scribunt Munsterus, Genebrardus in Chronologiâ. Nicolaus tamen Serarius lib. 4 de rebus Moguntiacis fabulam esse affirmat.

Hujusmodi plura protuli Commentar. in Ecclesiastici cap. 27, ad versum 28, 29, 30, qui huc pertinent. Sic ibi legis. *Qui in altum mittit lapidem, super caput ejus cadet ; & plaga dolosa dolosi dividet vulnera* (id est, diducet, & luculentiora faciet, ἀναῤῥήξει) *Et qui foveam fodit, incidet in eam ; & qui statuit lapidem proximo, offendet in eo ; & qui laqueum alis ponit, perdet in illo. Facientis nequissimum consilium, super ipsum devolvetur, & non agnoscet unde adveniat illi.*

Germana his habes Psal. 7, 16, &c. Psal. 9, 16, Prov. 26, 27 Ecclesiastæ 10, 8 & 9. Iob 18, 7 & 9, & alibi. Sic enim plerumque accidere videmus.

80. Capra pedibus ferrum eruit quo immolanda erat.

Accipe & profana quædam. Iunoni Acrææ Corinthii sacra facturi erant, sed victimarium cultrum popæ seu sacrificuli nullum habebant, cum ecce tibi capra (hæc erat Iunoni hostia destinata) pedibus terram scalpens in suam perniciem eruit. Sic malum sibi peperit. Adagium jacitur in eos, qui improbi cum sint, & Deo invisi, divinâ Nemesi ulciscente suæ mortis causas procurant. παροιμία ἐπὶ τῶν κακῶς τι καθ' ἑαυτῶν πραττόντων, inquit Zenobius Centuriâ primâ Adag. 27.

81. Leones devorant eos qui miserant ipsos è caveis.

Megarenses, cùm caperentur à Calcuo, caveis effractis leones in hostes immisêre, rati se obicem grassanti jam in civium capita mucroni objecturos; sed miseri ab iisdem luctuoso, & vel ipsis hostibus miserando spectaculo sunt devorati. Vide Pierium Valerianum lib. 1, Leonis Hieroglyphico 6.

Proverbium est. Turdus ipse sibi malum creat. nam è fimeto turdi viscus sive glutinum aucupes parant, quo virgas inungunt, quibus turdos & aves capiunt. Cornix scorpium rapit, sed à suâ prædâ, vulnus & unà mortem accipit.

Papirius Cursor Consul cùm Aquilonium oppugnans prælium vellet committere, pullarius quòd non prosperantibus avibus, cunctantibus optimum ei auspicium renuntiasset; de fallaciâ illius factus certior, sibi quidem & exercitui bonum omen datum credidit, ac pugnam iniit. Ceterum mendacem antè ipsam aciem constituit; ut haberent dii, cujus capite, si quid iræ conceperant, expiarent. Directum est autem sive casu, sive etiam cœlestis numinis providentiâ, quod primum è contrariâ parte missum erat telum, in ipsum pullarii pectus, eumque exanimem prostravit. Ita Valerius lib. 7, cap 2. Livius l. 10, & alii.

82. Mendax primus suâ fraude interit.

Ethologia Secunda.

Infida regum amicitia, & Aulica vitæ periculum.

NOn unquam Numen luculentiora documenta hujus dedit, quam cum Amanum in hujus mundi scenam emisit. Quisquis favori principum, & aulæ illecebris fidit, Amanum videat, & Artaxerxis curiam contempletur.

Exaltaverat Assuerus Amanum, & posuerat solium ejus super omnes principes, quos habebat: *Cuncti servi regis flectebant genua, & adorabant Aman: sic enim præceperat eis Imperator*; Esther 3 sub initium. Ibidem ℣. 10: *Tulit rex annulum quo utebatur, de manu suâ, & dedit eum Aman*; ut scilicet eo uteretur pro libito, & signaret quidquid vellet, insontes plecteret, sontes absolveret. Dicit ei rex ℣. 11. de populo (Iudæorum innoxio) *age quod tibi placet.* Macta, jugula, defode, lapidibus obrue, infelici arbori suspendito, ignibus trade, &c. *Erat* ergo *Aman*, ut dicitur cap. 12, vers. 6, *gloriosissimus coram rege.* Denique in decreto, quod regia nomine conscripserat Aman cap. 13, ℣. 3, dicitur consiliarius, *qui sapientiâ & fide cæteros præcellebat*, & *erat post regem secundus*, & vers. 6, *omnibus præeminentis præpositus, quem rex patris loco coleret*, &c.

Quàm inconstans & infidus fuerit hic favor, eadem Estheræ historia satis ostendit, in quâ cernere est gloriosum illum Thrasonem, & fortunæ aureæ pullum, facie coopertâ tamquam regis conspectu indignum, supplicem pro animâ suâ Reginæ factum c. 7, reum læsæ majestatis in furca suspensum, bona omnia ejus publicata cap. 8. Postremò c. 16, his titulis eum in epistolâ sua infigunt Artaxerxes: *Aman & animo & gente Macedo, alienus à Persarum sanguine, pietatè nostram suâ crudelitate commaculans, peregrinus susceptus, & tantam in se expertus humanitatem, ut pater noster vocaretur, & adoraretur ab omnibus, post regem secundus: qui in tantum arrogantiæ tumorem sublatus est, ut regno privare nos niteretur, & spiritu.* &c. Tandem post multa, dicit rex ℣. 18. *Pro quo scelere antè portas hujus urbis, id est, Susin, & ipse qui machinatus est, & omnis cognatio ejus pendet in patibulis*, &c.

Hæ rerum vices, hoc aulæ fretum, & Euripus in suâ solùm inconstantiâ constans.

Sortem suam, quam in urnam miserat, primus Amanus expertus est.

83. Sors Amani conatus contrivit, unde meritò dicta Phur Hebraice.

Ajunt autem quidam illam vocatam meritò Phur vel Pur à vocabulo Hebraico פור Pur, id est, contrivit, confregit, irritum fecit: omnia enim Amani studia, conatus, machinationes in Iudæos ipso in patibulum acto conciderunt; unde & Iudæi sorte commutatâ celebrarunt festum Phurim id est sortium, quia maximis periculis, quæ sors Amani illis minabatur, perfuncti. Iure sors humana dicitur Phur, quia consilia quantumvis vafra, & astutissimorum cogitationes sæpe confringit & labefactat.

84. Eadem dicta fortuna quasi vertuna à vertendo, quia Aman evertit.

Grammatici dictant fortunam sic vocatam à vertendo, quasi vortunam; quod, si verum est, in Amano vires suas depromsit, cujus res susque deque vertit, quem nunc erexit ad summa, mox dejecit ad infima.

85. Aulæ pericula describuntur in Ecclesiastico.

Quantum malorum, calamitatum, periculorum, Iliadem aula invehat, luculentè & accuratè explicat Sirachides cap. 9, vers. 18, & sequentibus: *Longè abesto ab homine potestatem habente occidendi, & non suspicaberis timorem mortis. Et si accesseris ad illum, noli aliquid committere, ne fortè auferat vitam tuam. Communionem mortis scito; quoniam in medio laqueorum ingredieris, & super clientum arma ambulabis.*

Ad hæc animum advertant Regum paredri, aularum insessores, palatina mancipia, & legant quæ in versus illos commentati sumus, quibus adjungant quæ allata sunt in caput 13, usque ad vers. 18.

86. In gloriâ mundanâ nulla tuta securitas.

8. Chrysostomus in Psalm. 5, vers. 13, *Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos*; scribens, sic illa exponit. *Securitate & gloriâ nos coronasti. Talia enim sunt dona Dei, valida & decore plena; tales sunt coronæ: at in hominibus non ita est, Sed qui est quidem in gloria, non est omninò securus: qui autem est in securitate, non est omninò in gloriâ; nec hæc facilè evenerunt: quòd si etiam evenerint, celeriter auferuntur. Dico verbi gratia: qui sunt potentes & summos gerunt magistratus, sunt quidem splendidi & illustres, sed non sunt securi. Sed vel eo maximè nomine in lubrico & periculoso loco versantur propter magnitudinem*; &c.

87. Honor viaticum futuri supplicii.

Idem in Psal. 11, vers. 9: vocat *insignem honorem* arguè *viaticum futuri supplicii.* Sic Amanus ad altissimum dignitatis culmen evectus quasi jam ad patibulum destinatus esset, ambitione suâ & animi superbiâ ad iter se illud accumat.

Qui-

88. Aulici sues, & quare.

Quidam non inurbanè aulicos vocavit sues (possunt etiam vocari altilia, vel vituli saginati) quia cùm impinguati fuerint, in cœnam domini mactantur. Ita Æneas Silvius lib. 1, Commentariorum in Panormitâ de gestis Alfonsi Regis.

Communicatio cum rege tyranno est communicatio cum morte, ut quidam edisserunt verba illa supra Sirachidæ: *Communionem mortis scito*: facile enim mortem inferet, quam mente concepit, putat enim omnia sibi licere, gaudet ludere sicis, veneno, scelopo, pascitur sanguine.

89. Vox tyranni Neronis.

Vnde est illa vox Neronis apud Tranquillum: *Nemo principum ante me scivit, quid & quantum sibi liceret.* Omnia scilicet in omnes ei licebant. Æsopus Apologo quodam suo indicavit circumspecte admodum aulicis cum principibus agendum, sicut aggredimur lupos, ursos, pardos, leones non sine metu & cautela. Sic fabulatur.

90. Fabula de Leone, pardali & lupo.

Leo æger recubabat in spelæo, & juxta eum putridorum cadaverum magna congeries. Officii causâ ad eum invisendum pardalis advenit. Interrogavit eam leo num graveolentiâ cavi vel antri sui offenderetur. Cum affirmaret illa, ut res erat, & diceret fœtorem ex spelunca naribus molestum exire; iratus leo pardalim graviter sauciavit. Porrò alio die advenit lupus, qui audito pardalis infortunio cùm eodem modo à leone interrogaretur, respondit se magnopere antri illius fragrantia oblectari, olere enim rosas & cinnama. Id ut leo percepit, lupi subdoli adulatione proritatus frustatim illum divulsit.

90. Principes cum arguuntur, leviùs, cùm laudantur nimium, feriunt.

Ἐπιμύθιον seu Affabulatio est, *Cavendum à principibus eorumque nimia familiaritate, qui cùm arguuntur, sævinnt; cum nimis putide laudantur, ferinnt.* Fortè de hujusmodi moraliter loquitur Isaias cap. 2, v. 22. *Quiescite ergo ab homine, cujus spiritus in naribus ejus est, quia excelsus reputatus est ipse.* q. d. Cavete à Regum indignatione & ira.

91. Callisthenes quia monitis Aristotelis non paruit ab Alexandro occisus fuit.

Aristoteles Callisthenem auditorem suum ad Alexandrum dimittens monuit, ut cum eo aut rarissimè, aut quam jucundissimè loqueretur: quò scilicet apud regias aures vel silentio tutior, vel sermone esset acceptior. At ille dum Alexandrum Persica Macedonum salutatione gaudentem objurgat, & ad majorum morès invitum revocare perseverat, spiritu carere jussus, seram neglecti salubris consilii pœnitentiam egit. Ita Valerius lib. 7, cap. 2; cui adscribunt Laërtius in Aristotele, Plutarch. in Alexandro, Curtius lib. 8, Iustin. 15. Vitæ aulicæ conditionem sub imagine favoris quondam depinxerat Apelles, cujus descriptionem habes apud Lilium Giraldum, his versibus:

92. Emblema favoris egregium.

Pictor Apellæâ qui pingis ab arte Favorem,
Vnde illi generis semina nota parum?
Hic genitum forma, fortunæ hic dicit alumnum:
Casu ille, ille animi dotibus esse satum.
Qui comes assidnus lateri? Assentatio. & ecquæ
Ponè subit lentis passibus? Invidia.
Ecqui circumstant? Opulentia, Fastus, honores,
Leges, & scelerum sæpe libido parens.
Cur facis alegrum? Fortunæ elatus ab aura
Advolat alta, imo nescius esse gradu.
Quare oculis captum pingis? non novit amicos,
Improbus ex humili cum petit alta loco.
Quid rotulæ insistit? Fortunam imitatur, & infert
Se socium, instabiles quà tulit illa pedes,
Cur tumet, atque extra sese ambitiosius effert?
Occæcare animos fata secunda solent.

Vere dictum ab antiquis:
Fortuna nimium quem fovet, stultum facit.

92. Favor instabilis instar æstus marini.

Eleganter Philo de fortunæ commutabilitate loquens lib. Quòd Deus sit immutabilis: *Nihil est*, inquit, *quod mortales magis affligant, re ipsa nihil cum sit, sed umbra aut aura, antequam subsistat, præcurrens. Accedit & recedit æstuariis marinis similis.*

93. Heliogabalus ad rotam aquariam aligabat paratitos, ostendens per hoc favoris instabilitatem.

Heliogabalus Paratitos ad rotam aquariam alligabat, & cum vertigine sub aquas mittebat, rursumque in summum revolvebat, eosque Ixionios amicos vocavit, ut auctor est Ælius Lampridius. Hoc typo exprimitur instabilitas favoris principum, qui alios in sublime evehit, alios verò ex alto in imum deprimit.

94. Aulici nunc multum nunc parum possunt ut calculi supputationum vel Ciffera.

Orontes Artaxerxis regis Persarum gener cùm ab eodem irâ percito condemnatus esset: *quemadmodum*, inquit, *Arithmeticorum sive supputatorum digiti nunc decem millia, nunc nnum tantùm significant; sic regum amici nunc quidvis pollent, nunc quam minimum.* Ita Plutarch. in Regum Apophthegm.

Olim digitis subducebatur ratio ut nunc calculis vel numis æreis, qui in computo nunc multum valent, nunc vix aliquid. Sic O in Cifferâ per se nihil, adjuncta aliis Cifferis decem, centum, mille valet. Idem Polybius l. 5, sic edisserit. *Sicut calculi modò æreî sunt modò aurei: sic & aulici ad nutum regis nunc beati sunt, nunc miseri.*

Consentit his Crœsus Cyrum alloquens apud Herodotum lib. 1. *Si te hominem agnoscis, illud imprimis disce, talem humanarum rerum circum esse, qui rotatus eosdem semper fortunatos esse non sinit.*

Aularum, inquit quidam, *levia beneficia, præcipites injuriæ.*

95. Rarus senex in aula.

Seneca lib. 2 de Irâ cap. 33. *Notissima vox*, ait, *est, ejus qui in cultu regum consenuerat. Cùm illum quidam interrogaret: Quomodo rarissimam rem in aula consecutus esset, senectutem? Injurias, inquit, accipiendo, & gratias agendo.* Quis ille fuerit, nemo prodidit.

Hanc amicitiam principum instabilem, & aulæ periculosam conditionem probè intellexit aulicus ille apud S. Augustin. lib. 8 Confessionum cap. 6; de quo aliàs dictum.

96. Accedendum ad principes velut ad ignem. Nec nimis prope, nec nimis procul.

Quâ moderatione cum principibus agendum sit, sapienter monet Sirachides Eccles. c. 3, v. 13, *Ne improbus sis, ne impingaris: & ne longè sis ab eo, ne eas in oblivionem.* Vide ibi Commentarium nostrum. Idem suis versiculis expressit quidam.

Aula suis rapidos imitatur moribus ignes:
Errat ad hanc facilem qui putat esse viam.
Vtèris propius dum paulò accesseris. At mox
Horridus algebis, si procul abfueris.
Si medium calidi teneas aulæque, beatum
Quæ satis est, numquam copia destituet.
Ergo frequens aulæ cave ne sis hospes, eamdem
Nec fugias, felix si cupis esse diu.

Alludit ad illud vetus: *Nec nimis prope, nec nimis procul*: ficut ad ignem.

Ethologia Tertia.

Infelices quorumdam aulicorum exitus.

EXtant antiquæ & recentis memoriæ plurà exempla. Proferam ergo de thesauro meo nova & vetera. Multos semper Amanos Regum

palatia dederunt, de quibus aptè dixeris illud Senecæ lib. de Tranquillitate animi cap. 11. *Horæ momentum interest inter solium & alsena genua.* Sic est: Horæ enim spatio hæc ita verti possunt, ut qui in alto sedit vitæ arbiter, cujus genua supplices tangebant, idem dejectus alienis genibus advolvatur. An non vidisti hunc ludum in Amani Tragœdia?

97. Horæ momentoquis in solio sedet, & moxalienis advolvitur genibus.

Antè pauculos dies sublimi throno residebat, omnes adgeniculabantur, post paulò genibus ipse Reginæ advolvitur. Phocylides.

Κοινὰ πάσῃ πάντων. βίος ὁ πρόχειρος. ἄσταθμος ὅλβος.

Communes casus; vita orbis; & instabilis sors.

Publius Mimographus.

Cuivis potest accidere, quod cuiquam potest.

Pergit Seneca ibidem loci. *Honoribus summis functus es? Numquid aut tam magnis, aut tam insperatis, aut tam universis quàm Sejanus?* (sub Tiberio, de quo Dio, Tranquillus; & quis non?) *Quo die illum Senatus deduxerat* (quasi consortio & successione imperii donandum; ibi detentus est, & in vincula mox datus) *populus in frusta dedivisit* (cadaver ejus in Gemonias abjectum totum triduum jacuit, & populus illusit) *In quem quidquid congeri poterat, dii hominesque contulerant, ex eo nihil superfuit, quod carnifex traheret* (unco, ulterius in Tiberim.) De eo hæc Iuvenalis Satyrâ decimâ.

98. Sejani miserandus casus.

Nam qui nimios optabat honores,
Et nimias poscebat opes, numerosa parabat
Excelsæ turris tabulata; unde altior esset
Casus, & impulsæ præceps immane ruinæ.

En tibi Sejanum Tiberio carissimum, imò alterum Tiberium, statuis ac honoribus cultum, mox à populo discerptum, & unco tractum!

Auctor est Dio lib. 58, Sejanum simulacrum Fortunæ Servii Tullii (Romanorum Regis) quam domi superstitiosè libaminibus & sacrificiis colebat, vidisse repente sese avertere.

Idem utriusque sortis in Sejano vicissitudines ibidem prosequitur his verbis. *Sejani casus humanam imbecillitatem egregiè ob oculos ponit; monetque nusquam inflatè se gerere. Quem enim ut præstantiorem se universi ad curiam comitati fuere, tunc quasi nequaquam se meliorem in carcerem rapuerunt: quem coronis antè dignati fuerant, ei tum vincula induxerunt: quem tamquam Dominum stipaverant, eum fugitivi instar custodierunt, tegmenque obvelanti se detraxerunt ingestis alapis: quem ante prætextâ purpura veste decoraverant, cui genua flexerant, ac ut Deo sacrificaverant, eum tum ad mortem duxerunt. Populus quoque irruens multo ei clamore, hos quibus mortem intulerat, exprobravit; spes quas sibi propositas habuerat, ludibrio jactavit, omnes ejus statuas dejecit, confregit, raptavit, quasi ipsum eâ contumeliâ multarent. Ita spectator eorum, quæ passurus erat, fuit, dum in carcerem conjicitur. Nullâ interjectâ morâ eâdem die prope carcerem in ædem Concordiæ convenit Senatus, ac morte eum damnavit. Itaque capite multatus, in Gemonias projectus est, eumque totum triduum populus ludibrio habitum in Tiberim misit; liberi ejus ex Senatusconsulto necati sunt: Decreverunt, ut quoniam domino exonerati essent, nemo Sejanum lugeret, ut Libertatis effigies in foro poneretur, festus dies ab omnibus magistratibus & Pontificibus celebraretur: dies quo is pœnas morte dedisset, annuis Circensibus ludis ornandus indicaretur. Itaquem immodicis ac novis honoribus ad perniciem provexerant, in eum dii quoque novos cultus statuerunt.* Hæc & plura Dio, quæ fusius à me commemorata sunt, quia in utramque Amani nostri fortunam mirificè conveniunt, ut historiam Eltheræ conferenti facile liquebit.

Addâ huic & aliud utriusq; fortunæ documentum, Plautianum sub Severo Imperatore, gesto Consulatu illustrem, cujus apud Principem summa auctoritas, eratq; omnium hominum potentissimus. De hoc ita scribit Dio in Severo. Cum Orator, inquit, multa dixisset, atque illud inprimis, cœlum ruere citius posse, quàm Plautiano damnum à Severo inferri. Quibus rebus dicente illo fides meritò haberi poterat, cùm Severus audacter nobis, qui unà judices eramus, confirmasset non posse ullum malum à se Plautiano accidere. Is tantum filiæ suæ in dotem dedit, cùm eam desponderet Antonino Cæsari Severi filio, quantum quinquaginta Reginis satis esset. Verè Plautianus Magnus, vel summus potius erat, ita ut populus aliquando in Circo diceret: Quid tremis? cur palles? Tu quidem certè plusquam tres viri possides. Significabant autem tres viri Severum cum duobus filiis Antonino & Geta. Pallebat verò Plautianus & tremebat semper cum propter rationem victus quam instituerat (gulosissimus quippe erat) tum propter spem metumque futurarum rerum.

99. Plautiani varia fortuna, prima candida posterior infelix.

Addit Herodianus lib. 3, Plautianum non Romanum sed Afrum genere fuisse Severi Imperatoris municipem ex humili fortunâ in sublime evectum, & damnatorum (præsertim Christianorum, ut observavit Baronius tomo 2 Annalium anno Christi 206) bonis fuisse insigniter locupletatum. Tradit idem Herodianus de ejus spiritus tumore & fastu, quod quacumque incederet, adeo trux & horribilis esset, ut non modò non adiretur à quoquam, sed etiam qui fortuitò occurrebant, averterent oculos; quia anteambulones aliquot, quacumque iter faceret, denuntiabant nequis in proximo consistere auderet, neque illum intueri, sed averterent universi oculos, terramque despicerent.

Sed pergit Dio: Non tamen perpetuò floruit Plautianus, sed aliquanto tempore post is qui nostrâ memoriâ omnium hominum potentissimus fuerat, quem magis quàm ipsum Principem metuebant omnes, quique spe multo majore elatus fuerat, ab Antonino Cæsare ejus genero, quasi Severo Imperatori necem machinatus fuisset, delatus, interficitur, & ex Palatio dejicitur in viam, cunctæ ejus statuæ dissipatæ sunt. Filius ejus Plautus & filia Plautilla in insulam Lyparim relegati, ibique tandem jussu ejusdem Antonini occisi, cùm interim vitam duxissent calamitosissimam. Quin etiam nomen Plautiani abolitum, & ubicumque scriptum reperiretur in lapideis tabulis vel aliis, abrasum, deletum, expunctum.

Alterum etiam Amanum in scenam do, aulæ ludibrium. Ablavius humili loco & obscuro genere natus ad dignitatem Consulatus & Præfecti Prætorio sub Magno Constantino evectus plus Imperatore posse visus est. At Constantino mortuo, Constantius clavum imperii nactus, ac fortè fratribus suis partitus, mox Ablavium munere & imperio suo exuit, aliosque administratores sub-

subrogavit. Ille apud exstructam sibi olim in Bithynia villam locum regali otio & secessui dicatum subsitit, cunctis admirantibus quod imperare nollet.

99. Ablavii infelix exitus.

Paulo post Constantinopoli percussores non paucos submisit Constantius, jussis primis litteras dare, qui in genua procumbentes (qui mos apud Romanos molevit in salutando Imperatore) honorarias illi in manum dedere litteras. Ille magno fastu receptis tabulis metu solutus omni purpurâ severo supercilio advenas poscit. At illi nihil se amplius in mandatis habere professi, pro foribus stare, quibus tradendæ purpuræ cura incumberet, dixerunt; quos ille insolenti atque elato animo confectum accersi jubet. At hi injecta manu virum adorti pro stola purpurâ necem illi purpuream obtulerunt, fustatim dissecto, in modum pecudis, quæ publico in epulo conciditur. Ita Eunapius in Ædesio & vitis Philosophorum, & ex illo Baronius tomo 3, an Christi 337.

100. Ablavius fortunæ pila dictus?

Ait ibidem Cardinalis Ablavium meritò nominatum *Fortunæ pilam*; cùm elevatus sublimis, qui erat terræ filius, origine abjecta & humili, rursus magno ac miserando casu dejectus sit.

100. Prædixisse videtur ejus miserum casum Constantinus.

Constantinus Magnus putatur ejus infelicem exitum vaticinatus fuisse. apud Eusebium in vitâ Constantini lib. 4, cap. 29. in fine & 30, Agens ibi Eusebius de pio officio Constantini in curandis aulicorum suorum morbis ita scribit. *Ferunt cuidam* (Ablavio) *ex suis ab se aliquando prehenso dixisse: Quo usque tandem, ô bone, inexplebilem hanc avaritiam cumulamus?* (erat autem Ablavius homo auri avidissimus) *Deinde cum corporis humani perfectæ ætatis circumscriptam mensuram, hastâ, quam manu tenebat humi impressisset: Omnes, inquit, vitæ divitias & totius orbis opes si domi haberes, tamen plus hoc a me circumscripto loculo non possiaebis, si & illud forte possederis.* Vera fuit divinatio *in labiis Regis*, Proverbior. 16. Siquidem in morem pecudis frustatim dissectus, incertum est, an, vel ubi fuerit vili saltem tumulo donatus.

101. Homo ex omnibus suis divitiis f. lum locum in polsidebit.

102. Felicitas aulicorum personata.

Præclarè dixit Seneca Epist. 80 Omnium istorum *personatam esse felicitatem.* Et Augustus moriens, apud Suetonium cap. 99, amicos admissos percontatus est: *ecquid iis videretur Mimum vitæ commodè transegisse; adjecit & clausulam:*

Δότε χρόον τῷ πάντες ὑμεῖς μετὰ χαρᾶς κλαύσεσθε, id est.

Date plausum, & vos omnes cum gaudio Personate.

101. Vita humana fabula, quæ finitâ plausus & risus tollendus.

Eam clausulam Cedrenus in Compendio Historiæ sic refert: *Mandavit*, inquit, *proceribus, ut se defuncto plauderent ac risum tollerent, qui Mimorum & Fabularum fine nuntiato fieri solet: Eo mandato vitam humanam ut ridiculam rem subsannabat.*

Sic fabulam suam & Tragœdiam egerunt sub Theodosio Ruffinus, sub Arcadio Eutropius, sub Honorio Stilico, Belisarius sub Iustiniano; sic alii in aulis aliorum principum felices palatini, qui amicitiam Dei ex se stabilem & perpetuam fluxæ gratiæ principum præponunt, quod paucorum est.

Pie exclamat S. Bernardus 107 epistolâ: *O seculum nequam, quòd solos tuos sic soles beare amicos, ut Dei facias inimicos.*

Invenit Aman gratiam apud regem Assuerum, hæc illi gratia crucem peperit: invenit gratiam apud Absalomum Achitophel; hæc illi suspendium attulit. Sic mundus servos suos remunerat.

Sed ad Amanos seculo nostro vicinores gradum facimus.

104. Thomæ Vulfæi exitus Tragicus.

Primus occurrit in celeberrimo Angliæ theatro Thomas Volsæus qui personam Amani egregiè gessit, de quo Nicolaus Sanderus lib. primo de Schismate Anglicano & alii ex illo. Fuit hic homo non humili loco tantum sed & vilinatus; tandem in aulam Henrici Octavi irrepsit, regique factus à sacello est, & inde regis eleemosynis præficitur, Tornacensis Episcopatus vectigalia ex donatione Henrici percipit, paulò post fit & ipse Episcopus, primum Lincolniensis, deinde Dalmanensis, tum autem Vintoniensis, ac simul etiam Archiepiscopus Eboracensis, denium fit totius regni Cancellarius; adde etiam, Cardinalis, & ad universum Angliæ regnum de latere legatus. Augebatur insuper tum Francisci Galliarum regis, tum Caroli quinti Cæsaris annuis pensionibus. Vt mittam locupletissimas Abbatias, in quas ubique terrarum involavit, quodque omnium caput, ipse Rex Angliæ totus erat in hominis ambitiosissimi potestate, omnia pro illius arbitratu distribuens atque administrans.

Quin etiam, tamquam hæc omnia parum essent, primam totius Ecclesiæ sedem occupare conatu summo nitebatur. Vnde & ipse Carolus Imperator tantâ Volsæum observantiâ colere cœpit, ut crebras ad eum litteras propriâ manu perscriptas daret, subscriberetque in hæc verba: *Felius vester & cognatus Carolus.* Quin imò spem maximam dedit se effecturum ut Volsæus mortuo Leone decimo fieret summus Pontifex. Hac spe cùm excidisset, cœpit summis viribus Carolo adversari, & auctor esse Henrico de Catharinâ sanctissimâ Reginâ repudiandâ. Hæc fere omnia ex voto Volsæo cesserunt. Iam conversionem ejus ad interitum & ruinam spectemus.

Interea cum Romæ divortium cum Catharinâ non probaretur, totam culpam in Volsæum conjecit Henricus, & se malè illi velle non obscuris indiciis indicavit. Accessere ad regis iram in Volsæum stimulandam principes viri, ejus æmuli, tamquam ungues in ulcere, qui multa criminum capita in illum collegerunt, & chirographis obsignata Regi tradiderunt. Itaque jussu Regis à Thomâ duce Norfolciæ captus, cogitur se abdicare primum Cancellariæ magistratu, deinde Vintoniensi Episcopatu, tum autem magnificentissimo à se Londini exædificato palatio, quod rex ipse invasit instructum, ut erat omni genere divitiarum, ac pretiosæ supellectilis. Denique penè omnibus bonis exutus, quæ immensa erant, in Ecclesiam Eboracensem, cui præerat, dimittitur. Cùm autem Rex audisset Volsæum Cardinalem etiam Eboraci splendidè agere, epulis vacare, solemni pompâ uti, ac mitram suam gemmis ornatam, quam Rex illi abstulerat, ad suam in eâ Ecclesiâ inaugurationem repetere, Rex hoc Volsæi superbiæ imputans, nec ferendum judicans, jubet hominem in ipso die inaugurationi designato, præsente nobilium ingenti multitudine ab Henrico Northumbriæ Comite, primùm apprehendi, deinde Londinum captivum duci. At is in itinere ipso è vitâ migra-

vit. Sermones sparsi sunt cum suâ sponte venenum sumpsisse. Illud verò constat, cùm tamquam reus læsæ majestatis regiæ apprehenderetur cum dixisse: *Vtinam nihilo magis læsæ majestatis divinæ reus essem: nunc autem dum nulli res magis incubui, quàm ut Regi penitus inservirem, & in Deum peccavi, & Regis gratiam non obtinui.* Hæc ex variis locis Sanderi bona fide in gratiam Lectoris descripsi, quia ad Amani utramque fortunam maximè pertinere videbantur.

105. Voltæi notabile Apophthegma.

Sacrum Apophthegma Mathathiæ.

Præclarè ratiocinatur Magnus ille Heros Mathathias primi Machabæorum 2, ℣. 62: *A verbis viri peccatoris ne timueritis; quia gloria ejus stercus & vermis est: hodie extollitur, & cras non invenietur, quia conversus est in terram suam, & cogitatio ejus periit.*

Angliam semel ingressus & alium Amanum in eâ reperi, imò plures, quos omnes longum esset recensere.

106. Comitis Essexii vita & mors.

Nostrâ memoriâ vidimus in eadem Britanniâ Comitem Essexium ab Elisabethâ regina ad summas dignitates evectum, ita ut aliis palatinis terrori esset; post in carcerem perduellionis reum primùm conjectum, postea supplicio affectum, cujus etiam cranium regina in pretio habuit, & duci Bironio ad se è Galliâ legato tamquam aliquod cimelium & monile ostendit, his illum verbis affata: *En hominis, quem ad summi honoris fastigium evexeram, cranium; quò tandem devenit?* Discant familiares summorum principum fortunam suam moderatè ferre, & expendere quo loco subsistant. Dicitur Bironius dux ad istud spectaculum exhorruisse, & in Galliam mox abiisse, quem annus sequens eodem fato peremptum vidit. Ita Annales nostri seculi 1601.

107. Felicitatis & moderationis contubernium divisum.

Eleganter dixit Valerius, *felicitatis & moderationis divisum esse contubernium*: id est, separatum & divisum.

108. Canis ab aulicis canibus malè exceptus in aulam ultrà non redit. Imitentur aulici.

Memini me legere apud Hieremiam Drexelium in suo Trismegisto lib. 3, c. 11. §. 7. cuidam viro nobili in aulâ Wirtenbergensi canem fuisse, qui ubi vel semel tantùm ab aulicis canibus malè acceptus est, injuriæ damnique memor deinceps herum suum ad vestibulum solum arcis aulicæ comitatus est, & mox domum se recepit in tutum. Observavit dominus canis sui tam prudens & circumspectum obsequium, &: *verè*, inquit, *meus canis plus me sapit: ego in aulâ toties pessimè habitus, indies tamen usque redeo.*

109. Sorices palatini similes muscis in lucernas involantibus.

Nos in hisce nostris Commentariis tot aulicos canes, tot palatinos sorices (ut aulæ insessores & paredros Magnus Constantinus appellabat apud Nicephorum l. 8, cap. 14) produximus pessimè à regibus, principibusque & aulâ exceptos, & tamen pauci sunt, qui his lectis sapiunt.

Sic muscæ & culices sponte in candelas accensas impingunt, & se adurunt; sic ut est apud Terentium in Eunucho, *sorices judicio pereunt suo.*

Fixum hæreat animo illud Apollodori.

Fortuna magna non caret formidine,
Nec splendor eminens vacat periculo:
Et quidquid altum est, haud diu tutum manet,
Vt quod ruat vel invidiâ vel tempore.

Item illud Thyestæ apud Senecam Actu 3. *Dum excelsus steti, nunquam pavere debui.*

Ethologia Quarta.

Ærumnæ, pericula, supplicia hominum ambitiosorum.

Etsi in descriptione fastus Amani tamquam in speculo hæc comtemplati fuerimus, juvat tamen & hic aliqua non dicta in medium attulisse.

Exclamat contra hanc aularum, imò mundi pestem Ambitionem S. Bernardus l. 3. de Consideratione ad Eugenium non longè à principio. *O ambitio ambientium crux! quomodo omnes torquens, omnibus places? Nil acerbius cruciat, nil molestius inquietat, nil tamen apud miseros mortales celebrius negotiis ejus? An non limina Apostolorum plus jam ambitio quàm devotio terit? An non vocibus ejus vestrum tota die resultat palatium? An non quæstibus ejus tota legum canonumque insudat disciplina? An non spoliis ejus omnis Italica urbium inexplebili aviditate rapacitas? Quid ita tua ipsius spiritualia studia non saltem intercidit, sed abscidit? Quoties sancta ac fecunda tua abortivis otia fecit inquietum & inquietans malum?* &c.

110. Molestia ambitionis.

Si hæc vulpecula esuriens etiam ad palatium Apostolicum irrepit, quomodo non irrumpet in principum & Imperatorum aulas?

111. Miserias ambitiosorum in se expertus describit S. Augustinus.

Miserias ambitiosorum in se expertus describit S. Augustin. lib. 6 Confessionum cap. 6, ex quo pauca desumo. *Inhiabam*, inquit, *honoribus, & tu irridebas, Domine. Quam ergo miser eram, & quomodo egisti, ut sentirem miseriam meam, die illo, quo, cùm pararem recitare Imperatori laudes, quibus plura mentirer & mentienti faveretur à scientibus, easque curas anhelaret cor meum, & cogitationum tabificarum febribus æstuarem, transiens per quemdam vicum Mediolanensem, animadverti pauperem mendicum, jam credo satura, jocantem atque lætantem: & ingemui, & locutus sum cum amicis, qui mecum erant, multos dolores insaniarum nostrarum: quia omnibus talibus conatibus nostris, qualibus tunc laborabam, sub stimulis cupiditatum trahens infelicitatis meæ sarcinam, & trahendo exaggerans, nihil vellemus aliud nisi ad securam lætitiam pervenire, quò nos mendicus ille jam præcessisset, unumquam fortasse illuc venturos; Quod cùm jam ille pauculis & emendicatis nummulis adeptus erat, ad hoc ego tam ærumnosis anfractibus & circuitibus ambiebam, ad lætitiam scilicet temporalis felicitatis. Non enim verum gaudium habebat, sed & ego illis ambitionibus, multo falsius quærebam. Et certè ille lætabatur, ego anxius eram; securus ille, ego trepidus.*

Vide sequentia; ubi demonstrat mendicum illum se feliciorem fuisse, qui curis, miserè gloriam mundi quærens eviscerabatur, ille autem gaudebat.

Secundus liber Machabæorum cap. 9, describit nobis calamitatem & ægritudinem, quibus obrutus fuit ambitiosissimus & superbissimus Antiochus; ad quem Lectorem remitto.

Iam quantis periculis expositi sint insularum & honorum cupiditate flagrantes, paucis consideremus.

112. Locus altus plerumque præceps & periculosus.

S. Malachias, ut auctor est in ejus vitâ B. Bernardus, *omnem locum sublimem velut præcipitium reformidabat.* Et jure quidem. Qui enim turrium minis & summitatibus insistunt, capitis vertigine turbari

turbari ſolent, quâ correpti ruinæ proximi ſunt.

S. Auguſtin. Sermone primo de communi vitâ Clericorum de ſe hic loquitur. *Hoc agebam quantum poteram, ut in loco humili ſalvarer, ne in alto periclitarer.*

113. Loth ſalvatur non in monte ſed in civitate parva Segor.

Quondam Lothus ad Angelum qui venerat ut Pentapolin ſubverteret, trepidus dicebat Geneſ. 19, verſ. 19, & 20. *Quia invenit ſervus tuus gratiam coram te, & magnificaſti miſericordiam tuam quam feciſti mecum, ut ſalvares animam meam, nec poſſum in monte ſalvari, ne forte apprehendat me malum & moriar. Eſt civitas hæc juxta, ad quam poſſum fugere, parva, & ſalvabor in ea: Numquid non modica eſt, & vivet anima mea?*

Mons ſignificat honorum apices, & magnas dignitates, qualis eſt Epiſcopatus, quem, quantum in ipſis fuit, fugerunt S. Auguſtin. Malachias, alii.

Segor verò civitas, quæ nominis ſui etymo parvam ſonat, ſtatum abjectum & locum humilem indicat. In illo periculum & præcipitium, in hac aſylum & ſecurum perfugium.

Quanto in diſcrimine verſentur, quàm profunda errorum caligine involvantur honorum chamæleontes, qui aura & vento paſcuntur, docet ſubſequens hiſtoria, quam refert Honorius Philoponus in Navigatione novi Orbis Indiæ Occidentalis anni 1492.

114. Inſania Canarienſium Tyrmæ ſe devoventium ſimilis in ambitioſis.

Populi Canarienſes olim ſacrificulos habebant, qui impietate ſacrilegâ Tyrmam dæmoniacum Idolum in excelſa rupe collocabant. Perſuadebant autem ſycophantæ illi Canarienſibus, eos qui ducentos choros, victu, animoque hilares turpiſſimo illi ſimulacro, victimas ſe devoverent, & de ſcopulo editiſſimo in profundum deſilirent, ad ampliſſimos alibi honores, & omnigenas voluptates perventuros. Nam illorum animas ob honorem Tyrmæ ſic corporibus migrantes in eo vitæ ſtatu collocari, in quo ſtupendis quibuſdam, æterniſque felicitatibus perfruerentur. Putabant ergo Canarienſes, eos qui de rupe caderent cadere in gremium Tyrmæ, atque adeò in domum honoris & voluptatis devenire. Quare tam ſplendidis promiſſis plurimi mortales meſcati ſunt, & eo adducti, ut ſpontaneæ Ditis hoſtiæ, non Tarpeium ſed Tartareum illud ſaxum conſcenderent, atque ex altiſſimâ petrâ ſe ipſos amentiſſimo ſaltu in ſubjectas valles præcipitarent, corporaque & animas ſimul perderent.

Idolum Tyrmæ accipe Ambitionem, cui ut Deo plurimi Palatini faciunt, libant, idque adorant prius ori manu admotâ, & humillimâ corporum proſtratione. In monte illud ſitum eſt, quò & ipſi convolant. Quando verò ſibi perſuadent ſe ad honores ampliſſimos, quos animo & ſpe devoratunt, poſſe pertingere, in horrenda præcipitia devolvuntur, & in fundum abyſſi deturbantur cum illo, quem ut regem ſuum ipſi ſuperbiæ filii ſecuti ſunt, de quo & dicitur Iſaiæ 14, ℣. 12. *Quomodo cecidiſti de cœlo Lucifer qui mane oriebaris?* & verſ. 15: *Verumtamen ad infernum detraheris in profundum lacus*; &c.

115. Core, Dathan, Abiron horribili morte puniti ob ambitionem.

Hujus ruinæ & gravioris lapſus vivam, ſed horribilem imaginem depictam habemus in Sacris tabulis Numer. cap. 16: Vbi cum Core, Dathan, Abiron & Hon ſceleratâ ſummi Pontificatus obtinendi cupiditate capti contra Moyſen tumultum & ſeditionem excitarent: *dixit Dominus ad Moyſen & Aaron: Separamini de medio congregationis hujus, ut eos repente diſperdam* ℣. 21. Et paulo poſt loquitur Moyſes ad populum v. 26, & ſequentib. *Recedite a tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum. Cumque receſſiſſent a tentoriis eorum per circuitum, Dathan & Abiron egreſſi ſtabant in introitu papilionum ſuorum cum uxoribus & liberis, omnique frequentiâ: & ait Moyſes: In hoc ſcietis quòd dominus miſerit me, ut facerem univerſa quæ cernitis, & non ex proprio ea corde protulerim: Si conſuetâ hominum morte mortui fuerint, & viſitaverit eos plagâ, quâ & cæteri viſitari ſolent, non miſit me Dominus. Sin autem novam rem fecerit Dominus, ut aperiens terra os ſuum deglutiat eos, & omnia quæ ad illos pertinent, deſcenderintque viventes in infernum, ſcietis quod blaſphemaverint Dominum. Confeſtim igitur, ut ceſſavit loqui, dirupta eſt terra ſub pedibus eorum: & aperiens os ſuum devoravit illos cum tabernaculis ſuis, & univerſa ſubſtantia eorum, deſcenderuntque vivi in infernum operti humo, & perierunt de medio multitudinis. At verò omnis Iſrael qui ſtabat per gyrum, fugit ad clamores pereuntium, dicens: Ne forte & nos terra deglutiat*: &c.

Non umquam, non uſquam horribiliorem animadvertionis effigiem exhibuit Deus, vel luculentiorem plagam intulit, quâ caſtigavit ſacram honorum famem, & inexplebilem ſummi ſacerdotii cupiditatem.

115. Terra cum horribili mugitu diſſilit in morte ambitioſorũ.

Conſulat Lector Interpretes & Ioſephum l. 4. Antiquit. cap. 3, ubi addit ambitioſos illos competitores, & prehenſores terrâ horrende reſonante & cum terribili mugitu ſubſidente aut diſſiliente abſorptos.

Congruens verò pœna fuit & ſupplicium terræ illos demergentis ipſorum ſuperbiæ altiſſimum honoris ſacerdotalis apicem ambientium.

Omninò etiam aſſerendum videtur eorum animas ad inferos damnatorum deſcendiſſe, corporibus tamquam exuviis in ſubterraneo loco non procul ab impiorum gehennâ depoſitis.

116. Moroveï ambitioſi conſilium divinitus illuſum.

Addam alterum exemplum auctarii vice ex Hiſtoriâ Francorum S. Gregorii Turonenſis, lib. 5, cap. 14, in quo & divina vindicta elucet. Fuit Moroveus Regis Francorum Chilperici filius regio quidem ſanguine proſatus, ſed infamis ambitionis labe notatus, & qui flagitium etiam ſub nomine pietatis quærebat. Hic Turone Sanct. Martini ſepulcro tria ſacra volumina, Pſalmorum, Regum, & Euangeliorum impoſuit, eaque nocte totâ illic pervigilans, Sanctiſſimum Præſulem Martinum obſecravit, oſtenderet quid eventurum, & an regno potiri poſſet. Huic pervigilatæ nocti triduum inſuper adjecit, quod mediæ & precibus impendit.

Quid non mortalia pectora cogis
Auri ſacra fames?

Exacto hoc triduo ad Sancti tumulum reverſus ſacrum Regum codicem aperuit. Primus autem expanſæ paginæ verſus hic erat. *Pro eo quod dereliqueriſtis Dominum Deum veſtrum, & ambulaſtis poſt Deos alienos, nec feciſtis rectum ante conſpectum Dei, ideò tradidit vos Dominus veſter in manibus inimicorum veſtrorum.*

Primus autem verſus ex ſacrorum Pſalmorum canticis erat iſte, *Verumtamen propter dolos poſuiſti*

eis

eis mala: dejeciſti eos dum allevarentur. Quomodo facti ſunt in deſolationem? ſubitò defecerunt; perierunt propter iniquitates ſuas.

Ex Euangeliis in capite paginæ hoc legendum occurrit. *Scitis quia poſt biduum Paſcha fiet, & filius hominis tradetur, ut crucifigatur.*

Ad hæc librorum oracula ſacra Merovæus, qui regnum iniquè affectarat, rubore coopertus & perfuſus lacrymis è loco diſceſſit, ſecum in comitatum quingentis viris aſſumptis: in viâ verò ab Erpone Gunthramni Regis duce captus eſt. Vſque adeo nihil ſanctum, nihil pium, nihil inviolatum eſt, ubi animos ſemel occupavit ambitio.

317. C. Iulii Cæſaris ambitio plurimorum malorum cauſa.

Teſtatur ipſe C. Iulius Cæſar rapiendæ dominationis cupidiſſimus, qui teſte Cicerone de Officiis l. 3, Euripidæum illud crebrò in ore habebat, cujus etiam meminit Suetonius in vitâ ejus cap. 30.

Nam ſi violandum eſt jus, imperii gratia
Violandum eſt: aliis rebus pietatem colas.

Hæc fax bellum civile excitavit, ſocerum inter & generum, Reipub. Romanæ funeſtiſſimum, cujus flamma latiſſimè ſparſa, univerſum penè mundum accendit, geſtum à maximis ducibus poſt Alexandrum Magnum clariſſimis: in quo non ſolùm majores copiæ ſuccubuere minoribus, ſed juſtitia ambitioni, dominatui libertas ceſſit, ipſe orbis terrarum victor & triumphator Pompejus ab ingratiſſimo prædone trucidatus; terrarum Dominæ, gentiumque Romæ à Cæſare catenæ, compedeſque injectæ.

Mirari ſubit obcæcationem pravâ hac dominandi cupiditate laborantis, nec circumſtantia diſcrimina præcipientis, cùm interim acutiſſimè indaget omnes vias, quibus ad ſummas dignitates, & honorum faſtigium graſſetur.

Extat apud Phrygem Mythologum Æſopum fabula non inelegans, nec longa; huic rei accommodata.

318. Fabula de cervâ uno oculo privatâ altero acutum cernente.

Cerva fuit, neſcio quo caſu altero oculo excæcata, alterò verò clarè videns, provida quidem, ſed non in omnem partem. Vt autem venatores procul cernens maturè effugere valeret, hoc aſtu uſa eſt. Cum pabulatum ibat, non ſe pratis credebat, vel patentibus campis, nec in agros excurrebat, ſed ſemper in littore paſcebatur: & ita quidem gramina carpebat, ut oculum ſanum & perſpicacem terræ obverteret; quà canes & venatorum turba poſſent accedere & irruere, alterum verò oculum malè affectum & cæcutientem ad mare tendentem habebat, unde nihil periculi ſibi impendere ſuſpicabatur, quaſi eſſet extra omnem teli jactum. Securitatem omnem ſibi pollicebatur, cùm videret ſe hinc oculo luciduſſimo, hinc mari protectam. Sed ſæpe quod ſecurum eſt, non eſt tutum undique, ut noſtræ cervæ accidit. Siquidem cùm à terrâ nullos canum ſagacium latratus audiret, neque venantes conſpiceret, qui pabulantem paſcentemque infeſtarent, contigit ut illac non procul à littore quidam præterveherentur vectores, & cymbâ ſuâ oram maris legerent, quos illa cæcutiente oculo non advertebat. Itaque ſagittâ illam ſecuram periculi fixerunt, lamentantem quòd inde, unde minimè rebatur & verebatur, percuſſa eſſet.

318. Applicatur ambitioſis.

Epimythium ſive Affabulatio in varios quadrare poteſt. Mihi autem fabula narrari videtur de ambitioſis & honorum cupidis, qui cùm cetera ſint oculatiſſimi & Argo perſpicaciores, plerumque tamen maximâ cæcitate laborant in prævidendis illis, unde caſus propinquus imminet, & ineluctabile diſcrimen.

Ita Amanus noſter qui & ſuo judicio & etiam Regis Artaxerxis c. 13, hîc ℣. 3, ceteros conſiliarios ſapientiâ præcellebat, nihilominus prudentiâ divinâ Eſtheræ reginæ quaſi reti captus eſt, & illaqueatus, vel potius transfixus, à quâ tamen nihil ſibi metuebat, quin verò vel maximè favere exiſtimabat. Quales fuere Aman & Abſalom.

Sic Abſalom obcæcatus divinitus reliquit utile ſibi conſilium Achitophel, & ſecutus eſt ſententiam Chuſai, quæ rebus ſuis erat perniciosiſſima 2 Regum 17, verſ. 14. undè & miſerrimè periit. Et hæc hactenus.

CAPVT OCTAVVM.

ARGVMENTVM.

Proſcripta Amanis bona Eſtheræ à Rege donantur, & Mardochæus in familiaritatem regiam adſciſcitur & in locum Amanis ſufficitur, tradito illi Annulo. Eſther ab Aſſuero impetrat revocationem feralis edicti contra Iudæos lati & contrarium decretum, quo ipſis permittitur libera hoſtium Hebræi nominis interfectio, & bonorum direptio. Scriptæ ſunt ergo litteræ, regiſque annulo ſignatæ, quibus nefas contradicere, & miſſæ per omnes regi ſubjectas provincias per veredarios. Inſuper Mardochæus novo honore adauctus ſplendidiſſimis & regiis veſtibus ornatus ab omnibus conſpicitur; unde non ſolùm Iudæi novâ exultarunt lætitiâ, ſed & Perſæ epulas & diem feſtum celebrarunt, multique eorum Iudæorum religioni ſe adjunxerunt.

TEX-

TEXTVS.

Die illo dedit rex Assuerus Esther reginæ domum Aman adversarii Iudæorum, & Mardochæus ingressus est ante faciem regis. Confessa est enim ei Esther quod esset patruus suus. 2 Tulitque rex annulum, quem ab Aman recipi jusserat, & tradidit Mardochæo. Esther autem constituit Mardochæum super domum suam. 3 Nec his contenta, procidit ad pedes regis, flevitque, & locuta ad eum oravit, ut malitiam Aman Agagitæ, & machinationes ejus pessimas, quas excogitaverat contra Iudæos, juberet irritas fieri. 4 At ille ex more sceptrum aureum protendit manu, quo signum clementiæ monstrabatur: illaque consurgens stetit ante eum, 5 & ait: Si placet regi, & si inveni gratiam in oculis ejus, & deprecatio mea non ei videtur esse contraria, obsecro, ut novis epistolis, veteres Aman literæ, insidiatoris & hostis Iudæorum, quibus eos in cunctis regis provinciis perire præceperat, corrigantur. 6 Quo modo enim potero sustinere necem & interfectionem populi mei? 7 Respondit que rex Assuerus Esther reginæ, & Mardochæo Iudæo: Domum Aman concessi Esther, & ipsum jussi affigi cruci, quia ausus est manum mittere in Iudæos. 8 Scribite ergo Iudæis, sicut vobis placet, regis nomine, signantes litteras annulo meo. Hæc enim consuetudo erat, ut epistolis, quæ ex regis nomine mittebantur, & illius annulo signatæ erant, nemo auderet contradicere. 9 Accitisque scribis & librariis regis (erat autem tempus tertii mensis, qui appellatur Siban) vigesima & tertia die illius, scriptæ sunt epistolæ ut Mardochæus voluerat, ad Iudæos, & ad principes, procuratoresque & judices, qui centum viginti septem provinciis ab India usque ad Æthiopiam præsidebant; provinciæ atque provinciæ, populo & populo, juxta linguas & litteras suas, & Iudæis, prout legere poterant, & audire. 10 Ipsæque Epistolæ, quæ regis nomine mittebantur, annulo ipsius obsignatæ sunt, & missæ per veredarios: qui per omnes provincias discurrentes, veteres litteras novis nuntiis prævenirent. 11 Quibus imperavit rex, ut convenirent Iudæos per singulas civitates, & in unum præciperent congregari, ut starent pro animabus suis; & omnes inimicos suos, cum conjugibus ac liberis & universis domibus, interficerent atque delerent, & spolia eorum diriperent. 12 Et constituta est per omnes provincias una ultionis dies, id est, tertiadecima mensis duodecimi Adar. 13 Summaque epistolæ hæc fuit, ut in omnibus terris ac populis, qui regis Assueri subjacebant imperio, notum fieret, paratos esse Iudæos ad capiendam vindictam de hostibus suis. 14 Egressique sunt veredarii celeres nuntia perferentes, & edictum regis pependit in Susan. 15 Mardochæus autem, de palatio, & de conspectu regis egrediens, fulgebat vestibus regiis, hyacinthinis videlicet & aëreis, coronam auream portans in capite, & amictus serico pallio atque purpureo. Omnisque civitas exultavit, atque lætata est. 16. Iudæis autem nova lux oriri visa est, gaudium, honor, & tripudium. 17 Apud omnes populos, urbes, atque provincias, quocumque regis jussa veniebant, mira exultatio, epulæ atque convivia, & festus dies: in tantum ut plures alterius gentis & sectæ, eorum religioni & ceremoniis jungerentur. Grandis enim cunctos Iudaici nominis terror invaserat.

VERSVS I, & II.

Die illo dedit rex Assuerus Esther reginæ domum Aman adversarii Iudæorum, & Mardochæus ingressus est ante faciem regis. Confessa est enim ei Esther quòd esset patruus suus.

Tulitque rex annulum, quem ab Aman recipi jusserat, & tradidit Mardochæo. Esther autem constituit Mardochæum super domum suam.

Hebraicè: In die illo dedit Rex Achasueros Esther reginæ domum Haman angustiatoris (hostis) Iehudæorum: & Mardochai venit ad facies regis, (ante regem ingressus est) nam indicavit Esther quid ipse sibi (esset.) Et removere fecit Rex annulum suum, quem transire (tolli) fecerat ab Haman, & dedit illum Mardochai, & posuit Esther Mardochai super domo Haman.

Iosephus sic: Atque ita Aman immodicè usus amicitiâ regis periit, & facultates ejus reginæ donatæ sunt. Mardochæus autem à rege accitus, qui jam cognatum esse conjugis ex ipsâ didicerat, annulum accepit ab eo, qui prius Amani fuerat concreditus. Regina verò possessiones Amanis ei largita est.

COMMENTARIVS.

CONſpicitur hîc magna rerum converſio, non ſolùm in palatio Aſſueri, ſed & in toto, quaquaverſus patebat, ejus imperio. Impio enim Amano in patibulum acto, Eſthera domo & facultatibus communis hoſtis locupletatur, Mardochæus verò in intimam regis familiaritatem admittitur, tamquam ipſius reginæ patruus; annulus etiam, quo antè beneficio fuerat uſus Aman, eidem tribuitur, cui etiam Eſther cumulum addit, conſtituto eo adminiſtratore domus Amani. Denique toti regno, ut poſtea dicetur, ingens gaudiorum ſeges offerrur.

His verſibus, ut bene obſervavit Cajetan. & alii, tria memorantur, quibus mirum in modum evectus & honoratus eſt Mardochæus, quibus & quartum adjungitur ℣. 15.

Primum, quòd ingreſſus ſit ante faciem regis.

1. Quid ſignificet, ingredi ante faciem Regis.

Quæritur, quis fuerit ille honor, aut dignitas.

Putant aliqui, ut Vatablus & Em. Sa, Mardochæum admiſſum in familiam dumtaxat regis. Sed ſæpe antè dictum fuit, ipſum tamquam palatinum in foribus regiæ verſatum ideoque de domo regis fuiſſe: quod manifeſtè etiam habetur cap. 12, ℣. 5: *Præcepitque ei rex ut in aulâ palatii moraretur datis ei pro delatione muneribus.*

Vnde rectius alii Interpretes, Cajetan. Serarius, Mariana &c. ajunt illis verbis indicari Mardochæum adſcitum fuiſſe in primam amicorum cohortem & intimam familiaritatem, ut eſſet illi præcipuus cubicularius, cum quo præcipua regni negotia tractaret; ipſe verò cum Rege tamquam domeſticus converſaretur. Hi enim ſemper faciem intuentur regis.

Quò referunt illud Matthæi 18, verſ. 10: *Angeli eorum in cœlis ſemper vident faciem patris mei, qui in cœlis eſt.* Et Tobiæ 12, ℣. 15, ubi ſic loquitur Angelus Raphaël. *Ego ſum Raphaël Angelus, unus ex ſeptem qui aſtamus ante Dominum*; quod intellige vel divinæ Majeſtati miniſtrando, vel eamdem conſpiciendo & ex ejuſdem aſpectu æternam beatitudinem hauriendo, ut rectè Serarius in locum Tobiæ quæſt. 9.

2. Quid ſit aſtare ante Dominum, vel faciem ejus videre.

Quod verò ad loci Tobiæ phraſiologiam pertinet, Græca quædam ibidem habent *egredi à conſpectu gloriæ ipſius Sancti*, id eſt, Dei, ἐξαγγέλλειν ἐνώπιον τῆς δόξης τοῦ ἁγίου. Græca tamen Romana correcta pro, *egredi*, habent, *ingredi*, εἰσπορεύεσθαι, *ingredi coram ſancto Deo.* Et bene utrumque conjungitur egredi & ingredi, more loquendi Scripturæ uſitato. Qui enim regibus familiariter adſunt, & miniſtrant, ad nutum eorum conſueverunt ingredi & egredi. S. Cyprian. & Auguſt. illum locum ſic proferunt: *Ego ſum Raphaël unus ex ſeptem Angelis juſtis qui aſſiſtimus & converſamur ante faciem*, (vel claritatem) *Dei.*

Hæc ex Serario non παρέργως. Ex quibus conſtat Mardochæum receptum in numerum familiariſſimorum regis.

Ratio verò hîc additur, cur Mardochæus ad penetralia regiæ neceſſitudinis receptus fuerit, quia Eſthera Aſſuero indicavit ſuam cognationem. Licèt enim antè ſciverit ipſum genere Iudæum, non tamen cognoverat illum fuiſſe uxoris ſuæ patruum, quem illa à teneris loco patris coluerat, ideoque ſibi factum Mardochæum affinem.

Hebraicè habetur: Indicavit regi Eſther quid ipſe ſibi eſſet, id eſt, quàm propinquus ſanguine, ut habent Septuaginta.

Altera dignitas Mardochæi, quòd poteſtas & officium Amanis fuerit illi collatum, quod hîc ſymbolicè ſignificatur traditione annuli, quem rex auferri curaverat ab Amano.

Dubium hîc eſt, quis fuerit ille annulus. Duplex enim videtur fuiſſe, ut rectè obſervavit Sanctius hîc; unus ſigillaris, quem rex geſtabat, & utebatur vel ipſe vel alius ejus nomine ad litteras & alia obſignanda, de quo dicitur ſuprà cap. 3. v. 10: *Tulit ergo rex annulum, quo utebatur, de manu ſuâ, & dedit eum Aman*; &c. de hoc etiam habetur cap. 8, hîc verſ. 8, ubi ſic loquitur Aſſuerus: *Scribite ergo Iudæis, ſicut vobis placet, regis nomine, ſignantes litteras annulo meo. Hæc enim conſuetudo erat, ut epiſtolis, quæ ex regis nomine mittebantur, & illius annulo ſignatæ erant nemo auderet contradicere.* Rurſus hîc verſ. 10: *Ipſæque epiſtolæ, quæ regis nomine mittebantur, annulo ipſius obſignatæ ſunt.*

1. Duplex annulus unus ſigillaris.

Hunc annulum ſigillatorium puto ego cum Sanctio ſtatim Amanum reddidiſſe regi, poſtquam litteras obſignaverat, ſimiliter & Mardochæum; quia erat hic regi proprius, & nota regiæ auctoritatis: Niſi fortè dicere velimus cum Saliano annulum hunc ſigillatorium manſiſſe apud Amanum tamquam regium ſigilliferum, vel regiorum ſigillorum conſervatorem; quod munus juxta morem Galliæ eſt Cancellarii. Sic etiam Alexander Magnus annulum ſignatorium in digito ferebat, ut conſtat ex Curtio lib. 10. cap. 7. Iuſtin. l. 12. & aliis. Moriturus illum digito detractum Perdiccæ tradidit.

Alter annulus erat, qui à Perſarum regibus maximis principibus, & neceſſitudine, vel ſanguine aut affinitate junctis donabatur; quâ notâ & inſigni ab aliis diſcernebantur, tamquam Regi auctoritate & poteſtate proximi. Et talem acceperat Amanus à Rege, qui & ipſius apud regem gratiam, & ſuper omnes Satrapas auctoritatem indicabat, & populo toti eumdem venerabilem & eminentiſſimum reddebat. Cùm autem exauctoratus à rege fuit ſuâ dignitate tamquam regni perduellis, & læſæ majeſtatis reus, annulus etiam ei ereptus eſt, & traditus Mardochæo, qui eo auctoratus eſt, & in locum Amani ſucceſſit.

2. Alter, qui dabatur à rege præcipuis principibus honoris maximi argumentum & amoris teſſera.

Norunt verò docti apud Perſas ſymbolum fuiſſe & pignus ſummi amoris ſiquis à rege annulum accepiſſet. Sic Alexander ab Alexandro l. 1 Genial. Dier. cap. 26. *Apud Perſas*, inquit, *donari annulo à rege, fœdus inexplicabile, & ſummi amoris vinculum putabatur.* & lib. 2, cap. 19. *Apud Perſas*, ait, *donari annulo à Rege amicitiæ ſignum erat, eo argumento illos in intimam ſodalitatem & vinculum maximi fœderis admittere ſignificante.*

Similem ergo annulum Mardochæus à rege accepit, ut veriſimilius eſt, licèt etiam alterum probabile ſit, ſcilicet, annulum regis ſigillatorium

Quem annulum acceperit Mardochæus.

rium illum accepisse. Sic enim dicitur Genes. 41, vers. 42. *Tulitque* (Pharao) *annulum de manu suâ, & dedit eum in manus ejus* (Ioseph) &c. quo charactere instituit cum sui regni Cancellarium.

Sic, ut scribit in vitâ Mori Stapelton. cap. 3. sigillum Angliæ regis bursæ holosericæ inclusum solemni pompâ ante Cancellarium defertur, & pro tribunali sedenti coram ponitur. Bruxellæ sigillum habet Præses, Episcoporum fere aliquis Canonicus.

Antiochus moriens 1 Machabæor. 6, ℣. 15. Philippo dedit diadema & stolam suam, & annulum, de quo & dicitur vers. 14, quòd *præposuit illum super universum regnum suum.*

Quidquid autem sit de illo annulo certum videtur Mardochæum successisse in dignitatem Amani; nam & vocatur cap. 9, vers. 4. *princeps palatii*, & cap. 10, ℣. 3, *secundus à rege*. Quod etiam apparet ex regio vestitu de quo ℣. 15, hujus capitis differendum. Denique multa passim habentur de potestate, & gloriâ Mardochæi, ut cap. 9, ℣. 4: *fama*, inquit, *nominis ejus crescebat quotidie, & per cunctorum ora volitabat.* & cap. 16, vers. 13, fatetur Artaxerxes se ejus fide & beneficiis vivere.

Tertia etiam accessit dignitas, quòd Regina Esther constituerit Mardochæum super domum suam amplissimam, opulentissimam, splendidissimam.

Occurrit hîc difficultas primò: Quæ fuerit illa familia & domus, super quam Regina Mardochæum constituit.

Sanctius existimat Estherem voluisse, ut Mardochæus quæcumque sibi propria essent, ut domos, prædia, facultates, quæ lautissimæ & magnificentissimæ erant, utpote Reginæ Persarum & Imperatoris ac Monarchæ conjugis, suo arbitrio moderaretur, & administraret, ut quemadmodum seipsam à teneris unguiculis illi formandam, fingendamque tradiderat; sic etiam familiam suam jam gubernaret, facultates, & opes dispensaret, &c.

Sic Pharao *constituit Iosephum dominum domus suæ & principem omnis possessionis suæ*, Psalm. 104, vers. 21.

Verùm, si textum Hebræum consulimus, & Septuaginta, omnino videtur asserendum Mardochæum solùm præpositum fuisse domui, & facultatibus Amani, *posuit*, inquit Hebr. *Esther Mardochai super domum Aman*, *vel in domo Aman*, quæ donatione regis facta erat ipsius Estheræ unde in Latino habetur: *constituit eum super domum suam.*

Iterum quæri potest, an Regina domum & facultates Amani Mardochæo largita fuerit, an solum eum præposuerit bonis illius administrandis. Iosephus, quem sequitur Serarius & ante eum Severus, dicit, eam omnes possessiones Amani Mardochæo fuisse elargitam, Latinus verò & Hebræus habent illum eisdem solùm præpositum fuisse, vel super domum constitutum fuisse; quæ diversa sunt.

Observa hîc primò, per domum Amani donatam Estheræ, intelligi familiam ejus totam, servos, ancillas, fundos, prædia, supellectilem lautam, splendidam, copiosam, opes, thesauros; denique, ut Iosephus & Græca & Chaldæa, omnia quæ illius antè fuerant. Sic enim usurpari solet domus in Sacris litteris: Exodi 1, 21, *Quia timuerunt obstetrices Deum, ædificavit eis domos.* id est, concessit florentem posteritatem, amplam familiam & copiosam: 2 Reg. 7, 11, *Prædicitque tibi Dominus quod domum faciat tibi Dominus*: id est, augebit te plurimis liberis, & longâ posteritate, &c.

1. Domus accipitur pro familia.

Observa 2, more Persarum & aliarum gentium, bona & possessiones eorum, qui rei erant læsæ majestatis, regis ærario cessisse, & in fiscum redacta; unde Assuerus Amanis facultates jure & consuetudine sibi debitas, & ad se devolutas Estheræ concessit. Sic decernit Darius primi Esdræ 6, vers. 11. *A me ergo*, inquit, *positum est decretum: ut omnis homo qui hanc mutaverit jussionem, tollatur lignum de domo ipsius, & erigatur, & configatur in eo, domus autem ejus publicetur.* Rursus eodem libro cap. 7, vers. 26, Artaxerxes Persarum rex agens cum Esdrâ, sic mandat & edicit: *Et omnis qui non fecerit legem Dei tui, & legem regis diligenter, judicium erit de eo sive in mortem, sive in exilium, sive in condemnationem substantiæ ejus, sive in carcerem.* Vide Iosephum lib. 11. Antiquitat. cap. primo & quarto.

Bona eorum qui rei erant læsæ majestatis fisco cedebant.

Quærit hîc & meritò Serarius, cur ad tantam dignitatem evectus fuerit Mardochæus, & respondet ex S. Hieronymo sub finem Capitis secundi Danielis, ut quemadmodum in Iosepho Gen. 41, Daniele 2 Danielis, sic in Mardochæo haberent captivi & peregrinantes Iudæi solatia, videntes hominem gentis suæ, Ægyptiorum esse principem, vel Chaldæorum vel Persarum.

Mardochæus exaltatus fuit Iudæis solatium.

Chaldaica etiam Paraphrasis Canticor. 7. ℣. 5. *Pauperes*, ait, *è populo qui ambulabant apud Principem hunc & inde, eò quod egeni sunt, futurum est, ut induantur purpurâ, sicut indutus est Daniel in civitate Babylonis, & Mardochæus in Susis, propter meritum Abrahæ, quem regem constituit ab initio seculi, & propter justitiam Isaac, quem ligavit pater ejus, ut offerret eum, & propter benignitatem Iacob, qui decorticavit virgas in canalibus.*

Feuardentius hîc occasionem arripiens ab exauctoratione Amani per ablationem annuli, quo Mardochæus donatus fuit, locum communem contexit de abdicatione principum sacrorum & profanorum, ipsorumque de gradu, & honore suo dejectione: quæ quia fusè prosequitur, non est, quòd nos in illis hæreamus.

Institutum monitumque politicum;

Aula purganda hominibus sceleratis; Pii verò palatini in eam adlegendi.

FEcerunt hoc tũ alii Principes & Monarchæ, tum verò prudentior factus Assuerus, qui Amano exauctorato, in ejus locum substituit Mardochæum aulicorum speculum, palatii decus, nobilitatis typum, effigiem religionis, imaginem probitatis, Israelis currum & aurigam, hoc est, præsidium & protectorem.

Sed, inspiciamus & perambulemus mente curiam Principis sanctitate Deo conjunctissimi, viri, inquam, secundum cor ejus. Ille est David, qui Psalmo centesimo aureâ suâ testudine prædicat & canit, quomodo palatinis suis exemplo & sermone ad omne virtutis decus præluxerit, eos instituerit, informare proposuerit. Illius Car-

minis Epigraphe meritò esse queat; *Encomium vel Elogium sanctæ Davidis aulæ*, cujus Exegesin hic paucis propono. Misericordiam justitiæ conjunctam (quæ decorn in te plectro meo celebro ò Deus, te docente magistro discere, & moribus meis exprimere decrevi, ut inculpatam vitam agam, & justè aulicos mihi subjectos gubernem. In animo mihi est nulla vitia, quibus plerumque regum palatia referta sunt, tolerare.

4. Sancta Davidis aula.

4. Explicatio Psalmi centesimi.

In aulâ meâ non versabitur malignus, calumniator, aut detractor, nec mensæ meæ accumbet ambitiosus, superbus, aut pecuniæ avidus & insatiabilis.

In hoc studeo, ut fidos & innocuos inveniam famulos & ministros. Conabor verò homines sceleratos & aliorum corruptores quàm maturrimè è medio tollere, ut his purgamentis curia mea expedita sit sanctum Domini domicilium. Hæc notio illi Psalmo mihi subesse videtur; qui incipit, Misericordiam & judicium cantabo tibi, Domine, &c.

Extat in Psalmum illum Commentarius litteralis & Moralis Ioan. Antonii Velasquez, cui adjuncti libri quinque de Optimo Principe.

Præstitit rebus ipsis David Rex quòd filius ejus sapientissimus suadet principibus, Prov. 25, vers. 4 & 5. *Aufer rubiginem de argento, & egredietur vas purissimum: Aufer impietatem de vultu regis, & firmabitur justitiâ thronus ejus.*

Explicatio loci Prov. 25. 4 & 5.

Locum hunc ex aliorum textuum collatione illustro. Hebraicus habet: *Remove scorias de argento, & egredietur argentario vas. Remove impium a facie regis*, &c. Ita ferè & Chaldæus. Septuaginta, *Percute argentum improbatum* (id est contere vas ex impuro argento conflatum) *& mundabitur mundum totum* (egredietur ex conflatorio mundissimum vas consumptis fecibus) *Interfice impium à facie regis, & rectâ procedet in justitia thronus ejus.* Iam sensus hic existit proposito nostro serviens: Sicut ex argento decoctis & depuratis sordibus, scoriâ & fece, quæ ipsi adhæserant, purissimum, splendidissimumque vas conflatur: ita si Rex impietatem, id est, impios & nefarios homines tamquam quisquilias & periplemata aulæ suæ à gratia suâ excluserit, tunc demum thronus ejus omni virtute stabilietur, & erit *quasi vas auri solidum, ornatum omni lapide pretioso*, Ecclesiastici 50, ℣. 20 Erit, inquam, ejus basilica instar argenteæ ædiculæ vel delubri, honestatis fulgore undique collucens; Quid sunt palatini corvi, adulatores, criminatores, livore tabescentes & aliis facinoribus cooperti, nisi rubigo sive ærugo regiarum, qui suâ nequitiâ integellas adolescentium & proborum virorum animas corrodunt & depascuntur? Sirachides etiam de flagitioso sermonem instituens Ecclesiastici 12, ℣. 12: *Sicut*, inquit, *æramentum æruginat nequitia illius.*

5. Aulici improbi scoria, ærugo, feces sunt palatii, à quibus aula purganda.

Sunt scoria juxta illud Psalmi 118: *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ*; ubi Hebraica sic habent: *Tamquam scorias computavi omnes impios terræ.* Et Isaiæ primo ℣. 22: *Argentum tuum versum est in scoriam.* Hoc autem contingit, cum Princeps ephebos & ministros improbitate viles, licet genere nobiles sibi assumit, quorum commercio ab antiquâ probitate & splendore degenerat; veluti argentum scoriis, aliisque ignobilioribus fossilibus permixtum.

Vtinam autem Deus multorum principum aulas malitiâ servitiorum palatinorum & turpitudine ministrorum collutulatas & infectas aliquando depuret, & percolet, sicut suprà apud Isaiam id promisit ℣. 25 & 26: *Et convertam manum meam ad te, & excoquam ad purum scoriam tuam, & auferam omne stannum tuum. Et restituam Iudices tuos, ut fuerunt prius, & consiliarios tuos, sicut antiquitus: post hæc vocaberis civitas justi, urbs fidelis.*

Cetèrùm sicut ignis instrumentum est, quo scoriarum, & terrenorum recrementorum impuritas ab auro vel argento secernitur, ita sæpe justa ira regum reprobos & facinorosos curiales consumit, bonis omnibus, etiam vitâ spoliat; quò fit, ut tota Regia instar argenti lucidissimi renideat & virtutibus splendescat. Sic furor Assueri cùm palatii sui scoriam, & rubiginem, Amanum sustulit, & Mardochæum aulæ decus in ejus locum suffecit, argenti fulgore, basilicam Susianam, arcemque suam illustravit, & familiam quasi novo jubare orto condecoravit.

Verè aurcum vas Assuerianæ familiæ fuit Mardochæus, *argentum igne examinatum probatum terræ, purgatum septuplum* Psal. 11, 7. Vt enim aurum, argentumque eò purius defecatiusque & est, & habetur, quò magis in flammis exploratum splendescit, quò malleis tunsum, percussumque minus dissilit, sed potius in laminas lentescit & complanatur, quò clariorem edit tinnitum. Sic Mardochæus violentiâ superbissimi Amani probatus, ipsius livore & improbis conatibus contusus & penè ablumptus, magis postea in aulâ Assueri illustrioribus virtutibus refulsit, & gratiore luce totam Persidem perfudit.

6. Probi aulici similes auro igne probato.

In hoc ergo principes incumbant, ut familias, urbes, Respublicas suas ab improborum hominum scoria & fecibus excoquant & emundent, ut consumptâ nequitiâ, novo vigore ipsorum imperium efflorescat, & perpetua tranquillitate & justitiâ confirmetur.

Principes priscis temporibus molestè ferebant, & ut rem indignam ducebant, si imago vultus ipsorum vel effigies excuderetur numismatis, quorum materia constaret metallo reprobo, adulterino, auro minus defecato, argento scoriis deformato, vel de cujus integritate & justo pondere quidpiam esset recisum. Sic loquitur Theodoricus Rex Apud Cassiodor. in formulâ, quâ moneta committitur, lib. 7. c. 22: *Omninò monetæ debet integritas quæri, ubi & vultus noster imprimitur. Quidnam erit, si in nostrâ pecetur effigie? Sit mundum quod ad formam nostræ serenitatis adducitur. Claritas regia nihil admittit infectum.*

7. Principes ægrè ferunt si ipsorum imago imprimatur materiæ viliori, vel impuræ.

Mundum aurum, purum argentum, integra moneta erat Mardochus, dignus qui ingrederetur antè faciem Regis Assueri, qui insigniretur annulo, cui Persarum Monarchæ effigies esset insculpta.

Inter præcipua aulæ Octaviani Augusti lumina emicuerunt Agrippa & Mecœnas amici fidelissimi, quibus extinctis sæpe exclamavit, ut auctor est Seneca lib. 6 de beneficiis cap. 32. *Horum mihi nihil accidisset* (ut scilicet filiæ meæ flagitia & propudia publicarem) *si aut Agrippa, aut Mecœnas vixisset.*

8. Fidelissimi aulici Augusti fuerunt Agrippa & Mecœnas.

Sabanus tom. Annal. sexto an. mundi 4042. n. 8; hæc

hæc ex antiquis historicis de Agrippâ scribit.

9. Maxima Agrippæ laus.

M. Agrippa vir omnium suæ ætatis hominum optimus, qui Augusti principis amicitiâ in publicæ rei utilitatem sapienter uteretur, cui cum omnem suam sapientiam & fortitudinem utendam daret, honores tamen & potentiam ab eo parcè acciperet, & in ejus gloriam, aliorum autem utilitatem impenderet: unde factum est, ut neque Augusto molestus unquam esset, neque invidiæ aliorum obnoxius; simulq; monarchiam Augusti, siquis alius, maximè stabiliret, & nihilominus maximè popularis videretur. Exemplum utique egregium, aulicæ vitæ sectatoribus jure propositum, in quod intuentes, principi & populo, atque ipsi etiam Deo acceptissimi sint.

10. Item laus Mecœnatis.

Sic verò de Mecœnate, anno mundi 4046, n. 7. Mecœnas vir fortis ac fidelis, & in monendo Augusto liber: quippe cui urbis custodiam, sicut Agrippæ diu commisit, & asperum etiam monitorem in medià ira non ullibenter accepit, dilexit & animum ab ambitione alienum, ut qui in equestri statu consenescere voluerit. Hæc de aulicis Augusti præcipuis Iacobus Salianus.

11. Alexander Severus aulam purgavit hominibus inutilibus.

Alexander Severus, referente Lampridio in vitâ, provincias, Vrbem, & palatium suum purgavit hominibus inutilibus: ajebat enim malum pupillum esse Imperatorem, qui ex visceribus provincialium homines non necessarios, nec Reipubl. utiles, aleret: unde turpes & infames ejecit.

12. Sigismundi Imperatoris Apophthegma.

Æneas Silvius lib 2. Commentarior. in Panormitam de gestis Alphonsi, laudat Sigismundum Imperatorem, qui Reges in terris beatos esse ajebat, si exclusis superbis, humanitatis & clementiæ studiosos in curiam adscisceret.

13. Pii aulici in curiis Regum gentilium.

Sed age, recensemus aulicos quosdam, qui detersâ improbitatis rubigine, splendore virtutum argenteo principum palatia gentilium perfuderunt; fuerunt *dormientes inter medios cleros sicut pennæ columbæ deargentatæ, cujus posteriora dorsi in pallore* (vel flavedine) *auri* Psalmo 67, 14; id est, inter tripodas atros (ut aliqui ex Hebræo vertunt ת cleros) integritatis argenteæ candore resplenduerunt, & aureâ caritate patriæ & boni communis coruscarunt.

Talis Iosephus.

Inter illos primum facilè locum obtinuit illud castimoniæ lilium S. Iosephus, Ægyptiacæ aulæ princeps, à Pharaone secundus, qui Ægypto summâ post regem potestate præfuit annis octoginta.

Talis Moyses.

In eodem palatio inter barbara Pyramidum miracula annos quadraginta vixit sanctissimus ille Hebræorum Legislator Moses, ad illorum salutem à Deo præordinatus.

Item David.

Ephebus honorarius Saulis, deinde tribunus militum & gener ejus fuit Iessæus David, qui primùm citharâ suâ & plectro eundem recreavit, & refocillavit, deinde contra Philistæos suis armis protexit.

Nehemias & Zorobabel.

Pincerna Artaxerxis Persarum Monarchæ & palatinus honoratus fuit Nehemias, Persicè Atherfatha vocitatus, restaurator ille Ierusalem & murorum ejus, de quo habes 2 Esdræ 2, ℣. 1.

Fuit & Zorobabelus Darii regis purpuratus, & corporis custos sapientiâ ceteris ephebis præstantior, quem Rex cognatum sinum vocavit, & dato osculo misit in Iudæam, 3 Esdræ c. 4.

Nec prætereundus Daniel (quem Speculum aulæ vocat Adamus Contzen, (cujus & nomine tituloq; librum suum inscripsit de statu, vitâ, virtute aulicorũ) & tres ejus fidi Achates, Ananias, Azarias & Misael, lumina Chaldææ Regiæ, qui Babylone, hoc est, in omnium scelerum voragine, impietatis officinâ, turpitudinum cloacâ intaminatis fulserunt honestatis insignibus. Daniel & tres ejus socii.

Floruerunt ergo in Regum impiorum palatiis pii aulici, nec modo Ægyptiorum, Chaldæorum, Medorum atque Persarum, ut ostendimus, sed etiam Romanorum Cæsarum atque tyrannorum.

14. Sancti aulici in palatio Diocletiani & Neronis.

Habuit curia Diocletiani in Deum impii, in Christianos crudelissimi viros sanctimonia præclaros Dorotheum Palatii Præfectum, Gorgonium, Sebastianum, & alios, qui purpuram sanguine fuso tinxerunt, & illustre pro Christo martyrium dederunt, quorum nomina indeleta Ecclesiasticæ tabulæ consecrarunt: ut taceam cruentæ illius belluæ conjugem Serenam, alteram Estheram, hoc tamen nostrâ superiorem quòd sceptrum mariti non signum clementiæ, sed sævitiæ experta est.

Neroniana Regia Orthodoxiâ præstantes pugiles produxit, de quibus ad Philippenses 4, vers. 22, scribit Apostolus: *Salutant vos omnes sancti, maxime qui de domo Cæsaris sunt.* In aulâ Achabi, *qui venditus erat ut faceret malum*, & Iezabelis Medeâ truculentioris, veneficæ & ebriæ sanguine prophetarum, inventus vir Dei observantissimus Abdias, de quo hoc testimonium reddit Spiritus Sanctus, 3 Regum 18, v. 3. & 4. *Vocavit Achab Abdiam dispensatorem domus suæ. Abdias autem timebat Dominum valde. Nam cùm interficeret Iezabel prophetas Domini, tulit ille centum prophetas, & abscondit eos quinquagenos & quinquagenos in speluncis, & pavit eos pane & aquâ.*

15. Abdias dispensator domus Achab.

Extat apud Laurent. Surium Octobris septimo martyrium duorum aulicorum, qui plurimam gratiâ apud Maximianum Cæsarem valuerunt; Sergii & Bacchi. Erant hi non solum genere præclari, sed virtute etiam conspicui, quorum nomina cum de Christianismo detulissent æmuli, jussi sunt falsis diis sacrificium offerre. Illi ne templum quidem profanum ingredi dignati, Imperatori generosâ libertate responderunt: Nos, Cæsar, solâ terrenâ militiâ tibi obstricti sumus, in animas nullum tibi jus est, quarum dominus solus verus Deus est. Nec his stetit ipsorum constantia. Fortibus dictis fortiora facta fuêre. Postquam muliebribus vestiti indumentis per urbem circumducti spectaculum & ludibrium vulgo facti sunt (hoc enim ignominiæ genere tyrannus illos notare volebat) & immanium tormentorum victores mortem fortissimè pertulerunt, celeberrimo apparatu Angelis comitantibus & plaudentibus in cœlorum palatium sunt recepti. 16. Sergius & Bacchus aulici Maximiani Cæsaris.

16. Eorum in supplicijs ferendis constantia.

Longum esset alios illustrium procerum & aulicorum triumphos recensere, ut Cæsarii fratris Theologi Gregorii, Gallicani, Ioannis & Pauli germanorum, & aliorum; quorum nomina Ecclesiasticis libris ad perpetuam memoriam inscripta sunt.

Posterioribus temporibus in palatiis regum prudentiâ & sanctitate spectabiles fuerunt, S. Arnulphus Metensis Episcopus, aulæ Dagoberti regis supremus Magister, S. Leodegarius Au-

gustodunensis Antistes, S. Lambertus Trajectensis, Bruno & Anno Colonienses.

Rursus in aulis principum è civili Republicâ adsciti non pauci floruerunt, ut Pipinus primus Brabantiæ Dux Major domus sub Clothario Francorum Rege, & ejus filio Dagoberto, cujus gesta breviter comprehensa extant apud Surium 21 Februarii. Eisdem Regibus carus etiam fuit ex aurifabro factus Palatinus S. Eligius, cujus vita legitur apud eumdem Decembris primo, & meminit Baron. tomo 8 Annalium anno Christi 639. Non prætereundus S. Ioannes Damascenus clarus in palatio Principis Saracenorum Damascenorum, cujus res præclarè gestas edidit Ioan. Patriarcha Hierosolymitanus, & habet Surius Maji 6. Nec silentio involvendi Boëtius & socer ejus Symmachus sub Theodorico Italiæ Rege, qui ejus crudelitatem experti.

17. B. Thomas Morus Aulæ speculum.

Non ita multo antè nostra tempora claruit in aulâ Anglicanâ, ut alter Sol, Thomas Morus, quamdiu virtutis & honestatis schola fuit, nempe qualis primis viginti annis Henrici Octavi. Cùm verò hujusmodi esse desiit, virtusque profligari, libido dominari cœpit, vilissimo scorto in torum thronumque evecto, aulæ & honoribus Morus valedixit. Talis, ait Thom. Stapleton. in vitâ Mori cap. 7. fuit in aula Henrici Octavi Morus Consiliarius, ut Serenissima Catharina Regina prima Henrici Octavi uxor, prudentissima & pissima femina, inter tot Regis Consiliarios unum Morum Consiliarii rem & nomen obtinere, eoque loco dignum esse ipti Regi aliquoties liberè dixerit.

E Societate nostrâ etiam in regum aulis cum laude versati sunt B. Franciscus Borgia tertius ordinis nostri Generalis, & B. Aloysius Gonzaga illibatus castitatis & nobilitatis flosculus.

18. S. Dunstani aulici insignes virtutes.

E multis unius solùm virtutes commemorabo palatini qui aulicis nostri temporis facem præferat ad omne decus & honestatem. Is est S. Dunstanus Archiepiscopus Cantuariensis, cujus res gestas scripsit Osbernus monachus, & habentur apud Surium 19 Maji. Coluit reges bonos & malos, Ethelstanum, Edmundum, Edredum, Eduinum, Edgarum, Eduardum, Edelredum. Publico bono semper invictus consuluit. Solitus erat dicere cùm principes ob veritatem liberè pronuntiatam exacerbatos videret: *Reges occidere posse, nocere sibi non posse*; quod ex religiosissimo Philosopho & insuperabili martyre Iustino Apologiâ ad Antoninum acceptum altè biberat. Contenuit in sancto Regum obsequio, servatâ semper & integritate vitæ, & auctoritate. Nec tam hoc agebat, ut ipse regibus, quàm ut Deo placerent reges.

18. Ejus Apophthegma.

18. Egregia S. Dunstani constantia.

Demonstravit hoc egregio facinore, quod apud Surium refertur cap. 22. Eduinus die suæ inaugurationis in Regem, splendidum omnibus regni proceribus, Dynastis, Episcopis & Abbatibus præbebat epulum, dignum magnificentiâ regiâ & publicâ lætitiâ. At ipse duarum mulierum amoribus mescatus, quæ suis blanditiis & illicus mentem illius ab honesto alienaverant, exsurgit è medio magnatum, & ad meretriculas illas, ut erat diademate redimitus, se confert, & sublatâ coronâ, unguentis exoticis delibutus inter illas se conjicit. Cùm verò Principes & Præsules agnovissent regem ad scorta se proripuisse, justâ irâ exarserunt, indignati diem regiæ coronationis, regni Anglicani majestatem, procerum dignitatem adeò turpi infamique propudio contaminatam; neque frustra augurabant hujusmodi regni exordia infelici exitu terminanda. Cùm igitur convivantium principum liberrima glisceret iracundia, illaque vino etiam amplius accenderetur, nec tamen quisquam tantum animi assumeret, ut Regem ab ignominioso & turpi commercio lascivarum meretricum avocare auderet; tandem commissa est ea cura Dunstano. Tum verò vir constantiâ divinâ plenus metuens ne eadem dies regi initium & finis regni fieret, & vinum sanguine bis rubesceret, ad Eduinum malè sobrium & amoribus ebrium ingreditur, seriò & prudenter primùm pellaces mulieres, deinde regem arguit, pudibundóque & cunctanti diadema imponit, è gynæceo manu prehensum extrahit, principibus restituit: meretrices muliebri furore excandescentes mortem sancto viro minantur: Rex exilio illum multat: quod summâ animi placabilitate, in Flandriam, Gandavumq; vela faciens suscepit: regem verò ignavè, libidinosè, injustè regnantem conjuratio principum regno expellit, Edgarus verò ejus frater gubernacula accipiens Dunstanum pristinæ & Reipub. salutari dignitati restituit.

Anagoge & ascensus

A beneficentiâ Assueri erga Mardochæum ad cumulum bonorum, quibus Deus amicos suos in cœlis beat.

VErsibus primis hujus capitis tria habentur beneficia vel præmia collata in Mardochæum.

Primum, quòd adscitus sit inter amicos & familiares regis intimos & conjunctissimos, quibus semper liberè Regem videre, cum eodem agere facultas sit.

Alterum, quòd Assuerus tum in symbolum summæ dignitatis, quam in illum conferebat, tum in pignus præcipui amoris, quo eumdem prosequebatur, annulo illum donaverit.

Tertium, quòd constitutus sit vel dominus vel administrator familiæ, domus & omniũ facultatum, quàs rex in Estheram liberaliter congesserat.

Exigua, & frivola hæc sunt, si componantur cum multitudine, magnitudine & pretio eorum quæ in cœlis præparavit Deus diligentibus se: quia tamen ista fuerunt quædam futurorum umbra; juverit hîc quædam de felicitate sanctorum delibare quâ perfruuntur in vitâ sempiternâ.

Munera tria liberalis regis Assueri manus largita est Mardochæo: sunt etiam tria dona, quibus Dei creatoris munificentia remunerat suos amicos, in quibus æterna beatitudo, ut credimus, consistit.

19. Clara Dei visio prima hominis felicitas, quid sit.

Primum est clara & perspicua, nullis interpositis umbris aut nebulis, Dei, summi boni visio, qua suprema hominis pars, quæ mens & intellectus vocari solet, Deum quasi spirituali nemu intra se tenet & mirabili modo in se depingit, ita ut ei fiat homo quàm simillimus. De hac dicitur Matth. 18, vers. 10. *Angeli eorum in cœlis sem-*

semper vident faciem patris mei qui in cœlis est (etiâ cùm nobis in terris ministrant) Et nobis promittitur Matth. 5, vers. 8: *Beati mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt.* Rursus vates regius Psal. 16, vers. 15. aspirans ad æternam felicitatem exclamat. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua*: q. d. Satientur alii divitiis, copiosâ posteritate, & ceteris fluxis hujus vitæ quisquiliis; ego verò sistam me divinæ majestati tuæ virtutibus & gratiâ tuâ ornatus, & tunc satiabor manifestâ contemplatione gloriæ tuæ: Illa apparitio glorioſi vultus tui est summa votorum meorum. Isaiæ 33, 17: *Regem in decore suo videbunt oculi ejus*: &c. scilicet *qui ambulat in justitiis & loquitur veritatem*, &c.

Iterum ad illum vitæ perennis fontem sitibundus David & anhelans suspirat Psal. 79, 4,8,20, *Ostende faciem tuam, & salvi erimus.* Quamdiu hujus corporis custodiâ concludimur, Deum solum quasi velo tectum conspicimus: tunc verò revelatâ facie eum contemplabimur. Rursus Psal. 15, vers. 10. *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo* (detectione & ostensione vultus tui.)

S. Augustin. lib. 1 de Trinit. cap. 9. *In visione merces tota promittitur delectationis & desiderii nostri.* S. Gregor. Nyssenus lib. de beatitudinibus, explicans sextam: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt: Videre*, inquit, *usu Scripturæ idem significat quod habere: sicut illud, Videas bona Jerusalem*, Psalm. 127, *idem est quod invenias.* &, *Tollatur impius ne videat gloriam Dei* Isaiæ 26: *per non videre, non participem esse Propheta significat. Ergo qui Deum videt, omne bonum, per hoc quod videt, adeptus est*: &c.

19. Visio Dei Præcipuus nostræ beatitudinis actus.

Est hæc, ut cum Scholasticis loquar, intuitiva & clara Dei visio, per quam anima summum bonum intra se tenet, & intra illud tenetur, præcipuus nostræ beatitudinis vitalis actus (qui symbolicè hic exprimitur per, *Ingredi ante faciem regis*, aut, ut est in Hebræo *venire ad facies Regis, vel coram rege*) & habet se velut radix in arbore, fons in flumine, cor in homine, fundamentum in ædificio; quia ex eâ emanat & procedit vitalis Dei amor, & de obtento summo bono perfectissima delectatio; Magna procul dubio dignitas & felicitas fuit Mardochæi, ingredi ante faciem Regis, ejus conspectu assiduè frui, cum eodem conversari, indui vestibus regiis, accipere regium diadema super caput suum, &c. erat enim hoc regis insignibus honorari, & quodammodo regem esse. Multo major, clarior, pleniorque erit honor, & beatitudo mentis nostræ cùm revelatâ facie Deũ intuebitur. Siquidem visio Dei est quædam perfecta similitudo ipsius divinæ naturæ & fulgentissima imago, quâ Deo quàm simillimi, tamquam dii quidam, vel filii Dei efficimur: quod illis verbis declarat S. Ioannes 1 Epist. cap. 3: *Scimus quoniam cùm apparuerit* (Deus) *similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Ergo hæc ratio similitudinis posita est, in ipsâ Dei intuitione.

20. Visio Dei est perfecta ejus similitudo.

Docent Philosophi intellectionem fieri per assimulationem mentis vel intellectus cum objecto vel re intellectâ, per quam intellectus quodammodo fit res ipsa intellecta ejusque similis efficitur, non per naturæ conformitatem sed per repræsentationem, sicut imago suo exemplari.

Vnde sequitur visionem claram Dei esse perfectissimam & expressissimam imaginem, & veluti picturam divinitatis, quâ mens nostra Deiformis efficitur.

Si rerum fluxarum, v. g. animantium, plantarum, lapidum, elementorum, eorum, quæ in aëre concrescunt mirabilium, quæ meteora vocamus, naturam, causasque cognoscere, hujus vitæ beatitudinis non exigua portio censetur: Si etiam obscuram aliquam Dei, ejus perfectionum, & divinorum idiomatum notitiam assequi ex rebus conditis, & effectis, laudi ducitur, & magno studio, & contentione ad eamdem incumbitur: Quanta erit illa gloria, illud decus; illa felicitas, quando non per speculum, & in ænigmate, sed facie ad faciem cæli terræque moderatorem Deum videbimus, & clarâ ejus visione perfruemur? Hujus seculi sapientes, ut primæ causæ vel tenuem cognitionem perciperent, contemptis divitiis, honorum titulis, & voluptatum blandimentis, in solitudines se abdiderunt, & ob id Philosophi nomine celebrabantur. Quinimo Ieremias propheta sermonem instituens de eo qui scientiâ præstaret, qualis in hac vitâ de Deo haberi potest, ait cap. 9, ℣. 23 & 24: *Hæc dicit Dominus: Non glorietur sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur dives in divitiis suis, sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire & nosse me.*

Nec hoc mirum videatur: Teste enim Aristotele lib. primo de cœlo, & de partibus animalium cap. 11; Plus voluptatis percipitur ex imperfectâ & exiguâ scientiâ rerum altissimarum (qualis est illa de Deo) quàm ex evidente & abundante inferiorum cognitione.

21. Præstantior est exigua cognitio Dei, quam maxima rerũ creatarum.

Hoc etiam discrimen est, eodem auctore Philosopho lib. 2 & 3 de animâ, inter ea quæ mente & sensu attinguntur, id est, potentiæ utriusque objecta; quòd vehemens sensibile corrumpat sensum, ut lux exuberans oculos, maximè infirmos, hebetat, ut fragor vel sonus immensus organum auditus vitiat (quemadmodum memorat Plinius lib. 5, cap. 9, de Catadupis Æthiopum populis ad novissimum Nili catarracten incolentibus, ubi inter occurrentes scopulos tanto murmure & strepitu Nili aquæ ruunt, ut eos plane obsurdescere faciant:) At verò res, quæ vires ingenii & mentis excedunt, quantumvis paulum solummodo attingantur, ipsum animum nobilitant, perficiunt, & confirmant; adeo ut intelligendo Deum, animus divinus efficiatur, cùm in eo Dei quædam imago resultet.

22. Discrimen inter ea quæ sensu percipiuntur & quæ mente.

23. Catadupi ad Nili sonitum obsurdescunt.

In Senatum cùm Trajanus aliquando ingressus fuisset, vultumque suum specie & majestate plenum exhibuisset, publicâ vociferatione conclamatum est, *O nos felices!* Plin. in Panegyrico.

24. Trajani majestas.

Quis plausus, quæ lætitia, quod tripudium, quæ felicitas, quàm faustæ acclamationes resonabunt cùm sanctis animis revelabitur decora facies incredibili suavitate & dignitate aspersa supremi Numinis, & excellentissimæ illius naturæ vultus.

Dixerim Dei vultum luce gloriæ radiantem jure optimo gemmam magneticam, quia illice suâ virtute sanctorum mentes ad se pertrahet.

25. Dei gloria est instar Pantarbæ lapidis pretiosi.

Ctesias historicus refert extare margaritam Pantarbam, mirâ vi præditam, quæ lapides pretiosos cujusdam Bactrii institoris in flumen conjectos, sibi invicem cohærentes eduxit, & velut

in

in triumphum è profluente elicuit. Reperi ita in Indicis Ctesiæ per Photium excerptis.

Fingamus & asseramus pari modo è fluxu præterlabentis seculi, & hujus caducæ & volubilis vitæ fluctibus eductas religiosas mentes à glorioso Dei vultu veluti Olympicâ Pantarbâ sursum, ad se intuendum attolli, & humanissimè imò divinissimè excipi, tamquam ejus assessores, familiares, palatinos perpetuum futuros.

Persarum reges, ut alibi diximus, sub specie majestatis personam suam occultabant: at cœlorum Monarcha omnibus electis faciem suam plenam gratiarum detectam ostendit.

Alterum æternæ beatitudinis præmium & munus quo Deus electos suos remuneratur, & honorat, est Amor tum amicitiæ vel benevolentiæ, quo puro affectu Deo cupiunt omne bonum tam intrinsecum quàm extrinsecum, tum concupiscentiæ & proprii commodi, quo desiderant Deo frui tamquam bono suo vel proprio: quibus vitalibus functionibus animus peculiari nodo & vinculo summo bono conjungitur, dum vel placent illi bona divina, quatenus Dei bona sunt, vel inclinatur in Deum, ut est bonum sui ipsius, & studet illum spirituali intellectus manu apprehendere & præsentem tenere, nec ullo modo vult dimittere.

26. Altera hominis felicitas est amor quo beatus in Deum fertur, & significatur per annulum.

Illa felicitatis portio, quæ ad affectum pertinet, sicut superior ad intellectum bene indicatur per annulum datum Mardochæo: in quo, ut alibi scripsisse memini, Regis vultus cælatus erat.

Nullus autem ignorat summi amoris & benevolentiæ esse argumentum, siquis in palâ annuli, illius, quem diligit, ferat effigiem. Et fortè eò respexit Deus ipse Isaiæ 49, ℣. 16. *Ecce in manibus meis descripsi te.*

27. Deus descripsit nomina electorum in suis manibus, id est, in annulo suo ut numquam illorum obliviscatur.

Descripsit autem in manibus suis nos Deus, id est, uniuscujusque nomen exaravit, ut perpetuum esset memoriæ monimentum, amoris invitamentum, benevolentiæ & caritatis incitamentum, sic ut nullius umquam eum capiat oblivio. Quia verò digiti manuum annulis circumdantur, dicitur Deus descripsisse in manibus, quorum nomina gemmæ annuli quasi insculpta gestat.

Ceterùm cùm regia illa divinaque majestas nos ad jucundissimum suum conspectum invitat & admittit, ut illius amore perfruamur, quasi annulum digitis nostris inserit suâ imagine incisum; ut eum in corde memoriâque jugiter, hærentem in oculis etiam ubique circumferamus, quod tenerrimi amoris indicium est.

28 Annulus amici imagine insculptus amoris argumentum est, si circumferatur.

Sic testatur Cicero lib 5. de finibus, de Epicuræis: *Epicuri*, inquit, *imaginem non modò in tabulis nostri familiares, sed etiam in poculis & annulis* habent.

Vocarunt quidam annulum *pretiosam Cordis coronam*, eo quod cor dulcium affectuum fontem velut aureo diademate coronet.

29. Annulus cordis corona.

Quoniam verò ipsum cor penetrare & attingere nequit, docuit natura eùm inserere quarto digito, qui annularis inde vocatur, ob rationem, quam infrà adducemus.

39. Digito annulari inseratur annulus.

Commune omnium semper fuit judicium, annulum esse pignus vehementis, continui, invicti amoris erga eos quos benevolo affectu complectimur. Docet hoc annulus connubialis, hospitalis, contubernalis; annuli confractio inter amantes. Denique Clemens Alexandrin. lib. 2, Pædagogi cap. 11. tradit juvenes amoribus implicatos, insculptos amicarum vultus circumferre in annulis suis, ut ne si velint quidem, impotentis affectionis suæ oblivisci queant, cùm & imago suo fulgore in oculis amorem incendat, & annulus per venam conjunctam cor ipsum titillet; Vide quæ Commentariis in Ecclesiasticum scripsimus, ad cap. 49, vers. 13. *Quomodo amplificemus Zorobabel? nam & ipse quasi signum in dextera manu.* Ad cujus loci elucidationem attulimus illud Cantic. 8, 6: *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum*, Item locum Aggæi 2, vers. 24. *Assumam te Zorobabel, & ponam te quasi signaculum.* Rursùs locum Ieremiæ 22, ℣. 24. *Quia si fuerit Iechonias annulus in manu dextera mea, inde evellam eum.* q. d. Tametsi mihi foret in amoribus Iechonias, adeò ut illum in annuli gemmâ pictum, insculptumque ferrem in argumentum summæ benevolentiæ, ob scelera tamen, è dexterâ & providentiâ meâ illum abjiciam.

30. Amantes amicarum in annulis ferre solent effigiem.

Denique annulus datus significat Deum in beatorum animis tamquam in annulo & gemmâ vivere, in ipsorum spiritualibus oculis lucere, habitare in memoria; cor ipsum arcanum amoris, & inflammatarum affectionum fontem occupare, &, ut summatim omnia complectar, amorem eorum in Deum esse maximum.

31. Annulus signum amoris maximi.

De annulo sic memorat Agellius lib. Noctium decimo cap. 10. *Veteres Græcos annulum habuisse in digito accepimus sinistræ manus, qui minimo est proximus; Romanos quoque homines ajunt sic plerumque annulis usitatos. Causam esse hujus rei Appion in libris Ægyptiacis hanc dicit, quòd in sectis, apertisque humanis corporibus, ut mos in Ægypto fuit, quas Græci ἀνατομὰς appellant, repertum est nervum quendam tenuissimum ab eo uno digito de quo diximus, ad cor hominis pergere, ac pervenire: Propterea non inscitum visum esse eum potissimum digitum tali honore decorandum, qui continens & quasi connexus esse cum principatu cordis videretur.* Hactenus Agellius.

32. A digito annulari usque ad cor pertingit nervus.

Sic sponsi & sponsæ illi digito annulum pronubum vel sponsalitium insertum gestant, in monimentum & tesseram amoris, quo eorum corda agglutinantur. Potest etiam annulus à Deo collatus signare beatorum imperium & amplissimam dignitatem. Siquidem, ut quidam eruditi volunt; erat olim, ut & modò, τῆς ἀρχῆς σημεῖον: principatus signum & insigne. Quis verò nesciat sanctis animis potestatem illam eximiam concessam, ut precum suarum auctoritate cœli portas mortalibus aut aperiant aut claudant, ut etiam pacificatores & reconciliatores potentissimi sint ad divini Numinis iram mitigandam?

33. Annulus connubialis.

34. Annulus notat beatorum exaltationem & dignitatem.

Tertia beatitudinis pars, & præcipuum complementum sive coronis est perfecta summi illius boni fruitio sive gaudium tantum, quantum nullus ne mente quidem concipere potest, nisi qui illo intime fuerit delibutus, estque vitalis requies in Deo, qui dicit Moysi, Exod. 33. *Ego ostendam omne bonum tibi*: unde ex illius conspectu non potest non affluere in animam omnis voluptas & suprema delectatio. Psalmo 35, ℣. 9. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos*: & ℣. 10, *Quoniam apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Est illud vitale

35. Complementum beatitudinis est fruitio & delectatio de summo bono.

vitale gaudium, corona & fastigium beatitudinis, de quo loquitur S. Augustin. lib. 8 de Civit. c. 9. *Nemo beatus est, qui eo, quod amat, non fruitur: nam & hi qui res non amandas amant, non se beatos amando putant, sed fruendo. Quisquis ergo fruitur eo quod amat, verumque, & summum bonum amat, quis eum beatum nisi miserrimus neget?* Sic ille.

Est autem fruitio apud Theologos voluptas ex re amatâ præsente percepta. Idem S. Pater lib. 10 Confession. cap. 22: *Ipsa est beata vita, gaudere ad te, de te, propter te; ipsa est & non altera.* Hoc gaudio obtento satiatur, & planè quiescit cor humanum, possidetque plenam & perfectam beatitudinem, quæ finitur à Boëthio lib. 3, de Consolat. Philosophiæ Prosâ 2. *status omnium bonorum aggregatione perfectus*: in quo duobus quasi brachiis intellectus & affectus, anima Deum constringit & intra se tenet.

Indicatur hæc fruitio per domum, quam Esther Mardochæo concessit, ex qua poterat fructum & voluptatem ad libitum capere.

35. Significatur illa fruitio in Evangelio per possessionem civitatum & gaudium Domini.

Similiter in parabola Lucæ 19, de homine nobili, qui abiens in regionem longinquam distribuit servis suis mnas, uni, qui unâ mnâ decem acquisierat, dicitur *Euge serve bone, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem civitates*, vers. 15. Nihil verò aliud innuitur illâ potestate concessâ, nisi æternæ felicitatis præmium, cujus symbolum sunt illæ civitates & earum possessio.

Clarius tamen idem demonstrat alia parabola apud S. Matthæum cap. 25, de distributis talentis, ubi dicit dominus servo, qui quinque talentis, alia quinq; superlucratus fuerat v. 21. *Euge serve bone & fidelis quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui.*

Dicitur verò: non gaudium domini in te intret, sed tu in illud potius intra, propter illius immensitatem.

Pindarus ode prima Nemeorum canebat in felicitate esse πανδοξιας ἀκρον, id est, omnis gloriæ summum: Quod solùm verum est, in cœlis parată sanctis æternâ beatitudine. Vbi Deus, ut promisit Lucæ 6, vers. 38, *Mensuram bonam, & confertam & coagitatam & superefluentem dabit in sinum*, id est, beatissimæ vitæ præmium, quod vastissimum pectoris nostri sinum superimplebit *Beatus*, inquit Dominus Matth. 24, v. 46, *ille servus, quem cùm venerit Dominus ejus, invenerit sic facientem* (fidelem, &c.) *Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum.*

16. Beatitudo summum gloriæ.

VERSVS III, IV, V, & VI.

Nec his contenta, procidit ad pedes regis, flevitque, & locuta ad eum oravit, ut malitiam Aman Agagitæ, & machinationes ejus pessimas, quas excogitaverat contra Iudæos, juberet irritas fieri.

At ille ex more sceptrum aureum protendit manu, quo signum clementiæ monstrabatur, illaque consurgens stetit ante eum.

Et ait: Si placet regi, & si inveni gratiam in oculis ejus, & deprecatio mea non ei videtur esse contraria, obsecro ut novis epistolis veteres Aman litteræ, insidiatoris & hostis Iudæorum, quibus eos in cunctis regis provinciis perire præceperat, corrigantur.

Quomodo enim potero sustinere necem, & interfectionem populi mei?

Hebraicè: Addiditque Esther, & locuta est ad facies regis (ante regem) & cecidit ad facies pedum ejus (procidit ante pedes ejus) & flevit, & precata est eum, ut transire faceret malitiam Aman Agagitæ, & cogitationem, quam cogitavit super Iudæos.

Et extendit rex ad Esther sceptrum aureum, & surrexit Esther, & stetit ante facies regis:

Et dixit: Si super rege bonum (si placet regi) & si inveni gratiam ad facies ejus, rectum verbum ad facies ejus, & rectum verbum ad facies regis (& conveniens est res ante regem) & bona ego in oculis ejus (si grata sum, si placeo) Scribatur ad reducendum litteras (ut retractent) cogitationis Aman, filii Hamedatha Agagitæ, quas scripsit ad perdendum Iudæos, qui erant in omnibus provinciis regis.

Nã quomodo potero & videbo (videre) in malum, quod inveniet populum meum? & quomodo potero & videbo in perditionem progenici meæ? (quomodo videre potero perditionem gentis meæ?)

Iosephus breviter hæc perstringit: Rogavit deinde regina regem, ut Iudæis præsentem de vitâ metum adimeret, docens eum de Amanis Amadathis filii litteris, sparsis quam latè pateret imperium: Neque enim se posse vivere, nisi & patriâ salvâ & suis popularibus.

COMMENTARIVS.

Hic Esthera obsequentem se præbet votis Mardochæi patrui sui, qui eam cap. 4, vers. 8 monuerat, ut iniraret ad regem, & deprecaretur eum pro populo suo; quodque promiserat ibidem v. 16, se ingressuram ad regem, jam re ipsâ exequitur, & cumulatè præstat.

37. Estheræ virtutes.

Colligo verò in oratione Estheris quatuor præcipuè virtutes, & incitamenta simul, quibus Assueri animum sibi miro quodammodo devinxit, & in sua vota pertraxit.

Prima est ejus modestia, quæ elucet tum in humili prostratione ad pedes regis, quæ nullâ ratione potuit ei displicere, tum in verbis, quibus benevolentiâ ejus gratâ submissione sibi conciliat.

Altera est ejus orationis efficacia & vis : precibus enim admiscet lacrymas, quæ solæ sufficiant ad pectus quantumvis barbari & efferati emolliendum ; addit tamen & verba plena energiæ & virtutis : *Quomodo potero sustinere necem & interfectionem populi mei?*

Tertia est insignis & rara prudentia, quâ in vitâ suâ excelluit : Siquidem hic petit aboleri edictum quod contra populum suum Rex publicari jusserat, ut totam invidiam in malitiam Amanis hostis Iudæorum detorqueat, ita ut rex sibi persuadere potuerit non revocari litteras suas, sed nequitiâ Amani subreptitiè extortum decretum ; unde non vocat regis litteras sed Amani.

Postrema, inflammata ejusdem erga populum suum caritas, patriæ & publici boni amor, cùm ostendit non tam pro se, quam pro salute populi Regem deprecari.

Ostenditur insuper Assueri humanitas & erga conjugem caritas, qui, ut ipsa posito metu liberè preces suas offerret, virgâ aureâ porrectâ in symbolum clementiæ, loquendi ei fecit facultatem.

Circa textum nota primò, Mardochæum supplicationi reginæ interfuisse, ut constat ex v. septimo hic, & forte etiam suis obsecrationibus pondus & cumulum illius precibus adjecit.

Non dicitur autem sine causâ non fuisse Estheram contentam infami supplicio Amani, & bonorum ipsius publicatione, quia etiam nefario homine sublato ipsius literæ revocandæ & suo robore privandæ erant, quibus Iudæorum interfectio præcipiebatur. Pro his ergo abrogandis & antiquandis obsecrat Regina.

Nota 2, illa verba (*quo signum clementiæ monstrabatur*) jam ab Hebræis abesse codicibus.

Nota 3, illa ; *si deprecatio mea non ei* (id est, Regi, vel ejus menti aut voluntati) *videtur esse contraria*, clarius haberi in Hebræo, scilicet ; si rectum verbum ante regem, id est, si res, quam ego propono, justa, decens, convenientsque videatur ; ubi etiam in primigenio plura adduntur, sed quæ eumdem sensum repetunt, qui est in Latino.

Nota 4, decretum, placitumve Regum Persarum fuisse quidem irrevocabile, ut constat tum ex Danielis cap. 6, vers. 15. ubi Dario dicunt Danielis æmuli: *Scito rex, quia lex Medorum atque Persarum est, ut omne decretum, quod constituerit Rex, non liceat immutari* : tum ex pluribus hujus libri locis, ut cap. 1, vers. 19, ubi audiente rege respondet Mamucham : *Egrediatur edictum à facie tua, & scribatur juxta legem Persarum atque Medorum, quam præterire illicitum est* : & hoc cap. vers. 8. *Hæc consuetudo erat, ut epistolis, quæ regis nomine mittebantur, & illius annulo signatæ erant, nemo auderet contradicere* : nihilominus videtur potuisse irritari, & immutari, cùm constabat ab improbis fraudulenter fuisse expressum, quale fuit illud edictum Assueri nomine editum, sed ab Amano subreptitiè extortum: unde signanter Esther vocat litteras non regis sed Amani. Et ipse rex c. 16, v. 17, in epistolâ suâ vel Rescripto, quod misit ad omnes suas provincias, sic loquitur:

Eas litteras, quas sub nomine nostro Aman direxerat scietis esse irritas. Poterat ergo hujusmodi regium Rescriptum & diploma irritari & cassum reddi.

Excursus Allegoricus,

De efficaciâ gratiæ, & lacrymarum Dei Matris apud Cælorum regem pro genere humano.

18. Similitudines S. Mariæ & Estheræ ex S. Bonaventurâ, maximè quoad vim gratiæ utriusque.

S. Anct. Bonaventura in Speculo B. Mariæ Virginis, videtur agnoscere triplicem convenientiam Estheræ & Mariæ. Nam lectione tertiâ, ex cap. 15 hujus historiæ, ubi Estheram duæ famulæ ad regem ingredientem comitantur, demonstrat Mariam, cujus nomen Dominam sonat, in Angelicam & humanam naturam dominium exercere. Lectione vero quintâ sub finem alias duas profert similitudines hisce verbis. *Gratia*, inquit, *Mariæ liberat a morte æterna universos qui liberantur. Hoc bene signatum est in Esther, de quâ legitur sic* cap. 2. *Adamavit eam rex plusquam omnes mulieres, & posuit diadema regni in capite ejus. Hujus autem gratiæ duplex legitur fuisse utilitas: una, quod ipsa diadema regni obtinuit: alia quod ipsa gentem suam morti addictam a morte eripuit. Sic certè Esther nostra B. Maria tantam gratiam coram Rege æterno impetravit, quod per hanc non solum ipsa ad coronam pervenit, sed etiam generi humano mortis addicto subvenit. Unde Anselmus ait: Quid, inquit, dignè referam genitricis Dei & Domini mei? per cujus fœcunditatem captivus sum redemptus, per cujus partum de morte æternâ sum exemptus, per cujus prolem perditus sum restitutus, & de exilio miseriæ ad patriam æternæ beatitudinis sum reductus.* Hactenus Bonaventura.

Idem habet S. Thomas.

Id ipsum habet S. Thom. tomo operum 18, Præfatione in epistolas Canonicas, ubi sic inter alia loquitur : *Esther regina, id est, Virgo beata placuit in oculis regis ad restaurationem generis humani, invenitque gratiam coram eo non solum pro se, sed pro toto humano genere, extenditque Rex virgam auream*, &c. qua de re inferius pluribus.

Eximia fuit gratia, quâ valuit Esthera erga Regem Persarum, ut constat tum ex præcedentibus, maximè cap. 2, vers. 17, ubi sic legimus : *Et adamavit eam rex plusquam omnes mulieres, habuitque gratiam & misericordiam coram eo super omnes mulieres* : &c. tum ex verbis, quæ jam tractamus, ubi, ut & alias cap. 5, ℣. 2. extendit contra eam virgam auream, quo signum clementiæ monstrabatur; unde & ipsa sic vers. 5. quater diversis verbis juxta textum Hebræum, hanc gratiam insinuat, submissione suâ illam amplificans. *Si*, inquit, *regi placet, & si invenit gratiam ante oculos ejus, & rectum verbum coram rege, & si bona ego videar in oculis ejus, scribatur ut revocentur litteræ Aman*; &c.

19. Gratiæ efficacia in Virgine explicatur.

Ceterum singularis & longè potentior fuit gratia Dei Matris Virginis, quâ præpotuit apud cœlestem Regem, ut retractaretur decretum contra universum genus humanum editum, decretum culpæ, mortis, æternæ damnationis incurrendæ.

Hanc insinuat inprimis Archangelus Paranymphus Lucæ 1, eam salutans *gratiâ plenam*, κεχαριτωμένην, gratiosam factam, vel gratam καὶ ἐξοχήν : & postea : *Invenisti gratiam apud Deum.* Hanc etiam demonstravit Rex regum, quando per eumdem Gabrielem ejus assensum præstolatus est, quo divinæ suæ voluntati, quâ

ab

ab æterno præstituerat Filium suum unigenitum, ex ejus purissimis sanguinibus corpus assumere, ad genus humanum e miserabili servitute eripiendum, se submitteret, manusque præberet.

Poterat quidem Deus, si absolutè voluisset ex illâ concipi, ex illâ produre & nasci, ejus assensu minimè requisito, ut ex costâ Protoplasti dormientis Matrem viventium formavit; quia tamen juxta S. Augustini Regulam, Deus ordinariè facit, quod nobis convenientissimum videtur; per caduceatorem suum Gabrielem voluntatem ejus requisivit. Decebat enim, ut in celebratione sponsalium Dei Patris cum Virgine, filii Dei cum humanâ naturâ, Christi cum Ecclesiâ interveniret ejus consensus, quæ æterni Patris sponsa eligebatur, & personam totius generis humani, ipsiusque Ecclesiæ gerebat.

40. Cur Deus Virginis requisivit consensum in filii sui Incarnatione?

Deinde, ut sicut Evâ assentiente seductori serpenti, perditio nostra in orbem prorupit, ita etiam, Mariâ Angelo Gabrieli suadenti se voluntatemque suam subjiciente, salus ac redemptio pararetur.

Postremò, ut omittam cetera, hîc nobis consideranda offertur gratia, quâ sibi conciliaverat divinam majestatem Virgo sanctissima, quæ ut nos redimeret, ejus arbitrium & beneplacitum exploravit; & significatur quàm arcto charitatis & devotionis vinculo eadem nos suæ Matri obstrinxerit, cujus nutui & judicio, nostra redemptio commendabatur & committebatur.

41. Homo quantum debeat virgini Matri.

Noluit enim aliter Deus pro hominibus fieri homo, nisi femina inter mulieres benedicta consentiente.

Agnoscat ergo se debitricem illi humana mortalitas, quæ ut liberaretur à morte æternâ, liberum Angelo assensum præstitit, & quæ sua illibata viscera Dei Filio nascituro propter nos non negavit. Tunc in symbolum hujus mysterii, Rex *Assuerus extendit contra reginam virgam auream, quam tenebat manu. Quæ accedens, osculata est summitatem virgæ ejus.* Esther 5, vers. 2.

Virgine enim verbis illis (*Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum tuum*) consentiente *verbum in ea caro factum est, & habitavit in nobis.*

42. Dei fiat, & Virginis fiat expendatur.

Dixit Deus in mundi genesi: *fiat lux; & facta est lux*, &c. Dixit Virgo: *Fiat mihi secundum verbum tuum*: & factum est luce, mundoque majus opificium. Dei *fiat*, fuit imperantis & efficientis: Virginis *fiat*, fuit obedientis & consentientis. S. Augustin. sermone 17 de nativitate Domini. *O beata Maria seculum omne captivum, tuum deprecatur assensum: te Deo mundus suæ fidei obsidem facit: per te parentum suorum injurias abstergi deprecatur.* Et iterum: *Responde*, inquit, *verbum, & suscipe filium; da fidem, & senti virtutem: pande sinus voseos Virgo perpetua. Fides tua modò aut aperit cœlum, aut claudit.* Hæc & plura S. Augustin. quæ fusius extendit Bernardus Homilia 4 super Missus: *Expectat*, inquit, *Angelus responsum: expectamus & nos, ô Domina, verbum miserationis, quos miserabiliter premit sententia damnationis. In sempiterno Dei verbo facti sumus omnes, & ecce morimur: in tuo brevi responso sumus reficiendi, ut ad vitâ revocemur. Hoc totus mundus tuis genibus provolutus expectat. ô Domina responde verbum, quod terra, quod inferi, quod expectant & superi. Ipse quoque omnium Rex & Dominus quantùm concupivit decorem tuum, tantum desiderat & responsionis assensum, Responde, ô Virgo, verbum, & suscipe verbum: profer tuum & suscipe divinum.* Hæc sparsim ibi Bernard.

S. Thom. 3, p. q. 30. art. 1. *Congruum*, inquit, *fuit B. Virgini annuntiari, quod esset Christum conceptura, ut ostenderetur esse quoddam spirituale matrimonium inter Filium Dei, & humanam naturam & ideo per annuntiationem expectabatur consensus Virginis loco totius humanæ naturæ.* Sic S. Thom.

Hæc ergo fuit Virginis εὐκλόνα gratia, quam apud Deum invenit, ut per illam, illiusque consensionem malitia Amani, id est diaboli, ejusque machinationes pessimæ, quas excogitaverat contra genus humanum, irritæ fierent.

De efficaciâ verò & virtute precum ejus multa alibi commemoravimus, ut c. 5, ℣. 3.

Esthera ut suæ orationis lenimentis animum Assueri ad revocandum Rescriptum pertraheret, more supplicis ad ejus pedes procidit, & precibus lacrymas miscuit.

Quis ambigat, quin amore nostri victa misericordiæ Regina, victa inquam, cognato sanguine sæpius pedibus filii sui adgeniculata fuerit, & calidas lacrymas addiderit, ut parceret illis, quos pretioso sanguine redemisset.

Historia vitæ S. Dominici refert illam Christo irato, & ternas manu lanceas vibranti ad perdendum genus humanum, ad pedes ejus accidisse, rogasseque, ut hominibus ignosceret pretio sanguinis sui acquisitis.

De Virginis lacrymis dum vita mortalis maneret, profusis, etsi scriptura taceat, nemo tamen pius dubitat.

Quoties putamus eam lacrymanti puello Iesu collacrymasse, & fletum fletui associasse?

Libro primo Regum cap. 20, ℣. 41, legimus de Ionathâ & Davide vinculis amoris cujusdam adamantini sibi mutuò colligatis; quòd cùm postremum vale sibi comprecarentur, *Osculati sint se alternatim, flueruntque pariter, David autem amplius.* Sic ibi. Amoris certè ignis lacrymas illas elicuit & expressit; plures autem Davidis commemorantur, quia plures illi causæ dolendi.

43. Lacrymæ Davidis & Ionathæ exceptæ phialis.

De ipsorum verò lacrymis scribit Philo, eas in singularis amicitiæ pignus vasculis sive phialis exceptas esse & simul reconditas.

Pretiosiores fuere lacrymæ Mariæ & Iesu, & dignæ quæ non vitreis ampullis, sed Olympicis lagunculis colligerentur.

44. Mariæ lacrymæ visuntur Christi sepulcro impressæ.

S. Bernardus vel potius quidam alius, qui inter opera ejus ponitur de Lamentatione Virginis Tractatu. *Rigabat*, inquit, *felicibus lacrymis corpus exanime filii, & monumentum, in quo posuerunt eum, modo mirabili madidabat, ubi & ejus lacrymæ adhuc apparere dicuntur, indicativæ doloris intimi, qui animam ejus tamquam gladius acutus pertransivit.* Sic ille. Vbi vides Lector, Deiparam etiam in terris suarum lacrymarum reliquisse impressa vestigia.

Quantis perfusa lacrymis, cùm tenella filioli caro circumcideretur, cùm fugiendum in Ægyptum, cùm in Ierusalem quæsitus, ita ut ipsa dixerit Lucæ 2, *Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te?*

Quæ flumina lacrymarum tamquam ex cataractis proruperint cùm acerbissimos filii sui conspiceret cruciatus, & in gremio suo mortuum corpus excepisset?

45. Apparet Virgo S. Lutgardi perfusa lacrymis.

Quo tempore Albigenſes hæretici per Galliam graſſabantur, Dei parens S. Lutgardi vultu triſti apparuit, & lacrymis perfuſo: rogata autem doloris cauſam, reſpondit hanc eſſe, quòd hæretici & improbi Chriſtiani ſuis ſceleribus iterum Chriſtum filium ſuum Cruci affigerent. Ita Thomas Cantipratanus lib. 2 vitæ S. Lutgardis.

Anno 1494. in Epiſcopatu Spoletano prope oppidum Trivii, malorum impendentium Italiæ hujuſmodi datum Prognoſticum. Erat prope oppidum quoddam ſacellum in compito, uti multis in locis fieri conſuevit, ubi B. Mariæ Virginis imago depicta in pariete lacrymas viſa eſt fundere à pluribus. Ejus rei fama multos ab uſque Româ excivit; collatæ inſuper eleemoſynæ, ex quibus templum mihi mitæ magnitudinis & decoris ad Dei, ejuſque Matris honorem erectum eſt, quod Sanct. Mariæ de Lacrymis hodieque vocatur. Gabriel Pennotus Canon. Regularis libro 3 Hiſtoriæ ſui Ordinis cap. 34. 46. Virginis imago lacrymas fundit. 47. Templum S. Mariæ de lacrymis.

Perfunditur lacrymis Virginis imago; Virgo ipſa tam largâ flendi illi in hac vitâ ſuppetente materiâ, non fleverit?

VERSVS VII, & VIII.

Reſponditque rex Aſſuerus Eſther reginæ & Mardochæo Iudæo: Domum Aman conceſſi Eſther, & ipſum juſſi affigi cruci, quia auſus eſt manum mittere in Iudæos:

Scribite ergo Iudæis, ſicut vobis placet, regis nomine, ſignantes litteras annulo meo: Hæc enim conſuetudo erat, ut epiſtolis, quæ regis nomine mittebantur, & illius annulo ſignatæ erant, nemo auderet contradicere.

Hebraicè: Dixitque rex Achaſueros ad Eſther reginam, & ad Mardochai Iehudæum: Ecce domum Haman dedi Eſther, & ipſum appenderunt in ligno, eò quòd miſit manum ſuam in Iehudæos.

Et vos ſcribite ſuper Iehudæis, ſicut bonum in oculis veſtris in nomine regis; & ſignate in annulo regis; quoniam ſcriptura, quæ ſcribitur in nomine regis, & ſignatur in annulo regis non retractabatur.

Ioſephus ſic narrationem ſuam proſequitur: Rex autem pollicitus eſt nihil ipsâ invitâ ſe mandaturum, neque voluntati ejus ullâ in re contraiturum. Permiſit etiam ut ipſius nomine quidquid vellet de Iudæis ſcriberet, & regio ſigillo obſignatas litteras per omnes provincias dimitteret, confirmatas enim regio ſignaculo auctoritatem habituras apud omnes qui eas legerint, & contradicturum eis neminem.

COMMENTARIVS.

MAgis hîc etiam manifeſtatur Dei providentia & benevolentia erga Iudæos, dum ipſo cor regis exſtimulante omnia liberaliſſimè conceduntur, quæ Eſthera, auctore Mardochæo, ab ipſo poſtulabat.

Aſſuerus autem non ſolum reſpondet Eſtheræ, ſed etiam ſermonem ad Mardochæum dirigit, quia ſciebat ſupplicationem Eſtheræ ab ipſo profectam; unde neceſſe eſt dicere Mardochæum tunc etiam coram rege aſtitiſſe.

Ceterùm videntur in fine verſus ſeptimi aliqua deeſſe, & ſenſus pendere poſt illa: *quia auſus eſt manum mittere in Iudæos:* ideo Septuaginta habent & addunt: Si omnem ſubſtantiam Aman dedi, & gratificatus ſum tibi, & ipſum ſuſpendi ſuper lignum: Quid adhuc quæris? q. d. paratus ſum facere quod voles: Eſt autem ſenſus, ut rectè Stephanus Menochius, & Salianus: Quod difficilius erat, in gratiam veſtram præſtiti, ut ſcilicet virum principem ignominioſo genere mortis in crucem agi juberem: quanto magis, quod reliquum eſt, veſtrâ cauſâ perficiam?

Sunt etiam Interpretes qui exiſtimant ejuſdem Mardochæi conſilio rurſus Eſtheram cum vitæ periculo adiiſſe regem non vocatam, ut impetraret edicti contra Iudæos irritationem: neq; enim, ajunt, ſi regis mandato fuiſſet accerſita, neceſſariũ fuiſſet aureum ſceptrum ad illam extendere. Verùm multo veriſimilius eſt, ſtatim poſt ſublationem Amanis in patibulum, quæ hic referuntur uſque ad v. 9, accidiſſe, quandoquidem initio capitis dicatur: *Die illo dedit Rex Aſſuerus Eſther domum Aman*, &c. & eodem contextu omnia ſubjunguntur. Quod verò rex ad Eſtheram in ſignum clementiæ auream virgam protenderit, hoc fecit, non quia injuſſa ad ipſius conclave vel interius palatium venerat, ſed, ut oſtenderet ſe propenſo animo conceſſurum illa, quæ poſtulabat in gratiam populi ſui.

Concedit verò, ut ſcribant litteras ex ſuo nomine; &, ut inviolata & irrevocabilis eſſet earum auctoritas, illius ſigillo munirentur, idque modo, quo illis liberet.

Nec magnopere curandum de priore edicto edito, quandoquidẽ litteræ illæ non Regis, ſed Amani fuerant. Porro quod noſter textus habet v. 8: *Scribite Iudæis*, Septuaginta, Iudæis, omittunt; Ioſephus autem habet de Iudæis, Chaldæus, pro Iudæis, Hebræus ſuper Iudæis. Omnia autem hæc commodum ſenſum habent, ut rectè advertit Salianus. Siquidem nõ ſolùm dabatur facultas ſcribendi Iudæis, ſed etiam ad præſides provinciarum. Cùm autem Ioſephus dicit, ut ſcriberent de Iudæis, argumentum litterarum ſignificat. Verum præcipuę litterę ſcribendæ erant ad Iudæos, qui ultionem de inimicis ſuis ſumere debebant; deinde etiam ad Satrapas provinciarum ut eis adeſſent. Mox verò, ut infra dicetur, Mardochæus ſcripſit litteras ad Iudæos, & ad principes & judices.

Alle-

Allegoria prima, ad illa:

Domum Aman concessi Esther, & ipsum jussi affigi cruci; &c.

Quomodo Christus ejecto diabolo, mundi acceperit imperium, & ipsum cruci suæ inaspectabiliter affixerit.

48. Ruperti Allegorica interpretatio.

ALlegoriam hanc nobis offert Rupertus l. 8, de victoria Verbi Dei cap. 3, quod ita inscribit. *Sicut Aman Mardochæo crucem paraverat, & in eâ suspensus fuerit, ita principem hujus mundi diabolum Christo crucem parasse, & in ea vitium fuisse.* Idem habet cap. 24. Rursus cap. 2, sic inscribit. *Quid mysterii contineat, quòd domus Aman data sit Esther Reginæ*: Sic ergo ratiocinatur Rupertus: *Cùm Rex Amani domum Esther dedit, Mardochæo quoque dedit: nam scriptum est: Esther autem constituit Mardochæum super domum suam. Quantum ergo pulchritudinis*, inquit, *in hoc facto est, si illud recolas quod in Evangelio Veritas ait, significans diabolum de domo suâ ejiciendum. Cum fortis*, inquit, *armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quæ possidet. Si autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet, in quibus confidebat, & spolia ejus distribuet.* Lucæ 11, vers. 21 & 22. *Sic futurum erat, & sic factum est, quia diabolus tamquam fortis armatus in genere humano potestatem habens per peccatum sic obtinebat mundum tamquam domum suam, sive atrium suum: sed Verbum incarnatum fortiore manu superveniens vicit illum, & atrium illius fecit suum. Pulchrè igitur cum Esther Mardochæus evadens patibulum vivus, suspensi Aman domum possedit: quia sic futurum erat, ut Christus Verbum Dei, cujus origo carnis per Esther & Mardochæum defensa est, in cruce damnato principe mortis, ipse cum Ecclesiâ suâ principatum teneret: præsentis quoque seculi publicâ religione sociali secularis imperii & Ecclesiastici sacerdotii festivitate.*

Et hæc quidem de primo. De altero verò sic scribit cap. 3. *Paravit*, inquit, *Aman patibulum Mardochæo, & Mardochæo feliciter evadente, Aman in ipso, quod paraverat, appensus est patibulo. Nimirum sic futurum erat, ut Verbum incarnatum Deus homo factus adversus hujus mundi principem procederet, & cum illo congrederetur. Et sic factum est, ut per suos satellites draco ille diabolus crucem illi parari faceret, sed non ille in ipso patibulo transfixus est? Triumphante verbo, quod impassibilis Deus est, & resumptâ carne in immortalitatem, quæ ad breve tempus passa est mortem, ipsum homicidam Deus vivens in suo ipsius machinamento strangulavit. Delens, inquit Apostolus ad Colossens.* cap. 2, vers. 14 & 15, *quod adversus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci, & exspolians principatus & potestates traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.* Idem rursus inculcat Rupertus ibidem, Cap. 24.

Sed ad Allegoriam nobis propositam illustrandam conveniet verba Apostoli à Ruperto producta penitius inspicere & scrutari.

49. Explicatio verborum Apostoli ad Coloss. c. 2, v. 14. & 15.

Dicitur Christus delevisse chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, quia syngraphum genus humanum obstrungentem ad pœnam juxta legem sive decretum Dei contra Protoplastum & ejus posteritatem editum pio suo cruore in cruce obliteravit, & detersit debita nostra tam peccatorum, quàm pœnarum, ad quæ solvendâ quasi chirographo nostro nos obligaveramus.

Rectè enim Origenes homil. 13, in Genesin. *Quisque*, ait, *dum peccat, peccatis suis litteras scribit: quibus, ut ego intelligo, diabolo se obstringit, & pœnæ æternæ debitorem se constituit.* Est ergo hoc chirographum decreti, sententia damnationis in peccatores lata à Deo per sua præcepta, cui nos peccando quasi manu nostrâ subscripsimus. 49. Quid sit chirographum decreti apud Apostolum.

Dicitur 2, ipsum chirographum tulisse de medio, id est, sustulisse, & affixisse cruci, id est, morte crucis aboleviſse, & clavis fixisse, sicut solent creditores, cùm nomina contracta & debita alicui remittunt, illa clavo pertundere, lacerare vel exurere. 49. Affixit illud Christus cruci suæ.

Dicitur 3, spoliasse principatus & potestates, dæmones scilicet, hostes & adversarios generis humani: spoliasse inquam, principatu & potestate seu potius tyrannide, quam exercebant in mortales peccati chirographo sibi obstrictos, sicut litteris signatis annulo Assueri Aman abusus ad necem sibi destinatos & obligatos auctoritate premebat iniquâ Iudæos. Traduxit autem catodæmones confidenter & palam, id est, circumduxit tamquam triumphator victos à se hostes, improperans illis vetus illud: *Væ victis*: in pompâ publicâ coëgit illos victoris currum præcedere manibus post terga revinctis, ut quondam Romani Imperatores in pompam à se superatos imperii perduelles trahebant. 49. Spoliavit dæmones & traduxit in triumpho.

Græcè pro traduxit, est ἐδειγμάτισεν, id est, ostentavit, exemplum & spectaculum omnibus exhibuit hominibus & Angelis, ipsique Deo: quod vertit Sanct. Augustin. Epist. 59, *exemplavit*, id est, ut exemplum proposuit, nequis audeat Christo victori repugnare. Sic Numerorum 25, vers. 4, dicit Dominus ad Mosen: *Tolle cunctos principes*, & suspende eos contra solem in patibulis. Vbi pro suspende Græca reddiderunt ἀπόδειγμάτισον, id est, in exemplum propone eos, ut ipsorum supplicio publicè exhibito ceteri resipiscant & caveant.

Triumphans illos (sive in triumphum trahens) per semetipsum, id est, suâ virtute, non alienâ. Illa enim propria laus Christi est, illam jure suo sibi vendicat.

Consentit Græcus cum Latino, si legamus spiritu aspero ἐν αὐτῷ, id est, *in ipso* in seipso: quod si legamus spiritu leni, ἐν αὐτῷ, erit in ipso, scilicet σταυρῷ, id est, cruce: & sic mirificè convenit hæc lectio cum proposito typo de suspensione Amanis in cruce, quam Mardochæo erexit. Sensus enim erit, Christus de triumphavit dæmones hostes suos & nostros in suâ cruce, adeò ut Crux Christi fuerit ipsius rheda triumphalis, in cujus medio vel summo Christus exultabundus resideat & triumphet, & suis impositis pedibus cruci etiam affixum & ligatum premat dæmonem, & jugo subjectum teneat. Affixus fuit Christus modo spectabili, diabolus inaspectabili: hic invitus & in opprobrium sempiternum; ille sponte, & ad tempus passus, sed ad æternum decus & gloriam. 50. Crux Christi rheda triumphalis.

51. Cur dicatur Crux Christi gemina.

Sic Allegoricè ratiocinatur Origenes explanans illa Iosue 8, ℣. 29. ubi Iosue dicitur suspendisse Regem Hai in ligno: sed ipse homilia 8, ibidem legit in gemino ligno. Accipe pauca ex illo. *Domini nostri*, inquit, *crux gemina fuit, hoc est, geminâ & duplici ratione constat. Quia visibiliter quidem Filius Dei in carne crucifixus est, invisibiliter verò in eâ cruce diabolus cum principatibus suis & potestatibus affixus est. Non tibi hoc videbitur verum, si tibi horum testem produxero Apostolum Paulum? Quod erat contrarium nobis tulit illud de medio affigens cruci suæ, exuens principatus & potestates traduxit libere triumphans eas in ligno crucis* (ubi vides Origen. legisse, ἐν ἀυλῷ, non ἐν ἀυλῷ) *Ergo duplex Dominicæ crucis est ratio, una illa, quâ dicit Petrus, quòd Christus crucifixus nobis reliquit exemplum: & hæc secunda, quâ crux illa trophæum diaboli fuit, in quo & crucifixus est, & triumphatus.* Hæc & plura Origenes suprà.

52. Christus benedictus in cruce pependit, diabolus etiam in eadem fixus, sed maledictus.

Christus itaque benedictus in cruce benedictâ pependit: diabolus maledictus in eâ suæ tyrannidis pœnas luit: sic loquitur S. Hieron. lib. 2, in Epist. ad Galatas cap. 3: *Si*, ait, *crucem quam Aman paraverat Mardochæo non ipse, pro suo merito, conscendisset, puto, Mardochæus in eam, non ut maledictus, sed ut vir sanctus ascenderet.* Hæc ille. Cacodæmon impius in cruce, quam Christo paraverat, fixus est, Christus verò sanctus & innocens in eâ pependit.

53. Diabolus etsi initio impulerit Iudæos ut peterent Christum crucifigi, postea tamen, videns per hoc suum interitum, studuit illud ipsum impedire.

Dæmones certè etsi initio præcipites & cæci malitiâ non adverterint crucem, quam Christo paraverant, sibi ipsis fore opprobrio, ludibrio, exitio, cùm tamen eventum crucis perpendere cœperunt, hoc est, hominum liberationem, Christi gloriam, suum tormentum & dedecus, omnibus modis conati sunt impedire ne in crucem Christus ageretur. Sic Amanus ambitione excæcatus erexerat crucem Mardochæo, cui gloriam invidebat: quam tamen postea nolùisset umquam fuisse paratam, cùm audiit in eâdem sibi suspendio pereundum.

Audi beatissimum Martyrem, id est, Ignatium de hoc mysterio philosophantem in nobili illâ ad Philippenses epistolâ. *Princeps*, inquit, *mundi gaudio eò hoc assicitur, quando quis crucem negat: Novit enim crucis confessionem sibi adferre interitum. Hæc est enim trophæum contra ipsius potentiam erectum, quod dum videt, exhorrescit; dumque audit, expavescit. Et prius quidem quàm crux fabricaretur omni ope contendebat, ut fieret, & eò impellebat filios diffidentiæ, eò impellebat Iudam, Pharisæos, Sadducæos, senes, juvenes, sacerdotes. At cùm ut fieret, inibi esset, turbatur, & pœnitentiam injicit proditori, & laqueum illi ostendit, suspendiumque docet; territat & mulierculam per somnum illam molestans; & quæ ad crucem spectabant, impedire conatur, licet ut conficeretur, omnem antea, ut dicitur, funem movisset, & nihil intentatum reliquisset; non quidem pœnitentia ductus ob tantum scelus; sic enim, equidem non planè malus esset; sed jam tunc suam perditionem præsentiens. Nam Christi crux ipsi condemnationis principium est, principium mortis, principium perditionis.* Hactenus altum illud columen, & clarissimum lumen Antiochenæ Ecclesiæ.

54. Diabolus crucem ubique fugit.

Igitur cùm meminit anguis Phlegetontius se Cruce Christi devictum, triumphatum, subjugatum, contritum, quodcumque illius monumentum, symbolum, aut signum detestatur, horret, fugit, non secus atque sicarius infami charactere notatus, omnem illius memoriam indicium & notas pertimescit, & devitat.

Mirum quid experimento se explorasse prodit Plinius de potentiâ fraxini contra vim serpentum lib. 16, cap. 13, *Tanta est*, inquit, *fraxini vis, ut ne matutinas quidem occidentesve umbras quæ sunt longissimæ, serpens arboris ejus attingat, adeò ipsam procul fugiat. Experti prodimus: si fronde eâ gyro claudatur ignis & serpens, in ignem potius quam in fraxinum fugere serpentem. Mira naturæ benignitas, prius quam hæ prodeant, florere fraxinum, nec ante conditas folia dimittere.* Sic Plinius ostendens fraxini & serpentium naturalem Antipathiam.

55. Quæ Antipathia inter serpentem & fraxinum, ea inter diabolum & crucem.

Fraxinus in mundo pulcherrima, Crux tua, Christe,
Qua flammâ pejus Phlegetontius uritur anguis:
Fraxina virga suis serpentes continet antris;
Dæmonas & lignum spelunces abdit in atris.
Concinit hisce metris Nolana Præsul in urbe,
Nos crucis invictæ signum, & confessio munit;
Armatique Deo mentem, non quærimus arma
Corporis: & quanquàm membris videamur inermes,
Arma tamen gerimus, quibus & sub pace serena
Contra incorporeos animis decernimus hostes.

Ita quinque postremis versibus S. Paulinus natali 8, S. Felicis Martyris.

Ad rem nostram commodè S. Antonius suos Ascetas instituens, ut crucis armaturâ diabolo obviam irent, apud S. Athanasium in vitâ. *Dæmones*, inquit, *cùm videritis, tam vos, quàm domos vestras crucis armate signaculo, & confestim solventur in nihilum: quia metuunt illud trophæum, in quo Salvator aërias exspolians potestates, eas fecit ostentui.* Ita ille magnus Anachoreta, ubi apertè digitum intendit ad locum Apostoli paulò antè elucidatum ad Colossens. Prudentius huc pertinet & ipsius versus Anacreontici Hymno sexto ante somnum:

56. Horret diabolus crucem.

Crux pellit omne crimen;
Fugiunt crucem tenebræ;
Tali dicata signo
Mens fluctuare nescit.
Discede, Christus hic est:
Hic Christus est, liquesce:
Signum, quod ipse nosti,
Damnat tuam catervam.

Refert Ælianus lib. 2, cap. 9, Historiæ animalium, cervum non solùm halitu suo serpentes ex latebris suis extrahere, sed etiam cornua ejus in scobem & pulverem attrita, & postea igni injecta, fumo suo undique eosdem fugare, ne quidem eorum nidorem sustinentes. Vide etiam Pierium lib. 7, Hieroglyphicōn.

57. Sicut nidor ambustorum cervi cornuum serpentes fugat, sic Crux Christi diabolum.

Cervum sacrum symbolum esse Servatoris nostri in confesso est, ut proclive ostendere est, si ita res ferret. Cornua verò signare ejusdem Crucem etiam notum est ex Patribus, quâ veteranum anguem transfixit. Tertulli. lib. 3, contra Marcionem explicans illud Deuteron. 33 *Quasi primogeniti tauri pulchritudo ejus, cornua Rhinocerotis cornua illius*, &c. interpretatur cornua crucis extrema. S. Hieronym. in Psalm. 98, existimat crucem significari, quoties in Psalmis dicitur *Deus cornu salutis. Dominus*, ait, *cornu dicitur, his qui credunt in eum, & in cornibus Crucis*

58. Cornua extrema crucis.

suæ

suæ ventilavit inimicos. Rursus suprà Tertull. illa Psalmi 21, ℣. 22: *Salva me ex ore leonis, & à cornibus unicornium humilitatem meam, accipit* de Apicibus Crucis. Ita & alii applicant verba Habacuc 3 vers. 4. *Cornua in manibus ejus*; ad crucem, cujus extrema, quibus Christi manus affixæ fuerunt, rectè cornua dicuntur.

Hinc fortè factum, quod Christus cruci affixus sæpius se inter cervorum cornua ostenderit, & peccatores ad se pertraxerit, vel infideles converterit.

19. Apparet crux in cornibus cervi S. Eustachio & Huberto.

Legimus apud Nicephorum lib. 3, cap. 19 & S. Damascen. Oratione 2 de Imagin. quemadmodum S. Eustachio, qui & Placidas, Deus in cervi cornibus S. Crucis imaginem demonstrarit adeò fulgentem, ut vinceret Solis splendorem in medio autem cornuum formam divini corporis, quod salutis nostræ gratiâ susscipere dignatus fuerat. Consule Damascenum.

Similiter venanti B. Huberto postea Episcopo Leodiensi, apparuit quidam cervus qui infrà cornua gestabat lignum S. Crucis; unde & vocem audivit, quæ illum vitæ melioris incundæ admonebat. Vide vitam S. Huberti non ita pridem editam à Ioanne Roberti Societ. nostræ.

60. In Cruce Salus.

Quanto salutarius signum Salvatoris nostri illo Antiochi Soteris, qui suis militibus tesseram dabat ὑγίεια, vel ὑγιαίειν, Salus vel salvere, seu valere, addito Pentagrammo, quo symbolo in vexillis expresso memorabiles contrà hostes consecutus est victorias; de quo Cælius Rhodig. lib. 7, c. 24. Origenes Homil. 8 in diversos locos. *Dæmones quis antrata Capitolia non timent, crucem timent*, &c.

S. Ambros. Sermone 43: *In uno signo Christi omnium rerum est tuta prosperitas.*

61. Crucis signum fugat vim dæmonum ex opere operato.

Ceterùm, licet disputent Theologi an signum, & imago Crucis Cacodæmones, & eorum tentamina & certamina elidat *ex opere operantes*, id est, efficaciâ probitatis illius, qui illo signo vel imagine ut clypeo contra spirituales nequitias utitur, an verò *ex opere operato*, id est, ex virtute propriâ & divinâ institutione prout Sacramenta suos effectus agere & operari docet Schola Doctorum; asserendum tamen est primò & per se ex *opere operato*, sive virtute operis tales effectus perfici, licet pietas id signum in aëre, fronte vel aliter formantis ad id conferat. Ita tenent, ut omittam alios, Bellarmin. lib. 2 de Imaginibus cap. 30, Suarez 3, p. D. Thomæ, Disputat. 56, sectione 3.

62. Quomodo dæmones crucem horreant, & quare.

Porro passim Patres docent dæmones crucis signo terreri & profligari, ut solent latrones horrore perfundi, cùm suppliciorum loca conspiciunt, ut canes cùm domum ingrediuntur, in quâ baculis excepti fuerunt, ut quis terretur cùm hastam videt, vel lanceam, quâ fuerit sauciatus. Observatur enim ipsorum tenebrionum menti Christi Domini nostri cruci quondam affixi, quâ & ipsi simul confixi fuerunt, vivacissima imago, ad quam objectam timore panico percelluntur, ut mihi auctor est doctissimus & religiosissimus Hierosolymæ Hierarcha Cyrillus Catecheſi 13. *Quando*, ait, *viderint crucem, recordantur Crucifixi. Profectò cogitatio hæc in spiritibus illis nequissimis incredibilem excitat angorem, & horrorem, cùm memorantur, quantam perniciem & damnum crux illa sancta ipsis intulerit.*

Pertinet huc quod refertur in vitâ Sanct. Ioan. Chrysostomi. Leo ferocissimus per agros grassabatur, eosque incredibili rabie depopulabatur, nec ulla ope humanâ ipsius crudelitati obviari poterat, cum ecce S. Antistes Chrysostomus humanæ salutis vexillum, & signum triumphale crucis ibidem loci erigi mandat, ubi potissimum cruentę belluæ furor debacchabatur. En rem miram! Sub matutinum crepusculum Leo ante crucis victricia tropæa exanimis repertus est, non armis aut corporali panopliâ, sed salutiferi ligni occultâ & spirituali virtute superatus. 63. Leo tumbo dum horribili virtute crucis interficitur.

Leonem symbolum esse Tartarei illius monstri & belluæ incredibili aviditate sanguinem humanum sitientis, quæ rugiens circuit quærens quem devoret, Scriptura sacra satis innuit, 1. Petri 5, 8.

Ceterùm hujus Leonis rabiem & furiosos impetus haud alia vis magis debilitat ac frangit quàm clypeus vivificæ crucis oppositus: unde aptè pronuntiavit Hipponensis Præsul Augustinus sermone 7, de Tempore, explicans illud Isaiæ: *Factus est principatus super humerum ejus: Meritò Crux Christi dicitur principatus, quia per eam diabolus vincitur, & totus mundus ad Dei gloriam revocatur.*

64. Carani Regis Macedoniæ tropæum Leo evertit; crucem verò Christi dæmon nequit subvertere.

Caranus olim Macedoniæ Rex de Cisseo provinciæ confinio dynastâ insignem victoriam reportaverat, & trophæum ad suam perpetuandam gloriam erexerat, sed postea illud ipsum Leo ex Olympo monte erumpens dejecit & evertit, Ita Pausanias in Bœoticis. Sed non est metuendum ne triumphale lignum, & Christi tropæum furiosus hic Leo non à lucidissimo & altissimo Olympo egressus, sed à tenebrosis & profundis Averni antris emergens unquam dissipet, aut prosternat. Vel enim visâ salutaris arboris figurâ toto pectore cohorrescit.

65. Crux asylum ad illam confugientibus.

Arnobius in Psal: 137 propositum nostrum & aliâ illustrat similitudine. *Si enim*, inquit, *ad statuas regum æreas confugientes, evadunt persequentes: quanto magis ad crucem confugientes Domini Iesu Christi a suis adversariis teneri non possunt?* Est ergo salutifera arbor asylum, & securus perfugii locus.

66. Arundo serpenti letalis. ita & crux diabolo.

Venit mihi in mentem locus S. Athanasii sermone de cruce & Passione Domini, ubi inter alia Passionis instrumenta agens de calamo vel arundine à militibus Christum cruciantibus porrectâ sic loquitur, *Atq; hinc rursum est, quòd arundinem accepit, cum illi a diabolo porrigeretur, ignaro, quòd contra seipsum gladium acueret. Dicitur enim arundo serpentibus letalis esse, atque inde potissimùm interfici. Vt igitur David, sumpto adversarii gladio, eo ipso illius caput præcidit, ita Salvator ab illis arundinem sumpsit, ut nos non solùm liberaret à versutia serpentis; sed & illum serpentem tolleret, & mortuum exhiberet.* Hæc magnus ille eruditione & sanctitate Pater.

Magnificum fuit illud Constantini symbolum, ἐν τούτῳ νίκα; *In hoc vince*: ad quod respiciens gravissimus Mediolanensium Hierarcha, Serm. 43. *Nonne*, inquit, *cùm adhuc gentilis esses, solebas signa perquirere? Quæ signa quibus rebus essent prospera, magnâ inquisitione colligere? Iam nunc nolo erres in numero: scito, quia in uno signo Christi omnium rerum est tuta prosperitas.* Sic S. Ambrosius. 67. Signum crucis summa prosperitas.

Alle-

Allegoria altera, ad illa:

Hæc consuetudo erat, ut epistolis, quæ regis nomine mittebantur, & illius annulo signatæ erant, nemo auderet contradicere:

De sacrosanctâ & inviolatâ divinarum litterarum auctoritate.

68. Scriptura sacra est cælorum Regis epistola.

ARgumentum hoc nobis præbuit Magnus & re & nomine Gregorius, qui lib. 4. Epistolâ 84, Theodorum medicum arguit, quòd minus accurate litteras sacras & divina oracula lectitaret, *Siquis*, ait, *scripta terreni imperatoris acciperet, non cessaret, nec quiesceret, somnum oculis nō caperet, nisi prius quid sibi Imperator terrenus scripsisset, agnovisset: Imperator cœli, Dominus Angelorum & hominum, pro vita tua tibi epistolas suas transmisit, & tu illas ardenter legere negligis?* & suprà: *Quid est enim sacra Scriptura nisi quædam epistola omnipotentis Dei ad suam creaturam?* Hactenus Romanus Pontifex Gregor.

Idipsum demonstrat S. Thom. tomo 18 Præfatione in septem epistolas Canonicas, ubi ex hoc Capite 8 Historiæ Ecclesiasticæ materiam accipit suæ Introductionis in sacras illas Apostolorum epistolas: *Missæ sunt*, inquit, *epistolæ ex regis nomine, id est, auctoritate, per veredarios, id est, Apostolos, qui per omnes provincias discurrentes* (Glossa, per prædicatores, summi Regis cursores) *veteres litteras scilicet damnationis nostræ, novis nuntiis, scilicet Apostolis præventrent.* Hæc ille & plura.

Clarissimè verò de hoc argumento scribit S. Augustin. Concione 2 in Psalm. 90. *De illa*, inquit, *civitate, unde peregrinamur, hæ litteræ nobis venerunt: ipsæ sunt Scripturæ, quæ nos hortantur, ut bene vivamus.*

S. Macarius Senior, Ægyptius, homilia 39 inter homilias (quæ habentur tomo 4. Bibliothecæ SS. Patrum editionis postremæ) oracula Dei comparat cum regis terreni codicillis, quibus Rex amicis peculiaria munera promittit, qui ad se venerint: & hæc subjungit: *Rex Deus misit hominibus Scripturas divinas velut epistolas, quibus significavit, ut invocantes & credentes postulent & accipiant donum cœleste ex hypostasi divinitatis ejus: Scriptum est enim, quòd fiamus divinæ consortes naturæ.*

69. Sacræ litteræ reverenter legendæ, iis fides adhibenda, &c.

Porro, si, ut certissimum est, sacri hi codicilli à cœlesti Rege ad nos delapsi sunt, cur eos non majore veneratione accipimus, tractamus, revolvimus? Imò cur in illis legendis tam inertes sumus? Quare adhuc quidam tam pervicaces & increduli inveniuntur, qui illis contradicere præsumunt, cùm tamen Persarum Imperatoris decretis & epistolis nemo se opponere auderet?

Graviter multi errant, qui sibi quasi de maximo honore gratulantur & blandiuntur, cùm à principe aliquo terreno epistolam recipiunt, & à Deo missa cœlitus vaticinia, Euangelia, & alia sacra volumina nihil pensi ducunt.

70. Ostendit hoc S. Antonius apud Athanasium.

Non fuit is animus magni illius Anachoretæ Antonii, de quo in ejus vitâ hæc memorat S. Athanasius cap. 50. *Constantinus*, inquit, *Augustus & ejus liberi Constans atque Constantius talia cognoscentes* (ejus gesta atque miracula) *crebrò ad eum, quasi ad patrem, missis litteris obsecrabant, ut reciprocis scriptis eos hilararet. At ille ejusmodi manens, qualis & antequam litteræ ad eum venirent, fuerat; nec salutatione principum movebatur & tamquam non acceptis litteris, convocatis monachis ajebat: Reges sæculi epistolas ad nos miserunt: quæ hîc Christianis adhibenda miratio est? Licet enim diversa sit dignitas, attamen eadem nascendi moriendique conditio est. Ista sunt veneratione omni percolenda, illa toto animi affectu retinenda sunt, quòd hominibus Deus legem scripserit, quòd per filium suum propriis ecclesias diteverit eloquiis. Quæ monachos est ratio cum epistolis regum?* &c.

Quibus verbis non vilipendit regalis potestatis culmen, sed quanto præ illo in pretio habenda sint cœlestis regis edicta, tantùm ostendit, quæ ad nos per epistolophoros Angelos, veredarios prophetas, Angaros & cursores velocissimos Apostolos pervenerunt, quin etiam per unigenitum, qui est in sinu Patris, revelata sunt.

Licuit Satyrico dicere:

E cœlo descendit, γνῶθι σεαυτὸν:

71. Magnus honor sacris scripturis deferendus.

Licuit Epicuri de grege porcis de quodam sui magistri libro, qui inscribitur περὶ κρίσεως, pronuntiare illum διοβόλιμον, teste Plutarcho contra Coloten, id est, à Iove, vel, ut Cicero vertit, de cœlo delapsum. Et nos dubitabimus eloquia Dei summis cœli Empyrei domicilius descendisse? An non genibus flexis, venerationis osculo sacra volumina, quæ καθ' ἐξοχὴν Biblia vocamus, excipiemus? An adeò perfrictæ frontis erimus, ut infallibilem eorum auctoritatem & ἀξιοπιστίαν negemus?

Ego certè vel Atheos, id est, impios, vel fatuos & mente captos meritò pronuntiaverim, qui fidem divinis eloquiis non habent, vel honore debito non prosequuntur. Hos perstringit aureum illud os Ioannes Antiochenus, homil. 3, in 2 ad Thessalonic. *Itane*, inquit, *si à Rege quispiam missus veniat, omnes attendistis? à Deo autem vocat, atque ex ipsis cœlis loquitur propheta, & nemo est qui attendat? Aut non creditis, quod quæ dicuntur hîc à Deo sint? Epistolæ istæ sunt à Deo missæ.* Hactenus S. Chrysost.

Epistolæ Assueri Persarum Imperatoris ab omnibus provinciis illi subjectis promptissimè recipiebantur, nec ullus illis refragari aut resistere audebat.

Major sacrorum codicillorum est auctoritas, quos indubitatâ fide, summâ veneratione, mirâ consensione totus ferè orbis Christianus recepit, ita ut rectè hac de re scripserit S. Augustin. l. 12. de Civit. c 9: *Scripturæ fides mirabilem auctoritatem non immeritò habet in orbe terrarum, atque in omnibus gentibus, quas sibi esse credituras inter cetera, quæ dixit, verâ divinitate prædixit.*

72. Auctoritas sacrarum litterarum toto orbe terrarum est maxima.

Postremò, Persarum Monarchæ litteræ & Rescripta, ut eorum pondus, & majestas major esset, regis sigillari annulo muniebantur.

73. Signanter sacræ litteræ miraculis tamquam Dei annulo vel sigillo.

Divinorum eloquiorum fidem, veritatem & auctoritatem non solum confirmant prodigia & miracula, quæ Deus edidit ad stabiliendà dogmata, quæ iisdem continentur (quæ rectè ejus testimonia & sigilla nominantur) sed etiam quæ Deus ipse, ut honoraret sanctorum librorum diligentes lectores & cultores, vel ut in ejusdem profanatores animadverteret, aliquan-

do

do patravit. Posterioris generis quædam profero.

Scribit ex Aristea Josephus lib. 12 Antiquitat. cap. 2, & Eusebius lib. 8 Præparation. Euangel. cap. 1, Muranti Ptolomæo Philadelpho Ægyptiorum regi, cur divinorum Oraculorum nulli neque Historici neque veteres Poetæ meminissent, respondisse Demetrium Phalereum regiarum bibliothecarum præfectum, neminem nefas admirandas Leges & volumina attingere, quæ constaret divina esse, & omni veneratione dignissima, & punitos esse quosdam à cœlesti Numine, qui Legem Dei temerè attrectare non sunt veriti. Theopompum enim volentem inde quædam suis scriptis inserere, mente motum fuisse diebus triginta, & per intervalla insaniæ Deum placasse, facilè conjicientem quæ morbi causa fuerit: atque etiam in somnis admonitum hæc ideo pati, quòd fuisset circa res divinas curiosior, easque voluisset proferre profanis hominibus: quare cum a cœptò destitisset, sanam mentem ei fuisse redditam.

74. Punitι à Deo, qui scripturam temerè attrectarunt, ut Theopompus, & Theodectes.

Theodectę etiam poetæ, cùm in quadam Tragœdia vellet aliquid è Sacris libris admiscere, oculos glaucomate suffusos caligasse: & cum erratum agnovisset, exorato Deo redditam aciem. Ita Josephus.

75. Euangelii codex in manibus S. Bonifacii gladio quidem divisus fuit, nulla tamen in eo littera deleta.

S. Bonifacius Frisiorum Apostolus cum sociis suis Christi Euangelium promulgans jugiter ejus codicem conferebat, adeo ut eum nec in martyrio dimiserit: quin verò cùm anno Christi 755 in ejus caput Frisii gladium torquerent, ipse sacrum clypeum, id est, Euangelii librum opposuit, & insigni miraculo, licet ense per medium liber sectus fuerit, nulla tamen littera eâ divisione fuit deleta. Vide Surium Iunii 5, sub finem ejusdem vitæ.

76. Idem curat sibi describi aureis litteris S. Petri Epistolas.

Idem vir sanctus petiit ab opulentâ virgine, aureis sibi litteris describi S. Petri Archiapostoli epistolas, ob reverentiam & honorem sacræ Scripturæ, ut ex illius ipsius Epistolâ meminit Cardin. Baronius tomo 9. Venerabatur enim Scripturam veluti oracula de cœlo, ut divinos apices, ut purpureas cœlestis Regis litteras.

77. Candela ardens in Bibliis sacra incidens ea non aduritur, alias extincta rursus accenditur.

S. Edmundus Cantuariensis Episcopus, dum Biblia legit, in somnum incidit, & candela ardens super paginas laptà consumitur quidem, sed librum inoffensum reliquit. Idem cùm aliquando inter legendum obdormisset, mox expergiscens lucernam extinctam reperit, & legendi occasionem sibi sublatam dolens, Dei matrem invocavit, lucemaque repente illuxit. Ita in vitâ ejus cap. 15, apud Surium, Novembris 16.

Auctores mihi sunt Ioan. Curopalates in Basilio Macedone, Zonaras tomo 3 Annal. apud Baron. tomo 10 anno 886, sub initium Russos barbaros & infideles hoc potissimum signo ad Orthodoxiam perductos. Orientis Imperator Basilius Macedo Archiepiscopum Catholicum ad eos miserat, ut Christiano dogmate eosdem imbueret, & sacro fonte tingeret. Petiit ab eo Ruthenorum vel Russorum princeps, quænam essent, quæ populo suo annunciare vellet. Respondit Archiepiscopus, quæ sacro Euangeliorum volumine, quod manu præferret, continerentur, quæ etiam copiosè describunt signa miranda, quibus Dei Filius doctrinam suam sanxit, & confirmavit. Tum Rex & populus, nisi, inquiebant, simile quippiam ediderit, & maximè quale asseris fuisse trium juvenum Hebræorum in fornace ardente illæsorum prodigium, nequaquam tibi consentiemus. Ille Christi fretus promissis, & barbaros ex animo locutos conspicatus optionem illis offert miraculum aliquod petendi. Postularunt illi volumen divini Euangelii in ignem à se incensum projici, quod si inviolatum servaretur, ad fidem, quam annuntiabat, suscipiendam se paratos spondebant. Archiepiscopus conditione acceptâ invocaroque supplicitèr Numine permisit venerabile Euangelii pignus in fornacem incensam conjici; extincto verò igne sacrum volumen inventum est inviolatum, penitusque illæsum. Hoc prodigio perculsi barbari ad salutare lavacrum confugere.

79. Euangelii codex in flammas conjectus illæsus apparet.

Priscis temporibus Euangelium velut Palladium quoddam & Apotropæum in mediis flammis adversus noxam habebatur. Id animadversum in sævissimo incendio Constantinopoli, quod sub Leone primo Imperatore contigit. Quo tempore cùm ignis veluti ex Tartaro immissus omnia consumeret, nec humanâ ullâ ope coërceri posset, vir sanctitate præstans Marcianus, qui Anastasiæ templum servatum cupiebat sacrosanctum Euangelium manu capit, in tectum subit, & illustria Filii Dei monimenta quasi tropæa igni opponit.

78. Idem tam: quam clypeus oppositus incendio.

Ibi certamen mirabile vidisses. Hinc grassabatur ignis sacra profana depascens: Hinc Marcianus integritate vitæ munitus Euangelium pro clypeo prætendebat. At flamma longè lateque diffusa cùm ad eum venisset locum, in sublime se extulit, & in fornicis vel arcus speciem incurvata magno prodigio ad alia transvolavit, templum id intactum inviolatumque reliquit, ubi vir sanctus Euangelio armatus subsidebat. Vide Surium Ianuarii decimo, & Baron. tomo 6, anno Christi 465.

Postremò constat ab ipsis Apostolorum, & nostræ religionis parentum temporibus usitatum fuisse pro amuleto Euangelium ad collum suspendere. Vide de hoc more plura apud Baronium anno Christi 232 & 604.

VERSVS IX, X, XI, & XII.

Accitisque scribis & librariis regis (erat autem tempus tertii mensis qui appellatur Sibat) vigesimâ & tertiâ die illius, scripta sunt epistolæ, ut Mardochæus voluerat, ad Iudæos, & ad principes, procuratoresque & judices, qui centum viginti septem provinciis ab Indiâ usque ad Æthiopiam præsidebant: provinciæ atque provinciæ, populo & populo juxta linguas & litteras suas, & Iudæis, prout legere poterant, & audire.

Ipsaque epistolæ, quæ regis nomine mittebantur, annulo ipsius obsignatæ sunt, & missæ per veredarios: qui per omnes provincias discurrêtes, veteres litteras novis litteris prævenirent.

Quibus imperavit rex ut convenirent Iudæos per singulas civitates, & in unum præciperent congregari, ut starent pro animabus suis, & omnes inimicos suos cum conjugibus ac liberis & universis domibus interficerent atque delerent, & spolia eorum diriperent.

Et constituta est per omnes provincias una ultionis dies, id est tertiadecima mensis duodecimi Adar.

Hebraicè: & vocati sunt scribæ Regis in tempore illo in mense tertio (ipse mensis Sivan) in tertiâ & vigesimâ in eo (ejusdem) & scriptum est juxta omnia quæ præcepit Mardochai ad Iehudæos, & vicereges, & comites & principes provinciarum qui ab Indiâ & usque Æthiopiam, septem & viginti & centum provinciarum, provinciæ & provinciæ juxta scripturam ejus, & populo & populo juxta linguam ejus, & ad Iehudæos secundum scripturam eorum, & juxta linguam eorum.

Scripsitque in nomine regis Achasueros, & signavit in annulo regis, & misit litteras in manu cursorum in equis equitantium, dromedariis (velocibus animalibus) mulis filiis equarum. Quibus dedit Rex Iehudæis, qui in omni civitate & civitate ad congregandum se, & ad standum super animâ suâ, ad disperdendum, ad occidendum omnem exercitum populi & provinciæ angustiantium eos, parvulos & mulieres, & bona eorum ad diripiendum. In die unâ in omnibus provinciis regis Achasueros in decimâ tertiâ mensis duodecimi: ipse mensis Adar.

Iosephus paucis hæc absolvit: Accitis igitur scribis regiis, jussit eos pro Iudæis scribere ad magistratus omnium gentium quę sitæ sunt Indiam inter & Æthiopiam sub centum viginti septem satrapis: quarum litterarum exemplar hoc fuit. *Rex magnus Artaxerxes*, &c.

Ponit hîc Rescriptum regium pro Iudæis quod nos ex Græco habemus c. 16. Hoc descripto subjicit hæc: Cum his litteris continuò veredarii per omnes vias dimissi sunt.

COMMENTARIVS.

Sicut cap. 3 hujus libri vocati sunt scribæ regii, qui ferale & impium dogma & rescriptum exararent contra Iudæos jussu Amani, idque mense primo Nisan qui Martio nostro respondet, ita hîc acciti sunt iidem librarii sive scribæ mense tertio, qui est Siban, & partim cum Majo partim cum Iunio nostro congruit, ut irrito priore edicto novum scriberent, quo libera facultas dabatur Iudæis ultionem de hostibus suis capiendi, & quidem eodem die decimo tertio mensis duodecimi Adar qui constitutus fuerat internecioni Iudæorum, arcanâ Dei providentiâ totius machinationis impii & crudelis Amani ordinem invertente.

Vnde pro horum versuum, quos explicamus, majori luce, repetendi sunt cap. 3 versus 12, 13, 14, 15, & quæ in eos commentati sumus, revolvenda. Itaque Rege annuente curat scribi Mardochæus litteras ad Iudæos charactere & linguâ illis notâ, ut liberè possent in unum convenire locum, ubicumque tandem morari contingeret, ibique se defendere contra adversarios suos, eosque insuper, qui ferrum in eos exacuerant impunè occidere, & perdere tam ipsos, quam ipsorum uxores & liberos, & ex ipsorum facultatibus prædas agere.

Vlterius ad omnes Satrapas sive Præfectos provinciarum totius regni Persici scriptæ epistolæ, quibus regis mutata voluntas continebatur, & præcipiebatur, ne quis Iudæis impedimento esset, quo minus vindictam sumerent de suis inimicis, sed potius eis consilio, & auxilio adessent. Hæ verò litteræ, ut major scriptis esset auctoritas, regio sigillo munitæ fuerunt, & postremò missæ per veredarios, cursores, & tabellarios regios, qui celerrimis equis provincias pervolabant, jumentaque certis stationibus mutabant more Persico, ut antè eodem capite tertio copiosè diximus.

Iam singula, quæ difficultatem habent, illustremus. Dicuntur primò acciti scribæ & librarii: Interpres noster S. Hieronymus unam vocem Hebraam סופרי Sophere, dupliciter extulit, ut latius patentem vim vocabuli Hebraici magis explicaret, quod sæpe alibi facit; ut & contrà, uno verbo Latino exprimit aliquando, ubi Hebræa plura habent, ut patet hîc v. decimo, quo loco solùm ponit veredarios, cùm Hebræa habeant cursores vectos equis dromedariis, &c.

Quod verò discrimen sit inter scribas & librarios hîc, difficile est conjecturâ assequi. Fortè scriba est, qui primum excipit edictum, librarius qui postea rescribit, ut edictum in regis scriniis ad memoriam reservetur. Ita quidam. Ego dixerim idem ferè significare.

Dicitur 2, fuisse litteras scriptas mense tertio Siban, de quo actum, cùm tractaremus de mensibus Hebræorum.

Consentit nostro textui in nomine mensis Chaldæus & Hebræus; verùm Græcus Septuaginta legit, in primo mense, qui est Nisan, & convenit cum Martio nostro. Iosephus autem, ut vidimus, notam temporis caute omisit.

Manifestum porro est, omnia, quæ hactenus narrata sunt in historiâ nostrâ, ex eo tempore, quo Amanus sortes in urnam misit, eodem mense Nisan accidere & geri potuisse, ut rectè notavit Salianus; anno mundi 3601, Artaxerxis Longimani 12, n. 47. Nam decimo tertio die Nisan sive Martii, qui est mensis primus, misit Amanus litteras regias suprà cap. 3, v. 12. supersunt dies decem à tertio die usque ad vigesimum tertium,

tertium, eorum tres expensi sunt à Iudæis partim in oratione, partim in jejunando; quartus Amani continet mortem, reliquis diebus exaltatus, ut hoc capite legimus, Mardochæus, à Reginâ precibus exorata facultas prius edictum irritandi, scriptæ quoque & missæ sunt litteræ, si credimus Interpretibus Septuaginta. Sed Latino adhærendum; quamvis enim citius litteræ mitti potuissent, non tamen opus fuit, quia plurimi adhuc menses restabant, usque ad mensem & diem destinatum cædi Iudæorum, qui erat dies decimus tertius mensis duodecimi Adar.

Serarius hic quæst. 29, conjicit, cum litteræ priores Amani scriptæ dicantur mense primo, & missæ, ita intelligendum, ut statim quidem id factum sit, non tamen ad omnes urbes & regiones simul: sed ad remotiores citius, ad propiores tardius, amandati fuerint cursores vel veredarii, ita ut eodem propemodum tempore in urbibus omnibus expositæ fuerint litteræ & Susis. Hic enim tantisper silentio rem totam Amanus texit, donec alibi in locis promulgari eas existimaret. Erant verò locorum intervalla, temporumque rationes diligenter initæ & perspectæ, prout in Principum archivis, tabulariis, Chartophylaciis (Barbari Cancellarias vocitant) videmus hodieque exactè scire, quonam tempore possint principis alicujus litteræ ad omnia ditionis suæ loca pervenire; sicque lib. 5 scribit Herodotus, ab Epheso Susa usque trium mensium, dierumque septem iter fuisse. Ita ferè Serarius.

Solum ipsius dictis obstat, quod habemus cap. 3, ℣. 15: *Statim in Susan pependit edictum*, in nostro textu, nec repugnat Græcus. Itaque non est quod ad responsionem Serarii confugiamus, cùm satis temporis interceserit ut revocatis prioribus litteris posteriores succederent, & Iudæi ulcisci de de hostibus suis possent, antequam prius edictum executioni mandaretur.

Nec his repugnat, quod hoc capite ℣. 10, scribitur, epistolas regis missas per veredarios per omnes provincias, qui veteres litteras novis nuntiis prævenirent. Vt enim bene advertit Guilielmus Estius, de locis Scripturæ difficilioribus; dicuntur prævenisse veteres litteras quoad effectum earum, sive antequam fieret quod illis mandabatur; quia etsi litteræ Amani ad provincias ante devenerant, ut certò colligitur, de quibusdam saltem, cap. 4, vers. 3, ubi sic legimus: *In omnibus quoque provinciis, oppidis ac locis, ad quæ crudele regis dogma pervenerat, planctus ingens erat apud Iudæos*: nondum tamen fuerant executioni mandatæ; quia per illas tantum dabatur potestas Iudæos occidendi mense duodecimo: hæ autem litteræ posteriores missæ fuerunt mense tertio, atque per has priores maturè fuerunt redditæ ineficaces, & eorum executio impedita.

Præterea dicuntur litteræ missæ provinciæ & provinciæ, populo & populo, id est singulis provinciis, unicuique populo: est enim Hebraismus, nisi velis explicare, multis sive variis provinciis, unicuique verò genti juxta characteres & idioma propriæ linguæ, & fortè omnibus Iudæis notis & idiomate Hebraico.

Missæ autem sunt epistolæ per veredarios; ubi Nota 1, veredarium Latinè appellari cursorem, Postam vulgò dicimus, qui mutatis sæpe equis iter suum celerrimè peragit. Est enim veredus equus cursus perniciissimi venationi aptus; quâ voce sæpe utitur Martialis, & Ausonius. Ille hic lib. 12, Epigrammat. 14.

Parcius utàris, moneo, rapiente veredo
Prisce, nec in lepores tam violentus eas.

Erat ergo veredus equus rapiens, celer, volans, nullo modo rhedæ vel cisio illigatus, sed singularis.

Quid Veredarius & Veredus.

Nec refert quòd Isidorus, & Budæus & alii velint dictum veredum quasi vehentem rhedam; fieri enim potuit ut veredi primum rhedis juncti fuerint, & cursus publici cisiis, aut aliis vehiculis alligati. Hinc regum, & mercatorum nuntii & tabellarii dicti sunt veredarii, qui mutatis per stationes equis celerrimo cursu iter conficiunt. Cassiodorus eos vocat catabularios à catabulo .i. stabulo publico, ubi hujusmodi equi alebantur.

80. Quid Catabularius.

Nota 2, quos S. Hieron. post Septuaginta, & Iosephum vocavit veredarios, textus Hebræus pluribus descripsit. Sic enim habet: In manu cursorum in equis equitantium, equos bonos, mulos filios equarum: alii pro equos bonos vertunt velocissima animalia.

Miratur hoc loco Cajetan. quæ causa fuerit, cur in Perside adhuc nescirent uti fœminis equorum (nos equas dicamus) ad celeriter vehendum litteras: crediderim, inquit, id accidisse, quia unico tantum animali non mutato vehebatur cursor; & in longo itinere veloci motu durat plus mulorum genus quàm equorum: Sed errat Cajetan. Vt enim alibi etiam diximus, instituit Cyrus cursum publicum, quo mutatis ad celeritatem equis per veredarios, brevi tempore certior fieret omnium, quæ in remotissimis regni partibus gererentur. Mansiones autem & stationes equorum uti dispositæ essent, docet Xenophon lib. 8 Pædiæ, & Herodotus l. 8.

81. Cyrus Rex cursum publicum veredariorum seu Angariorum instituit.

Vocabantur porrò hi nuntii Persico idiomate Astandæ vel Angari, ut alias dictum est; Illis verò jus erat cujuslibet equos, naves aut homines capere ad cursum necessarios. Hinc factum est, ut ἀγγαρεύειν, angariare, significet cogere.

82. Quare Angariare significet cogere.

Istis autem veredariis sive cursoribus imperavit Rex ut primò convenirent Iudæos, isque litteras traderent, quibus facultas dabatur quod videtur ante non licuisse ut simul convenirent, & sic factâ manu in hostes suos irruerent, occiderent ipsos & uxores eorum ac liberos, facultates diriperent, &, ut quidam volunt, etiam ipsorum domos funditus everterent.

Movet hic dubium Cajetan. an mulieres & parvuli jungantur cum præda, an cum clade, & respondet, ex eo, quod litteræ, quas miserat Aman in perniciem Iudæorum, comprehenderant sub clade parvulos & mulieres Iudæorum, ut constat cap. 3, ℣. 13, par est credere parvulos quoque & mulieres hostium Persarum sub clade vel cæde comprehensos fuisse, & clarè hic sensus constat ex Latino & Hebræo, in quo tamen nulla mentio fit bonorum.

Deinde quia pro illis verbis, vers. 11: *Quibus imperavit Rex, ut convenirent Iudæos per singulas civitates & in unum præciperent congregari, ut starent pro animabus suis, & omnes inimicos suos cum conjugibus & liberis & universis domibus interficerent*: sic Hebræa legunt: Quod dabat Rex, sive concessit Iudæis ut congregarentur, & ut starent pro animâ suâ ad perdendum, occidendum, de-

lendum cum omni exercitu populi & provinciæ hostes eorum: per exercitum autem intelligunt milites præsidiarios opem ferentes. Unde Serarius sic intelligit, regem scilicet in gratiam Iudæorum dedisse litteras, ut in omnibus urbibus ipsi congregarent Satrapas, Principes, populos, milites, ut ipsis essent adminiculo, & cum ope & auxilio roboris populi & provinciarum, id est militibus præsidiariis starent pro animabus suis ad hostes suos delendos. Itaque ante omnia conveniendi erant Iudæi, nec nisi ex ipsorum beneplacito litteræ tradendæ magistratibus ut nullus eis ignorantiæ locus pateret, & ipsi copias militares eis præberent ad hostes suos delendos.

Postremò dies una constituta est in omnibus provinciis ultionis sumendæ de hostibus Iudæorum, eadem scilicet quæ sorte exierat, ut Amanis machinatione totum genus Iudæorum deleretur, cap. 3, vers. 13. Erat autem dies tertiadecima mensis duodecimi Adar. Quod divinâ providentiâ factum esse dubitat nemo. Sicut enim Numine providente lignum, quod erexerat Aman Mardochæo, ipsi erigenti fatale fuit; ita & dies, quam sorte perdendis Iudæis elegerat.

Quæstio,

Quâ auctoritate, quove jure potuerunt Iudæi hostes suos eorumque liberos & uxores, inter quos multi innocentes, interficere?

MOrem fuisse apud Persas ob crimen patris, liberos quoque, uxores, propinquos ejus & familiam plecti notum est: ita filii Amani cum patre patibulis affixi sunt Esther 9, ℣. 14. Sic Amanus hîc cap. 3, vers. 13, mittit epistolas regis nomine, ut occidantur & deleantur omnes Iudæi à puero usque ad senem, parvuli & mulieres. Et hoc cap. 8, vers. 11, imperat Persarum Rex, ut Iudæi omnes inimicos suos cum conjugibus ac liberis & universis domibus interficerent atque delerent. Iustinus etiam lib. 10, ait Darium Artaxerxi patri insidias parantem deprehensum cum sociis pœnas parricidii diis paternæ majestatis ultoribus dedisse; conjuges quoque omnium cum liberis, ne quod vestigium tanti sceleris extaret, interfectas. Vide Herodotum l. 3, & Ammian. Marcellinum l. 23.

81. Apud Persas ob crimen patris, uxor, liberi, familia puniebantur.

Herodot. refert Darium non solùm Intaphernem, quia aliquid admiserat illiberale & impudens morte damnasse, sed etiam liberos, omnemque familiam. Ammian. autem sic scribit. *Leges Apud Persas impendiò formidatæ: inter quas diritate exuperant latæ contra ingratos, & desertores, & abominandæ aliæ per quas ob noxam unius omnis propinquitas perit.*

Nihil hîc ago de publicatione bonorum usitatâ etiam apud Persas: licitam enim illam fuisse in perduellibus regii nominis docet omnium gentium consensus: quo verò jure barbari etiam in pueros innocentes, quorum parentes in regem peccavêrant, sævierint, eosque obtruncarint, ipsorum crudelitati & immanitati, sicut & alia flagitia, adscribamus.

Quod autem hîc quæro, hoc est; primum, quod facilius, est an licitè Iudæi inimicos suos interfecerint; Alterum, quomodo etiam liberos eorum, quorum multi innoxii erant, de medio sustulerint.

Ad primum dicendum videtur primò, legem illam quâ rex imperavit omnes inimicos Iudæorum cum conjugibus ac liberis, & universis domibus interfici atque deleri, fundatam fuisse in veteri Persarum consuetudine, de qua jam dixi.

84. Fundabatur decretum, quo concedebatur Iudæis hostes interficere in Persarũ consuetudine & Regis auctoritate.

Ad Amanum enim spectare videri poterant, qui non quidem sanguine erant propinqui, sed moribus, studiis, iniquitate, & acerrimo in Iudæos odio flagrabant, ideoque improbissimæ illius voluntatis erant administri.

Addo magnum malum Iudæos potuisse sibi ab hujusmodi nefariis hominibus timere cùm opportunitatem nacti fuissent. Solet enim odium inveteratum etsi interdum supprimatur, timore potestatis, suo tempore in grave innocentum damnum laxatis habenis erumpere.

Adjungo ulterius, auctoritate publicâ & regiâ, cujus erant satellites & executores constituti, licuisse Iudæis hostes suos interimere.

Qui dicuntur hîc hostes Iudæorum.

Hostes Iudæorum hîc voco, non illos omnes, qui parati fuerant obsequi regio decreto, quod extorserat Amanus cap. 3, suprà; siquidem possunt fideles subditi parere principum suorum edictis, præcipuè cùm de illorum injustitiâ non constat, & in eis adferuntur graves rationes, quæ id, quod imperatur, cohonestant, quales sunt illæ quæ habentur in epistola Assueri cap. 13, infrà, ubi dicitur vers. 4, Iudæos Regum jussa contemnere, & universarum concordiam nationum suâ dissensione violare. In dubio autem tutos reddebat Persas obedientia.

Dico itaque hîc Iudæorum hostes & inimicos vocari, qui peculiari odio illos prosequebantur, eorum sanguinem sitiebant, sceleſtas manus in illos armaverant, de quibus verisimiliter dicitur in decreto regio suprà ℣. 6; *Iussimus*, inquit Rex, *ut quoscumque* (Iudæorum) *Aman, qui omnibus provinciis præpositus est, monstraverit, cum conjugibus ac liberis deleantur ab inimicis suis, nullusque eorum misereatur*, &c.

Quinam verò illi fuerint, facilè observare potuerunt Iudæi tam in Susianâ, quàm in aliis provinciis Persidis, cùm inter datum regis Rescriptum & ejus executionem octo mensium spatium intercederet, à vigesimâ & tertiâ die mensis tertii Siban usque ad decimam tertiam mensis duodecimi Adar. Illos verò solos permissum fuit Iudæis ab Artaxerxe rege trucidare, ut constat ex litteris regiis pro Iudæis ad omnes provincias missis cap. 16, ℣. 20: *Quibus* (Iudæis) inquit rex provinciarum ducibus atque principibus, *debetis esse adminiculo, ut eos qui se ad necem illorum paraverant* (id est, suos inimicos,) *possint interficere.* In quibus etiam verbis liquet interveniſſe aliquam saltem formam judicii, cùm Rex ad Magistratus litteras dederit, ut Iudæis auxilio essent, ut eos possent è medio tollere, qui sibi mortem fuerant machinati. Innoxiis autem necem parasse capitali supplicio dignum est, ut rectè Salianus, venenum præparatum, & sica deprehensa etiam effectu non secuto, legibus morte vindicatur.

Præterea erant sparsi per provincias verosimiliter plures Amani fautores, qui ipsius ope, quia plurimum apud regem gratiâ poterat, amplos magistratus & dignitates se obtenturos

præ-

præsumpserant; quem cùm infami morte affectum cernerent, invidiâ rumpebantur, Mardochæum, & totam ejus gentem funditus delere, quantum poterant, cogitabant, & moliebantur. Exoriri igitur nata erat quæpiam seditio, vel in ipsum regem, ut vidimus cap. 2, ℣. 21, eunuchorum volentium insurgere in Assuerum, eumque interimere: vel in Iudæos, quos florente & dominante Mardochæo omnibus nationibus Persicæ coronæ subjectis præferendos, & pluribus honoribus afficiendos non immeritò augurabantur.

Porrò his rebellionis capitibus obtruncatis spes erat simul etiam omnes simultatum & odiorum in Iudæos stirpes & fibras elidendas & exscindendas.

Fortè etiam hac ratione infantes & alii innocentes jugulari potuerunt, ut aliqui ex filiis Amani, quia parentum injuriæ memores, quippiam impium hostiliter vel in Iudæos, vel in regem agere, molirive poterant.

85. Interveniſſe videtur Dei tacita inſpiratio, qua moti Iudæi ſuos hoſtes trucidarunt, & etiam quoſdam innocentes.

Ad alterum propositum dico, valde mihi videri probabile Deo instigante & impellente de hostibus suis Iudæos vindictam cepisse, qui homines conscleratos, gentis suæ perduelles simul omnes unà die voluerit plecti. Videtur hoc Artaxerxes ipse indicare in suâ epistolâ, cap. 16, vers. 21, cùm ita scribit de Iudæis: *Hanc enim diem* (decimam tertiam mensis duodecimi Adar, quæ fatalis erat) *Deus omnipotens, mœroris & luctus, eis vertit in gaudium.*

86. Deus poteſt juſtos interficere cum impiis, ut parentes in filiis puniantur.

Quòd si fortè illâ communi clade aliqui innocentes involuti sunt, ut certissimè contigit in communi aquarum eluvione Noeticâ, in Pentapolitano incendio, in plagis Ægyptiacis; quis dixerit Deum calamitatum illarum præcipuum auctorem, judicem & vindicem minus juste egisse, cùm illi plures causæ suppetant etiam justos interficiendi cum impiis; quarum una est, ut etiam in filiorum innoxiorum morte parentes nocentes puniantur. Et ut exemplum aptius proposito nostro adferamus; legimus 1 Regum 15, ℣. 3, mandasse ore Domini Samuelem Sauli his verbis: *Nunc ergo vade, & percute Amalec, & demolire universa ejus: non parcas ei, & non concupiscas ex rebus ipsius aliquid: sed interfice à viro usque ad mulierem, & parvulum atque lactentem*, &c.

87. Sic accidit in cæde Amalec.

Idem Deus per regem Assuerum imperare etiam potuit Iudæis, ut starent pro animabus suis, & omnes inimicos suos cum conjugibus ac liberis & universis domibus interficerent, atque delerent, ut Aman in suis filiis, propinquis, amicis studiosis castigaretur. Solet enim Deus scelera majorum in filiis & posteris vindicare, mortem corporalem & alias clades inferendo, præsertim cùm mensura peccatorum fuerit impleta, ut docent Theologi.

Non videntur à Iudæis ulli innocentes interfecti.

Addo tamen secundò, vero simile videri, nullos parvulos innocentes Persici generis à Iudæis in hostes suos cædem exercentibus interfectos fuisse; Nam nusquam legimus infantes vel liberos eorum interfectos, præter decem filios Aman, qui videntur & grandiores ætate fuisse, & paternæ impietatis hæredes & conscii. Cap. enim 9 hîc, semper ferè dicuntur occisi viri, ut v. 6, 12, 15. Cur enim non parcerent eorum parvulis, cùm parcerent eorum substantiæ, nec quidquam ex bonis ipsorum contingerent?

Dubitandum porrò non est, quin Esther & Mardochæus recto zelo inflammati hanc vindictam Amani & hostium suorum expetierint, animo conservandi populi electi, & divinum cultum asserendi; quidquid fortasse Iudæorum aliqui peccarint privatas suas injurias animo ultionis cupido persequendo.

Allegoria super illis verbis:

Mittebantur epistolæ ex Regis nomine per veredarios, qui per omnes provincias discurrentes, veteres litteras novis nuntiis prævenirent:

Veredarii sunt Apostoli, novæ litteræ sunt Euangelia, & reliqua novi testamenti Hagiographa & Canonica.

SIc ratiocinatur S. Thomas tomo 18, p. 2 in Præfatione Canonicarum.

Ratiocinatio S. Thomæ.

Missæ, inquit, sunt epistolæ ex Regis nomine, id est, auctoritate, per verédarios, id est, Apostolos, ad hoc specialiter missos, qui per omnes provincias discurrentes, veteres litteras, scilicet, damnationis nostræ, novis nuntiis, scilicet, Apostolicis prævenirent.

88. In miſſione ſolemni tria neceſſaria.

In verbis istis notantur tria secundum tria cuilibet missioni solemni necessaria.

Quælibet enim missio solennis requirit in mittente auctoritatem, in misso celerem adimpletionem, in eo, cui fit missio, utilitatem. In mittente hîc notatur auctoritas, cùm dicitur: *Missæ sunt epistolæ ex regis nomine*: in misso adimplendi celeritas, cùm dicitur: *per veredarios per omnes provincias discurrentes*: in illis, quibus facta est missio, utilitas, cùm sequitur: *ut veteres litteras novis nuntiis prævenirent.*

89. Aſſuerus eſt Chriſtus, Veredarii Apoſtoli.

Rex iste Assuerus significat Christum: interpretatur enim atrium, sive beatitudo. Christus verò est atrium bonorum, qui sunt in statu viæ. Beatitudo quantum ad illos, qui sunt in statu patriæ. Rex igitur Assuerus est Christus qui misit nuntios, id est, Apostolos, qui Christi auctoritate epistolas illas scripserunt & miserunt; & iidem sunt veredarii: est autem veredarius auriga vel nuntius in rhedâ portatus, rheda autem est vehiculum dictum à redeundo eò quòd agile sit ad eundum & redeundum, & fertur quatuor rotis, (de quibus multa ibi mysticè S. Doctor philosophatur, ostendens vehiculum istud esse sacram Scripturam) Igitur veredarii sive nuntii in vehiculo quatuor rotarum portati sunt Apostoli, qui per omnes provincias discurrerunt, quia ubique in nomine Christi annuntiaverunt. Psal. 18. *In omnem terram exivit sonus eorum.* Hoc ipsum figuratum fuit 2 Paralipomen. cap. 30, v. 6: *Pervexerunt cursores cum epistolis ex regis* (Ezechiæ) *imperio, & principum ejus, in universum Israel & Iudam, juxta id, quod rex jusserat, prædicantes: filii Israel revertimini ad Dominum Deum Abraham*, &c. Et infrà rursus vers. 10, subditur: *Igitur cursores pergebant velociter de civitate ad civitatem per terram Ephraim & Manasse usque ad Zabulon, illis irridentibus & subsannantibus eos*, &c.

Tertiò notatur utilitas in illis quibus facta est

missio, cùm dicitur: *Qui veteres litteras novis nuntiis prævenirent.*

90. Quæ sint litteræ veteres.

Istæ veteres litteræ erant litteræ nostræ damnationis, quæ sunt epistolæ Uriæ, de quo 2 Regum 11. Erant autem illæ litteræ mortis. Litteras mortis suæ portant viri litterati, qui sciunt, & docent, & non faciunt. Istæ sunt litteræ sine sigillo, id est, scientia sine vitâ, & ideo non creditur eis. Vel litteræ istæ veteres sunt peccata ad veterem hominem pertinentia. Istæ litteræ in peccatoribus sunt scriptæ Ieremiæ 17, ℣. primo; *Peccatum Iuda scriptum est stylo ferreo in ungue adamantino, exaratum super latitudinem cordis eorum*, &c. sed per doctrinam Apostolorum sunt præventæ & revocatæ.

90. Qui docent & non faciunt portant litteras veteres & mortis. Sunt item peccata veteres litteræ.

Nota quòd per prædicationem Apostolorum istæ litteræ in aliquibus sunt præventæ, scilicet in innocentibus; in aliquibus irritæ factæ, v. g. in pœnitentibus: in aliquibus correctæ, videlicet in proficientibus, in aliquibus totaliter deletæ, scilicet in pervenientibus, & hoc totum per doctrinam Apostolorum: Ipsi enim docent innocentiam servare, de peccatis pœnitere, de bono in melius proficere, & sic ad cœleste præmium pervenire. De primo dicitur hîc: *Veteres litteras novis nuntiis prævenirent.* Veteres litteras novis nuntiis prævenire est, se à peccatis præservare, & innocentiam baptismalem servare. De 2 & 3, dicitur Esther 8, ℣. 3. *Oravit Esther regem ut malitiam Aman Agagitæ, & machinationes ejus pessimas, quas excogitaverat contra Iudæos, juberet irritas fieri: & ut novis epistolis veteres Aman litteræ corrigantur.* Sicut verò patet ex textu, quod Esthera petiit, impetravit. Corrigebantur autem hæ litteræ in proficientibus. Correctio enim est veterum litterarum deletio & novarum superscriptio: ita correctio spiritualis est veterum peccatorum deletio, & novarum litterarum, utpote gratiarum, virtutum, donorum, & bonorum operum superscriptio: In pervenientibus autem erunt totaliter deletæ & quantum ad culpam, & quantum ad pœnam, imò & peccata occasionaliter erunt eis in gloriam; 2 ad Corinth. 3, ℣. 7: *Quod si ministratio mortis litteris deformata in lapidibus, fuit in gloria*; &c.

90. Quomodo Apostoli prævenerint novis nuntiis litteras veteres.

90. Peccata vetera quomodo deleantur.

Litteræ istæ sunt peccata, quibus anima deformata est, quæ sunt ministratio mortis causaliter, sed erunt in gloriam bonis occasionaliter, non occasione data, sed accepta, secundum quod dicit Apostolus ad Roman. 8: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*: & alibi: *Ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia.*

Auctor ergo principalis Euangelii, & epistolarum Canonicarum est Rex Assuerus, id est, Christus, cujus auctoritate illa & scripta & missa sunt. Auctores secundarii sunt veredarii, id est, Apostoli. Materia Euangelii sunt doctrina & gesta Christi, ejus Incarnatio, vita, Passio, mors Resurrectio, in cœlum Ascensio. Promittitur in hoc remissio peccatorum, & vita æterna. Materia Epistolarum sunt contemptus mundanæ prosperitatis in Canonicâ Iacobi; sustinentia adversitatis, in Epistolis Petri; amor supernæ & divinæ caritatis, in Canonicâ Ioannis: fuga carnalis voluptatis in Canonica Iudæ: Hæc fere omnia, & plura S. Thomas.

90 Materia Euangelii & Apostolicarum Epistolarū.

Dicamus & nos veteres litteras esse volumen veteris testamenti, quo terrores incutiuntur hominibus, & lex terribilis promulgatur, adjunctis & perstrepentibus tonitruis, vibratis fulminibus: de quo loquitur Apostolus ad Hebræos 12, vers. 18 & sequentib. & ℣. 21: *Et ita terribile erat quod videbatur: Moyses dixit: Exterritus sum & tremebundus.* Illis litteris mors imperabatur & interfectio.

90. Veteres litteræ sunt vetus testamentum, & quare.

Novæ litteræ vel nuntii sunt Euangelium, quod sonat bonum nuntium, quo promittitur gratia & vita æterna, peccatorum remissio & salus. Ioan. primo vers. 17. *Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est.*

90. Novi nuntii sunt Euangelium, &c.

Fidelis Euangeliorum sermo, & omni acceptione dignus, in quibus legitur Iesus Christus venisse peccatores salvos facere.

Mardochæus & Iudæi edictum Assueri animis exultantibus receperunt: nos Euangelium novum regis nostri decretum mente cœlestibus lætitiis exundante amplectamur.

Iustinianus Imperator in suorum Institutorum proœmio §. 2 leges Imperatorias vocat *sacratissimas constitutiones*: deinde §. 3 ait, *legum cupidæ juventus discere prima legum cunabula non ab antiquis fabulis discere, sed ab Imperialis splendore apperere, digni tanto honore, tantâque felicitate reperti, ut & initium illis & finis legum eruditionis a voce Principali procedat.* Rursus §. 7: *Summâ itaque ope*, inquit, *& alacri studio has leges nostras accipite*: &c.

91. Leges Euangelii longè Iustinianæis sacratiores.

Quanto verius & æquius hæc nobis Christianis dicantur, quibus Vnigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit, & sanctiones e cœlo detulit longè Iustinianæis sacratiores: de quibus Apostolus ad Hebræos primo in capite epistolæ. *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis: novissimè, diebus istis locutus est nobis in Filio*, &c.

Est Euangelium codex divinissimus, Pandectæ omnium virtutum exemplis, ubertimo gratiarum cornu refertissimæ, planè cœleste Amaltheum, aurea summi & æterni Imperatoris & Pontificis Bulla, perpetui amoris Nomothesia sive Constitutio. Ibi accipimus Leges, & jura, non à Iove quopiam, non ab aliquâ nymphâ Egeriâ, non ex tripode Apollinis Delphici, aut à Lycurgo, Dracone, Solone; sed ab aulâ & Augustali primæ veritatis, à summo mundi architecto, & restauratore, primo Nomothetâ & Legislatore.

91. Euangeliū Codex, Pandectæ, lex à primo Legislatore lata.

Cùm Ptolomæus Philadelphus Ægypti Rex (auctore Iosepho lib. 12 Antiquit. cap. 2) Septuaginta duos Seniores linguæ Græcanicæ & Hebrææ scientissimos ab Eleazaro Pontifice Iudæorum ad se missos excepisset, & membranas, quæ legem aureis litteris inscriptam continebant, explicatas conspexisset, miratus membranæ subtilitatem, & incredibile artificium, quod visum fugiebat; gratias se illis habere dixit, qui ad se venerint, & majores etiam ei qui miserit, sed longè maximas Deo, cujus Augustam Legem attulerunt, cùmque Seniores omnia fausta Regi acclamassent, præ exuberante lætitia lacrymas non continuit, quòd cœlestia oracula, & Dei edicta intueretur. Cum verò augustissima Numinis effata in linguam Hellanicam transfusa essent, inauditâ perfusus est voluptate, quâ etiam majorem percepit, dum sibi illa prælegerentur, non sine admiratione Legislatoris sapien-

92. Qui vene. ratione Ptolomæus Philadelphus Septuaginta Interpretes & divinam Legem excepit.

sapientiæ : acceptos deinde à Demetrio libros cùm adorasset, summâ diligentiâ asservari jussit, ut incorrupti ad memoriam sempiternam permanerent.

Quo igitur loco nos Christiani cœlestibus Capitolus missum Euangelium, Palladio aut Ancili quolibet venerabilius, sacratius, & salutarius, habebimus? In quo non Trojæ aut Romanæ urbis sed totius religionis Orthodoxæ salus, incolumitas, gloria continetur, cujus umbram quamdam & levem delineationem lex illa vetus solum præferebat? An non omnibus lætitiis incedemus? Deo omnium bonorum largitori gratias referemus? velut aream Testamenti venerabimur? maris rubri unionibus pretiosius munus amplectemur & admirabimur?

91. Homeri Iliadem sub cervicali Alexander nocte habebat.

Ferunt Alexandrum Macedonem subjectis cervicali gladio & Homeri Iliade somnum capere solitum, ut nec noctu nec diu animus ejus à pulcherrimis vatis commentationibus divelleretur.

92. Idem scrinium pretiosissimum Darii Homeri operibus custodiendis deputat.

Addit Plin. lib. 7. cap. 29, quod subjicio. *Alexander Magnus inter spolia Darii Persarum Regis unguentorum scrinio capto* (Nartheciun Strabo vocat) *quod erat auro, gemmisque ac margaritis pretiosum, varios ejus usus amicis demonstrantibus (quando tædebat unguenti bellatorem & militiâ sordidum) imò, Hercule, inquit, librorum Homeri custodiæ detur, ut pretiosissimum humani animi opus quàm maximè digni opere servaretur.*

Militiæ assueti non obdormiscant, nec soporentur, nisi ense vel latus accincti, vel capiti suppositio; delicatuli juvenes non prius somnum oculis videant, nisi unguentis delibuti, rosa suffulti, aut Pœonius graminibus involuti; Euclionis sordidi, & pecuniæ vilia mancipia non prius se cubili committant, nisi numos suos manu palpaverint, digitis attrectaverint: Nos Deo, cœloque consecrati perdii & pernoctes divina sacri Euangelii panoplia cum Virgine integerrimâ Cæcilia pectus munamus; è divino hoc Myrothecio omnibus animi persanandis morbis salubrem Panaceam, & medicinam præsentissimam depromamus, hos indeficientes thesauros, & divitias numquam perituras assiduè manibus versemus.

94. Locus Euangelii ex S. Patribus.

Euangelium, teste S. August. lib 1, de consensu Euangelist. cap. 1. *inter omnes divinas auctoritates, quæ Sanctis litteris continentur, meritò excellit*: unde S. Basil. homil. de diversis locis, nominat illud *oraculorum omnium cœlestium coronidem.* Clem. Romanus Constitut. Apostolic. lib. 1, cap. 5. *Omnium Scripturarum absolutam perfectionem.* Tertullian. lib. de Oratione cap. 1: *expunctorem totius vetùs vetustatis*: quo scilicet comprehenditur omnium antiquorum sacrificiorum, oraculorum, legum, religionis summa, & ut S. Dionys. lib. de Eccles. Hierarchiâ, Θεολογίας συγκεφάλαιωσις, id est, *Theologiæ compendium.*

95. Honor Sanctorum erga Euangelium.

Viri sanctitate quondam illustres Euangelium Christi nedum in corde, sed etiam in manibus gestabant tamquam maximi valoris cimelium, tamquam arma pluſquam Vulcania, tamquam baculum viatorium quo iter ad cœlum ingrederentur. Sic S. Epiphanius, ut refertur in ejus vitâ, etiam medius in fluctibus inter navigandum & ferebat, & legebat sine intermissione Euangelium. Deinde cùm in nave efflaturus spiritum

95 S. Epiphanius illud in navi morituras pectori imponit.

esset, idem pectori suo imposuit tamquam gemmeum aliquod monile.

95. S. Barnabas fertur cum S. Matthæi Euangelio ad pectus.

S. Barnabas memorante Nicephoro lib. 16, cap. 37, non modò, ut aureum bullam S. Matthæi Euangelium ad collum suspenderat sua manu exscriptum, sed etiam cum eodem tumulari voluit tamquam religionis nostræ honorifico epigrammate & sacrosancta tesserâ.

96 Olim non tractabatur Scriptura vel Euangelium nisi mundis lotis à sudaris vel Christiania. auro & gemmis ornabatur, &c.

Novimus Judæos Prophetarum oracula tantâ veneratione dignatos fuisse, ut manibus illotis contingere non auderent, ea osculis exciperent, si quando vel aperirent, vel clauderent, &c.

Eumdem morem prisci illi & aurei sæculi servavere Christiani, quorum nullus manus Euangelio contrectando admovebat nisi ante lotas, ut testatur S. Chrysostom. homil. 7 ad Populum. tantâ verò reverentiâ id prosequebantur, ut thecis auro, argento, margaritis fulgentibus includerent, ut plurima produnt historiarum monimenta.

97. Theodosius Imperat. Euangelia aureis litteris describi jubet.

Scribit Nicephorus lib. 14, cap. 3. Theodosium Iuniorem Imperatorem Euangelia litteris aureis exquisite elaboratis descripsisse, ut ostenderet qua veneratione & pietate illa ampiecteretur.

98. Apostoli Veredarii cœli.

Veredarii fuerunt Apostoli, non Assueri, sed Moderatoris cœli terrarumque cursores & legati, qui ob celeritatem, qua Euangelium per orbem terrarum detulerunt, in sacris Scripturis etiam cœli vocantur Psal. 18, vers. 5. *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Quem locum in sensu Allegorico producit ipse gentium Apostolus ad Roman. 10, vers. 18, pro Apostolorum prædicatione.

Omitto singulorum Apostolorum peregrinationem & profectionem per omnes provincias & regiones totius orbis, saltem illis temporibus cogniti, quas cœlestibus portati quadrigis penetrarunt, peragrarunt, pervolarunt, recensere.

99. S. Paulus totum pene mundum Euangelii prædicatione celerrime implevit.

Solus vir ille admirabilis Paulus stupore animum meum defixum tenet, qui totum penè orbem triumphali suâ prædicatione nobilitavit.

Sic scribit ipse ad Roman. 15, ℣. 19: *se ab Jerusalem per circuitum usque ad Illyricum replevisse Evangelium Christi*, id est, Hebraâ Hypallage, Euangelii annuntiatione replevisse provincias interjectas inter Judæam & Illyricum, quod nunc dicitur Sclavonia. Vide Cornelium à Lapide in illum locum.

Audi S. Chrysostomum homilia 4, de Sanct. Pauli laudibus.

Homo, inquit, *ignobilis* (Paulus) *abjectus & circumforaneus, qui artem exercebat in pellibus, in tantum virtute progressus est, ut vix triginta annorum spatio Romanos & Persas, & Parthos & Medos, & Indos & Scythas & Æthiopes & Sauromatas, & Saracenos, & omne prorsus humanum genus subjugum mitteret veritatis,* Ita ipse.

His gemina de Archiapostolo Petro ejusdem gloriæ æmulo & consorte adferri possunt: de quo hæc paucis memorat gravissimus Pontifex S. Leo sermone primo in eorumdem Natali, ubi sic affatur S. Petrum. *Jam*, inquit, *populos, qui ex circumcisione crediderant, erudieras: jam Antiochenam Ecclesiam, ubi primum Christiani nominis dignitas est orta, fundaveras: Jam Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam atque Bithyniam legibus Euangelicæ prædicationis impleveras; nec aut*

99. S. Petrus magnam etiam orbis partem Euangelii nuntiando peragravit.

dubius

dubius de proventu operis, aut de spatio tuæ ignarus ætatis, trophæum Crucis Christi Romanis arcibus inferebas, quo te divinis præordinationibus anteibant & honor potestatis & gloria passionis. Hæc Romanus Leo.

100. Apostoli Soles.

Hinc SS. Patres Apostolos tum aliis de causis, tum ob pernicissimum prædicationis cursum Soles dixerunt. Certè Sanctissimus ille Areopagi Iudex Dionysius epistolâ 10, S. Ioannem Euangelistam *Solem Euangelii* vocat, ἥλιον εὐαγγελίου, cui etiam attribuit, πανσφαῆ ἀκτῖνα, *omni luce fulgentes radios.*

Apostoli nubes, columbæ, quare.

Euangelicus certè vates Isaias cap. 60, ℣. 8, illos nomine nubium indigetavit atque descripsit. *Qui sunt*, inquit, *isti, qui ut nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas.* Et nubes & columbæ velocitatis symbola sunt. Sic ergo loqui Propheta videtur. Qui sunt isti Heroes, qui non unâ tantùm contenti civitate aut provinciâ, divino raptu, & entheo impetu feruntur atque volant, ut per omnes mundi plagas cœlestis doctrinæ imbrem, & religionis uberrima fluenta dispergant? Non fuerunt Apostoli nubes inanes, fluctuantes, & *omni vento doctrinæ circumlatæ* ad Ephes. 4 ℣. 14, *nubes*, inquam, *sine aquâ*, Iudæ ℣. 12, sed nubes gravidæ, *repletæ*, Ecclesiastæ 11 ℣. 3, quæ Deo dirigente, nunc super hanc, nunc super aliam terram imbrem effuderunt, & lætâ ubertate regiones fecundarunt.

Circumtulerunt hi cœlestes Pegasi, non Iovis, sed summi Monarchæ Interpretes & Oratores Euangelium per omnes quatuor orbis plagas, *ut gratia Christi ad illas pertingere* intelligatur, sicut egregiè S. Augustin. in Psal. 96.

101. Euangelia sunt Christi quadriga.

Sunt Sacrosancta Euangelia currus quadrijugus vel quadriga ætherea, quibus Christus insidens mundum universum suo subjecit suavi jugo & moderatissimo imperio.

101. In quatuor Euangeliis Decalogus continetur.

S. Hieronymus ex hoc quaternione elegantissimo colligit Dei spiritualem harmoniam & ejusdem operum perfectionem. Quatuor enim decem virtute continent: nam unum, duo, tria, quatuor decem conficiunt. *Considerate*, inquit ipse in titulum Psal. 93, *ex hoc, quia quatuor Euangelia in Decalogo computantur, ut quodcumque dicebatur in Decalogo, hoc in quatuor Euangeliis compleatur, ut non dissentiat lex vetus ab Euangelica dignitate.*

Hæc est quadriga triumphalis & currus Cherubicus quo Imperator cœli mundum invectus, de cunctis ejus partibus nobile tropæum ad memoriam sempiternum erexit.

VERSUS XIII, & XIV.

Summaque epistolæ hæc fuit, ut in omnibus terris ac populis, qui regis Assueri subjacebant imperio, notum fieret, paratos esse Iudæos ad capiendam vindictam de hostibus suis.

Egressique sunt veredarii celeres nuntia perferentes, & edictum regis pependit in Susan.

Hebraicè: Exemplar scripturæ erat, ut daretur (poneretur) decretum in qualibet provinciâ, manifestum populis omnibus, ut essent Iudæi parati ad diem illum ad vindicandum se de inimicis suis.

Cursores equitantes equos, mulos velocissimos, egressi sunt accelerantes ad verbum Regis & lex data est in Susan Habbira (palatio.)

Iosephus hoc loco intexit exemplar epistolæ Regis Artaxerxis, quam pro Iudæis ad omnes regni sui provincias misit; quod nos habemus ex Græco conversum cap. 16 infrà, & ibi explicabitur. Post hoc verò recitatum hæc subjicit Iosephus. *Cum his litteris continuo veredarii per omnes vias dimissi sunt.*

COMMENTARIUS.

Rectè dixit. S. Hieron. *Summa Epistolæ hæc fuit*, quia non ponitur exemplar epistolæ, sed tantùm ejus compendium, & summarium eorum quæ in regia epistolâ continebantur.

Meritò verò dicuntur festinasse cursores & veredarii, tum quia regnum Persarum vastissimum erat, tùm quia suis nuntiis, quantum fieri potuit prævenire debebant machinationes & conatus Amanistarum sanguini Iudæorum & bonis inhiantium.

Non sine causâ hìc, anno Artaxerxis 12, n. 51. miratur Salianus, quomodo præmoneantur hostes Iudæorum, fore, ut certo die ab illis interficiantur.

Quærit itaque, quomodo hæc notitia ubique haberi potuerit, etiam omnibus, quorum maximè intererat ista nosse; præsertim cùm edictum regis promulgatum fuerit, & pependerit in Susan. Ea vero cognitio valebat, ut illi impellerentur vel ad facinus antevertendum, vel ad profugiendum ad hostes vel ad seditionem concitandam. Vnde respondet datam fortasse eam notitiam non toti populo, sed Iudæis & judicibus, ad quos ex aulâ, regis nomine scriptum fuerat, cum severâ interminatione pœnæ siquis regis mysterium patefecisset. Quibus autem res divinâ providentiâ innotuit, ea valuit ad eorum salutem, ut territi servandorum corporum curâ, etiam animas æternæ morti eriperent, & se Iudæorum religioni adjungerent, ut hoc capite dicitur; *Magnus enim terror Iudaici nominis eos invaserat.*

Addit tamen postea n. 52, cum Stephano Menochio, nihil obstare, quin dicere possimus; cùm primùm regiæ litteræ in gratiam Iudæorum scriptæ advenere, eorum hostes ubique in vincula fuisse conjectos, ut interim dum statuta dies adveniret; eorum causa à judicibus cognosceretur. Idem asserit Serarius factum in decem filios Amani.

VER-

VERSVS XV.

Mardochæus autem de palatio, & de conspectu regis egrediens, fulgebat vestibus regiis, hyacinthinis videlicet, & aereis, coronam auream portans in capite, & amictus serico pallio atque purpureo. Omnisque civitas exultavit atque lætata est.

Hebraicè: Et Mardochai egressus est à facie regis, in veste regni (regali) hyacinthi & candoris (hyacinthinâ & candidâ) & diademate auri magno (& coronâ aureâ magnâ) & amictu byssi & purpuræ; & civitas Susan exultavit & lætata est.

Iosephus: Mardochæum verò cultu regio, coronàque aureâ & torque ornatum è palatio prodeuntem ut videre Iudæi, felicitatem eam sibi quoque communem interpretati sunt, &c.

COMMENTARIVS.

PErgit sacer historicus describere exaltationem & gloriam Mardochæi, & communem Iudæorum lætitiam, quam tum ex recuperatâ vel brevi recuperandâ publicâ salute, tum ex Mardochæi ejusdem auctoris novâ dignitate hauriebant.

Triplex ornatus Mardochæi.

Porrò honor Mardochæi colligitur ex ornatu vestium & insignium, quæ triplicia hic referuntur.

Prima itaque vestis interior erat stola vel trabea regia, cujus color erat hyacinthinus & aërius: pro quo habet Hebræus & Chaldæus, candidus. Ait Cajetan. hîc nostrum Interpretem colorem hyacinthinum sæpissimè accipere pro eo quem Hebræi dicunt colorem aëris, denominatum à colore quem præ se fert mare, qui sapphiro similis est, & sic idem hîc erit color hyacinthinus & aëreus, qualem scilicet refert aër lumine solis illustratus. Alii distingunt hos duos colores, ut prior hyacinthinus fuerit violaceus, vel purpuræ obscurioris, alius candidus & splendidus, qui lætitiæ symbolum erat, maximè antiquis seculis.

Alter ejusdem cultus vel ornamentum erat corona aurea; addit Hebræus, magna, pro quo reddidit S. Hieronym. portans in capite. Addit Iosephus & torquem aureum, intellige, & gemmatum. Putat verò Sanctius hanc coronam non fuisse solaribus radiis distinctam & fulgentem, quæ erat Regis Persici insigne, sed alio schemate formatam, quæ tamen dignitatem regiæ proximam indicaret.

Tertium decus fuit sericum pallium atque purpureum; Hebraicè & Chaldaicè, amictus byssi & purpuræ. Fuit autem hæc summa vestis.

101. Quid byssus? Quid Sericum?

Disputat hîc Sanctius de materiâ, ex quâ hoc pallium vel amiculum confectum. Si Hebræum בוץ *Bus*, sequimur, è byssо dicemus. Scimus porrò byssum esse tenuissimi, delicatissimi & pretiosissimi lini genus, quod serico comparatur. Putant verò quidam sericum esse lanuginem, quam Seres Indiæ populi arboribus depectunt, & in vestes texunt; undè & Sericum dicitur. Vide Ammian. Marcellin. lib. 23 & Plin. lib. 6, cap. 17; Virgil. lib 2 Georgic. Alii apud Seras nasci autumant erucam vel vermiculum, quem nos Bombycem vocamus, Græci Serem. Ita Pausan. lib. 6. Quidquid sit; nos dicamus vulgo eamdem esse vestem byssinam, bombycinam, sericam, id est mollem, tenuem, splendidam, magnificam.

102. Mardochæus similis terræ frigore constrictæ postea vero repente renovatæ. Item anguis exutâ senectâ nitido.

Confert hîc Sanctius Mardochæum nostrum cum terrâ hiberno frigore constrictâ, pruinâ exustâ, fœdâ & luridâ, quæ cùm acris hiems gratâ vice veris & favonii solvitur, repente nitescit, & novo ridenteque cultu vestitur, & herbescit.

Rursus cum angue, qui cùm longæ sub tempora brumæ, situ sordibusque squalidus in terrâ latuisset, æstate primâ latibulis emergit, & senectâ exutâ efflorescit, renovatur, & splendore suo solem ipsum provocat. Haud aliter Mardochæus, quem spectavimus antea sacco cilicino horridû, veste lacerâ, cinere & pulvere aspersum caput, jam versâ vice in lucem prodit regio cultu decorus, aureo gemmatoque incinctus diademate, versicolore habitu refulgens, amicis acceptus, inimicis formidabilis.

Similitudo à serpente mutuata, pœtis Græcis & Latinis familiaris. Producit hîc Sanctius Papinium 4 Thebaidos, quem ego tibi Lector plenius propino:

Ecce inter medios patriæ ciet agmina gentis
Fulmineus Tydeus, jam lætus & integer ævi,
Vt primum strepuere tubæ: seu lubricus altâ
Anguis humo vernis blanda ad spiramina solis
Erigitur liber senio, & squalentibus annis
Exutus, lætisque minax interviret herbis.

Potuit adjunxisse Statio vetustiorem Poëtam Æneidos 2, qui Pyrrhum cum colubro leberidem seu spolium & membranam suam deponente egregiâ icone depingit, his versibus:

Qualis ubi in lucem coluber mala gramina pastus,
Frigida sub terra tumidum quem bruma tegebat,
Nunc positis novus exuviis, nitidusque juventâ,
Lubrica convolvit sublato pectore terga,
Arduus ad solem, & linguis micat ore trisulcis.

Apta omninò comparatio & ad nostrum institutum non mediocriter faciens: Siquidem aliquoties infrà Mardochæus draconi assimilatur, cap. 10, vers. 7, & cap. 11 ℣. 6.

De serpente juvenescente & vernante hæc argutè Tertullian. lib. de Pallio. *Serpens*, inquit, *quod senium est, convertit corium & ævum. Siquidem ut senium persensit, in angusta se stipat, pariterque specum ingrediens, & cute egrediens, ab ipso statim limine, erasus, exuvias ibidem relictis, novum se explicat; cum squamis & anfractibus recurrentibus.* Hæc magister.

103. Descriptio serpentis juvenescentis ex Tertulliano.

Draco ergo noster Mardochæus vetere posito spolio & pulverulento absterso capite, cilicio abjecto, cùm novis, splendidisque induviis quasi juvenesceret & vernaret, ejus jucundiore

aspectu exhilarantur, & rejuvenescunt etiam Iudæi; quod & hic subditur: *Omnisque civitas exultavit atque lætata est*; quod accipe de Susorum urbe, ut habet Hebræus.

Gaudium Iudæorum Mardochæo evecto.

Quid mirum si gaudente principe tota etiam collætetur familia, quæ ipso lamentante, luctu lacrymisque conficiebatur? Purpureum pronuntiatum est magni regis Proverb. 29, vers. 2. *In multiplicatione justorum lætabitur vulgus: cum impii sumpserint principatum, gemet populus.* Nimium hoc verum est in re nostrâ. Dominante enim impio Amano ingemuere Iudæi, & omnes in Perside ipsorum studiosi: Mardochæo verò principe palatii constituto, & Iudæis passim è latebris suis, quibus ante occultati erant, prodeuntibus, ingentibus omnes incessere lætitiis.

Denique rege Iudæorum genti reconciliato & favente etiam illi qui alieniores & infensiores illi fuerant, conversis animis eosdem benevolentiæ miris signis prosequuntur. Vt Heliotropium ad solem maximè orientem semper se obvertit, & comas suas in gyrum explicat: sic

104. Populus Heliotropium.

Mobile mutatur semper cum principe vulgus.

Digressio;

An principibus & magistratibus conveniat splendido & magnifico cultu, vestituque uti.

105. Ornatus Persicus.

AVgustum planè & regificum fuisse Persarum procerum & Satraparum amictum sacra juxta & profana testatur historia, ut videre licet, tum hic cap. 6 & 8, tum Esdræ lib. 3 c. 3, ubi ℣. 5 & sequentibus, Tres juvenes Darii regis corporis custodes inter se ita colloquuntur: *Dicamus*, inquiunt, *unusquisque nostrum sermonem, qui præcellat, & cujuscumque apparuerit sermo sapientior alterius, dabit illi Rex Darius dona magna, purpurâ cooperiri, & in auro bibere, & super aurum dormire, & currum aureo freno, & cydarim byssinam, & torquem circa collum*, &c.

Xenophon 1 Anabaseos ponit à rege donatum aureum torquem, armillas aureas, aureum item acinacem, equum frenis aureis, vestem Persicam, &c. de quibus videndus Barnabas Brissonius lib. 1, de regio Persarum principatu.

Cetertim viris principibus, magistratibus, populique moderatoribus licere ornatiore, & præclariore veste personam & officium suum honorare constat ex Sacrâ paginâ, in quâ legimus Iosephum, Danielem & alios splendide ornatos: Vide de Iosepho Genes. 41 ℣. 42, de Daniel verò Danielis 5 ℣. 29.

106. Cultus splendidus dignitatem auget.

Compertum namque est, honestatem, munditiam, venustatemque vestitus, si absit nimium & muliebre studium in se comendo, ornandoque, ad dignitatem quamdam, auctoritatemque tuendam comparandamq; non parum momenti adferre, sic ut in lautiore & decentiore indumento culmen emineat majestatis. Huic proposito subscribit Fabius Prologo l. 8, Oratoriarum Institut. *Et cultus*, inquit, *concessus, atque magnificus addit hominibus (ut Græco versu testatum est) auctoritatem. At muliebris & luxuriosus non corpus exornat, sed detegit mentem.*

Existimant autem quidam versum Græcum indicatum a Quintiliano, haberi 6 Odysseæ, ubi Minerva de elegantibus vestibus loquens, ait.

Ἐκ γάρ οἱ τῶνδε φάος ἀνθρώποισιν ἀνέλαμπεν.
Quippe homini ex istis surgit bona fama, decusque.

Proverbium Belgicum est amictum concinniorem virum facere, id est, decus addere.

Paulò etiam antè diximus serpentem vetustâ & squalente leberide spoliatum ad verni luminis amœnitatem reflorescere.

107. Vlysses exutis pannis & magnificè vestitus dignior apparuit.

Vnde & apud Homerum suprà Nausica ostendit magnificentiam indumentorum Vlyssi valuisse ad conciliandam formam & dignitatem, ubi sic loquitur:

Ante videbatur specie turpissimus esse,
Nunc divis similis, cœli quos continet aula.

Nam cum exutis pannis nitidas & egregias vestes assumpsisset Vlysses, protinus alius apparuit.

Possunt itaque qui magistratum gerunt, vel splendore generis eminent, ne à vulgo contemnantur, quod ex specie externâ auctoritatem metitur, cultu splendidiore incedere.

108. Agesilaus contemptus obvilitatem vestitus.

Certè refert Plutarch. in vitâ Agesilai eum cum à rege Ægyptiorum adscitus esset, vocatusque in Ægyptum, ob vestis tenuitatem & vilitatem indigenis contemtui fuisse; & malè de ipso sensissent, nisi postea subjunxisset magnificentiam & dignitatem virtute & prudentia parari oportere.

109. Probatur cultus mediocris, non nimius.

Rectè Tullius lib. 1 Officior. docet *adhibendam esse munditiam non odiosam neque exquisitam nimis, tantum quæ fugiat agrestem & inhumanam negligentiam.*

Assentit Tullio alter eloquentiæ Antistes Fabius lib. 11, cap. 3. Orator. Institut. *Toga*, inquit, *& calceus & capillus tam nimiâ curâ, quàm negligentiâ sunt reprehendenda.*

Subscribit S. Hieron. ad Eustochium de virginitate servandâ: *Nec affectatæ sordes, nec exquisitæ munditiæ conveniunt Christiano.*

Et ad Nepotianum de vitâ Clericorum: *Ornatus, ut sordes pari modo fugiendæ sunt, quia alterum deliciæ, alterum gloriam redolet.*

Seneca etiam Epistolâ quintâ: *Non splendeat toga, nec sordeat quidem.*

Idem fuit consensus omnium veterum tam sacrorum quam profanorum auctorum.

Adde his viros sanctimoniâ vitæ prædicabiles in cultu corporis externo, nec affectasse sordidam vilitatem, nec elegantem munditiam & curiosam.

110. S. Augustin. & Bernard. mediocritatem secuti sunt.

Possidonius in vitâ S. Augustini cap. 22 auctor est sancto illi præsuli vestimenta fuisse nec nitida nimium, nec abjecta plurimum, quia his plerumque vel jactare se insolenter homines solent, vel abjicere.

S. Bernardus dicitur veste quidem satis vili, sed minimè squalenti usus: quia tunica obsoleta sordibus testis desidiæ atque socordiæ est, & ex ejus immunditiâ inanis gloria quæritur.

Itaque ex his omnibus confectarium est, viros aut genere illustres aut potestate & magistratu, rebusque præclare pro republ. gestis conspicuos decere more modoque patriæ vestem magnificam & splendidam. Vnde Andreas Tiraquellus vir non magis Iurisprudentiæ, quàm humanioris litteraturæ peritissimus hoc caput constituit, sub finem tertiæ Legis Connubialis. *Viri negligentius quidem quam muliercula, sed quantum satis erit ad mun-*

111. Decet viros principes non muliebris sed tamen honoratus cultus.

munditiem & dignitatem, ex mere regionis tuendæ, cultui corporis studente.

Quam verò virum dedeceat corporis cultus eximiè nitidus, & venustus; muliebris mundities, mollities & deliciæ, plurimis ibidem ostendit: qua de re etiam consulendus Ieremias Drexelius Trismegisti sui libro tertio, qui est de cultu corporis, & Iustus Lipsius lib. 2, Monitorum & exemplorum Politicorum, cap. 15, ubi demonstrat principibus viris modestiam in cultu convenire, elegantiam aut pompam non convenire.

Finio hoc caput uno alterove exemplo propósito, quo doceo formam abjectam habitumque vilem vulgi animis, majestatis principalis, (quæ à magnitudine animi sive virtute nomen mutuata est) contemptum quemdam ingenerare.

112. Iulianus omni recisâ aulæ pompâ se vulgo reddidit contemptum.

Vndè Socrates Ecclesiast. Historiæ lib. 3, c. 1, loquens de Iuliano Apostatâ, ait *eum aulæ recisâ pompâ vilem & contemni facilem reddidisse principatum; quoniam admiratione opum & potentiæ plebeis animis magnificentiæ externæ aspectus inferatur.*

113. Philopœmen Imperator ex habitu vilore pro servo agnoscitur, & contemptui habetur.

Scribunt Plutarchus, Tzetzes, & alii Philopœmenem ultimum illustrium Græciæ Ducum, cùm esset corpore parum decorus, & cultus ejusdem negligentior, hujus demissionis vel nimiæ modestiæ apud mulierculam quamdam pœnas solvisse. Discesserat Megara, & familiari cuidam suo nuntium præmiserat, affuturum se vesperi illi hospitem & convivam. Gratulatur sibi amicus; &, ut laute tantum virum excipiat, obsonatum ad forum pergit, uxori significans, ut domi interim præparet & coquat, quæ tanto hospite digna erant. Dum illa famigit, & plurimis intenta est, non quidem inexpectatus, opinione tamen citius adest Philopœmen, comitatu ponè ad tempus subsistere jusso. Salutat hospitam: illa vicem rependit, & ex corpore, ejusque habitu suspicata anteambulonem aut designatorem Ducis esse, aut ex ejusdem famulitio; Heus tu, inquit, adhibe operi manum, & adjuva, & ocyus hæc mihi ligna seca. Mox securim porrigit, & manum adhibet sedulò Philopœmen, donec amicus ex foro domum supervenit, & attonitus; Quid rei hoc est, Philopœmen? ita & te, & me ludibrium facis? Ille subridens, *En pœnas,* inquit, *vultus & cultus mei uxori tuæ do.* Non ægrè tulit vir animæ magnæ se pro servulo habitum, sed ultrò etiam jocatus est.

114. Scipio Africanus à virili cultu commendatur.

Contrà cultus principe dignus majestatem illi apud plebem maximè conciliat: unde Livius ita de P. Scipione Africano lib. 28. *Præterquam,* ait, *quòd suapte natura multa majestas inerat, adornabat promissa cæsaries, habitusque corporis, non cultus munditiis, sed virilis ac verè militaris.*

115. Rudolphus Imperator ob vilem habitum à mulierculâ malè excipitur.

Quod Philopœmeni Græciæ Imperatori, idem ferè Rudolpho Cæsari Austriaco Moguntiaci accidit (ut suprà memorat Lipsius) nam vestitu nihil fermè à plebeio differebat. Manè igitur egressus solus (erat aura frigidior) videt in pistoris domo carbones de fornace recentes, ignitosque. Intrat fidenter, adsistit, calefacit; cùm mulier eum adspicit & ex vestitu æstimans, Heus, inquit, mi homo, parum decet vos ad mierculas, & in alienam domum sic venire. Rudolphus: mea mater, ait, miles sum, qui meas res in obsequio & comitatu Imperatoris contrivi: at ille parum benignè me nunc habet, nec pro spe aut meritis muneratur. Mulier ad illud Imperatoris nomen stomachari cœpit, & multa mala in Rudolfum evomere. Quin iste vir est, inquit, qui nos & nostra perdit, pauperum scopulus & exitium. Ille est, qui omnes pistores hujus urbis, lautos satis antea fortunis evertit; nec facile resurgemus. Aliquid ad hæc voluisset etiam Rudolfus; sed illa Xantippe & Amazon vas aquarium in primas accensas jecit, & fumo, vapore, cinere perfusum ejecit.

En, ut apud ignobile vulgus, qui ex vulgati & simili sui habitu rem æstimat, principum majestas jacturam facit.

Excursus Allegoricus;

De ornatu animæ sanctæ, & Dei gratiâ collustratæ.

MArdochæi viri religione in Deum, & pietate in populares suos commemorabilis amictus, ornatusque, quo foris nitebat, fulgebatque coram rege, & palatinis, vestes ejus hyacinthinæ, & aëriæ sive candidæ, pallium ejus sericum atque purpureum, nobis adumbrant incredibilem & planè divinum decorem, magnificentiam, splendorem animæ, cœlestis gratiæ venustate perfusæ, & lumine divinitatis collucentis.

Principiò; sicut Mardochæus ornatum omnem suum dono Assueri obtinuit: ita animæ sanctæ omnem gloriam suam accipiunt à cœlo & Dei benevolentiâ.

Sicut ornatus Mardochæi à benevolentiâ Assueri processit, ita gratia animæ sanctæ à Dei liberalitate & Christi meritis.

Indicatum nobis id fuit symbolicè in sublimi illo Ioannis spectaculo, Apocalyps. cap. 22. v. primo: *Et ostendit mihi* (inquit,) *fluvium aquæ vitæ, splendidum tamquam crystallum, procedentem de sede Dei & Agni.* Nimirum sanctarum animarum cumulatissima & exuberantissima gloria, splendor, & ornatus (quorum tessera & imago quædam est fluvius ille aquæ vitalis, qui instar crystalli refulget) scaturit velut ex fonte à throno Dei & agni, id est à Dei beneficentiâ, & immensis Christi assertoris nostri promeritis, magnoque pretio quod Patri pro nobis oblatus in cruce persolvit. Iam vestes Mardochæi, id est, animæ Dei gratiâ dignatæ explicemus.

116. Hyacinthinus color est violaceus & regius.

Occurrunt primò, hyacinthinæ vel ianthinæ, id est, coloris violacei paululum purpuratscentis, cujusmodi colorem flos hyacinthus, qui etiam ἰὰ id est, viola dicitur, refert, estque color ille pretiosus & regius, ut vel ex hoc loco constat, & ex cap. Ezechiel. 27, ℣. 7.

116. Descriptio floris hyacinthi ex poëtis, & Plinio.

Porrò hyacinthus regius flos describitur à Nasone Transformationum lib. 13, ubi Ajacis, qui ense sibi pectus perfoderat, morientis sanguine hunc florem enatum fabulatur, ut prius ex cruore pueri Hyacinthi disci jactu temerè ab Apolline interempti. Versus sunt hi:

Rubefacta aquæ sanguine tellus
Purpureum viridi genuit de cespite florem,
Qui prius Oebalio fuerat de vulnere natus.
Littera communis mediis puerique, viroque
Inscripta est foliis: hæc nominis, illa querelæ.

Habet hic flos vel viola expressam fibris syllabam αἰ, quę in puero Hyacintho gemitum Apollinis, in Ajace ejus nomen declarat cujus est principium, Græcè est αἴας.

Hyacinthum, ait Plinius lib. 21, cap. 11, *commentatur fabula duplex, luctum præferens ejus, quem Apollo dilexerat, aut ex Ajacis cruore editi, ita discurrentibus venis ut Græcarum litterarum figura Ai legatur inscripta.*

113. Hyacinthus symbolum est virtutis misericordiæ.

Est hic nobilis & regalis flosculus Hieroglyphica nota sive tessera virtutis misericordiæ, quâ sanctorum intima viscera commoventur, dum recolunt miserias aliorum vel corporali vel spirituali calamitate affectorum. *Hi sunt viri misericordiæ*, Ecclesiastici cap. 44 ℣. 10, qui aliorum ærumnis condolent, & ingemiscunt, non Apollineum *Ai* casso affectu ingeminantes, sed plenâ beneficentia miserias inopum sublevantes.

Hi induuntur cum priscæ legis Pontifice tunicâ Hyacinthinâ, de quâ Exodi 28, ℣. 31. Cum adamantino illo viro Iobo 29. ℣. 19, protestantur: *Justitia indutus sum*: id est sanctitate & aggregatione plurium virtutum, quarum agmen ferè ducit misericordia & beneficentia, quam Scriptura divina justitiæ nomine frequenter insignit: de quâ regia veste idem etiam cap. 31, ℣. 18, gloriatur: *Quia ab infantia mea crevit mecum miseratio: & de utero matris meæ egressa est mecum.* Hi magni Apostoli monitis obsequuntur, ad Colossens. 3 ℣. 12. *Induite vos, sicut electi Dei, sancti & dilecti, viscera misericordiæ*, &c.

Hi, inquam, sequuntur sponsum electum ex millibus, cujus manus ita commendantur Canticor. 5, vers. 14: *Manus illius tornatiles, aureæ,*

118. Manus sponsi plenæ hyacinthis. *plenæ hyacinthis.*

Pulchræ profectò & decoræ manus, planè teretes & quasi torno elaboratæ, omnium bonorum operum administræ, maximè animi benefici largitate; aureæ, annulis videlicet aureis, quibus caritas notatur, & propensus in homines amor, ornatæ & collucentes; plenæ hyacinthis, quorum annulorum palas lapilli hyacinthini distinguunt; & illustrant, qui etiam & ipsi indices sunt commiserationis, quæ virtus & socia est, & nutricula liberalitatis, vel mater potius.

119. Hyacinthus gemma munit contra fulmen, & misericordia contra iram Dei.

Ajunt verò gemmam illam gestatam securum reddere à fulmine, ut Rueus lib. de gemmis. Quæ alia virtus est quæ fulgetris divinæ iræ non icitur, aut de cœlo non tangitur, nisi miseratio & beneficentia? de quâ & loquitur in suâ Catholicâ Sanct. Iacobus Ierosolymæ primus Antistes cap. 2, vers. 13: *Judicium*, inquit, *sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam: superexaltat autem misericordia judicium*, id est superat & vincit judicium, & rigorem divini judicii elidit, & se super illud quasi extollit: cui consonat liberalis promissio Christi, Matthæi 5, vers. 7, *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.*

Misericordiam verò splendidissimis & regificis ornamentis in cœlestis Regis palatio circumdari declarat inter alia visum quoddam per soporem S. Ioanni Eleemoni oblatum, quod refertur in ejus vitâ apud Surium cap. 9, Ianuarii 23.

120. Ioanni Eleemosynario apparet Misericordia ut puella speciosissimè ornata.

Mihi, inquit ipse Ioannes, *cum essem 15 annos natus, & versarer in Cypro, quadam nocte puella quædam apparet in somnis eximiâ pulchritudine, & quæ verbis non potest exprimi; erat autem splendidè vestita, & oleaginâ coronâ erat ei caput redimitum. Cum verò prope me stetisset, & manu latus pupugisset, me territum è somno excitat, statimque non amplius somnium, sed revera aderat id, quod apparebat. Rogavi autem eam, quænam esset, & unde veniret, & quomodo ausa esset accedere ad me dormientem. Illa autem subridens & læto vultu me hilariter & placidè intuens: Sum, inquit, prima ex filiabus magni regis. Si tu me tibi amicam paraveris, potero te ei efficere familiarem. Nulli enim major est apud eum, quam mihi fiducia; quoniam ei, ut è cœlo descenderet in terram, & carnem acciperet humanam, ego persuasi. Hæc dixit, & statim recessit.*

Intellexit verò Ioannes illam esse misericordiam, quæ instar speciosissimæ & ornatissimæ Nymphæ illi resulserat, quam postea ita coluit, ut Eleemonis id est, misericordis cognomentum sibi induerit.

Dies me & charta deficiat insignia & præconia hujus Divæ enarrantem. Itaque ad vestes Mardochæi aërias, id est, coloris cœlestis, quem aër sole illustratus refert, sive candulas & splendentes venio.

Fortè color aërius idem est cum hyacinthino: nam S. Hieron. in 16 Ezech. sic scribit: *Hyacinthus aërii & xvanis coloris est, ut rapiatur in occursum Domini & ad cœlestia festinet.* Vide S. Greg. 30, Moral. cap. 10.

Color hic aërius symbolum nobis est mentis cœlo inhærentis, pedibus omnia caduca & fluxa conculcantis, eorum inquam, hieroglyphicum, qui cum Apostolo verè deprædicant ad Philipp. 3, vers. 20. *Nostra autem conversatio in cœlis est*: cum sanctis scilicet spiritibus & Angelicis choris immò cum Deo Angelorum Domino. Græcè pro Conversatio est πολίτευμα q.d. civilis nostra consuetudo est in cœlis, quibus, ut cives, adscripti sumus, vel, municipatus noster sive civitas, in qua ut cives agitamus & vivimus, juxta cujus institutum, leges & Politiam, vitam ducimus non in terrâ, sed in cœlis est. Sanctorum istorum cœli civium & domesticorum Dei actiones, mores, studia, vita opponitur instituto & actionibus civium & habitatorum mundi, de quibus antè præmiserat Apostolus ℣. 18 & 19. *Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimici crucis Christi. Quorum finis interitus, quorum Deus venter est, & gloria in confusione eorum, qui terrena sapiunt*; Verum sancti Apostolo similes, etiamsi quamdiu sunt in corpore, peregrinentur à Domino, 2 ad Corinth. c. 5 ℣. 6, mente tamen fixi in cœlo sunt.

121. Color aërius symbolum est eorum, quorum, juxta Apostolum, conversatio est in cœlis.

Cùm verba illa, quæ exponimus, scribebat ad Philipp. S. Paulus, vinculis astrictus tenebatur, & tamen animo per ampliſſima cœlorum spatia obambulabat. Præclarè Tertullian. lib. ad Martyres cap. 2: *Etsi*, ait, *corpus includitur, etsi caro detinetur, omnia spiritui patent. Vagare spiritus, spatiare spiritus, & non stadia aut porticus longas proponens tibi, sed illam viam, quæ ad Deum ducit. Quoties eam spiritu deambulaveris, toties in carcere non eris: Nihil eius sentit in nervo, cùm animus in cœlo est: totum hominem animus circumfert, & quò velit, transfert.*

121. Corpus etiam vinculis astrictum non impedit hanc conversationem.

Sic, ut alibi Manilius, *Peregrè est animus sine corpore velox.* Tales viri Paulinæ conversationi similes Domino canunt in suis orationibus cum Sirachide Ecclesiastici 51 ℣. 13: *Exaltasti super terram habitationem meam.* In quem locum consule Commentaria mea.

His aërius & cœlestibus vestimentis resulsit S. Benedictus, cujus gesta lib. 2 Dialogorum toto

122. Hujusmodi fuit conversatio

toto descripsit Magnus Gregorius. Hic, quia adhuc in terris vivens mundum despexit, & sublevatus mentis lumine extra mundum fuit; ut habetur cap. 33, *vidit totum mundum velut sub uno solis radio collectum ante oculos suos adduci, qui dum intentam oculorum aciem in hoc splendore lucis infigit, vidit etiam Germani Capuani Episcopi animam in sphærâ igneâ ab Angelis in cœlum ferri. Ita ergo luce visionis intimæ mentis laxatus est sinus, tantumq; in Deum expansus, ut superior existeret mundo*: &c.

121. S. Benedicti, qui mundum ante oculos sub uno solis radio collectum vidit.

Paulò post hoc mirum sibi oblatum spectaculum, inter mortales S. Benedictus esse desiit, cujus gloriam ad cœlum Empyreum evecti duo ejus discipuli hac forma conspexerunt. *Viderunt namque*, ut ibidem legimus, cap. 27, *quia strata pallio atque innumeris cornea lampadibus via recto Orientis tramite ab ejus cella in cœlum usque tendebatur. Cui venerando habitu vir desuper clarus assistens, cujus esset via, quam cernerent, inquisivit. Illi autem se nescire professi sunt. Quibus ipse ait: Hæc est via, qua dilectus Domino cœlum Benedictus ascendit.*

122. S. Benedictus viâ lucidâ & ornatâ in cœlum ascendit, quæ est in cœlesti illius Regulâ conversatio.

S. verò Bernardus cœlestem hanc viam lucidam & splendidam ejus Regulam interpretatur, & in eâ conversationem, quæ viam in cœlum illam observantibus pandit. Vide illum declamatione in illa: *Ecce nos reliquimus omnia.*

Sed pallium sericum vel byssinum Mardochæi etiam placet considerare.

123. Discrimen inter vestem sericam, byssinam, bombycinam.

Ego cum quibusdam viris doctis discrimen pono inter bombycem, sericum & byssum, si propriè & præcisè notionem verborum inhærendum quis censeat: siquidem bombyx est vermiculi, quem bombycem etiam vocamus, subtile stamen vel filamentum excrementitium, ut aranei tela vel trama; sericũ verò ex Indiæ arboribus depexa lana vel lanugo quæ foliis adnascitur, ut Plin. l. 6, c. 17, & alii, vocatur autem sericum à Seribus populis. Sunt tamen qui dicunt sericum confici ex foliis palmæ minoris, decerptis, expurgatis, & in fila tenuissima deductis: byssus autem est genus lini pretiosissimum & tenuissimum, & colligitur è plantâ, ut apud nos linum, ex quâ conficitur tela vel linteum, quod vulgò Cameracense dicitur. Nos, ut etiam antè diximus communi usu loquendi hîc latè & confusè vestem bombycinam, sericam, & byssinam pro eâdem accipimus; & fortè eadem prorsus est bombycina & serica: nam byssinam docti planè putant esse lineam è subtilissimo lino, quod nascebatur juxta Elidem Achaiæ urbem, cujus ponderis pretium cum auro certabat, teste Plinio lib. 19, c. primo.

123. Variæ sententiæ de naturâ byssi.

Vide plura apud Iacobum Bonfrerium partim Genes. 41, vers. 42, partim Exodi 25, vers. 4, ubi docet byssum, cujus frequens in Sacris literis mentio, esse Ægyptiacam, & nihil aliud esse quam gossipium vel Xylon, vulgo Cottoen, vocarique linum Ægypti; quamvis statui possit gossipium species media inter lanam & linum. Vide etiam Cornel. à Lapide in locum Exodi citatum, ubi distinguit byssum à gossipio, & dicit byssum non esse gossipium, sed linum optimum, candidissimum, splendidissimum, tenuissimum:

Verùm non nostrum est tantas componere lites.

123. Byssus symbolum castitatis.

Cæterùm mysticè juxta omnes byssus, quia miro candore nitet, symbolum est integritatis sive castitatis mentis & corporis: quâ qui præditi sunt, ad nuptias Agni cœlestis admittuntur: de quibus dicitur Apocalyps. 19 ℣. 7 & 8: *Venerunt nuptiæ Agni, & uxor ejus præparavit se: Et datum est illi, ut cooperiat se byssino splendenti & candido. Byssinum enim justificationes sunt Sanctorum.* Et Matth. 5 vers. 8. *Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt.*

124. Apud omnes fere gentes sacerdotes utebantur vestibus lineis in mysteriis, & quare.

Vt autem castitatem sacerdotibus & mystis propriam & maximè colendam indicarent veteres; hinc factum est, ut apud omnes, vestes byssinæ vel è lino mundissimo & tenuissimo contextæ sacris ministeriis deputarentur. Sic Plinius lib. 19 cap. 1. Isidis etiam, Osiridisque sacerdotes apud Ægyptios lineis induebantur, ut Plutarch. lib. de Iside & Osiride, & causam adfert, quia *diis immortalibus omnia pura mundaque conveniunt*. Sacerdotes Mosaicæ legis byssinis vel lineis indutos vestimentis constat Exodi 28. Liturgos etiam nostros tam in sacrosanctis Missæ mysteriis, quàm in aliis divinis officiis linteo amictu conspicuos videmus, non tantùm, quia lintea, ut loquitur Philo lib. 2 de Monarchia, *non conficiuntur e mortali materia, sicut vestes laneæ*, & quia munditiæ Deo placet juxta illud Tibulli: *Casta placent superis, pura cum veste venite*: sed, ut admoneantur corpore & mente puritatem & illibatum pudicitiæ florem custodire.

Hæc est vestis nuptialis, id est, candida, festiva & ad hilaritatem composita, de quâ agitur Matth. 22 ℣. 11 & 12: quæ symbolicè nobis insinuatur Ecclesiastæ 9 ℣. 8: *Omni tempore sint vestimenta tua candida.*

Ad lætas & felices nuptias properavit byssinis simul & purpureis vestibus colluceris Virgo, quæ nomen à puritate & castitate invenit beatissima Hague vel Agnes, & in thalamum sponsi sui præparatum incredibili gaudio delibuta introivit.

Commemorat novæ sponsæ gaudia S. Ambrosius Epistolâ 34, ultimæ editionis; quem vide, & simul de eadem Prudentium.

Sed & splendidam & regalem Mardochæi purpuram paululum intueamur, de quâ multa & rara habet Aldrovandus lib. 3, de Testaceis c. 5.

125. Quid Purpura?

Est purpura ex conchyliorum genere, vel concha Turbinatorum ferè nobilissima, cujus fuco vel sanguine tingitur lana, quæ hoc rubeo colore nigricante infecta etiam eodem purpuræ nomine gaudet; ex hac conficiebantur olim trabeæ regum, magistratuum, sacerdotum: & etiam apud profanos, deorum: unde & iidem vestes purpurâ imbutas dus suis offerebant tamquam dona singularia & eximia, & eorum templa tam pretioso apparatu adornabant. Poëtæ etiam pretiosissimum amictum describturi eum ferè semper purpureum faciunt; quin etiam omnia pulchra nominantur purpurea ut, & aurea. Sicut enim aurum inter metalla principatum tenet, ita inter colores murex, ostrum vel purpura.

125. Purpura regalis, pretiosa, pulchra, &c.

Sed, ut dixi, propriè purpura Regum est insigne non minus quàm diadema & sceptrum. Hinc ejus Epithetum apud omnes, Regalis vel regia: & Virgilius:

Nox illum populi fasces, non purpura Regum
Flexit.

Quod adeò verum est, ut veste etiam purpureâ salutis nostræ Assertorem ut scenicum ac fictitium Regem Romani milites ludibrii causâ circumdarent.

Cùm ergo viri sanctitate illustres in regalis dignitatis culmine siti sint, meritò purpurâ decorantur. Hunc autem nobilem pannum plerique meruerunt sanguinis sui pretio, alii plurimis pro religione exhaustis laboribus, omnes autem minus rectis animi affectionibus generosâ & planè Heroicâ virtute edomandis, & hic cœleste ostrum quasi ex murice exprimendo. Vnde & milites olim tam apud Lacedæmonios, quàm Romanos ostro saturatis paludamentis vestiebantur: cujus rationem reddit Eustath. Interpres Homeri, ut notæ sanguinis vulneratorum coloris cognatione tegerentur, & minus alii terrerentur.

125. Cur milites olim purpureis chlamydibus uterentur.

Dico itaque purpuram nostram propriam esse vitiosorum in nobis motuum elisionem, quam scriptores Ascetici Mortificationem indigetarunt. Si tantum itaque fulget conchylis purpura, sive conchæ sanguis expressus; si tantum valoris nacta est, ut fiat regium indumentum, quod exigui pisciculi succo perfusum est: quantum collucebit anima, quàm venerabilis erit, cum sanguine Christi aspersa, de se quoque præclaram victoriam reportarit!

126. Purpura symbolum Mortificationis.

Purpura, ut ajunt, saxi ictu colliditur, ut sanguis ejus exterius emanet. Sic, ut generosus Christi miles & athleta regiâ & cœlesti purpurâ convestiatur, aspero mortificationis saxo est confringendus, id est, quidquid honesto & virtuti repugnat in eo, conterendum. Sic purpurâ dibaphâ, id est, bis tinctâ decoratur anima, suo scilicet & Christi sanguine: de quo S. Ambros. enarratione in Psal. 118: *Sanguis Christi purpura est, qui inficit sanctorum animas non solùm colore resplendens sed etiam potestate, quia Reges facit, quibus regnum donet æternum.*

126. Sancti purpurâ dibaphâ vestiuntur, Sanguinis Christi, & Mortificationis.

Denique V. Beda ad Exodi 26, v. primum agens de veteris tabernaculi cortinis confertis ex byssо retortâ, hyacintho, cocco bis tincto & purpura sic scribit:

Purpura, quia colorem sanguinis ostendit, & vera quoque purpura conchyliorum sanguine tingitur, devota eorum corda designat, qui dicere cum Apostolo possunt: Ego non solùm alligari, sed & mori in Ierusalem paratus sum propter nomen Domini Iesu, & cum propheta David: Quoniam propter te morte afficimur totâ die: æstimati sumus sicut oves occisionis.

Sed è tot purpuratis & coronatis in cœlo sanctis, qui regnum Olympicum pretio mortificationis mercati sunt, Heroem unum & Primipilum adferamus. Sit ille S. Dominicus, cujus sacrum corpus cum ad sepeliendum involveretur, inventum fuit ad lumbos ferreâ catenâ cinctum. Ita de eo refertur lib. 5. vitæ ejus c. 3. *Eo die, quo è vita abiit, duo religiosi Prædicatores pariter iter agebant. Vbi ad hospitium ventum est, unus abiit sacrificium oblaturus, cui alter, Tancredus nomine, commendavit, ut charissimi Patris Dominici Bononiæ ægrotantis memor esset. Posteaquam sub sacrificium ad eum locum venit, quo solet haberi vivorum memoria, subitò extra se rapitur & immotus hæret, videtque manifestâ spiritus visione S. Dominicum coronâ aureâ ornatum, & mirabili splendore radiantem, duobus venerandis viris utrumque latus ejus stipantibus extra Bononiam regiâ viâ progredi; Docuit autem eum Dei spiritus eodem die, eademque horâ Sanctissimum Dominicum è corporis ergastulo sublimem in cœlum abiisse.*

127. S. Dominicus ornatissimus cœlum visus est ingredi.

VERSVS XVI, & XVII.

Iudæis autem nova lux oriri visa est, gaudium, honor, & tripudium.

Apud omnes populos, urbes atque provincias, quocumque regis iussa veniebant, mira exultatio, epulæ atque convivia & festus dies, in tantum ut plures alterius gentis & sectæ eorum religioni & cæremoniis jungerentur. Grandis enim cunctos Iudaici nominis terror invaserat.

Hebraicè: Iudæis fuit lux & lætitia & gaudium, & honor.

Et in omni provinciâ & provinciâ, & in omni civitate & civitate & loco quò verbum regis, & lex ejus attigit, fuit lætitia & gaudium. Iehudæis, convivium & dies bonus (jucundus) & multi è populis terræ Iudaizantes (Iudæos se faciebant) quia cecidit pavor Iudæorum super eos.

Iosephus: Ingens præterea gaudium, quasi novâ salutis luce obortâ, dum per singulas urbes proponuntur regiæ litteræ, Iudæos omnes, quotquot vel oppida vel agros habitarent, occupavit: Ita ut multi aliarum gentium, metu eorum circumcidentes verenda, securitatem sibi hoc pacto quærerent.

COMMENTARIVS.

DEscribit auctor sicer effectum regii edicti missi in omnes suæ ditionis provincias. Siquidem non solùm Susiana civitas incredibilis lætitiæ argumenta prodidit, sed omnes, qui oriundi erant ex gente Iudæorum & per universum Persidis regnum degebant dispersi, novo gaudio fuerunt exhilarati; quod etiam exterius variis signis ostenderunt agitando convivia, festos dies, & choreas.

Licet autem hæc communis exultatio & epularum, festæque lucis celebratio, juxta Latinum, etiam ad Persas, qui vel minus Amano, & ejus generi favebant, vel Iudæorum studiosi erant, referri possit; secundum tamen Hebræum, Chaldæum, & Septuaginta, & Iosephum propriè accipitur de Hebræorum mira exhilaratione, & gaudio. Dicitur enim illud fuisse Iudæis.

Itaque opponuntur hi versus duo, 16, & 17, iis quæ habentur hîc cap. 4, vers. 3, ubi de Iudæis consternatis crudeli regis decreto, quod Amanus

manus extorſerat, dicitur: *In omnibus quoque provinciis, oppidis ac locis, ad quæ crudele regis dogma pervenerat, planctus ingens erat apud Iudæos, jejunium, ululatus & fletus, ſacco & cinere multis proſtrato utentibus.*

Hoc ergo indicare videntur, quæ jam explicamus, verba: Iudæis, qui antè mœroris & afflictionis tenebris quaſi obſiti & ſepulti erant, nova lætitiæ lux & ſplendor exortus eſt, qui omnes triſtitiæ nebulas deterſit jucundiſſimo Reſcripti audito nuntio: In locum inediæ triduanæ diuturna ſucceſſere convivia, planctus tripudiis eſt commutatus, ululatus & fletus dies feſti & geniales ſuſceperunt, ſaccus cilicinus & aſperſus capitibus cinis converſus eſt in veſtimenta candida, præclara, & honorata. Hic primus effectus edicti. Alter effectus fuit ingens pavor & terror, qui Iudæorum hoſtes occupavit, cùm cernerent Amanum palatii principem infami leto interemptum totamque ejus familiam deletam, ſibi quoque magnum malum impendere niſi maturè reſipiſcerent, & ſe Iudæorum religioni aggregarent, quos commendabat & legis ipſorum ſanctitas, ſummum cœli Numen ſingulari curâ & providentiâ gubernabat, Rex ipſe Aſſuerus in ſuum patrocinium ſuſceperat, & ipſorum ſtirpis Primipilum & ducem Mardochæum ad ſummos honores provexerat; denique Eſtheram ejuſdem neptem in tori, regnique conſortem adſciverat, ex quorum nutu omnia propemodum moderabatur.

Timor hic & felix neceſſitas ad meliora illos compulit, & odium in amorem vertit, ita ut multi Perſarum qui falſorum deorum ſuperſtitionibus tenebantur, veritatis luce perfunderentur, fierentque Proſelyti, id eſt Iudæorum religioni, & veri Dei cultui ſe conjungerent, & illorum felicitati congratularentur. Rectè proinde Cajetan. hic: Qui timore, inquit, convertebantur ad Iudæos, erant, qui in numerum hoſtium Iudæorum ſe computandos credebant, aut ſuſpicabantur; undè tempus vindictæ prævenientes eorum religionem profeſſi ſunt. Sic ille.

Cura ergo ſervandi & ſubducendi corpus à morte temporali ſtimulum illis addidit, ut animam quoque æternæ morti eriperent.

Timor ſalutis exordium.

Duo hinc colligit Serarius; Primum: metum eſſe interdum quibuſdam occaſionem ad ſanctiſſimæ religionis initia, ut S. Auguſtin. explicat epiſtolâ 40 & 50, ad Bonifacium. Alterum; in bellis, urbiumque direptionibus meritò parcendum iis, qui Catholicæ religionis myſteriis initiati ſunt.

In bello parcendum Chriſtianis.

Sanctius hîc terrorem Iudaici nominis accipit non pro metu, quo malè ſibi conſcii Perſæ ab Hebræis trucidari pertimeſcebant, ideoque eorum fidem amplexando volebant ſibi gratiam eorum demereri, in quos prius animum hoſtilem oſtenderant; ſed per terrorem more Scripturæ intelligit admirationem, veneration̄em, obſervantiam. Cum enim antea illos captivos vidiſſent, & ærumnoſos, non poterant ſibi perſuadere magnum eſſe Deum aut ſuorum amantem, quem colerent, qui ſuos cultores tam diu, idque impunè ſervire & durè tractari pateretur; cùm Perſæ opibus & potentiâ florerent. At ubi regio decreto exaltato Mardochæo Iudæorum res in meliorem ſtatum adducta ſuit, quod humana ope fieri non poſſe videbatur, tunc venerari, & obſervare cœperunt quos prius contempſerant, & illorum ſerio & ex animo religionem amplecti, quod magno Iudæos cumulavit gaudio, & populum antè deſpectum ſingulari glorià extulit.

128. Timor accipitur pro admiratione.

Sic fere Sanctius, ſed ſententia aliorum omnium Interpretum videtur magis litteralis.

Excurſus moralis ad verſum 16:

Iudæis autem nova lux oriri viſa eſt, gaudium, &c.

Lux ſymbolum ſalutis & lætitiæ.

129. Lucis præconium.

IN confeſſo eſt apud omnes lucem utpote qualitatem pulcherrimam, puriſſimam, ſimpliciſſimam, nobiliſſimam, lætiſſimam, utiliſſimam, efficaciſſimam, fecundiſſimam, velociſſimam, &c. multarum, earumque eximiarum rerum eſſe ſymbolum: quæ in Geneſi mundi primo die à Patre luminum producta fuerit Geneſ. primo v. 3. *Dixitque Deus, fiat lux, & facta eſt lux.*

Cui enim uſui omnia condita fuiſſent, niſi in conſpectum noſtrum venirent; quod fit lucis adminiculo? Dicitur Eſdræ 4, cap. 6, verſ. 40. *De theſauris ſuis protulit lumen luminoſum, quò appareret opus ſuum.*

Admirabilis ergo res lux eſt, quæ omnium rerum pulchritudinem, ornatum, varietatem, diſtinctionem omnium animantium oculis retegit, & omnia ſeipsâ exornat, ſine quâ omnia in tenebris & ſqualore jacerent, & eſſent quaſi non eſſent.

129. Lux Dei ſymbolum, & rerum divinarum.

Nec modò lux nota hieroglyphica eſt rerum formoſiſſimarum, & venuſtiſſimarum, ſed etiam ipſius conditoris & omnium rerum architecti Dei; Ioannis primo: *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum:* & iterum Ioannis 1, cap primo: *Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt ullæ.*

Eadem etiam eſt, quæ ſuis effectis & proprietatibus accommodatiſſima eſt ad cognoſcendas & exprimendas res divinas, cœleſtes & ſupra naturam, ut præclarè & diſertè explicat illud Areopagi decus S. Dionyſ. libro de divinis Nominibus. p. prima c. 4, ubi ſolem vocat *liquidam divinæ bonitatis imaginem.*

130. Quinque lucis proprietates.

Ceterùm ex ipſius lucis idiomatis ſive proprietatibus colligere licet quarum rerum ſit character hieroglyphicus. Quinque autem præcipuæ eæ ponuntur à Phyſicis: ut munditia, quippe, quæ omnia etiam ſordidiſſima permeet, & tamen non inficiatur: altera, ejus efficacia & vis; eſt enim ipſa univerſale inſtrumentum, quo omnis cœleſtium corporum, omniumque ſiderum influxus in hæc ſublunaria defertur: Tertia eſt ejus ſpecies & pulchritudo, ſine quâ nihil ſpecioſum eſt & pulchrum. Quarta eſt ejus in ſui diffuſione, & multiplicatione pernicitas, quippe quæ puncto temporis, quo uſque vis ejus pertingit, omne id ſpatium uſquequaque & quaquaverſus ſuo fulgore illuſtrat, & replet.

Quinta eſt ejus fecunditas, de quâ loquitur ſupra S. Dionyſ. *Ad ipſam*, inquit, *generationem quoque ſenſibilium corporum confert, ipſaq; ad vitam movet, nutrit, auget, perficit, purgat, & renovat.*

Vnde

Vnde apud omnes judex est beneficentiæ, etiam divinæ: testante Christo Domino Matth. 5, vers. 45: *Vt sitis filii Patris vestri, qui in cœlis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos*: &c.

131. Symb. lux divinæ gratiæ. Est etiam signum manifestum spiritualis illustrationis & fidei, gratiæque divinæ, quâ spiritualiter regeneramur. Sic Apostolus scribit 2 ad Corinth. 4, ℣. 6. *Deus*, inquit, *qui dixit* (decrevit, voluit efficaciter, sive jussit) *de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris* (per fidem & gratiam.)

131. Lux nota vitæ, salutis, lætitiæ. Postremò; Illud luci vel maximè proprium, quod Hemisphærium nostrum subiens, & partim crocco, partim roseo & aureo peripetasmate cõvestiens novum quemdam vigorem animantium corporibus inserit, vitalesque spiritus jucundo afflatu reficit ac recreat, ægrisque vel mentè vel corpore plerumque meliorem affectionem affundit; undè & sacrum symbolum est vitæ, salutis, felicitatis, lætitiæ (de quo argumento hîc agimus.) Nihil enim oculis illâ gratius, nihil nobis jucundius, accidere potest: ut nihil tristius, horridiusque noctis tenebris. *Opposita enim*, secundum Philosophos, *juxta se posita magis elucescunt.* Hinc est illud Ecclesiastæ cap. 11 vers. 7, *Dulce lumen, & delectabile est oculis videre solem.* Et Silius Italicus:

O blandum cœli lumen!

Nazianz. Oratione 40, ait, *nihil jucundius, nihil dulcius esse lumine, his, qui gustum illius ceperunt.*

Indicavit hoc senex ille Tobias visu quidem oculorum, quibus lumen amabile cernitur, orbatus, spiritus tamen acie acutissimè videns, cùm Tobiæ cap. 5, Angelo Raphaeli sibi apprecanti omnia felicia faustaque hisce verbis, *Gaudium tibi sit semper:* mox subjecit v. 12. *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video?* Significans lumen quidem gaudium, caliginem verò animis mœrorem ingenerare.

131. Post tenebras spero lucem, quid? Vir ille nec secundâ fortunâ elatus, nec sinistrâ depressus vere dixit Iob cap. 17, ℣. 12. *Post tenebras spero lucem*: licet sermo illi sit, non de luce dici, cui tenebræ succedunt, sed de fulgentissimo beatæ vitæ lumine; cùm quo omnis hujus vitæ splendor si componatur, umbræ, nebulæ, tenebræ meritò censeantur, Sensus enim illius est: Spe in hac calamitatum mearum nocte sustentor, fore, ut post incredibilium æruminarum mearum densissimam & teterrimam caliginem, ipsâmque mortem, circa quam tenebris nigrescunt omnia, succedat felicissima æternæ beatitudinis claritas, & lux perpetua mihi illucescat jam cæcis adversitatis maximæ procellis quassato.

Ratio verò, cur lux argumentum & nota lætitiæ sit, hæc esse videtur: sicut enim expulsis tenebris lucis jubar irradians aves, pecudes, animantia, homines mirâ jucunditate, voluptateque afficit: ita etiam fortuna candida & prospera, rerum omnium ad vitæ hujus commoda affluentia, salus, vita &c. incredibili lætitiâ animos perfundunt, cùm illis frui datur, maximè post graves & fœdas calamitatum, ægritudinumque tempestates.

Psalmo 96, vers. 11: *Lux orta est justo*: quod mox per Epexegesin declarat: *rectis corde lætitia;* quod idem est. Psalmo 111. ℣. 4. *Exortum est in tenebris lumen rectis.*

Porrò adeò verum est lucem symbolum esse lætitiæ, ut divinitus interdum in terram spargatur lux, quæ illam significet & producat. 131. Lux causa lætitiæ.

Exemplum habes Lucæ 2, ℣. 9 & 10: ubi pastoribus vigilantibus in felici nocte novi regis nobilitatâ Natali apparet Angelus; & statim subditur: *Claritas Dei circumfulsit illos*: Et dixit illis mox Angelus: *Ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus in civitate David.* Matth. 2, vers. 9, & 10. Cum Magi vidissent stellam se antecedentem, quæ prius cùm essent Hierosolymis, disparuerat, *gavisi sunt gaudio magno valde.*

Pertinet huc locus Isaiæ 30, 26: *Et erit lux lunæ sicut lux solis, & lux solis erit septempliciter* (intensâ, quanta) *sicut lux septem dierum.* Quæ verba plures intelligunt de lætitiâ Iudæorum redeuntium Ierusalem Babylone, quibus videbatur sol clarius præter solitum fulgere: quâ phrasi notatur exuberans ipsorum gaudium.

Alterum Documentum Morale,

Ex versu decimo septimo,

Timor mali multis causa salutis.

ARgumentum hoc scriptioni nostræ offerunt quæ hic habentur: *Plures alterius gentis & sectæ Iudæorum religioni & ceremoniis jungebantur. Grandis enim cunctos Iudaici nominis terror invaserat.* Timor mortis à Iudæis inferendæ occasio illis fuit eorum religionis amplectendæ.

Dico, occasionem tantùm fuisse, quia si eam eo modo quo oportuit, capessiverunt, necessariò fatendum est, eorum animos divinâ claritate, & gratiâ præveniente fuisse collustratos.

Locum habuit in illis istud S. Augustini, Epistolâ 45, ad Armentarium & Paulinam conjuges, sub finem: *Felix est necessitas, quæ in meliora compellit.* 132. Felix necessitas, quæ in meliora compellit.

Qui sanctitate & eruditione insignis doctor frequenter utitur verbis Patrisfamilias servo suo dicentis in Parabolâ de cœnâ magnâ: *Compelle intrare*, Lucæ 14, vers. 17, ut ostendat hæreticos cogendos ad fidem Orthodoxam recipiendam, quam impiè deseruerunt. Vide illum Epistolâ 48 ad Vincentium, & Epistolâ 50 ad Bonifacium; & lib. 2 contra secundam Gaudentii epistolam cap. 17, & sermone 33 de verbis Domini: ubi inter alia ait, *Cege intrare, inquit Dominus: foris inveniatur necessitas, nascitur intus voluntas.*

Epistolâ autem ad Vincentium sic inter cetera: *Putas*, inquit, *neminem debere cogi ad justitiam, cùm legas patremfamilias dixisse servis: Quoscunque inveneritis cogite intrare? Cum legas etiam ipsum primò Saulum, postea Paulum, ad cognoscendam & tenendam veritatem, magnâ violentiâ Christi cogentis esse compulsum?* S. Gregor. alibi subscribit: *Mala quæ nos hîc premunt, ad Deum ire compellunt.* Vsurpare illi meritò possunt illûd Themistoclæum: *Periêramus, nisi periissemus.*

Abbas Pafnutius apud Cassianum Collatione 3 cap. 4 inter vocationis ad meliora modos

hunc

hunc tertium ponit, qui ex necessitate descendit; *Cum*, inquit, *diversis mundi hujus vel voluptatibus obligati, ingruentibus repente tentationibus quæ vel mortis pericula comminantur, vel amissione bonorum ac proscriptione percutiunt, vel carorum morte compungunt, ad Dominum, quem sequi in rerum prosperitate contempsimus, saltem invitis properare compellimur.* Addit deinde hujus vocationis exempla ex Scripturâ Iudicum 3.

131. Vocantur multi à Deo per tribulationes coacti.

De hujusmodi scribit Psalmodus regius Psalmo 77 ℣. 34. *Cum occideret eos* (occidere Deus minatur, & affligit) *quærebant eum, & revertebantur, & diluculo venichant ad eum* (tempestive, celeriter, diligenter) videndus idem Cassian. c. 5 sequenti, ubi hoc argumentum prosequitur.

S. Bernardus sermone 48, in Cantica. *Multi*, inquit, *cum sentiunt spinam, corrigunt culpam, & talis dicere potest: Conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina:* Psalmo 31.

De illis accipe Oraculum magni Isaiæ cap. 28, ℣. 19: *Tantummodo sola vexatio intelligentiam dabit auditui*: ubi quidam ex Hebræo, pro τὸ vexatio reddunt, *Terror*, sed eodem sensu: q. d. intentata calamitas, & ejusdem metus, aperiet illis aures mentis, ut capiant Dei vaticinia, & minas, ut abdicatis idolis Deum verum colant, eique serviant.

Idem vates cap. 26 ℣. 9: *Cum feceris*, inquit, *judicia tua in terra, justitiam discent habitatores orbis*: Quidam animis & servili sunt indole, qui nisi flagella ingemuerint, non sapiunt, nec ad officium redeunt; de quibus dicitur Ecclesiastici 33: vers. 25. *Cibaria & virga & onus asino: panis & disciplina & opus servo*, & Proverb. 26. 3. *Flagellum equo, & chamus asino, & virga in dorso imprudentium*: & rursum cap. 29, 15. *Virga atque correptio tribuit sapientiam.*

134. Quidam servili ingenio non convertuntur ad Deum nisi flagellati.

Agesilaus, Lacedæmoniorum Rex de quibusdam Asiæ populis dicebat: *Si libertate fruerentur, malos; si servirent, bonos fore.*

134. Dictum Agesilai huc spectans.

Psal. 82, ℣. 17: *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum, Domine*, id est, ita illos confunde, ut ignominiam suam intelligentes, & erubescentes nomen tuum invocent, & te Deum suum requirant, ex inimicis fiant amici, ex servis filii, ut rectè ibi Bellarminus.

Psalmo 15, ℣. 4. *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt.*

Ieremias etiam de Ierusalem querimoniam instituens ita illam inducit, Threnor. primo vers. 13. *De excelso misit ignem in ossibus meis, & erudivit me.*

134. Flagella Dei eruditunt.

Sensus autem videtur esse: Deus de cælo me suo igne id est, afflictione, castigavit, sicut aurum impurum & scoriis permixtum purgatur: misit in me gladium, famem & pestem, flagella sua, ut iis erudita ad officium redirem, & icta resipiscerem.

135. Fabula de Solco repente in meliorem virum gravi casu mutato hoc docet.

Commemorat Plutarchus libro de serâ Numinis vindictâ in fine longissimam fabulam ingeniosè confictam de quodam Solco, qui posteà Thespesius id est, divinus, & admirandus vocatus est; Hic cum omnibus sceleribus se contaminasset, tandem oraculum consulit, num melius reliquam vitam victurus esset: Responsum verò tulit, tum melius eum victurum, cum è vitâ migraret, quod & brevi illi contigit.

Nam paulo post gravi casu collisus, per triduum exanimis jacuit; cumque jam ad sepulcrum efferretur, subitò commotus, ad se reversus est, admirandamque vitæ mutationem instituit. Rogatus porrò quomodo redisset, dixit in casu hoc animam suam è corpore eductam, prorsus aliam esse factam: alia enim omnia vidisse se ac sensisse; proborum felicitatem, sceleratorum supplicia, &c. Hoc itaque casu factum, ut ex terrimo nebulone vir optimus evaserit, ut, justiorem nullum sive in humanis commeretis, sive in divinis operibus sanctiorem se tunc temporis Cilices vidisse referrent. Si vacat, consule Plutarchum Lector.

136. Imitantur Deus medicos qui primum corruptos humores educunt, deinde salubrem dietam præscribunt.

Solet Deus in hoc medicos imitari, qui, ut persanent laborantem morbo, qui ipsis venis insedit, totumque sanguinem, & corpus infecit, prius, quidquid mali & corrupti humoris est potionibus catharticis, phlebotomis, & exsudationibus educunt, ac deinde salubribus medicamentis, & sanguinem dieta restaurant, ac renovant. Ita Deus, cum sceleribus inveteratum & obduratum animum immutare & emollire disponit, plagas ingeminat, flagella multiplicat, mortem, judicium, æterna supplicia comminatur, omnemque hoc modo malum succum & vitiatum sanguinem exsugit, (more vulnerariorum, qui ampullis & cucurbitulis vitreis corruptum cruorem & saniem educunt) deinde vero suavissimo virtutum alimento reficit, & honestatis amore ad sanctiorem vitam traducit, penitusque transmutat & reformat in mores alios.

137. Multi similes herbis, quæ eum calcantur, lætius crescunt.

Herbæ sunt, quæ dum conculcantur, pedibusque premuntur, uberius proveniunt, ut experientia quotidiana docet in nostrâ Camamilla. De croco idem asserit Plinius libro 21, cap. 6, verbis postremis: *Crocum gaudet calcari & atteri, perendoque melius provenit. Ideo juxta semitas ac fontes lætissimum.* Croci indoli plures similes, qui nisi crebris ictibus, malleis, & flagris ab hujus universi Præside Deo atterantur, & fodicentur, ad frugem non veniunt, nec bonos mores docentur.

138. Uva, oleum premitur, triticum triturator, semina in terrâ gelu tegunturi, ignis flatu accenditur. Ita Deo exercentur.

S. Gregor. Nyssenus homilia 15. *Uva*, inquit, *calcibus tunditur, & in vini saporem liquatur: sic oliva contusionibus expressa amurcam suam deserit, & in olei liquorem pinguescit; sic per triturum aræa à paleis grana separantur, & ad horreum purgata veniunt. Ita quisquis hic flagellatur, securus ad Deum venit, quippe cujus rubiginem ignis tribulationum purgavit.*

Idem epistolâ 27. *Sicut semina messium gelu cooperta fertilius germinant; & ignis flatu premitur ut crescat; sic adversitas magis auget desiderium in Deum.*

Præclarè S. Gregorius magnus 6 Moralium: *Ipsa asperitas correctionis erigo sit luminis.*

Sed argumentum hoc quibusdam exemplis condiendum videtur, in quo genere memorabile simul & mirabile est quod in Prato suo spirituali narrat Ioannes Moschus cap. 78, cujus historiæ hic compendium sufficit posuisse.

Iuvenis quidam cum nobilem puellam sepulcro condi vidisset, pretiosis vestibus amictam, victus lucri cupiditate ausus est proximâ nocte tumulum ejus subire, eamque omnibus indumentis spoliare: At illa repente exsurrexit, latronemque impudentem manu prehensum acerrimis verborum primum aculeis infectata est, ad

139. Iuvenis puellam sepultam spectans ab ipsâ redivivâ ad monasterium ire cogitur.

extremum comminata se illum numquam dimissuram, ut ibidem sictore & tabo conficeretur. Cum ille interim incredibili terrore attonitus preces ingemmaret, & numquam se tam immani facinore obstricturum sponderet, hanc sancta virgo illi obtulit conditionem, ita illum relaxaturam, si sancte promitteret se quamprimum religiosum institutum aggressurum. Promisit ille perlibenter, & liberaliter præstitit, & ita celeriter exequutus est, ut à tumulo puellæ recta ad monasterium se contulerit.

Alterum habetur in vitâ S. Bernardi lib. 1, cap. 3. de vocatione Gerardi fratris ejus, secundo loco geniti, ad statum religiosum.

140. Conversio intrepidi Gerardi Fratris S. Bernardi.

Erat Gerardus miles armis, prudentiâ, comitate spectabilis, qui tamen ceteris fratribus Bernardo statim acquiescentibus, & mundo valedicentibus levitatem eam existimans, obstinato animo salubre consilium, & fratris monita repellebat.

Tum Bernardus igne divino succensus, & amore salutis fraternæ inflammatus, *Scio*, inquit, *scio: quia sola vexatio intellectum dabit auditui: digitumque lateri ejus apponens: Veniet, inquit, dies, & cito veniet, cum lancea lateri huic infixa, pervium faciet iter ad cor tuum consilio salutis tuæ, quod aspernaris: & timebis quidem, sed minimè morieris.* (Porro vestigium lanceæ in latere ejus apparuit, quando digitum in loco applicuit vulneris mox futuri) sic dictum, sicque factum est. Pauciſſimis interpositis diebus circumvallatus ab inimicis, captus & vulneratus, juxta Bernardi vaticinium, lanceam gestans in ipso latere, eidemque infixam loco, trahebatur, & mortem quasi jam præsentem metuens clamabat: *Monachus sum, Monachus sum Cisterciensis.* Nihilominus tamen captus est, & conjectus in custodiam. Vocatus est Bernardus per celerem nuntium, & acquievit, ut veniret. *Sciebam*, inquit, *& prædixeram, quòd foret ei durum contra stimulum calcitrare, nec tamen ad mortem ei vulnus hoc, sed ad vitam.* Nam ita factum est; Siquidem de vulnere præter spem citò convaluit; propositum verò seu votum, quod voverat, non mutavit. Narrat deinde quomodo divino prodigio e carcere fuerit liberatus; quæ lector ibidem loci in vitâ S. Bernardi reperiet.

Quomodo fidem Orthodoxam susceperint Burgundiones anno Domini 413 refert Socrates lib. 7 Historiæ Eccles. cap. 30. *Est*, inquit, *gens quædam barbara locum trans Rhenum incolens, quos vulgo Burgundiones vocant. Isti vitam a repub. gerendâ remotam perpetuò agunt. Hunnorum porrò gens crebrò in eorum fines incursionem faciens agros depopulata est, & complures illorum non raro trucidavit. Itaque illi non ad hominem ullum auxilii petendi causa confugiunt, sed Dei alicujus potestati se totos permittere in animum inducunt. Ac cum mente complecterentur, Romanorum Deum illis, qui eum reverentur, firmum afferre præsidium, omnes communi consensu ad credendum in Christum se contulerunt: atque ad civitatem quamdam Galliæ profecti, postulant ab Episcopo, ut Christianorum Baptismo donentur. Is cùm illis septem dies præscripsisset ad jejunandum, eosque in fide erudivisset, octavo die lavacro baptismatis tinxit, & cum pace dimisit. Illi animo fidenti contra tyrannos gradiuntur: nec spes eos fefellit. Quippe Uptaro Hunnorum rege nocte, cum se cibo nimio ingurgitasset, medio disrupto, Burgundiones Hunnos ducę carentes adorti, pauci cum permultis (tria enim millia contra decem impetum faciunt) commisso prælio victoriam consequuntur. Ex illo tempore gens ea religionem Christianam ardenti studio excoluit.* Ita Socrates, & ex eo Cardin. Baronius tomo 5 Annalium sub annum 413.

141. Conversio Burgundionum miranda.

Allegoria capitis ex Hugone de S. Victore.

PRocidit Esther ad pedes Regis, &c. Sic sancta Ecclesia pro liberatione filiorum suorum quotidie Deum precatur. Mardochæus exaltatur & genus ejus, id est, electi evehuntur hìc per gratiam, & in futuro per gloriam: Aman verò punitus est & genus ejus, quia mali quique in præsenti reprobantur per culpam, & in futuro per pœnam plectuntur. Gaudium autem Iudæorum æternam lætitiam designat beatorum. Sic Hugo. Aliam habet Rupertus, quam suprà attuli hoc capite ad ℣. 7.

CAPVT NONVM.

ARGVMENTVM.

Totius Tragœdiæ sive Historiæ nostræ hoc capite continetur Catastrophe. Deo enim scenæ faciem invertente factum est, ut Iudæi die qui ipsorum internecioni erat præstitutus, versâ vice hostes suos tam Susis, quam toto regno dispersos trucidarent, freti potentiâ & armis Satraparum & Iudicum, qui singulis provinciis præerant, & nominis Iudaici reverentiâ tenebantur. Itaque præter quingentos viros in Susan interfectos prima die, & postridie trecentos, occiderunt & decem filios Amani, quos postea cruci affixerunt, Estherâ hoc à Rege postulante, nullius tamen facultates diripuerunt: Aliis verò locis regni Persici interemerunt ex adversariis suis septuaginta quinque millia, nullis prædis ex ipsorum substantia relatis. Ne autem memoria tam inexpectatæ victoriæ & glorioſi triumphi oblivione umquam deleretur, constituit Mardochæus & Esther, ut dies decimus quartus & decimus quintus mensis Adar

ab

ab omnibus Iudæis singulis annis festi, celebres, lætique haberentur, essentque dies epularum & gaudii; eò quòd Deus ipsorum misertus, dies illos, quibus interitus, pernicies & luctus parabatur, in hilaritatem & triumphum eis commutasset. Iudæi etiam ubique terrarum, quæ Mardochæus & Esther fieri decreverant, volentibus animis susceperunt, diemque Sortium in numerum dierum festorum perpetuò celebrandum retulerunt.

TEXTVS.

IGitur duodecimi mensis, quem Adar vocari ante jam diximus, tertiadecima die, quando cunctis Iudæis interfectio parabatur, & hostes eorum inhiabant sanguini, versâ vice Iudæi superiores esse cœperunt, & se de adversariis vindicare. 2 Congregatique sunt per singulas civitates, oppida, & loca, ut extenderent manum contra inimicos & persecutores suos. Nullusque ausus est resistere, eo quod omnes populos magnitudinis eorum formido penetrarat. 3 Nam & provinciarum judices, & duces, & procuratores, omnisque dignitas, quæ singulis locis ac operibus præerat, extollebant Iudæos timore Mardochæi: 4 quem principem esse palatii, & plurimum posse cognoverant: fama quoque nominis ejus crescebat quotidie, & per cunctorum ora volitabat. 5 Itaque percusserunt Iudæi inimicos suos plaga magna, & occiderunt eos, reddentes eis quod sibi paraverant facere: 6 in tantum ut etiam in Susan quingentos viros interficerent, extra decem filios Aman Agagitæ hostis Iudæorum: quorum ista sunt nomina: 7 Pharsandatha, & Delphon, & Esphatha, 8 & Phoratha, & Adalia & Aridatha, 9 & Phermesta, & Arisai, & Aridai, & Iezatha. 10 Quos cum occidissent, prædas de substantiis eorum tangere noluerunt. 11 Statimque numerus eorum, qui occisi erant in Susan, ad regem relatus est. 12 Qui dixit reginæ: In urbe Susan interfecerunt Iudæi quingentos viros, & alios decem filios Aman; quantam putas eos exercere cædem in universis provinciis? Quid ultra postulas, & quid vis ut fieri jubeam? 13 Cui illa respondit: Si regi placet, detur potestas Iudæis, ut sicut fecerunt hodie in Susan, sic & cras faciant, & decem filii Aman in patibulis suspendantur. 14 Præcepitque rex ut ita fieret. Statimque in Susan pependit edictum, & decem filii Aman suspensi sunt, 15 Congregatis Iudæis quartadecima die mensis Adar, interfecti sunt in Susan trecenti viri: nec eorum ab illis direpta substantia est. 16 Sed & per omnes provincias, quæ ditioni regis subjacebant, pro animabus suis steterunt Iudæi, interfectis hostibus ac persecutoribus suis: in tantum ut septuagintaquinque millia occisorum implerentur, & nullus de substantiis eorum quidquam contingeret. 17 Dies autem tertiusdecimus mensis Adar, primus apud omnes interfectionis fuit, & quartadecima die cædere desierunt. Quem constituerunt esse solemnem, ut in eo omni tempore deinceps vacarent epulis, gaudio atque conviviis. 18 At hi qui in urbe Susan cædem exercuerant, tertiodecimo & quartodecimo die ejusdem mensis in cæde versati sunt: quintodecimo autem die percutere desierunt. Et idcirco eundem diem constituerunt sollemnem epularum atquæ lætitiæ. 19 Hi vero Iudæi, qui in oppidis non muratis ac villis morabantur, quartumdecimum diem mensis Adar conviviorum & gaudii decreverunt, ita ut exultent in eo, & mittant sibi mutuo partes epularum & ciborum. 20 Scripsit itaque Mardochæus omnia hæc, & literis comprehensa misit ad Iudæos, qui in omnibus regis provinciis morabantur, tam in vicino positis, quam procul, 21 ut quartamdecimam & quintamdecimam diem mensis Adar pro festis susciperent, & revertente semper anno sollemni celebrarent honore: 22 quia in ipsis diebus se ulti sunt Iudæi de inimicis suis, & luctus atque tristitia in hilaritatem gaudiumque conversa sunt, essentque dies isti epularum atque lætitiæ, & mitterent sibi invicem ciborum partes, & pauperibus munuscula largirentur. 23 Susceperuntque Iudæi in sollemnem ritum cuncta quæ eo tempore facere cœperant, & quæ Mardochæus litteris facienda mandaverat. 24 Aman enim, filius Amadathi stirpis Agag, hostis & adversarius Iudæorum, cogitavit contra eos malum, ut occideret illos, atque deleret: & misit phur, quod nostra lingua vertitur in sortem. 25 Et postea ingressa est Esther ad regem, obsecrans ut conatus ejus, litteris regis irriti fierent: & malum, quod contra Iudæos cogitaverat, reverteretur in caput ejus. Denique & ipsum &

filios ejus affixerunt cruci, 26 atque ex illo tempore dies isti appellari sunt phurim, id est sortium: eò quòd phur, id est sors, in urnam missa fuerit. Et cuncta quæ gesta sunt, epistolæ, id est libri hujus, volumine continentur: 27 quæque sustinuerunt, & quæ deinceps immutata sunt, susceperunt Iudæi super se & semen suum, & super cunctos qui religioni eorum voluerunt copulari, ut nulli liceat duos hos dies absq; sollemnitate transigere: quos scriptura testatur, & certa expetunt tempora, annis sibi jugiter succedentibus. 28 Isti sunt dies, quos nulla umquam delebit oblivio: & per singulas generationes cunctæ in toto orbe provinciæ celebrabunt: nec est ulla civitas, in qua dies phurim, id est sortium, non observentur à Iudæis, & ab eorum progenie, quæ his ceremoniis obligata est. 29 Scripseruntque Esther Regina filia Abihail & Mardochæus Iudæus, etiam secundam epistolam, ut omni studio dies ista sollemnis sanciretur in posterum. 30 & miserunt ad omnes Iudæos, qui in centum viginti septem provinciis regis Assueri versabantur, ut haberent pacem, & susciperent veritatem, 31 observantes Dies sortium, & suo tempore cum gaudio celebrarent: sicut constituerant Mardochæus & Esther, & illi observanda susceperunt à se & à semine suo, jejunia & clamores, & Sortium dies, 32 & omnia, quæ libri hujus, qui vocatur Esther, historia continentur.

VERSVS I, II, III, & IV.

Igitur duodecimi mensis, quem Adar vocari ante jam diximus, tertiadecimâ die, quando cunctis Iudæis interfectio parabatur, & hostes eorum inhiabant sanguini, versâ vice Iudæi superiores esse cœperunt, & se de adversariis vindicare.

Congregatique sunt per singulas civitates, oppida, & loca, ut extenderent manum contra inimicos & persecutores suos. Nullusque ausus est resistere, eò quòd omnes populos magnitudinis eorum formido penetrarat.

Nam & provinciarum judices, & duces, & procuratores, omnisque dignitas, quæ singulis locis ac operibus præerat, extollebant Iudæos timore Mardochei.

Quem principem esse palatii, & plurimum posse cognoverant: fama quoque nominis ejus crescebat quotidie, & per cunctorum ora volitabat.

Hebraicè: Et in duodecimo mense (ipse mensis Adar) in tertiadecimâ die ejus quâ pertigit verbum regis & decretum ejus, ut fieret, in die quâ sperabant inimici Iudæorum exercere tyrannidem in eos, & oppositum fuit hoc; dominati sunt Iudæi odio habentibus se.

Congregaverunt se Iehudæi in civitatibus suis, in omnibus provinciis regis Achasueros ad mittendum manum in quærentes malum eorum: & nullus stetit ante eos, quia cecidit pavor eorum super omnes populos.

Et omnes principes provinciarum & Satrapæ & duces & facientes opus quod erat regis, extollebant Iehudæos, quia cecidit pavor Mardochai super eos.

Nam magnus Mardochai in domo regis, & fama ejus ibat per omnes provincias, quia vir Mardochai vadens & magnus evadens (id est, proficiebat & crescebat.)

Iosephus: Ad decimam tertiam diem mensis duodecimi, qui Hebræis Adar, Macedonibus Dystrus dicitur, perlatæ regiæ litteræ animabant Iudæos, ut quâ die ipsis imminebat exitium, eâ in inimicos impunè sævirent. Quo factum est, ut procuratores, magistratus, Satrapæ, tyranni, reges in pretio Iudæos haberent, omnibus modestiam indente metu ex Mardochæo.

COMMENTARIVS.

His versibus tria consideranda se offerunt lectori.

Primum: Mutatio dexteræ Excelsi Psal. 76, vers. 11: quo favente & annuente populi precibus, jejuniis, suspiriis, voluntariis castigationibus, factum est ut qui certum exitium ab hostibus suis inferendum, trepidaret, & diem internecioni suæ destinatum tamquam saxum Sisyphi sibi impendens formidaret, jam excusso metu in spem erigerentur, & gladios in hostes suos exacueret, mortemque, quam sibi paravetant, in eosdem, eodem decretorio & fatali die converteret. Sic Iudæorum luctus in gaudium, tenebræ in lucem, tempestas in serenitatem, afflictio in victoriam commutata.

Alterum: Nec prætereunda repentina & vehemens eorum, qui in Iudæos eorumque necem, & bonorum direptionem conspiraverant, consternatio, & timor panicus, à Deo Hebrææ gentis Sotere, immissus, quo ita attoniti & stupefacti fuerunt, ut ne gladium quidem in illos stringere auderent, aut contra se invadentes hiscere,

ſcere, metu ipſorum manus quaſi conſtringente & vocem intercludente.

Tertium: Advertere etiam eſt principum, ſatraparum & judicum regiorum in ſingulis provinciis & urbibus à rege conſtitutorum admirabilem obſervantiam & reverentiam erga Iudæos, præcipuè autem Mardochæum, quem primum in palatio agnoverant, & omnia apud Aſſuerum poſſe videbant. Timor hic cauſa fuit, ut prompte exequerentur quod rex illis mandaverat in ſuo Reſcripto cap. 16, verſ. 19 & 20, ubi dicitur: *Hoc autem edictum, quod nunc mittimus, in cunctis urbibus proponatur, ut liceat Iudæis uti legibus ſuis. Quibus debetis eſſe adminiculo, ut eos qui ſe ad necem eorum paraverant, poſſint interficere tertiadecimâ die menſis duodecimi, qui vocatur Adar.* Igitur Iudices & Magiſtratus partim ſeveritate edicti, partim honore Mardochæi tamquam duplici ſtimulo adacti quidlibet Iudæis permittebant.

Verba textus conferamus Hebræi cum Latino. Hebræa ℣. 1, die quâ pervenit verbum Regis & decretum ut fieret ſcilicet interfectio; reddidit ſic Latinus & optimè: *quando cunctis Iudæis interfectio parabatur.*

Similiter & illa: in die, quâ ſperabant hoſtes Iudæorum prævalere illis, vel exercere in eos tyrannidem, tranſtulit Latinus: *Et hoſtes eorum inhiabant ſanguini.*

Rurſus: & oppoſitum vel converſum eſt ipſum, reddidit Latinus, *verſâ vice*; ubi rectè advertit Mariana וְ *Et*, in Hebræo redundare. Item, prævaluerunt vel dominati ſunt Iudæi odio habentibus ſe; habent Latina: *Iudæi ſuperiores eſſe cœperunt*; & addiderunt perſpicuitatis causâ: *& ſe de adverſariis vindicare.*

Verſ. 2 ubi Hebræa habent nullus ſtetit ante eos, non malè vertit S. Hieronymus; nullus auſus eſt reſiſtere.

Porrò quod verſ. 3 Latinus habet: *Et omnis dignitas, quæ ſingulis locis ac operibus præerat*; in Hebræo ſolùm eſt, facientes opus quod regis eſt, ſive regiis operibus præfecti, qui etiam, ut ait Mariana, regiis præficiebantur theſauris.

Poſtremò verſum quartum Sanct. Hieronym. extulit phraſi Latinis propriâ, relictâ eâ, quæ erat Hebræorum, ut Lectori facilè patebit.

Digreſſio, ſuper illis verbis: v. 2.

Nullus auſus eſt reſiſtere Iudæis, eò quòd omnes populos magnitudinis eorum formido penetraverat.

Quomodo Deus frequenter populi ſui hoſtes timore ingenti perculerit, ita ut reſiſtere in prœlio non potuerint.

LInguæ Latinæ auctores & parentes ex Græcarum fabularum fontibus ſua derivantes terrorem panicum cum adjecto, vel ſimpliciter Panicum dixerunt repentinam conſternationem, vel inane terriculamentum, quo militares maximè copiæ nullâ interdum ex cauſa quaſi lymphatæ fugiunt & propè exanimantur. Ajunt ſic nominatum à Pane Deo Arcadiæ, qui in pugnâ gigantum contra Iovem, hunc pavorem & conſternationem in hoſtes immiſerit.

1. Panicus terror dictus à Pane, & quid ſit.

Sed paulò copioſius & clarius de hoc metu agit Polyænus lib. primo Stratagematum, his verbis: *Bacchi*, inquit, *exercitus ductor fuit Pan. Is primum invenit ordines in acie, phalangem nominavit, cornu inſtituit dextrum & ſiniſtrum. Hac de cauſa corniferum Pana fingunt. Sed & primus etiam hic metum hoſtibus per ſolertiam & artem immiſit. Cum enim Baccho in concavo ſaltu nuntiaſſent ſpeculatores infinitas hoſtium copias in ulteriori parte caſtrametari, metus Bacchum inceſſit; non item Pana; verum noctu Bacchico exercitui ſignum dedit, ut maximum & inconditum clamorem tolleret. His verò clamantibus petræ ſonum exceptum referebant, & cavitas ſaltus longè majorum copiarum fremitum hoſtibus reddebat. Quare metu perculſi, ſe in fugam dederunt. Cum igitur Pan hoc ſtratagema uſurparit, Echo gratam & amicam Pani eſſe fingimus, & vanos, nocturnoſque terrores exercituum panicos appellamus.* Hæc Polyænus.

2. Ingenioſum Stratagema Panos, vel fabulâ potius.

Plura de Panico terrore invenies Lector apud Angelum Politianum eruditione politiſſimum lib. 1, Obſervationum & Emendationum c. 28.

Exemplum hujus Panici producit Curtius l. 4, c. 28, his verbis.

3. Exemplum Panici ex Curtio.

Alexandri, inquit, *exercitum pavor, cujus cauſa non ſuberat* (vera ſcilicet & juſta) *invaſit: quippe lymphati trepidare cœperunt, omnium pectora occulto metu percurrente. Cœli fulgor tempore æſtivo ardenti ſimilis internitens, ignis præbuit ſpeciem, flammaſque ex Darii caſtris ſplendore, velut latis tenderent præſidiis, credebant. Quod ſi perculſis Mazæus, qui præſidebat itineri ſupervenisſet, ingens clades accipi potuit. Nunc, dum ille ſegnis in eo, quem occupaverat, tumulo ſedet, contentus non laceſſi, Alexander cognito pavore exercitus, ſignum ut conſiſterent, dari, ante ipſos arma deponere, ac levare corpora jubet, admonens nullam ſubiti cauſam eſſe terroris, hoſtem procul ſtare. Tandem compotes ſui, pariter arma & animos recepere: Nec quidquam ex præſentibus tutius viſum eſt, quam in eodem loco caſtra munire.*

3. Idem ex Polyæno.

Polyænus eamdem hiſtoriam ſic breviter recenſet, libro 4 Stratagematum. *Alexander*, inquit, *ad fluvium Tigrim prævertere Darium feſtinabat. Panicum ab extrema acie pervaſit univerſum exercitum. Rex mandavit tubicini, ut ſecuritatis ſignum promulgaret, & anteſignanis militibus ut ante pedes arma projicerent, atque idem ſequentibus ſe dicerent. Sic omnes ex ordine hoc facientes cauſam terroris cognoverunt. Cum panicum ceſſaſſet, milites ſublatis armis proceſſerunt.*

4. An metus hic incuſſus Perſis fuerit Panicus.

Formido & terror, quem Deus tum aliàs populi ſibi peculiariter devoti hoſtibus, tum hic Perſis immiſit, panicus dici poteſt, ſi gravem, vehementem & inexpectatum accipimus, ſi vero inanem & cujus cauſa non ſuberat, intelligimus, metus hic Panicum vocari non debet, quia, ut Logici loquuntur, obſtat Connotatum; quia Panicum appellamus vanum terriculamentum.

4 Metus hic immiſſus à magno Pane, id eſt Deo.

Quidquid tandem ſit de notatione vocabuli, aſſero hunc terrorem incuſſum fuiſſe divinitus à Magno Pane (ſic dæmones Chriſtum Deum conclamarunt, teſte Euſebio de Præparation. Euangel. lib. 5, cap. 9, cum ipſo in cruce ſpiritum emittente eorum vox à navigantibus mare audita eſt, *Magnus Pan mortuus eſt*) ab eò, inquam, qui Eccleſiaſtici cap. 43, verſ. 29, dicitur in Græco οὗτός ἐστι τὰ πάντα, *ipſe eſt omne vel univerſum*; ubi Latinus legit, *ipſe eſt in omnibus.*

5. Pan Natura Genius.

Et quidem veteres è gentibus sapientes Panem Arcadiæ Deum finxerunt & pinxerunt ut naturæ Genium; & Arcades eum nominarunt universæ materiæ Dominum. Consulat Lector Commentarii nostrum in locum Ecclesiastici productum.

Hujusmodi porro terrorem & trepidationem Deum interdum injecisse Iudaici nominis hostibus, passim expresserunt sancta Oracula.

6. Terror Dei immissus Chananæos.

Genes. 35, vers. 5, dicitur de familiâ Iacobi Patriarchæ fugiente ex Sichem: *Cumque profecti essent, terror Dei invasit omnes per circuitum civitates, & non sunt ausi persequi recedentes.* Invasit sacer hic & divinus timor Chananæos, quo ita tenebantur quasi constricti, ne Israelem insequerentur, & de Sichumitarum cæde a filiis ejus facta vindictam sumerent.

6. Mittuntur crabrones à Deo in Chananæos non solum terrores.

Exodi 23, ℣. 27 & 28: loquens Deus Israelitis profecturis in Chanaatidem sic ait: *Terrorem meum mittam in præcursum tuum, & occidam omnem populum ad quem ingredieris, cunctorumque inimicorum tuorum coram te terga vertam: emittens crabrones prius, qui fugabunt Hevæum, & Chananæum, & Hethæum, antequam introeas.*

Ita verò accidisse testatur Rahab, Iosue 2, vers. 9, loquens cum exploratoribus Chanaatidis: *Etenim*, ait, *irruit in nos terror vester, & elanguerunt omnes habitatores Terræ.* Vide ibidem vers. 11.

Porrò licet Augustin. in locum suprà in quæstionibus super Exodum, & alii quidam crabrones metaphorice accipiant pro aculeis & stimulis acerrimæ formidinis; non dubitandum tamen videtur tum ex hoc, tum ex aliis Scripturæ locis, fuisse veros crabrones vel aculeatas muscas in Chananæos immissas, quæ eos vel regionibus suis ejicerent, vel etiam venenatis suis morsibus enecarent. De illis etiam habes Deuteron. 7, ℣. 20, Iosue 24, ℣. 12. Vocantur illi Sapientiæ 12, vers. 8, vespæ, quæ sunt affines crabronibus.

6. Malitia vesparum & crabronum.

Prodidit vero Ælianus historiæ Animalium lib. 5, cap. 17, tantam esse vesparum aculeatarum malitiam, ut cùm viperam necatam viderint, advolantes ejus veneno aculeum suum inficiant, quo letiferam punctionem infigant.

7. Culices Saporis Regis Persarum fugant exercitum.

Ceterum integros etiam exercitus ad hujusmodi insectis fundi fugarique illud verisimillimum facit, quod scribit Theodoret. lib. 2. Historiæ Ecclesiast. cap. 30, de Saporis regis Persarum copiis civitatem Nisibin obsidentibus, in quas exoratus Deus S. Iacobi illius civitatis Episcopi orationibus, immisit examina cinyphum, & culicum, quorum punctionibus jumenta & homines fugam arripere coacti.

8. Promittit Deus se terrorem mittturum in hostes Israelis.

Deuteron. 2, vers. 25. hæc habentur, quæ maximè proposito nostro favent: *Hodie*, inquit Dominus, *incipiam mittere terrorem atque formidinem tuam in populos qui habitant sub omni cœlo* (ad quos fama pervenerit, ut sequitur) *ut audito nomine tuo paveant, & in morem parturientium contremiscant, & dolore teneantur.*

Rursus ibidem cap. 11, ℣. 25. dicit Moyses Israeli; *Nullus stabit contra vos: terrorem vestrum & formidinem dabit Dominus Deus vester super omnem terram, quam calcaturi estis, sicut locutus est vobis.*

Ut Exemplum hujus rei ex Scriptura.

2 Paralipom. cap. 20, vers. 22 & sequentibus legimus Moabitas, Ammonitas, Idumæos, qui contra Iosaphatum Regem Iuda prœliatum venerant, cùm cœpissent cantores Domini consonâ voce Deum laudare, in semetipsos versos fuisse, & mutuis concidisse vulnetibus: *quo & factum fuit*, ut ibidem dicitur, vers. 29, *ut irrueret pavor Domini super universa regna terrarum, cum audissent quod pugnasset Dominus contra inimicos Israel.*

9. Aliud miraculum.

Referri huc potest, quod habet liber primus Regum cap. 14, de Ionathâ & armigero ejus ascendentibus ad stationem Philisthinorum, qui ante ipsum Ionathan cadebant, alios verò armiger ejus interficiebat; ubi etiam dicitur accidisse quasi miraculum à Deo ℣. 15.

9. Terror panicus immissus exercitui Regis Syriæ.

Iterum 4 Regum 7, cùm Benadad Rex Syriæ, copiis suis Samariam obsedisset, & fames civitatem maxima premeret; *fecit Dominus sonitum audiri in castris Syriæ, currum & equorum & exercitu plurimi, dixeruntque ad invicem. Ecce mercede conduxit adversum nos Rex Israel reges Hethæorum & Ægyptiorum, & venerunt super nos. Surrexerunt ergo & fugerunt in tenebris, & dereliquerunt tentoria sua, & equos & asinos in castris, fugeruntque, animas tantùm suas salvare cupientes.* Hæc ibi ℣. 6, 7, 8.

Hoc stratagemate Deus sui populi hostes perterruit & in fugam convertit.

Nec absimile narratur 2 Paralip. c. 14, quomodo Dominus attonuerit immensum exercitum Zaræ regis Æthiopum coram copiis Asa regis Iuda longè inferioribus.

Porrò divinis prodigiis fortè non ingratum fuerit Lectori ludibrium aliquod & terriculamentum intexuisse ex Romanâ petitum Historiâ.

Scribunt Plutarchus in Fabio, & Sextus Iulius Frontinus lib 1 Stratagematum cap. 5, extremo, quod hujus verbis refero. *Annibal, ut iniquitatem locorum & inopiam instante Fabio Maximo effugeret, nocte boves, quibus ad cornua fasciculos alligaverat sarmentorum subjecto igne, dimisit, cumque ipso metu adolescente flammâ turbaretur pecus, magnâ discursatione montes, in quos actum erat, collustravit: Romani, qui ad speculandum concurrerant, primò prodigium opinati sunt, deinde cum certa Fabio nuntiassent, ille de insidiarum metu suos castris continuit, barbaris obsistente nullo profecti sunt.*

10. Quo stratagemate Annibal Romanis illuserit.

Hoc spectro formidinem Romanis injecit & sibi interim consuluit.

Ibidem refert Darium, ut falleret Scythas discessu, canes atque asinos in castris reliquisse, quos cum latrantes, rudentesque hostis audiret, remanere Darium credidit.

11. Item Darius Scythis.

Sed hæc propriè pertinent ad militaria stratagemata; sic enim veteres solertiæ & artis, ingeniique plena ducum facta vocaverunt.

Multa ex Ecclesiasticâ historiâ memorabilia adferri possint, sed mihi hic unum commemorasse sufficiet.

Scribunt Guilielm. Tyrius de bello sacro, lib. 6, cap. 14 & 22, & Æmilius lib. 4, quod subjicio.

11. Christiani Latini primatâ lancea Christi barbaros percultos magno miraculo fugarunt.

Christiani Latini cum Corbana Persarum principe collatis signis ante Syriæ Metropolin Antiochiam, lanceâ sanctâ, quâ Christi latus punctum fuit, ibidem inventâ & vexilli loco prælatâ, plusquam centum millia hostium cecidere, suorum tantum quatuor millibus ducentis desideratis Baldericus Dolensium Pontifex æqualis temporum illorum, comperisse se scribit, ex his qui prœlio

prælio interfuerunt, oblatam hostibus speciem Procerum trium humanâ specie augustiorum, qui albentibus equis insidentes ingens agmen pari cultu corporis, habituque oris ex editissimis locis in hostes ducerent: hos non ab omnibus, sed à quibusdam nostrorum visos, creditosque fuisse martyres inclytos Georgium, Demetrium, Mercurium: nec deinde barbaris animus, mentve aut consilium suppetebat, sed apud eos omnia formidine, fugâque continuo plena fuere. Hæc illi. Accidit victoria hæc anno Christi 1098 Iunii 28.

Prædicitur ab Isaia terror Persicus Babyloniorum adveniente Cyro Perſa.

Hujusmodi pavorem & trepidationem graphicè describit fore Babyloniorum adveniente Cyro cum exercitu Medorum & Persarum Isaias cap. 13, vers. 4: *Vox multitudinis in montibus quasi populorum frequentium, vox sonitus regum, gentium congregatarum*, &c. q. d. Propheta: Videor mihi mente præsagâ præcipere & videre turbam, tumultum advenientium Persarum & Medorum moventium contra Babylonem. Armorum, scutorumque splendor oculis meis irradiat: & tubarum sonitus, & clamor militum, lituorumque clangor auribus meis intonat. Paulò verò post subjicit v. 7 & 8. *Propter hoc omnes manus dissolventur, & omne cor hominis contabescet, & conteretur. Torsiones & dolores tenebunt: quasi parturiens dolebunt: unusquisque ad proximum suum stupebit, facies combustæ vultus eorum*: q. d. Deus Babylonis Cyro Persâ adventante tantum terrorem, stuporem quasi panicum, & trepidationem immittet, ut manus eorum quasi luxatis nervis contremiscant & languescant, ita ut arma tenere non valeant, multo minus illa vibrare, ut mens ratione & consilio destituta quasi lapidescat & constringatur: ita ut attonitis & stupefactis similes se mutuò aspiciant elingues & exsangues, & vultus eorum planè sint luridi, tetri, nigri, quasi fuligine ex incendio contractâ obducti.

Typicè verò depingitur hîc terribilis species extremi judicii; quo instante homines dissolventur metu, contabescent angore, exarescent timore & expectatione futurorum. Vide Interpretes in locum Isaiæ productum.

VERSVS V, VI, VII, VIII, IX, X & XI.

Itaque percusserunt Iudei inimicos suos plagâ magnâ, & occiderunt eos, reddentes eis, quod sibi paraverant facere.

In tantum ut etiam in Susan quingentos viros interficerent, extra decem filios Aman Agagitæ hostis Iudæorum: quorum ista sunt nomina:

Pharsandatha, & Delphon & Esphatha,
Et Phoratha, & Adalia, & Aridatha,
Et Phermesta, & Arisai, & Aridai, & Iezatha.

Quos cum occidissent, prædas de substantiis eorum tangere noluerunt.

Statimque numerus eorum, qui occisi erant in Susan, ad regem relatus est.

Hebraice: Et percusserunt Iehudæi in omnes inimicos suos plaga gladii & occisionis & perditionis: & fecerunt contra odio habentes se secundum voluntatem suam.

Et in Susan metropoli occiderunt Iudæi & perdiderunt quingentos viros, & Parsandatha & Delphon, &c. decem filios Aman filii Hamedatha hostis Iudæorum occiderunt, & in prædam non miserunt manum suam. In die ipsa venit numerus occisorum in Susan Habbirah coram rege.

Brevissimè hæc Iosephus: post divulgatas enim ubique regias litteras, etiam apud Susa interfecerunt Iudæi ex inimicis suis circiter quingentos homines.

COMMENTARIVS.

QVatuor his versibus perstringuntur.

Primum, quomodo Iudæi justam vindictam patraverint in suos adversarios. Iustam autem fuisse supra multis demonstravimus. Subsidio autem in tantâ cæde faciendâ illis fuerunt magistratus & judices provinciarum & urbium. Vt autem facilius & felicius in sanguinem hostium suorum grassarentur, in unum vires & arma contulerunt, impediebanturque inimici terrore Mardochæi ne resistere auderent cædentibus.

Non tamen existimandum est promiscuè in omnes Persas sævitum, qui minus Iudæis favebant; sed tantummodo in eos, qui arma, & ticas suas paraverant, ut Iudæos jugularent, eorumque cruori inhiabant, ut satis constat ex cap. 16. v. 20, ubi edicit Rex & præcipit judicibus & magistratibus suis, *Iudæis*, inquit, *debetis esse adminiculo ut eos, qui se ad necem ipsorum paraverant, possint interficere.*

Alterum, quomodo primo die inchoatæ cædis Susis interfecti fuerint ferro Iudaico quingenti viri præter decem filios Amans, qui ibidem numerantur, ordine tamen diverso à textu primigenio Hebræo, ut Lector facilè colliget.

Tertium, quòd ex facultatibus à se occisorum Iudæi nihil prædæ abstulerint, quod hoc capite ter repetitur, scilicet v. 10, 15, & 16. cujus rei duæ adferuntur ab interpretibus rationes:

Prima, ut hoc modo regi gratificarentur, cujus ærario bona hostium cedebant juxta leges Persarum: Altera & potior fuit, quæ ab omnibus adfertur, nempe, ne viderentur potius studuisse avaritiæ quam justitiæ, & non tantùm voluisse vitam suam contra illi insidiantes defendere, sed etiam ipsorum spoliis ditari. Quòd si fortunas etiam hostium diripuissent, in suspicionem facile venire poterant Persis, etiam multos innocentes

centes ab ipsis trucidatos, ut ipsorum opibus potirentur. Regio quidem edicto, ut vidimus c. 8, vers. 11. facultas illis fiebat etiam interfectorum spolia diripere, prudenter tamen, forte hortatore Mardochæo & Esthera, abstinuerunt se ab expilatione, quo cunctis manifesta fieret justa ipsorum defensio.

Tenia, filii decem inter pares suspensi diutius reservati.

Quartum, dicitur hîc statim numerus occisorum in Susan relatus ad Assuerum, eâ fortè de causâ, ut post quingentorum virorum, & decem filiorum Amanis funera, cædi & interfectioni finem imponi juberet.

Quæstio, de tempore quo suspensi filii Amanis.

Solum circa textum hîc examinanda supereſt difficultas: quâ ratione dicantur hîc interfecti decem Amanis filii vers. 6, qui postea etiam vers. 14, suspensi dicuntur, postridie videlicet; quandoquidem cap. 16 vers. 18, in suo edicto Assuerus (quod evulgatum fuit mense Siban sive tertio, octo scilicet ante mensibus) scribat his verbis. *Pro quo scelere ante portas hujus urbis, id est Susan & ipse qui machinatus est, & omnis cognatio ejus pendet in patibulis.*

Rursus dicitur hîc ℣. 25, *ipsum & filios ejus affixerunt cruci.*

Propositæ quæstioni tres potissimùm solutiones ab Interpretibus suggeruntur, quarum duas allegat Gaspar Sanctius hîc.

Prima responsio: In scriptura dicitur factum, quod proximum est, ut fiat.

Prima est, frequenter in Scriptura dici aliquid factum, quod inchoatum est, paratum, aut proximum, ut fiat. Sic qui damnatus est ad mortem, vel illi obnoxius, mortuus esse dicitur, aut etiam mori. Ita Genesis 2 vers. 17, dictum est Adamo: *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris*, id est, morti eris subjectus. Ionathas lib. 1 Regum cap. 14, ℣. 43, & Susanna Daniel. 13. ℣. 42, cùm morti essent adjudicati, verè dixerunt: *Ecce morior.* Ita Sanctius.

Secunda; quia Aman plures habuit ex uxoribus filios.

Alteram etiam ponit: quia Aman plurimos verisimiliter habuit filios, nam uxores vel pellices plures more Persarum alebat, & diximus illo tempore Polygamiam plurium uxorum etiam gentibus fuisse licitam: Vide Artaxerxes, teste Plutarcho in ejus vitâ, & Iustino lib. 10, dicitur genuisse centum & decem, vel, ut alii volunt, centum & quindecim filios. Quid igitur mirum, si, cùm dives esset Amanus & tot uxores habere posset, quot alendis opes illius suppeterent, copiosam etiam ex illis sustulerit sobolem. Quod ipse etiam indicat hîc cap. 5, v. 11, ubi amicis exponit jactabundus magnitudinem divitiarum suarum, filiorumque turbam. Ex horum itaque numero cum ceteros Assuerus egisset in crucem cum patre, hi decem superstites fuerunt, quia cum Rex in Amani familiam insurgeret, hi fortè urbe aberant, vel se subduxerant, rege ignorante; unde in suo edicto cap. 16, dicere potuit ℣. 18, omnem cognationem Amanis pendere in patibulis. Post octo porrò menses cùm hi quoque Amano parente prognati esse cognoscerentur, etiam & ipsi interfecti sunt, ne quæ reliquiæ ex sceleratâ stirpe superstites remanerent: unde rectè dixit Latinus Interpres ℣. 12: *alios decem filios Aman:* q. d. illos quoque decem filios Aman, qui ex copiosâ sobole filiorum superfuerant.

Hanc posteriorem expositionem Sanctius magis probat, cui & ego libens subscribo.

Tertia nihilominus est communis Interpretum, Serarii, Menochii, Tirini, etiam Saliani & Estii, scilicet, ceteros domesticos & propinquos cum Amano quidem patibulis affixos, filios vero ejus ad hoc usque tempus, decimam tertiam nempe mensis duodecimi in custodia fuisse detentos, ut ab iis tamquam primitus in urbe Susorum occidendi sumeretur exordium; qui postridie etiam ad futurum posterorum exemplum & majus dedecus in crucem sublati fuerunt.

Verisimile autem est cum Amano patre etiam filios ejus quosdàm parvos & nondum emancipatos, qui in ædibus ejus degebant, fuisse in patibulum actos: illos verò de quibus hîc dicitur (*extra decem filios Aman*, id est, præter alios decem ejus filios adhuc superstites) è patriâ exisse potestate & in separatis & propriis ædibus vixisse, familiamque habuisse, qui propterea postea publico in theatro solenni pompâ fuere morti dati.

Ethologicum Documentum ex illis versus decimi:

Quos cùm occidissent, prædas de substantiis eorum tangere noluerunt.

Monentur magistratus, duces militum, &c. cùm bonum publicum exigit, non amore prædæ, sed zelo justitiæ reos morte afficere.

QVandoquidem sacer historicus ter nobis inculcet vers. 10, 15, 16. Iudæos inimicos suos, ut vitam suam indemnem conservarent, & incolumitati propriæ consulerent, ferro invasisse, & occidisse, ipsorum verò opes & facultates intactas reliquisse, nec prædas egisse, non dubium, quin, ut passim hîc Interpretes explicant, moneantur rerum publicarum administratores vel belli duces, ad aliorum occisionem non pecuniæ rapiendæ cupidine, sed justitiæ zelo, & boni communis amore properare; sibique inprimis cavendum ne lucri aviditate, & spe prædæ ita excæcentur & in transversum agantur, ut innoxio sanguine manus, mentesque contaminent, ut sæpe accidisse vidimus, & audivimus.

Iudæis libera facta fuerat potestas etiam noxiorum bona diripiendi & illis se locupletandi; consulto tamen, contingere quidquam de ipsorum substantiis noluerunt: præ gloriâ Dei & religionis suæ, vitæque propriæ salute vilis illis fuit omnis pecunia, quantumvis ingens: militibus & prædonibus vita aliorum contrà vilis est præ amore pecuniæ, licet non magnæ. A Deo Iudæi, inquit Serarius hîc, opem petierant, non hostium opes.

Quæ non præterita secula parricidia ob auri cupiditatem patrata conspexerunt?

14. Pygmalionis [illegible] Sichæum fratrem obtruncantis, & regis Thracum Polydori occidentis.

Canit Virgilius de Pygmalionis regis Tyri immanissimi tyranni avaritiâ, Æneidos primo, quo fratrem suum Sichæum obtruncavit:

Ille Sichæum
Impius ante aras, atque auri cæcus amore
Clam ferro incautum superat.

Rursus lib. 3, de rege Thracum Polydorum Priami filium pari scelere & crudelitate interimente:

Fas

Fas omne abrumpit: Polydorum obtruncat, & auro
Vi potitur. Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames?

Vere scelerata & execranda fames, & detestanda sitis pecuniæ.

15. Turpissima avaritia in Principibus.

Audi M. Tullium Oratione pro Quintio. *Nullum est officium tam sanctum atque solenne, quod non avaritia comminuere atque violare soleat.*

Idemque lib. 2 Officiorum: *Nullum vitium est tetrius quàm avaritia, præsertim in principibus & Rempubl. gubernantibus.*

Assentitur Sallust. in Catilinario: *Avaritia fidem, probitatem, cetera quæque bona artes subvertit: pro his superbiam, crudelitatem, Deos negligere, omnia venalia habere edocuit.*

Plura vix opus est adferre: nam, ut verbis utar poëtæ Venusini primo Sermon. Satyrâ prima:

Cetera de genero hoc adeo sunt multa: loquacem
Delassare valent Fabium.

Exemplum singulare & ante numquam auditum nec postea futurum edidit Iudas, ut canit Ecclesia, *mercator pessimus, qui denariorum numero Christum Iudæis tradidit*, nempe, crucifigendum.

Addo & novum, sed Tragicum planè & Tantali aut Busiridis sceleribus vel comparandum vel præferendum, quod lego in zoopædiâ Antonini de Balinghem v. Hospitalitas.

Cùm Polonus quidam Pultoviensis multos annos patriis ædibus peregre versatus abfuisset, atque militiæ in castris commoratus rem familiarem ibidem auxisset, tandem in patriam, lautus & egregiè nummatus se recepit; casuque in sororem tam sibi, quàm ille ipsi esset, ignotam, incidit; ex quâ percontatur quidnam illi actum esset (parentem autem utriusque communem nominabat) at illa ipsum vivere, belleque valere, seque filiam esse respondit. Pergit porro miles scisciari quid filio ejus factum, (se autem indicabat.) In remotas regiones jamdiu profectum subjecit illa, ibique jam pridem vitâ functum, vulgo credi. Tum ille: Quid si, ait, lætus, inexpectatusque nuntius de illo tibi parentiq; afferretur, quo tandem animo esset? Et, qui, inquit soror, id fieri possit, cùm mortuum illum nobis persuadeamus? Quid multa? Cùm sororem diu suspensam tenuisset: ego, inquit, sum is, quem tu mortuis annumerabas. En vivum me tibi sisto. Cùm illa nondum fidem dictis haberet, denudat brachium & signum ostendit in carne, quo viso fratrem comiter salutavit omni dubitatione abstersâ. Interim sorori severè præcipit, ut silentio rem premat, & ne quidem patri quidquam patefaciat de filii reditu. Interim hospitandi causâ confert se ad paternas ædes (erat enim parens caupo publicus) admittiturque tamquam ignotus hospes. Post cœnam antequam cubitum se conferret, vocato ad se cauponi in manus nocte istâ servandam tradit peram & marsupium; quæ ubi recepisset, ex pondere suspicatus quod erat, esse videlicet illud auro, argentoque offertum; & ad uxorem suam conversus: Iam, inquit, si umquam alias, ex re angustâ nostrâ ad lautas opes emergere datur. En tibi crumenam, en loculos auro graves: nostra sunt, si militem hunc tollamus è medio. Cùm uxor consilium viri probasset, strangulatur, vel jugulatur ab utroque parente innoxius ignorusque filius. O parricidium, dignum Thyestæâ mensa! Postridie domum patris ignara properat soror, petit convenire militem illum, qui pridie sub vesperam eò diverterat. Cùm quemquam ad se divertisse negaret pater. Et tamen, inquit illa, misi ad te militem è castris reducem; qui licet tibi fuerit ignotus, filius tuus profectò erat, & meus frater, ut ego certis indiciis agnovi. Obstupuit ille, obriguitque primùm. Ut verò ad se rediit, & se filio innocenti, post tot annos meliore fortunâ reduci impias intulisse manus perspexit, mox furiatâ mente publico in patibulo laqueo sibi gulam pendulus fregit: mater verò doloris impatiens eodem se ferro, quo filium mactaverat, confecit. En facinus Tragicum, & luctuosum, acerbumque funus? En proximum Iudæ crimen, simillimumque supplicium.

16. Horrendâ facinus filium innocentem obtruncantium.

Meritò contra hujusmodi prædones innoxio sanguini insidiantes, absconditentes tendiculas contra insontem; qui clamitant: *Omnem pretiosam substantiam reperiemus, implebimus domos nostras spoliis:* Proverbior. primo, meritò, inquam, Salomon invehitur: *Ipsi contra sanguinem suum insidiantur, & molliuntur fraudes contra animas suas. Sic semitæ omnis avari animas possidentium rapiunt.* vers. 18, & 19. q. d. insidiæ, quas insonti struunt, in suam ipsorum perniciem revertentur. Sic tandem avari prædones malè pereunt & actiones, consiliaque eorum destruuntur.

17. Invectiva S. Ambrosii in avaros.

S. Ambrosius de hoc argumento consulendus, qui toto libro de Nabuthe Iezraelitâ, contra avaros declamat, qui pauperes opprimunt, ut Achab & Iesabel Nabothum 3 Regum 21.

Cap. primo hæc inter cetera habet. *Non unus Nabuthe pauper occisus est: quotidie Nabuthe sternitur, quotidie pauper occiditur. Hoc metu percitum humanum genus cedit jam suis terris, migrat cum parvulis pauper onustus pignore suo, sequitur uxor illacrymans, tamquam ad bustum prosequatur maritum:* &c.

Cap. verò nono illius libri ostendit quomodo Iezabel, quæ est avaritia, promittat divitibus contra justitiam possessionem, quam desiderant: ubi inter alia:

17. Avaritia in Iezabel depicta.

Vtinam, inquit, *non audias illam Iezabel, quæ est avaritia, quoddam profluvium vanitatis, dicentem: Ego tibi dabo possessionem quam desiderasti,* (3 Regum 21, ℣. 7: *Ego dabo tibi vineam Naboth*) *Tu tristis es, quia vis censuram considerare justitiæ, ut alienum non eripias, ego habeo mea jura, meas leges, calumniabor ut spoliem: & ut possessio pauperi eripiatur; vita pulsabitur. Quid enim aliud in illâ historiâ, nisi divitum avaritia describitur, quæ est vanum profluvium, quod omnia fluvii more rapit, & nulli usui profutura traducit? Hæc est Iezabel illa, non una sed multiplex; non unius temporis, sed temporum plurimorum: hæc omnibus dicit, sicut illa dixit viro suo Achab: Surge & manduca panem, & redi ad te, ego dabo tibi vineam Nabuthe Iezrahelitæ:* &c.

Verissimum est Sirachidæ pronuntiatum Ecclesiastici 10, vers. 9. *Avaro nihil est scelestius*, & vers. 10, *Hic enim & animam suam venalem habet.* Videat Lector quæ in illum locum commentati sumus.

Egregium quoque dictum Athalarici Gotho-

18. Dictum Athalarici de Avaritiâ.

rum Regis apud Cassiodorum l. 9, epist. 3. *Aurum per bella quærere, nefas est: per munia, periculum, per falsitates, opprobrium.*

Mirum in hoc genere quidpiam commemorat Aimonus de gestis Francorum l. 2. cap. 36.

Fuit Cautinus Arvernæ urbis Episcopus. Hic cùm improbâ cupiditate pecuniæ victus vellet presbyterum quemdam Anastasium bonis spoliare suis, invitum & renitentem præcepit trahi in ædem D. Cassio martyri sacram, ibique marmoreo antiquo & vasto sepulcro includi, ut nisi facultatibus suis cederet, teterrimâ mephiti, & sepultorum cadaverum putore, miserandum in modum conficeretur.

19. Miranda Episcopi Cautini avaritia.

Clausum fuit accuratè monimentum, appositi custodes, ut vivum cum mortuis conditum omni diligentiâ observarent; Cùm autem nox advenisset, fretus divino auxilio Anastasius clam tegumentum, quo sepulcrum opertum erat, removit, indeque fugiens ad Clotarium Galliæ regem contendit. Qui miratus inhumanum scelus, cùm Episcopum evocavisset, hominem admonuit tam enormis flagitii convictum, & confusum sic à se repulit, ut Dynastæ & viri principes judicio & sapientiâ inclyti, qui tum aderant, contenderent prodigii loco esse habendum reperiri hominem ad Præsulis tiaram, dignitatemq; evectum, qui sacrâ fame opũ ita insaniret, & rabiret, ut tantum facinus vel præsumere ausus fuisset.

Iure optimo Apostolus 1 ad Timoth. 6, ℣. 9, divitias vocavit *laqueum diaboli*. Alludit S. Ambros. lib. de bono mortis cap. 5. *Laqueus*, inquit, *in auro, viscus in argento, nexus in prædio, clavus est in amore. Dum aurum petimus, strangulamur; dum argentum quærimus, in visco ejus hæremus; dum prædium invademus, alligamur.* Sic ille. Arctissimè ergo vincitur & tenetur, quem sic cupido opum ligat & detinet.

20. Aurum laqueus diaboli &c.

S. Augustin. Epist. 113, addit & mellis copiam, quo avari ut apes nectuntur. *Supervolemus*, inquit, *terrenis opibus nostris: nam in mellis copiâ non frustra pennas habet apicula: nectit enim hærentem.*

20. Est item mellis copia.

Aliqui avaritiam parem faciunt Hermionæ urbi in Peloponeso, ubi teste Strabone lib. 8, brevem ad inferos descensum fuisse memorant: quamobrem ibi mortuis portorium vel naulus non imponebatur, cùm in aliis Græciæ locis nummus in omnium ore collocaretur, qui diem extremum obiissent. Qui in Philargyriæ oppido habitant, ii sunt avari pecuniæ, & non egent pretio, ut ad Stygem deportentur. Cupidis enim & rapacibus *facilis descensus Averni*,

Et patet ad Pluti Tartarea lata via.

21. Avaritia urbis Hermionæ, in quâ mortuis in ore nummus tamquam naulus non imponebatur. Facilis enim avaris via ad Plutonis.

Si ergo sapis, ajebat Polydorus mortuus Æneę, 3 Æneidos,

Heu fuge crudeles terras, fuge littus avarum.

VERSVS XII, XIII, XIV, XV, XVI, XVII, XVIII, & XIX.

Qui dixit reginæ: in urbe Susan interfecerunt Iudæi quingentos viros, & alios decem filios Aman: quantam putas eos exercere cædem in universis provinciis? Quid ultra postulas, & quid vis ut fieri jubeam?

Cui illa respondit: Si regi placet, detur potestas Iudæis, ut sicut fecerunt hodie in Susan, sic & cras faciant, & decem filii Aman in patibulis suspendantur.

Præcepitque rex ut ita fieret, statimque in Susan pependit edictum, & decem filii Aman suspensi sunt.

Congregatis Iudæis quartadecimâ die mensis Adar, interfecti sunt in Susan trecenti viri: nec eorum ab illis direpta substantia est.

Sed & per omnes provincias, quæ ditioni regis subjacebant, pro animabus suis steterunt Iudæi, interfectis hostibus ac persecutoribus suis: in tantum ut septuaginta quinque millia occisorum implerentur, & nullus de substantiis eorum quidquam contingeret.

Dies autem tertiusdecimus mensis Adar primus apud omnes interfectionis fuit, & quartadecimâ die cædere desierunt. Quem constituerunt esse solemnem, ut in eo omni tempore deinceps vacarent epulis, gaudio atque conviviis.

At hi qui in urbe Susan cædem exercuerant, tertiodecimo & quartodecimo die ejusdem mensis in cæde versati sunt: quintodecimo autem die percutere desierunt. Et idcirco eumdem diem constituerunt solemnem epularum atque lætitiæ.

Hi verò Iudei qui in oppidis non muratis ac villis morabantur, quartumdecimum diem mensis Adar conviviorum & gaudii decreverunt, ita ut exultent in eo, & mittant sibi mutuò partes epularum & ciborum.

Hebraicè: Dixitque rex ad Esther reginam: In Susan metropoli occiderunt Iehudæi & perdiderunt quingentos viros, & decem filios Haman: in residuo provinciarum regis quid fecerunt? & quæ petitio tua, & dabitur tibi? & quæ postulatio tua ultra & fiet?

Et dixit Esther: Si regi bonum, detur etiam cras Iehudæis, qui in Susan, ut faciant secundum legem hodiernam, & decem filios Haman suspendant super ligno.

Et dixit Rex fieri sic (ut ita fieret) & data est lex in Susan, & decem filios Haman suspenderunt.

Et congregati sunt Iehudæi, qui in Susan etiam in die decimaquartâ mensis Adar, & interfecerunt in Susan trecentos viros, sed in prædam non miserunt manum suam.

Et reliqui Iehudæi, qui in provinciis regis congregati sunt, & steterunt pro anima-

animabus suis, & quieverunt ab inimicis suis, & occiderunt de inimicis suis quinque & septuaginta millia, sed in prædam non miserunt manum suam.

In die decimâ tertiâ mensis Adar, & quieverunt in decimâquartâ ejusdem, & fecerunt eum diem convivii & lætitiæ.

Et Iehudæi qui in Susan congregati sunt in decimâ tertiâ ejusdem, & in decimâquartâ ejusdem, & quieverunt in decimâ quintâ ejusdem, & fecerunt illum diem convivii & lætitiæ.

Idcirco Iehudæi villici habitantes in urbibus non muratis faciunt diem quartam decimam mensis Adar lætitiæ & convivii, & diem bonum, & missionis partium vir (unusquisque) socio (proximo) suo.

Iosephus hæc: Post divulgatas ubique regias litteras, etiam apud Susa interfecerunt Iudæi ex inimicis suis circiter quingentos homines: & cùm Rex conjugi indicaret cæsorum intra mœnia numerum, nam incompertum esse, quantus sit in aliis civitatibus: rogaretque, ecquid amplius vellet, potituram enim cupitis: rogavit illa ut permitteret Iudæis sequenti quoque die in reliquias inimicorum ad eumdem modum desævire, & decem Amani filios in crucem agere: & id quoque Iudæis concessum, rege nolente Estheri in ulla re contradicere. At illi rursum catervatim decimâ quartâ Dystri discurrentes, occiderunt fermè trecentos ex adversariis, ne minimum quidem attingendo ex eorum facultatibus: per alia verò oppida eodem Iudæorum incursu perierunt septuaginta quinque millia eorum qui pro inimicis sunt habiti: quæ cædes decimâ tertiâ die patrata est, sequentem verò festis attribuerunt epulis. Apud Susa quoque quartam decimam sequentis mensis per festos cœtus celebraverunt: unde hodie quoque per totum orbem Iudæis hi dies festi sunt, & partes de conviviis sibi mittunt invicem.

COMMENTARIVS.

ASsuerus non sine Dei nutu cùm Estheræ denuntiasset cædem Iudaici nominis hostium Susis & toto regno patratam; eidem optionem dat postulandi, siquid ulterius vellet, quod ad Iudæorum incolumitatem & bonum pertinere judicaret. Illa, quippe quæ Dei gloriam, ejusque religionis propagationem, & pacem regni sibi propositam haberet, petit, ut etiam postridie liceat Susis ferrum in necem inimicorum distringere, &, ut decem Amanis filii pridie trucidati, ad aliorum terrorem, & majorem familiæ infamiam probrosæ trabi affigantur, ut qui patri criminis societate conjuncti fuerant, etiam supplicii similitudine copularentur. Annuit rex, & edicto suo, quod Esther petierat, confirmat.

Exequuntur sedulò Iudæi Susis quod novo edicto regis illis permittebatur, & quingentis victimis Susianis novas trecentas adjungunt.

Porrò quod Susis perpetrarant, eâdem audaciâ & libertate in omnibus imperii Persici provinciis perficiunt, & vindictam de suis inimicis capiunt, ita ut numerus interfectorum ad septuaginta quinque millia pertigerit. Quo autem die inimicos suos cædere desierunt, qui fuit Susis decimus quintus Adar, aliis vero locis Persici regni quartus decimus, hunc festivis epulis, & tripudiis dedicarunt, partâ videlicet de hostibus suis victoriâ, & gravissimo discrimine perfuncti.

Hebræum textum in quibusdam supplevit. S. Hieron. ut patet ℣. 17: ubi enim Hebraicè solùm est: In die tertio decimo mensis Adar (intellige, cædes facta est, habet Latinus: *Dies tertius decimus mensis Adar primus apud omnes interfectionis fuit.*

Cetersum ex utroque textu colligimus diem decimum quartum extra Susa fuisse festum; quo scilicet die à metu & periculo & à labore cædendi hostes suos quieverunt Iudæi: Susis verò, ubi cædes biduana fuit festivum fuisse quintum decimum: Ex quo corrigendus Iosephus qui ponit 14.

Cum verò hìc dicitur vers. 16, Iudæos stetisse pro animabus suis, facilè intelligimus hanc inimicorum suorum internecionem fuisse justam tantum defensionem, ut scilicet vitam suam ab eorum insidiis vel etiam apertâ vi in posterum tutam servarent; fortiter enim & animosè tantum interemerunt eos, a quibus sibi perniciem & exitium metuebant.

Quod autem dicit Rex ℣. 12, Iudæos occidisse alios decem filios Aman, videtur respicere ad eos filios nondum emancipatos, qui fuerunt cum patre interfecti: sed ex textu Hebræo colligimus sensum esse, præter, vel decem insuper filios Aman, qui patre interfecto superstites fuerant.

Postremò in numero occisorum Latino consentiunt Hebræa, Chaldæa, & pleraque Septuaginta exemplaria, licet eorum quædam solum ponant quindecim millia, sed vitiosè.

Nicolaus Semrius ex eo quod Septuaginta hìc habent ℣. 19: *dispersi in omni regione, quæ extra est*, ubi nos legimus, *qui in oppidis non muratis ac villis morabantur*, item ex eo, quod alii libri Græci addant hæc: *qui habitant in metropolibus, etiam decimum quintum diem Adar in lætum, bonum agunt*, colligit Iudæos, qui in urbibus præcipuis habitabant, etsi (præterquam Susis) cum pagorum & non muratorum oppidorum Iudæis à cædendis hostibus die 14 cessarint, duos tamen dies festos observasse, sicut & Susini, diem decimum quartum & decimum quintum. Vnde concludit eos, qui Susis erant, cum

tantùm tenerentur decimum quintum diem celebrare, majoris tamen religionis ergo etiam decimum quartum in festum assumsisse: & contra, qui in metropolibus aliis, cum ad decimum quartum tantum astringerentur, sponte decimum quintum adjunxisse. Verum hoc nec ex Hebræo nec Latino textu infertur. Et insuper possunt verba illa Septuaginta Interpretum, *Judæi dispersi in omni regione, quæ extra est*, accipi de illis qui habitabant extra Susa, qui omnes diem decimum quartum, ut festivum egerunt, Susiani vero soli diem decimum quintum. Nec obstat, quod hoc capite inferius v. 27 dicatur: *Nulli licebat duos hos dies absque solemnitate transigere*: quia, ut infra explicabimus, accipienda sunt verba illa commodè, scilicet pro locorum diversitate, ut quidam, v. g. Susiani obligarentur celebrare diem posteriorem, decimum quintum: alii vero omnes alibi Persidis locis & regionibus degentes, decimum quartum & priorem.

Cæterùm quibus ritibus & cæremoniis dies illi colerentur, aptius postea à nobis exponetur ad versum 22.

22. Zelus & fortitudo Estheræ.

Insuper observat Rupertus lib. 8, de victoriâ Verbi Dei ex v. 13, hic insignem zelum Estheræ reginæ; ubi sic scribit: *Fortitudo*, inquit, *in pectore humilis feminæ tanta extitit, quæ & in omnem gentem ipsius redundavit: ut suspenso Aman in patibulo, cùm regis ira requievisset, zelus reginæ non requiesceret: sed, si regi placet inquit, detur potestas Judæis, ut sicut hodie, sic & cras faciant in Susis, & decem filii Aman suspendantur in patibulis. Quanta fortitudo zeli hæc dicentis! Si non fuisset propter Deum, vel propter justitiam, videretur crudelitas; nunc autem consideratâ causâ, vindictam ejusmodi non solùm excusat, verùm etiam justificat, quod non fuerit furor crudelitatis, sed fervor fortitudinis, non motus sævitiæ, sed motus justitiæ; non iræ excessus, sed vitæ prospectus. Causam considerandam proposuimus, quia de gente illâ sperabatur mundi salus, nasciturus expectabatur Christus. Proinde dignum se faciebat Spiritus Sanctus, inspirando humilibus & teneris mentibus, ut pro tempore & re justitiâ durâ; diuritiâ justâ uterentur, defendendo bonæ olivæ radicem, bonæ radicis olivam, ut staret & permaneret, donec daret fructum suum, donec effunderet oleum, verum generando Christum. Quod ubi factum est, recondo, ait Petro, gladium in vaginam, quia videlicet, cur uteretur gladio Petrus, causam jam non habebat necessariam. Cum igitur legimus quia pro animabus suis steterunt Judæi, interfectis hostibus ac persecutoribus suis, in tantum ut septuaginta quinque millia implerentur, jam dictam præ oculis, habentes causam, dignum festivitate factum arbitremur, quod festum scripto edixit Mardochæus*, &c. Hactenus Rupertus.

Parecbasis sive excursus historicus ad versum 13 & 14: de filiis Amani decem in patibulis suspensis.

Solenne & in mores receptum ubique gentium reorum capita & cadavera rotæ furcæ, sive patibulo suffixa, loco publico ad exemplum & terrorem aliorum proponere.

OBtinuit mos, qui hodieque perseverat, ut malefactorum cadavera interdum locis publicis exponantur ad majorem ignominiam sceleratorum, terrorem aliorum, & exemplum diu duraturum.

Videmus nunc proditorum patriæ capita in sublimi civitatum speculâ, aut murorum pinnis affixa, cadavera autem in quatuor partes dilecta ante portas urbium suspensa miserabile & infame spectaculum omnium oculis proponi, quæ, mutata licet & emortua, prætereuntibus incutant illud *Discite justitiam moniti*, &c.

Historiæ veteres sacræ & profanæ illud ipsum passim prodidere, ut hic habes vers. 13 & 14. & clarius hoc testatur Artaxerxes in suo Rescripto cap. 16, v. 18, his verbis. *Pro quo scelere*, inquit, *ante portas hujus urbis, id est, Susan, & ipse, qui machinatus est* (Amau) *& omnis cognatio ejus pendet in patibulis: non nobis, sed Deo reddente ei quod meruit.*

23. Crucis supplicium ubique gentium ignominiosum.

Et quidem probrosum, & dedecoris plenum semper fuisse furcæ, crucis, patibuli supplicium, omnium gentium monimenta eradunt.

23. Apud Romanos.

De Romanis Cicero l. 5, in Verrem loquens, crucis pœnam vocat crudelissimum, deterrimumque supplicium: *verbo*, inquit, *satis dignotam nefariæ rei appellari nullo modo potest*.

Et pro C. Rabirio Oratione: *Mentio*, ait, *crucis indigna civi Romano atque homine libero est*.

Plinius lib. 36. cap. 15, sub initium. *Quiritibus*, inquit, *passim conscitâ morte cædium* (cloacarum effodiendarum) *fugientibus, novum & inexcogitatum antea, posteaque remedium invenit Tarquinius Priscus, ut omnium ita defunctorum corpora figerent crucibus, spectanda civibus, simul & ferâ, volucribusque laceranda. Quamobrem pudor Romani nominis propriùs, qui sæpe res perditas servavit in prælis, tunc quoque subvenit; sed illo tempore impositum cum erubescens cùm puderet vivos, tamquam puditurum esset extinctos.* Hæc Plinius.

24. Corpora Romanorum mortua crucibus affixa.

Plutarchus lib. de fortunâ Roman. scribit suo adhuc tempore quotannis canem cruci affixum in solenni pompâ fuisse circumgestatum, similiter & anserem, sed intertextæ vesti stragulæ mollissimè incubantem; quòd Gallis Capitolio imminentibus anseres vigilassent, canes stertuissent; quo significare volebant summis, usque æternis honoribus dignos esse, qui vigilantiâ suâ patriam servant, ignominiosissimâ verò morte afficiendos, qui pro patriâ non excubant.

25. Canis Romæ cruci affixus.

Apud Judæos mors crucis erat probrosissima: Sapientiæ 2, vers. 20 dicunt impii: *Morte turpissimâ condemnemus eum.* Erat & maledicta, Deuteron. 21: unde & suspendiosus sive patibularius in lege veteri eâdem die humari jubebatur, tamquam indignus, cujus cadaver diutius hominum oculis exponeretur. Audi Legislatorem suprà v. 22 & 23, extremis: *Quando peccaverit homo, quod morte plectendum est, & adjudicatus morti, appensus fuerit in patibulo: non permanebit cadaver ejus in ligno, sed in eadem die sepelietur: quia maledictus à Deo est, qui pendet in ligno: & nequaquam contaminabis Terram tuam quam Dominus Deus tuus dederit tibi in possessionem.* Hactenus Legislator.

26. Crux infamis apud Judæos.

Observat præterea Gretserus lib. 1, de sancta Cruce cap. 35: si quando aliqui digniores in crucem agebantur, hoc ius prærogativæ concedebatur, ut tamquam insigniores malefici in sublimiore crucè, vel saltem loco figerentur. Vide

27. Majores malefici in crucem altiorem tollebantur.

Com-

Commentarium noſtrum in cap. 5, verſum 14, & quæſtiunculam ſequentem: Vtrum Chriſti crux ob majorem illi parandam infamiam, latronum crucibus altior fuerit.

Ad noſtrum inſtitutum pertinet, quod refert Valer. Maximus lib. 6, cap. 9, inter extera. §. 5. de Polycrate Samiorum tyranno, qui felicitatis ſemper plenis velis proſperum curſum tenere non potuit.

28. Polycrates tyrannus crucifixus in monte.

Comprehenſum enim Orontes Darii regis præfectus, in excelſiſſimo Micalenſis montis vertice crucis affixit. E qua putres ejus artus, & tabido cruore manantia membra, atque illam lævam, cui Neptunus annulum piſcatoris manu reſtituerat, ſitu marcidam Samos amarâ ſervitute aliquandiu preſſa, liberis ac lætis oculis aſpexit.

28. Item Cartalo in altam crucem actus.

Iuſtinus etiam lib. 18, c. 7 memorat Cartalonem ornatum purpurâ & infulis ſacerdotii a patre Maleo in altiſſimam crucem in conſpectu Carthaginis ſuffigi juſſum.

28. Item civis quidam Romanus.

Omitto quæ ſuprà cap. 5 attuli de quopiam cive Romano, cui Galba Imperator civem Romanum ſe reſtituenti, quaſi ſolatio & honore aliquo pœnam levaturus, multo præter ceteras altiorem & dealbatam crucem ſtatui præcepit. Altiorem, ut digniori, inquit Lipſius lib. 3. de Cruce c. 13, Albatam ut civi, qui in veſte albâ. Vide Lipſium.

29. Caput Holofernis è muris Bethuliæ ſuſpenſum.

Ad terrorem verò aliorum capita hoſtium ſolita è murorum pinnaculis proponi, tatis liquet ex hiſtoriâ Iudithæ, ubi Holofernis abſciſſum caput ſuper muros ſuſpenditur, Iudith 14, ℣. 7. *Mox autem*, ait Scriptura, *ut ortus eſt dies, ſuſpenderunt ſuper muros caput Holofernis.* Hoc autem factum eſt, ut illius aſpectu terrerentur Aſſyrii, animarentur Bethulienſes, erudirentur omnes ad divina trepidare judicia.

30. Sic caput Nicanoris & manus ſuſpenſa Hieroſolymis.

Liber Machabæorum ſecundus capite 15 refert quomodo victo Nicanore impiiſſimo & ſuperbiſſimo, Iudas Machabæus præceperit ejuſdem caput & manum cum humero abſciſſam, Ieroſolymam perferri. *Quo cum perveniſſet, convocatis contribulibus & ſacerdotibus ad altare, accerſit & eos qui in arce erant. Et oſtenſo capite Nicanoris & manu nefariâ, quam extendens contra domum ſanctam Omnipotentis Dei, magnificè gloriatus eſt. Linguam etiam impii Nicanoris præciſam juſſit particulatim avibus dari: manum autem dementis contra templum ſuſpendi.* Vide verſus 30, 31, 32, 33. Contractius eadem habentur lib. 1. Machabæorum cap. 7, ℣. 47. *Et caput Nicanoris amputaverunt, & dexteram ejus, quam extenderat ſuperbè, & attulerunt, & ſuſpenderunt contra Ieruſalem.* Fuit hoc ſpectaculum pars magna Iudæorum triumphi.

31. Sic & corpus Saulis ſuſpenſum in Bethſan.

Sic David primi Regum 17, ℣. 54 aſſumens caput Philiſthæi, attulit illud in Ieruſalem; & Philiſthæi ibidem cap. 31, ℣. 10, corpus Saulis ſuſpenderunt in muro Bethſan, cùm caput ejus prius præciduſſent, ℣. 9.

32. Sic caput Goliathi Hieroſolymis loco edito affixum.

Vbi lector videt Davidem caput Goliæ ſpectandum traduxiſſe per urbes Iudææ, & tandem illud quaſi tropæum in minis vel pilis erexiſſe Ieroſolymorum, vel certè in edito & ſpectabili urbis loco.

Idem fecere Philiſthæi ſuprà, qui caput Saulis per omnem regionem ſuam conto præfixum vel haſtæ circumtulerunt.

Quamvis autem Iudæorum lex Deuteron. 21 ſuprà caverat, ne diutius malefactorum cadavera in crucibus expoſita remanerent; quam legem etiam Ioſue dux religioſiſſimus ſervavit Ioſue 10 ℣. 27, ubi quinque reges Amorrhæorum ſuſpenſos ſuper quinque ſtipites uſque ad veſperum, occumbente ſole præcepit ſociis, ut deponerent de patibulis: videmus tamen Gabaonitas crucifixiſſe *in monte coram Domino* duos filios Saulis, quos pepererat ei Reſpha, & quinque filios Michol filiæ Saulis, & eos manſiſſe in patibulis toto meſſis tempore, 2 Regum 21 ℣. 9. Non aliſque ſervabatur lex de cruci affixis ſub veſperam deponendis.

Venio ad exempla ex profanâ hiſtoriâ petita. 33. Capita miſſa & Euryali haſtis præfixa.

Virgilius Æneidos 9, ℣. 465 & ſequentibus canit Rutulos Euryali & Niſi Trojanorum capita præciſa haſtis affixiſſe.

Quin ipſa arrectis (viſu miſerabile) in haſtis
Præfigunt capita, & multo clamore ſequuntur,
Euryali & Niſi.

Quis interea Trojanis animus? Pergit Poëta.

Æneadæ duri murorum in parte ſiniſtrâ
Stant mœſti, ſimul ora virûm præfixa videbant
Nota nimis miſeris, atroque fluentia tabo.

Tullius undecimâ Philippica refert Dolabellam ſimili crudelitate ſæviſſe in C. Trebonium, quem Smyrnæ inſidiis interfecerat, his verbis. 34. Capita Trebonii & Galbæ pilis & haſtis ſuffixa.

Poſt cervicibus fractis caput abſcidit: idque infixum geſtare juſſit in pilo; reliquum corpus tractum atque laceratum abjecit in mare.

Tranquillus in Galba capite 20 narrat Galbæ caput à milite gregario amputatum fuiſſe & ad Othonem Imperatorem delatum, qui lixis, calonibuſque illud donavit. Qui haſtâ ſuffixum non ſine ludibrio circum caſtra portarunt, &c.

Nulli ignotum eſſe puto quantum pavoris incuſſerit Turcarum navibus Ali Baſſæ deſectum caput, maloque præfixum in nobiliſſimâ illâ Chriſtianæ claſſis ad Naupactum anno 1571 victoriâ duce & Archithalaſſo Ioanne Auſtrio. Dico ergo reorum capita minis murorum infixa conſceleratis hominibus panicum timorem immittere, ne in graviora flagitia inſani ruant. 34. Rurium Ali Baſſæ.

Rectè S. Cyprian. tractatu de lapſis: *Plectuntur quidam, quò cæteri corrigantur. Exempla ſunt omnium, tormenta paucorum*, ut ibidem S. Pater demonſtrat.

Adjungit & Sanctius hîc & rectè, grave eſſe ad ignominiam loco publico & vulgo expoſito inſepultum cadaver pendere, corvorum, vulturumque prædam. Nam in bello, aut privato jurgio quempiam interfici, licet durum ſit, non tamen infame aut turpe exiſtimatur: at eo genere mortis interire, à quo ſcelus abeſſe non ſolet, cuique nullum impenditur, aut debetur ſepulturæ aut funeris obſequium, qui ſupremus honor vocari ſolet, id verò abominandum putarunt antiqui, maximè ſi membra diſſecarentur, & fruſtatim diſcerperentur. 35. Infamiæ paſſim habetur, ſi corpus cujuſpiam inſepultum reliquatur in patibulo.

Deinde non ita tollebantur in crucem læſæ majeſtatis aut patriæ proditionis rei, ut abillâ ſtatim deponerentur, more Iudæorum, ſed ibi manebant omnium aſpectui propoſita cadavera, donec ſitu, pluviâ, temporis diuturnitate diſſoluta defluerent, vel contabeſcerent & exſiccarentur; vel ab avibus lacerarentur: ut uſitatum ſcimus apud Perſas & alios. Vnde exiſtimandum eſt Amani & filiorum ejus cadavera in crucibus hæſiſſe, donec vel ſanie & tabo tota ſolverentur,

vel vetuſtate areſcerent, vel certè à carnivoris volueribus diſcerperentur: quę etiam ante Suſorum portas ſuſpenſa fuerunt, ne populi tam horribile ſpectaculum oculos offenderet, vel naribus putentia corpora tetrum odorem afflarent. Hæc fere Sanctius.

Exegeſis Allegorica ad verſum 13, ubi Eſthera petit à Rege:

Si regi placet, detur poteſtas Iudeis, ut ſicut fecerunt hodie in Suſan, ſic & cras faciant, & decem filii Aman in patibulis ſuſpendantur:

Conſtans & ardens Dei Matris zelus in vindictâ vel citâ, vel horrendâ ſumendâ de Antidicomarianis & Mariomaſtigibus, juratis ſuis hoſtibus.

INflammatum hunc & conſtantem zelum Deiparæ Virginis ad vindictam inferendam inimicis ſuis, & eorum antefignano antiquo ſerpenti: glorioſaſque ejuſdem palmas, perfectaſque victorias ſignificant nobis vaticinia minacia, quæ Deus diabolo intentavit ipſius mundi primis incunabulis Geneſis 3, ℣. 15: ubi ſic ſerpentem affatur: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius: ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo ejus.*

36. Omnis inimicitia gerenda nobis cum diabolo, ſicut Dei Mater geſſit.

Argutè verò more ſuo notavit Cajetan. dictum eſſe numero multitudinis: *Inimicitias*; non verò, inimicitiam, numero unitatis: quia, inquit, non ſatis eſt, inimicum eſſe diabolo, quoad ea, quæ ſunt fidei, aut ſpei; ſed oportet ſecundum omnes partes inimicum eſſe, videlicet, ſecundum ea, quæ ſunt caſtitatis, abſtinentiæ, liberalitatis, miſericordiæ & cæterarum virtutum: q. d. nulla amicitia cum illo ineunda, ſed potius omne inimicitiæ genus cum eo gerendum.

Quis verò umquam fuit (Chriſtum ſemper excipio) qui omnem inimicitiam contra dæmonem ſuſcepit, perfectum, conſtans, perpetuum illi bellum movit: nullam pacem, aut fœdus cum illo iniit, nulla in re illi conſenſit, quin verò ſemper illum devicit, proſtravit, contrivit, ſemper de illo triumphavit, niſi Eſthera noſtra, Regina inquam mundi glorioſiſſima & potentiſſima Maria.

37. Non dolo ſed apertâ vi Dæmonem vicit Dei Mater.

Superavit veteranum illum & veteratorem hoſtem non dolo aut fraude, ut ipſe primam mulierem ſeduxit; ſed aperto Marte, & collato pede, fortitudine invictâ & infractâ vi: unde, ut rectè obſervavit Rupertus Tuitienſis lib. 3 in Geneſ. cap. 19, dicitur: *Inimicitias ponam inter te & mulierem. Hoc*, inquit, *inimicitiæ à fraudibus differunt, quòd frandes pacatam ſermonis, vel cujuſlibet rei prætendunt ſuperficiem, inimicitiæ verò manifeſtam contrarietatis habent intentionem: conſtat autem quod diabolus ſubdolus in ſerpente non tanquam armatus adverſarius occurrit; ſed tamquam fidus conſiliarius lateri ejus in viâ ſe adjunxit. Cum igitur Deus dixit: Inimicitias ponam inter te & mulierem, profectò magnum opus gratiæ ſuæ promiſit; quod victorem diabolum, qui vicerat fraude, victa nunc mulier vincere quandoque debeat fortitudine.* Hæc Rupertus.

Verùm mulier benedicta in mulieribus, nec arte nec Marte à fraudulento, & truculento angue debellari aut decipi potuit, quinimò omnes ejus inſidias & ſapientia vicit, & robur virtute elidit, & antequam calcaneo ejus inſidiaretur, caput ejus contrivit, omnem ejus conatum præveniens.

38. S. Maria altera Debbora ſub palmâ ſedens ob victorias ſuas.

Hæc eſt Debbora prophetis, *νικηφόρος & νικηποιὸς victoriæ nuntia, & effectrix*, quæ Iudicum 4, ℣. 5, dicitur *ſediſſe*, id eſt, habitaſſe, vel Iudicem egiſſe *ſub palma, quæ nomine illius vocabatur*, ut puta, palmâ Debbora, vel Debboræ.

Palmam victoriæ apud omnes gentes ſymbolum fuiſſe nemo politioris litteraturæ doctus ignorat. Sedes & domicilium Marianum ſemper palma fuit, ſemper victrix & triumphatrix evaſit: unde & Sanctiſſimus Pontifex Pius, illius nominis quintus memor reportatæ de Aliæ tyranno illius ope victoriæ anno 1571, diem ſeptimum Octobris feſtum inſtituit ſub nomine S. Mariæ de victoriâ, nobile monimentum navalis de Turcâ triumphi, ut tradunt noſtri temporis Annales.

39. Pius quintus feſtum inſtituit S. Mariæ de Victoriâ.

Tanta ergo, quanta eſt, tota victrix, & triumphatrix eſt virgo Mater, tota palma & Debbora; hinc dicitur in ſacro Canticorum Epithalamio cap. 7, verſ. 7: *Statura tua aſſimilata eſt palmæ*, q. d. tota corporis tui conformatio inſtar palmæ eſt, toto corpore palmam refers. Nihil in te aſpicio, quocumque in gyrum oculos verto, quod non tropæum de hoſtibus erexerit; ad præſentiam tuam quaſi panico terrore perculſi omnes adverſarii tui fugiunt. *Terribilis* eſt (ipſa ſola) *ut caſtrorum acies ordinata*, Canticorum 6, verſ. 9.

Verùm quoniam hoc argumentum latè diduximus Commentariis noſtris in Eccleſiaſtici cap. 24, ℣. 18: *Quaſi palma exaltata ſum in Cades*, ubi illam & palmæ aſſimilavimus, & opima ejus ſpolia de variis hoſtibus relata numeravimus; illis omiſſis, paucula ſolum adjungemus.

40. Gajanus Dei Matrem blaſphemans ab eadem caſtigatur.

Primum prodidit Ioannes Moſchus in ſuo ſpirituali prato cap. 47, his verbis. *Heliopolis*, ait, *Phœnices civitas eſt. In hac mimus quidam erat, Gajanus nomine, qui in theatro ſanctam Dei Genitricem blaſphemans, ſpectaculum blaſphemiæ præbebat. Apparuit autem illi ſancta Dei genitrix dicens: quid tibi mali feci, quia coram tanta multitudine mihi detrahis, & blaſphemas me? Ille verò ſurgens non ſolum non ſe correxit, verùm etiam plus blaſphemabat. Rurſus ergo apparuit illi ſancta Dei genitrix, corripiens eum ac dicens: Noli, quæſo, noli ita lædere animam tuam. Ille verò rurſum deterius illam blaſphemat. Unde ipſa tertiò eidem apparens, eadem repetebat. Cùm autem ille ſe non corrigeret, ſed plus quoque blaſphemiis adjiceret, dormienti meridie eidem apparuit, nihilque dicens, digito ſolo ſignavit ejus manus & pedes. Evigilans autem, invenit ſe truncatum manibus & pedibus. Atque ita infelix ut truncus inutilis jacens, confitebatur omnibus, cujus rei gratiâ, & quomodo hoc paſſus eſſet, utque propter blaſphemias ſuas clementer cruciatus fuiſſet.*

40. Similiter cauponem blaſphemantes tolerans.

Geminum huic narrat Nicephorus lib. 18 hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 33, quomodo ſui honoris zelatrix Amazon noſtra cauponis cujuſdam, qui ſuo in hoſpitio compotatores diris illam pro-

proscindentes toleraverat, genua vimine, quod manu gestare videbatur, circum circa velut exarans circumscripserit, quæ à reliquo corpore mox divulsa fuerunt, & recenti sanguine fluxerunt.

40. Item alias eandem diras proclamans.

Recentius producit Guilielmus Baldesanus in Stimulo virtutum adolescentiæ lib. 3. cap. 21. Superioribus, inquit, annis in Mediolanensi provincia fuit adolescens, ut nobilitate, sic fastu & arrogantiâ insignis. Hic cùm aliquando in contentionem venisset cum alio quopiam, inter pugnandum, impium aliquid evomuit scelerate in Dei Matrem. Sed ecce justissimus suæ Matris judex & vindex permisit, ut os illud apertum contra tantæ Reginæ majestatem, ipso temporis articulo adversarii telo interciperetur tam ad punctum vibrato & directo ictu, ut ipsis linguæ radicibus succisis & transfixo palato repente mortuus conciderit.

40. Matiæ Epinicium.

Surge, surge Debbora; surge, surge, & loquere canticum, Iudicum 5, ℣. 12. Epinicium nempe & glorioſum. Cui & nos succinamus. *Sic pereant omnes inimici tui Domine* (Domina) *qui autem diligunt te, sicut sol in ortu suo splendet, ita vivant.* Ibidem ℣. 31.

41. Arca fœderis illius typus.

Arca illa mirabilis tota cooperta auro, quâ tabulæ legis veteris continebantur, typum fuisse alibi diximus Virginis bellatricis & zelatricis. Novimus verò quam rigidâ ultione, & horrendâ plagâ quondam adversarios suos exceperit.

41. Arca Dei hostes severè punivit.

Vociferabantur Azotii, primi Regum 5, ℣. 7: *Non maneat Arca Dei Israel apud nos: quoniam dura est manus ejus super nos, & super Dagon Deum nostrum.* Quis ignorat quam infami & probrosâ plagâ illi percussi fuerint? Nec illi modò manum victricis Arcæ persenserunt, sed quotquot ferè illam indignè tractarunt, vel Dei hostes fuerunt, ut constat ex libro Iosue & primo Regum, & secundo. Attonabantur, & percellebantur ad illius præsentiam Iudæorum inimici, illius nomen & numen horrescebant. Audi Philisthæos 1 Regum 4, vers. 6, 7, 8. ululantes; cùm cognovissent, quod Arca Domini venisset in castra: *Venit Deus in castra: væ nobis; væ nobis. Quis nos salvabit de manu Deorum sublimium istorum?* &c.

41. Eadem erat populo Dei præsidium, contra hostes.

Ceterùm Arcam illam mirabilem fuisse populo Hebræorum præsidium alexicacum & apotropæum satis indicant quæ habentur Numer. 10, vers. 35, & 36, ubi sic legimus: *Cumque elevaretur arca* (præcedens castra Israel) *dicebat Moyses: Surge Domine, & dissipentur inimici tui: & fugiant qui oderunt te à facie tua:* quæ verba mutuatus est Regius vates Psal. 67, vers. 2. *Cum autem deponeretur, ajebat: Revertere Domine ad multitudinem exercitus Israel.*

42. Dei Mater à Ferdinando Generalissima dicebatur.

Ferdinandus II Augustus, ut refertur in libello virtutum ejus cap. 7. armorum suorum præfecturam semper Virgini commisit, cujus imaginem in regio vexillo, meliori omine quàm aquilam militi voluit præferri. Hanc passim Generalissimam vocabat.

Sed plures victorias & sibi & nobis peperit Dei animata Arca de spectabilibus, & inspectabilibus hostibus, Tartareis furiis, & conscelera-tis hominibus, in cladem animarum nostrarum inhiantibus, corporibus verò nostris exitium intentantibus.

Ad nomen solùm Mariæ ut fumus dissipantur & deficiunt Avernales legiones, in fugam vertuntur hæresum phalanges, impii & sacrilegi detriumphantur. Vbique palmæ, ubique laureæ, lemniscatæ coronæ, & opima spolia reportantur.

Illâ vincente vincimus. Et quando illa non vincit? Olim ejulabant Bethsamitæ præsente Arcâ percussi plaga magnâ 1 Regum 6, ℣. 20. *Quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti hujus?* Vbi Chaldaicè est: *Quis poterit stare ante Arcam Domini Dei sancti hanc?* Non impune lacessit hanc bellatricem & fortem mulierem inimicus. Est S. Maria de Victoria.

43. Culta Constantinopoli S. Maria νικοποιὸς de victoriâ.

Auctor est Curopalates Constantinopoli olim fuisse effigiem nostræ heroinæ dictum νικοποιόν, Nicopœam, id est victoriæ effectricem, quam quotannis diebus festivis præcipuis singulari cultu Imperatores venerabantur memores hujus auspiciis plura contra barbaros feliciter confecta bella, fusas gentium legiones, locata glorioſa tropæa ad sempiternum ejusdem honorem. Sic primâ Dominica Octobris sodales Rosarii S. Mariam de victoriâ solenni pompâ colere apud religiosos S. Dominici consueverunt, de quâ ante.

44. Dei genitrix gloriosior Cybele, & matre Castrorum.

Longè illa glorioſior Matre Rheâ sive Cybele, quam Orpheus & alii Græci poëtæ vocant matrem omnium, & ille canit de eâ.

Μήτηρ μέντ θεῶν, ἡ δὲ θνητῶν ἀνθρώπων.
Dicitur hæc Mater Divorũ hominumq, perorbem.

Quæ coronata invehitur curru leonibus juncto. Præclarior matre Castrorum apud Romanos celebratissimâ, quippe quę sola per se castrorum aciem ordinatam instruat, & digna sit quæ sola insidens quadrijugo curru ab albentibus equis circumferatur, quam devolans cœlis Victoria rosis & liliis incingat, & solaribus radiis coronet tamquam Erebi legionum & hæresẽm omnium domitricem & supplantatricem.

Agnovit hoc Ioannes Comnenus (non Manuel, ut quidam existimant) de quo ex Nicetâ Choniatâ hæc Baronius tomo 12 anno Christi 1123.

45. Comnenus de Scythis ope Dei Matris triumphat.

Cùm Comnenus Imperator annum quintum ageret in Imperio, ope Dei genitricis Mariæ de barbaris Scythis trans Istrum habitantibus, & ingenti agmine Thraciam invadentibus victoriam obtinuit. Dum enim Romanæ phalanges, urgentibus hostibus & audacius se inferentibus laborarent: imaginem Dei genitricis cum gemitu & miserabili gestu Imperator intuens, lacrymas bellicis sudoribus calidiores fundebat. Neque id frustrà. Statim namque cœlesti robore armatus, Scythicam aciem profligat, assumptisque armigeris cum illis congreditur. Qui cùm dissolutâ illâ curruum serie ad manus venirent, in turpem versi fugam à Romanis alacriter persequentibus magno numero cæduntur Hamaxobii illi, castrisque direptis innumerabiles capiuntur. Hac de Scythis partâ victoriâ Ioannes vota Deo persolvit, quod festum Pazzinacarum nostro tempore dicitur in rei gestæ monimentum. Subjicit etiam de aliis per eumdem Imperatorem obtentis victoriis ope pariter Deiparæ, cui, ut unicæ victrici religioſum & augustum paravit triumphum. Igitur Byzantium reversus pompam nobilem indicit, & currum argento interpunctum adornari jubet, opus admirabile, & gemmis pretioſissimis condecoratum. Cùm dies supplicationis adesset, omnis generis tapetes Babylo-

nic

nici & belluati, auro & purpurâ intertexti vicos exornabant, nec deerant Christi & Sanctorum icones in iis ad vivum expressæ. Erant & pegmata & tabulata utrimque pro spectatoribus extructa digna admiratione.

45. A Comite eo in curru triumphali Dei Matris effigies collocatur.

Rheda vel quadriga à quatuor equis nive candidioribus ducebatur, quam Imperator conscendere noluit, sed Dei genitricis effigiem in eâ collocavit, cujus gratiâ gaudiis exundabat, ita ut animo penè deficeret, illi victorias ut collegæ invictæ & potentissimæ hospitatrici, acceptas referebat. Habenas viris principibus moderandas, & cognatis vehiculum adornandum dedit. Ipse crucem manu gestans pedes antecessit, & Dei Sapientiæ templum ingressus, & præsente populo Deo gratiis actis in palatium abiit. Hæc Nicetas.

Digressio morata ex versu 17, & sequentibus.

Hilaritas, epulæ, & cetera lætitiæ argumenta proprium & solenne dierum festivorum condimentum.

NVlli mirum videri debet, si Iudæi perfuncti periculo, quod ab hostibus suis imminebat; si soluti fatigatione & labore Amanitas cædendi, diem illum, quo ab interfectione cessarunt, festum esse voluerint, quòoptatâ quiete fruerentur, hilaritati & jucunditati se darent, convivia appararent, ea denique omnia frequentarent & assumerent, quæ diebus festivis & lætis propria sunt

Siquidem anteiverat illos mundi hujus molitor & architectus Deus, qui post opus Hexemeron & sex dierum actionem Genes 2, cum complesset die septimo opus suum quod fecerat, *requievit die septimo ab universo opere quod patrarat. Et benedixit diei septimo, & sanctificavit illum; quia in ipso cessaverat ab omni opere suo, quod creavit Deus, ut faceret.* ℣. 2, & 3. Candidus ergo ille dies novo orbi illuxit, niveo signandus lapillo, festivus, lætus, bonus, jucundus: quem etiam ad perpetuam creati mundi memoriam populo voluit esse felicem, fortunatum, venerabilem, & hilaritatis plenum: ex cujus hebdomadaria revolutione mortales consuescerent aspirare ad lucem illam serenissimam æternitatis, & sempiternam requiem, gaudia sine fine duratura. Nobis verò melioris ævi populis Christianis in Sabbati locum successit, *Primus dierum omnium, Quo mundus extat conditus, Et quo resurgens conditor, Nos morte vilâ liberat*, dies celeberrimus omnium dierum, dies augustissimus, Dominicus, qui Prognosticum est & Hieroglyphicum æternæ lætitiæ, & exuberantis gaudii, quietis perpetuæ, sempiternæ felicitatis, triumphorum immarcessibilium & coronæ Amarantinæ, ad quæ rectà post exantlatos ærumnosæ hujus vitæ labores contendimus æternitatis candidati. Sed præter quietem illam Sabbati, quo Deus ab opere suo quievit, & Assertor nostræ libertatis Christus in tumulo à labore suo respiravit, victor ad gaudium Resurrectionis emersit, multa suadent annuas festivitates singulari animi alacritate, & exuberantis lætitiæ signis peragendas; v. g. so-

46. Dies septimus novo orbi festivus illuxit, postquam Deus opus creationis absolvit, & dies Dominicus quo Christus resurrexit.

lennibus epulis, tripudiis, ludis & ceteris hilaritatis significationibus, cultiore etiam vestitu, quo feriæ honorentur.

Deuteron. 12, vers. 12, loquitur Legislator: *Epulabimini coram Domino Deo vestro vos & filii, ac filiæ vestræ, famuli & famulæ*, &c. 47. Epulæ Festorum dierum propriæ.

2 Esdræ 8, v. 9 & 10, Esdras sacerdos dixit universo populo: *Dies sanctificatus est Domino Deo nostro; nolite lugere, & nolite flere. Flebat enim omnis populus cum audiret verba legis. Et dixit eis: Ite, comedite pinguia, & bibite mulsum, & mittite partes his, qui non præparaverunt sibi: quia sanctus dies Domini est, & nolite contristari: gaudium etenim Domini est fortitudo nostra.* Et ℣. 12. *Abiit itaque omnis populus, ut comederet & biberet, & mitteret partes, & faceret lætitiam magnam*; &c.

Huc etiam non absurdè revocari possunt, quæ habentur Iudith 15, vers. 15: *Et omnes populi gaudebant cum mulieribus & virginibus & juvenibus in organis & citharis.* Rursum ibidem cap. 16, vers. 27. *Erat populus jucundus secundum faciem sanctorum, & per tres menses gaudium hujus victoriæ celebratum est cum Iudith.* Fuisse autem victoriæ à Iudith reportatæ ferias institutas significat clausula illius libri cap. 16, ℣. 31; his verbis: *Dies autem victoriæ hujus festivitatis ab Hebræis in numero sanctorum dierum accipitur, & colitur à Iudæis ex illo tempore usque in præsentem diem.* 48. Festum victoriæ Iudith. Quamvis autem hæc celebritas modò in Calendario Hebræorum non reperiatur, fuisse tamen olim in usu usque ad tempus, quo hæc historia Iudithæ litteris mandata est, non est dubium ex verbis Scripturæ jam prolatis. Addo ferias illas ex Iudæorum Ephemeride potuisse excidere, ut alia plura.

Non repugnare, nec dedecere festorum venerationem institutos virginum choros, & juvenum saltationes aût ludos honestos, oblectationesque decoras, fusius prosequitur Sanctius ad Iudith cap. 15, ℣. 15, ad quem Lectorem ablego.

Auctor etiam libri primi Machabæorum sub finem cap. septimi ℣. 48, & 49, loquens de victoriâ Iudæ de Nicanore, sic scribit: *Et lætatus est populus valdè, & egerunt diem illam in lætitia magna. Et constituit agi omnibus annis diem istam tertiâ decimâ die mensis Adar.* 48. Festum victoriæ de Nicanore. Vide de eadem festivitate l. 2 Machabæor. c. ultimo ℣. 36, & 37, ubi dicitur celebritatem illam fuisse institutam pridie Mardochæi diei, de quo nos inferius: vocat autem hunc diem festivum Iosephus lib. 12 Antiquit. cap. 17, τὰ νικητήρια q. d. victorialia.

Festos etiam dies epulis & conviviis peragi solitos clare insinuat illud Paulinum, 1 ad Corinth. 5, ℣. 8. ubi cùm dixisset, *Pascha nostrum immolatus est Christus*, mox subjicit: *Itaque epulemur*, &c. ubi Græcè est ἑορτάζωμεν, id est, festum agamus, & ita etiam legit Syrus & S. Ambros. & rectè: consueverant enim sacris feriis conjungi epulæ solennes in signum hilaritatis.

Quia verò omnes vitæ dies Christianis, & maximè Clericis feriæ sunt, quibus à peccatis vacandum, & Redemptionis beneficia recolenda, semper spiritualiter epulandum, ait in locum illum Chrysost. & Clemens lib. 7 Stromatum: *universa*, inquit, *vita viri justi est quidam celebris ac sanctus dies festus.* 49. Omnis dies Christianis festus est, in quo gaudendum in Domino.

Exodi 32, vers. 6, cùm Aaron formasset vitulum ex inauribus & dixisset voce præconis:

Cras

50. Ludi profani gentilitij diebus festis.

Cras solennitas Domini, statim addit Scriptura. *Sedit populus manducare & bibere & surrexerunt ludere.* More scilicet gentilium, ex hostiis vitulo immolatis festum solenne sacro, imò execrando convivio honorabant, & dedicabant, quibus sociabant choreas obscœnas, & ludos salaces dignos vitulo, cui faciebant & immolabant.

51. Vestes splendidæ exornant festivitates.

Præterea diebus festis etiam ad lætitiam & splendorem compositis olim usos vestibus, satis indicant verba Ecclesiastæ 9, vers. 8: *Omni tempore sint vestimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat*: quasi dicat: Quotidie honoratioribus & festivis induere vestimentis, ut feriatum diem agens, & ungere oleo quasi deliciis & epulis nuptualibus fruereris.

52. Christianorum spirituale gaudium festis diebus.

Ceterùm consuevisse prima Christiani nominis germina, & deinceps eorum posteros communibus gratulationis & jucunditatis significationibus festivitates Christi, & Sanctorum Martyrum venerari docet omnis sacra historia, & veterum Patrum monimenta.

Tertullian. agens de cultu diei Dominici, Apologetici c. 16. *Diem*, inquit, *Solis lætitiæ indulgemus.* Epiphan. quoque generatim loquens de Christianorum celebritatibus dicit eas peractas fuisse splendidè atque hilariter, Oratione in Christi Resurrectionem. Extant passim ad populum habitæ conciones Patrum, quibus diebus festivis eum ad spiritualem lætitiam excitant.

Unus sufficiat gravissimus & religiosissimus Romanæ Cathedræ Antistes Leo, qui exordio suorum sermonum ad sanctam alacritatem animos evibrat Auditorum. Sermone primo in solennitate Nativitatis Domini. *Salvator noster, dilectissimi, hodie natus est, gaudeamus. Neque enim fas est locum esse tristitiæ ubi natalis est vitæ*, &c. Iterum sermone 2, de eâdem. *Exultemus in Domino, dilectissimi, & spirituali jucunditate lætemur: quia illuxit nobis dies redemtionis, novæ reparationis, antiquæ felicitatis æternæ*: &c. Prætermitto alia.

Nec gaudium illud animi recessibus continebant, sed etiam effundebant, & externis argumentis prodebant, ne horridam aliquam & tristitiâ squalidam religionem colere viderentur: unde & primi nostræ fidei Therapeutæ symmystæ, sive Orthodoxi festa sua ornabant nitidiore habitu, & victu lautiore.

53. Primi Christiani diebus festis vestitu cultiore utebantur.

Pertinebat ea res ad testandam exultantis animi voluptatem, & Dei honorem, & pietatis lucem; unde & vestis, quâ tunc decorabantur, etiam appellabatur habitus festivus. Et sicut templa manu artificum extructa, & Deo venerandorum hierarcharum precationibus dedicata illis diebus augustiore paratu convestiebantur, ita quoque ipsorum corpora viva Dei templa solito glorioſiore & splendidiore amictu circumdabantur. Qui mos hodieque perseverat non solùm apud nobiles & honoratiores, sed etiã apud opifices mechanicos, & viros rusticanos, quos sacrâ luce Paschæ, Pentecostes, &c. cernimus instructu vestium magnificentiore supra modum usitatum nitescere, & hoc cultu decus aliquod celebritatibus annuis addere: ita ut prisci Christiani, qui tunc temporis mortem consanguineorum aut carorum fugebant, vestem pullam & funebrem ponerent, & elegantiorem, imò aliquando & candidam assumerent. Vide S. Hieron. epistola 34 ad Iulianum.

Etiam Ascetæ & Anachoretæ, quibus hispidis membra rigebant ciliciis, ut dies illos honorarent, amictum commutabant.

54. S. Antonius tunicâ B. Pauli Eremitæ diebus solennibus utebatur, ut triumphabundus.

Scitum est, quod refert S. Hieron. in extremo vitæ S. Pauli Eremitæ, B. Antonium senem tunicam ejus sibi vendicasse, quam ipse in sportarum modum de palmæ foliis sibi contexuerat, ut detrito palliolo, & hirsuto melote exutus, diebus solennibus Paschæ & Pentecostes eâ, tamquam Imperator aliquis palmatâ & picta togâ, vestiretur.

Mens autem sanctitate præclarissimorum virorum fuit, venustiore indumenti paratu non auram popularem venari, sed Deum, Christum, ejusque amicos hac ornatiore pompâ piè venerari.

55. Thomas Morus etiam in carcere cultiore utebatur vestitu festis diebus.

Angliæ illud præsidium & decus Thomas Morus ut fidem Catholicam, quam animo tenebat, etiam externo habitu testaretur, diebus sacris etiam obscuro carcere conclusus, honoratiorem tamen vestitum accipiebat. Rogantibus verò cur id faceret cùm solus ageret, & publico non fruerctur, respondebat his verbis: *Non ad conspectum aut plausum populi, sed ad Dei honorem dies religiosos colo.*

56. Olim etiã parvuli amiculis speciosioribus tunc feriabantur.

Nyssæ eruditione & pietate insignis Præsul Gregorius auctor est etiam pusiones & pupas, sive pueros & virgunculas suo tempore novis aut splendidioribus amiculis comptos in conspectum populi procedere solitos ut sensu externo saltem festum honorarent qui mente & spiritu illius mysteria non assequebantur, & schemate feriarentur corporis, qui animo Deo vacare non noverant. Novimus omnes quo affectu infantes & parvuli aspirent ad Paschatis festivitatem ut novis indumentis encænient.

57. Invitabant Christiani olim amicos maximè inopes ad epulas festis diebus.

Iam verò in usu fuisse Christianis præcipuis Christi feriis & religiosis diebus, vel solennitatibus memoriæ Martyrum consecratis opipara, & magnifica apparare convivia, & ad ea amicos & consanguineos, maximè verò inopes invitare, notius est, quàm ut pluribus demonstretur.

Ipsum nomen epulationis, quæ Agape in primordiis nostræ religionis dicebatur, satis insinuat hunc morem, nomen ducens ab Amore qui hujusmodi cœnis vel fovebatur, vel conciliabatur vel redintegrabatur, ad quam maximè egentiores nostræ fidei alumni vocabantur, qui domi nihil sibi paraverant; quâ de consuetudine commodius infrà dicemus.

58. Culpa hominum epulæ in luxum degenerarunt.

Nec incongruè aut absonè splendidioribus epulis festa olim condiebantur, tum quia in illis solet lætitia & exultantis animi voluptas excitari, quæ festorum propria est, tum quia liberalitas in illis provocatur erga mendicorum & pauperum turbam: unde & viri sanctissimi nostrę religionis illas apparatu honoratioribus Catholicæ Ecclesiæ feriis: quamvis postea cùm illæ in luxum, ebrietatem, indecoras saltationes & alia propudia dilaberentur, linguam & calamum in easdem Patres strinxerint, ut etiam in superbificum & sumptuosum præter morem vestium ornatum & apparatum. Rectè enim cecinit Poëta Georgicon 1.

Sic omnia fatis,
In pejus ruere, ac retro sublapsa referri.

Non aliter quam qui adverso vix flumine lembum
Remigio subigit, si brachia forte remisit,
Atque illum in præceps prono rapit alveus amne.

In locum enim sobriorum & honestorum conviviorum successerant apud profanos Ethnicos celebratæ Pontificiæ cœnæ & Saliares dapes, quibus exquisitę & sumptuosæ epulæ indicantur.

Qua autem ratione luce sacra extruendæ dapes, prædocuerat nos Tobias cap. 2, initio. *Post hæc verò cum esset dies festus Domini & factum esset prandium bonum* (Hebraicè, convivium magnum, obsoniis refertum, ut Græcè) *in domo Tobiæ, dixit filio suo. Vade & adduc aliquos de tribu nostrâ timentes Deum ut epulentur nobiscum.*

59. Quamvis epulandum diebus festis docuit Tobias cap. 2.

Hæc ibi v. 1 & 2. Tobias tamen mox, ut audivit unum ex filiis Israel jugulatum jacere in plateâ exiliit de accubitu filio, jejunus relicto prandio, ut mortuum sepeliret, & reversus domum, *manducavit panem cum luctu & tremore, memorans sermonem illum, quem dixit Dominus per Amos prophetam* (2, 10) *Dies festi vestri convertentur in lamentationem & luctum*, ut ibi narratur.

Imitatus est teniorem Tobiam S. Palæmon (prout refertur in vitâ S. Pachomii ejus discipuli lib. 1. cap. 8, de vitis Patrum apud Rosvveydum) *Hic, cum sacratissimus dies Paschæ advenisset, ait ad Pachomium. Quoniam cunctorum Christianorum universalis est ista festivitas, nobis quoque para, quæ usui nostro sunt congrua. Tunc ille promptus ad obtemperandum, præter solitum parumper accipiens oles, cum salibus tritis admiscuit. Lapsanas enim, id est, agrestia olera, & herbas alias præter oleum consueverant edere. Cum ergo præparasset, ait ad senem: Feci quod tua paternitas imperavit. Cum verò Palæmon vidisset olei apparatum cum salibus, fricans manibus frontem, & ubertim fundens lacrymas, ait: Dominus meus crucifixus est, & ego nunc oleum comedam?* Cumque rogaret cum Pachomius, ut modicum quid ex eo sumeret, nullatenus acquievit.

59. Item S. Palæmon Antecessor.

Lector hinc colligit diebus festivis apparatos quidem fuisse cibos lautiores quibus tamen magni illi sanctitate viri vesci noluerunt, ne quidquam de rigore abstinentiæ relaxarent. Exclamare jam prope juverit in depravatum seculi nostri luxum. O tempora! ò mores! Quod in celebratione sacrorum dierum deterrimum est & à sanctis viris reprehensum, sequimur, quod verò optimum, & ab omnibus probis commendatum, imitari recusamus. Concludo hoc argumentum verbis S. Hieronymi epistolâ 19. *Valde*, inquit, *absurdum est nimiâ satietate velle honorare martyrem, quem scimus Deo placuisse jejuniis.*

Sancti placuerunt Deo abstinentiâ, non illos colimus crapulâ, &c.

VERSVS XX, XXI, XXII, XXIII, XXIV, XXV, XXVI, XXVII, XXVIII, XXIX, XXX, XXXI, & XXXII.

Scripsit itaque Mardochæus omnia hæc, & litteris comprehensa misit ad Iudæos, qui in omnibus regis provinciis morabantur, tam in vicino positis, quam procul,

Vt quartam decimam, & quintam decimam diem mensis Adar pro festis susciperent, & revertente semper anno solemni celebrarent honore:

Quia in ipsis diebus se ulti sunt Iudæi de inimicis suis, & luctus atque tristitia in hilaritatem, gaudiumque conversa sunt, essentque dies isti epularum atque lætitiæ, & mitterent sibi invicem ciborum partes, & pauperibus munuscula largirentur.

Susceperuntque Iudæi in solennem ritum cuncta quæ eo tempore facere ceperant & Mardochæus litteris facienda mandaverat.

Aman enim filius Amadathi, stirpis Agag, hostis & adversarius Iudæorum, cogitavit contra eos malum, ut occideret illos atque deleret, & misit Phur, quod nostrâ linguâ vertitur in sortem.

Et postea ingressa est Esther ad Regem, obsecrans ut conatus ejus, litteris Regis irriti fierent: & malum, quod contra Iudæos cogitaverat reverteretur in caput ejus. Denique & ipsum & filios ejus affixerunt cruci,

Atque ex illo tempore dies isti appellati sunt phurim, id est sortium: eò quòd phur, id est, sors, in urnam missa fuerit. Et cuncta quæ gesta sunt epistolæ, id est libri hujus volumine continentur.

Quæque sustinuerunt, & quæ deinceps immutata sunt, susceperunt Iudei super se, & semen suum, & super cunctos, qui religioni eorum voluerunt copulari, ut nulli liceat duos hos dies absque solemnitate transigere: quos scriptura testatur & certa expetunt tempora, annis sibi jugiter succedentibus.

Isti sunt dies, quos nulla unquam delebit oblivio & per singulas generationes cunctæ in toto orbe provinciæ celebrabunt: nec est ulla civitas, in quâ dies phurim, id est sortium, non observentur à Iudeis, & ab eorum progenie, quæ his cerimoniis obligata est.

Scripseruntque Esther regina filia Abihail, & Mardochæus Iudæus etiam secundam epistolam, ut omni studio dies ista solemnis sanciretur in posterum.

Et miserunt ad omnes Iudæos, qui in centum viginti septem provinciis regis Assueri versabantur, ut haberent pacem, & susciperent veritatem,

Observantes Dies Sortium, & suo tempore cum gaudio celebrarent: sicut constituerant Mardochæus & Esther, & illi observanda susceperunt à se, & à semine suo jejunia & clamores & Sortium dies,

Et omnia, quæ libri hujus, qui vocatur Esther, historiâ continentur.

Hebraicè: Et scripsit Mardochai verba hæc, misitque litteras ad omnes Iehudæos, qui erant in omnibus provinciis regis Achа-

chasueros propinquis & longinquis. Statuendo super eis, ut facerent diem quartam decimam mensis Adar, & diem quintam decimā ejusdem in omni anno & anno (per singulos annos) secundum dies in quibus quieverunt in eis Iehudæi ab inimicis suis, & mensem qui conversus fuerat eis à mœstitia in lætitiam, & à luctu in diem bonum, ut facerent eos dies convivii & lætitiæ & missionis partium, vir socio suo (unusquisque proximo) & donorum egenis. Et susceperunt Iudæi quæ susceperunt facere, & quod scripsit Mardochai ad eos. Quoniam Haman filius Hammedatha Agagites hostis omnium Iudæorum cogitavit contra Iehudæos, ut perderet eos, & projecit Pur, (ipsa Ghoral, id est, sors) ad conterendum eos, & ad perdendum eos: & cùm venisset ipsa ante regem, dixit (Rex) cum epistolâ (alterâ) Convertatur cogitatio ejus mala, quam cogitavit contra Iudæos super caput ejus, & suspendant eum & filios ejus super ligno. Idcirco vocaverunt dies illos Purim (sortes) propter nomen Pur (sortem.) Ideo propter verba epistolæ hujus, & propter id, quod viderunt, & propter id quod contigit eis; Statuerunt & receperunt Iehudæi super se & super semen suū, & super omnes adjunctos sibi, & non transibit (prętermittent) ut facerent duos dies hos juxta scripturā eorum & juxta tempus eorum in omni anno & anno. Et dies isti erunt memorati & facti in omni generatione & generatione, familiâ & familiâ, provinciâ & provinciâ, & civitate & civitate, & dies Purim (sortium) isti non transibunt è medio Iehudæorum, & memoria eorum non interibit à semine eorum.

Et scripsit Esther regina filia Abichail, & Mardochai Iehudæus, omni fortitudine, ut firmaret epistolam Purim (sortium) hanc secundò.

Et misit litteras ad omnes Iehudæos ad septem & viginti & centum provincias regni Achasueros verbis pacis & veritatis. Ad confirmandum dies Purim istos in temporibus suis, secundum quod statuit super eis Mardochai Iehudæus & Esther regina, & secundum quod firmaverunt super animam suam, & super semen suum verba jejuniorum & clamoris sui. Et sermo Esther firmavit verba Purim istorum (sortium istarum) & scriptum est in libro.

Iosephus brevissimè. Scripsitque Mardochæus omnibus sub Artaxerxis dominio degentibus Iudæis ut universi hos dies festos agerent, & posteritati quoque traderent, ut sempiternum id festum ad perpetuam rei memoriam maneat. Æquum namque esse, ut cùm per eos dies dolis Amanis in salutis discrimen adducti sint, tam suæ liberationis, quàm de inimicis vindictæ memoriam celebrent, & pro tanto beneficio Deo agant gratias. Quamobrem ea festa per eos dies observant, Phruræa vocantes, quasi Conservatoria. Hæc ille.

COMMENTARIVS.

VErs. 20. *Scripsit itaque Mardochæus*, &c. Ex hoc versu & aliquot sequentibus tum hoc capite, tum cap. 12, opinionem nostram firmavimus hujus libri auctorem fuisse Mardochæum, (ut plerique omnes scriptores Hebræi, Græci, Latini senserunt) Prælocuio tertio in nostris Prolusionibus.

Igitur Mardochæus Iudaicæ gentis in Perside dux, qui omnia quæ contigerant hactenus, viderat, & quorum pars magna fuerat, nihil antiquius habuit, quàm ut eadem litteris à se consignata mitteret per veredarios & Pegasos ad omnes Iudæos per omnem ditionem Assueri dispersos, etiam ad illos qui in Syriâ & Palæstina degebant; nam & illi coronæ Persicæ subjiciebantur; & adversa, prosperaque æquè, communiterque ad omnes, sive in propinquis sive remotis regionibus degentes pertinebant.

Porrò tria sunt quæ scripto Iudæis proposuit tamquam Pater patriæ, salutis publicæ studiosissimus, & legis divinæ observantissimus, qui, ut tum ex præcedentibus, tum ex sequentibus constat, Deo vivo & vero juxta Satyrici monitum offerebat

Compositum jus, fasque animi, sanctosque recessus
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto.

Primum quomodo nequitiâ superbissimi & crudelissimi Amani conjurati ipsorum hostis tota gens in extremum vitæ, salutisque discrimen fuisset adducta, ex quo tamen divina providentia lectissimæ reginæ Estheræ auxilio interveniente eam eruisset.

Alterum, ut in tanti beneficii divinitus collati monimentum quotannis quartum decimum, & quintum decimum diem mensis duodecimi, qui vocatur Adar, festivum agerent.

Tertium, ut dies illos quolibet anno revertente instaurarent novis lætitiæ signis & argumentis, genialibus epulis; missis datisque Apophoretis seu conviviorum partibus, denique liberali in pauperes munerum largitione.

Ceterùm Iudæi, qui sponte suâ dies illos jam ut festivos & lætos agere cœperant, accedente Mardochæi mandato libenter annis singulis recurrentibus solenni ritu celebrandos in omnem posteritatem susceperunt.

Vers. 22. *Vti sunt se Iudæi de inimicis suis.*

Hebraicè : quieverunt Iudæi de inimicis suis, id est, ab eis cædendis.

Vers. 24, 25, &c. Versibus sequentibus continetur Epitome & summa eorum quæ Estheris historiâ describuntur, & pertinent ad exponendam originem festi Phurim.

In versu 25, inter Latinum & Hebræum hoc est discrimen, quòd verba illa in Latino tribuantur Estheræ, in Hebræo, Regi.

Vers. 26. Atque ex illo tempore dies isti appellati sunt Phurim, id est, sortium eò quod Phur, id est sors, in urnam missa fuerit.

60. Festum Sortium majus & minus & pridianum jejunium.

Assignatur hic Etymon sive originatio festi Phurim vel potius festorum, quia duo dies celebres & solennes erant decimus quartus & decimus quintus mensis duodecimi, qui est Adar, & ita notantur in Ephemeride sive Calendario Hebræorum apud Genebrardum, indigetantque Iudæi 14 diem, festum Sortium minus, & 15 Sortium festum majus. Igitur festum illud nomen ducit à sorte, quam jusserat Amanus mitti in urnam, quo die & quo mense gens Iudæorum deberet interfici, Esther 3 versu 7; quia verò decima tertia dies mensis Adar, destinata erat eorum occisioni, ideo Iudæi eo die jejunare consueverunt, & vocant eum, jejunium Esther ex cap. 4, vers. 16, hic. Est autem vocabulum illud Phur, vel Pur Persicum, ut cap. 3, vers. 7 diximus, & hoc capite vers. 24 habetur: *misit* (Aman) *phur, quod nostrâ linguâ* (id est, Hebræa) *vertitur in sortem*: Hebraicè legitur; misit Pur, ipsa Ghoral, (id est Ghooral.) Est itaque Pur vel Phur Persicum, Ghoral vocabulum Hebraicum, quorum utrumque Latinè sortem significat.

62. Ratio festi Sortium.

Quamvis verò hæc sit ratio nominis illorum festorum, non tamen hæc sors causa fuit cur instituta fuerint festa, sed potius quia sors illa immutata fuit, & dies decima tertia ipsorum exitio decreta conversa est in hostium suorum perniciem, & exinde illis superiores esse cœperunt: unde etiam, quia decimâ quartâ Adar, Iudæi qui extra Metropolim Susorum degebant, ab inimicis suis cædendis destiterunt, & qui Susis habitabant, decimâ quintâ, hinc utramque diem solenni celebrarunt honore, prout significatur hoc capite ỳ. 17, 18, 19: licet primaria ratio, sed ex priore orta, indicetur hic vers. 22, *quia in ipsis diebus se ulti sunt de inimicis suis, & luctus atque tristitia in hilaritatem, gaudiumque conversa sunt.*

In memoriam ergo divini beneficii, quo victoriam reportarunt de inimicis suis hæc festa instituerunt, habueruntque hujus suę institutionis Mardochæus & Iudæi exemplar Deum ipsum, qui durante lege veteri plura festa celebrari voluit, ut recordarentur beneficiorum sibi ab Auctore omnis boni præstitorum. Sic præcepit

61. Festa instituta in memoriam divinorum beneficiorum.

omnium festivitatum præcipuam Sabbatum honorari; ut conditi universi, & naturę primum formatæ jugis in ipsorum mentibus vigeret, & numquam intermoreretur memoria. Sic jussit coli Pascha tamquam diem memorialem liberationis ab Angelo primogenita devastante & tyrannide Ægyptiacâ; Pentecosten sive festum hebdomarum ob datæ legis præstantissimum munus: & sic de ceteris. Itaque ut numquam mentem ipsorum subiret oblivio periculi quo Numinis providentia per Estheram eos eripuerat, festum Sortium latum & publicatum fuit, quasi cilet testera sive pignus, quo testarentur se à malâ sorte exemptos, erutosque illo die fuisse.

Sicut ergo die decimâ tertiâ mensis Adar, id est, Februarii, memorabant, & animo lugubri recolebant maximum discrimen, in quod sortes Amani illos adduxerant, quia omnibus Iudæis erat pereundum, ideoque quotannis diem illum agebant jejuniis, planctibus & clamoribus, ut hoc capite indicatur ỳ. 31, renovantes antiquum ritum de quo c. 4, ỳ 3 & 16: unde & dies ille dicebatur jejunium Esther, vel quia Esther tribus diebus & noctibus à cibo & potu abstinuit, vel quia ipsa Iudæis triduanum & trinoctium indixerat jejunium suprà cap. 4. ỳ. 16, & infrà cap. 14, vers. 2: Ita diem decimum quartum & decimum quintum ejusdem mensis Adar, sive Februarii exultantibus animis, & publicâ lætitiâ instaurabant memores insignis triumphi, quem Patres eorum egerant, sublato Amano è medio & hostibus omnibus deletis, qui Iudæos pessimè oderant. Jejunii Esther dies.

Cetertùm diem 14 Adar insigniunt nomine festi Sortium minoris, 15 verò nomine festi Sortium majoris, eò quòd illo quidem die extra Susorum metropolin à cæde suorum hostium Iudæi cessaverant, & aliqua ex parte periculo perfuncti fuerant, nihilominus ante diem decimum quintum non penitus ab interficiendis inimicis quieverunt. Hic autem dies plenam illis attulit ab omni labore & discrimine immunitatem, cùm & reliquias adversariorum sublatas Susis è medio viderunt, & scelleratam Amani sobolem crucibus suffixam.

Advertendum hîc primò, 2 Machabæorum cap. 15, sive postremo, vers. 37, vocari hæc festa dies Mardochæi, quia videlicet Mardochæus horum auctor, & institutor fuerat, & sic etiam modò notantur in Hebræorum Calendario apud Genebrardum, 14 & 15 mensis Adar. Sic enim ibi habemus, post commemoratam victoriam de Nicanore relatam à Iuda Machabæo, ỳ. 36. *Itaque omnes communi consilio decreverunt nullo modo diem istum absque celebritate præterire*, & vers. 27, *habere autem celebritatem tertiâ decimâ die mensis Adar, quod dicitur voce Syriacâ, pridie Mardochæi diei.* Dies Mardochæi quis.

Illâ scilicet die, quâ ponitur in Calendario ipsorum, jejunium Esther; 4 Esther ỳ. 16.

Notat Serarius in locum Machabæor. citatum, diem illum victoriæ de Nicanore vocatum fuisse τὴν νικητήριον q. d. victoriala vel triumphalia apud Iosephum lib. 12 Antiquit. cap. 17, deinde ut sensus constet, sic construenda illa verba: *Tertiâ decimâ die mensis, qui dicitur voce Syriacâ Adar*: Quia verò ut jam diximus sæpius, ejusdem mensis dies decimus quartus & decimus quintus festi erant, ideo in Græco dicitur, pridie unius, seu primę diei Mardochæi. Noster verò Latinus Interpres eos dies, quorum una causa, quasi unum considerat, & dicit, *pridie Mardochæi diei.* Festa νικητήρια, id est, victoralia.

Cetertùm videntur Iudæi tempore instituti festi ob eędem Nicanoris vel non observasse jejunium illud Esther die 13 Adar, vel alium in diem transtulisse. Nam triumphali & læto festo jejunium non conveniebat, ut rectè ibi Serarius, & hîc etiam quæst. 2, quamvis hodieque Iudæi jejunium illud retineant, & videtur illud saltem taci-

tacitè præscripsisse Mardochæus, Esther 9, ℣. 31, & 32. quamvis, ut dixi, non semper à veteribus illud fuerit cultum vel saltem non eodem die decimo tertio, ob νικηθέντα de Nicanore, quibus illud repugnabat. Dicit enim 2 Esdræ 8, vers. 10, populo die Scenopegiorum flenti Esdras sacerdos: *Ite, comedite pinguia & bibite mulsum, & mittite partes his, qui non præparaverunt sibi; quia sanctus dies Domini est & nolite contristari:* &c.

62. Judæi festis diebus non jejunabant.

Porrò eadem de solennitate indictâ die decimâ tertiâ Adar habentur primi Machabæorum 7, ℣. 48, & 49, ubi post contrita castra Nicanoris, & ipsum in prœlio occisum, dicitur; *Et lætatus est populus valde, & egerunt diem illum in lætitia magna. Et constituit ad omnibus annis diem istam tertia decima die mensis Adar.*

Advertendum 2 dies hos Phurim in vetustioribus Græcis libris appellari ἡμέρας Φυρεῖς, vel Φυρείνας, malè autem in Græcis quibusdam recentioribus hodie leguntur Φρουραί, & in Iosepho, Φρουραῖοι; ubi in versione Latinâ habetur, *ea festa Phruræa vocantes, quasi Conservatoria.* Voluit enim Judæus Græcè scribens & Græcis & Romanis omissâ Hebraicâ originatione ad plausum gentilium novam notationem fingere: quasi dies illi Judæis illuxissent instar salutaris custodiæ & præsidii, est enim Φρουρὰ Græce custodia & Φρουρὸς custos. Sic, ait hic Serarius, allusio fieri potest inter Theriacè, & Teriace quasi pharmacum illud sit conservatorium. Possent à κλῆρος, id est sors etiam dici τὰ κληρώσιμα, & etiam meo judicio τὰ φυλακήσια, id est Tutelaria, præsidiaria.

63. Malè Iosephus vocat dies Sortium Phruræos pro Phuræos, de quo vide Torniellū an. mundi 3661. n. 3.

Advertendum tertiò hæc festa Phurim, vel Happurim, variis ritibus à Judæis culta fuisse. Vt enim omittam, quod Iosephus solùm memorat, illos gratis animis liberationem suam à malis sortibus hisce diebus recoluisse & Deo Soteri & sospitatori gratias egisse, hymnis & canticis ipsius beneficium celebrasse, salutares & pacificas Hierosolymis hostias immolasse, vota oblationesque dedicasse; & similia, quæ aliis festivitatibus fieri mos erat; quatuor hic vers. 22, recensentur, diebus illis præstari solita.

Quatuor præstabant Judæi diebus Phurim.

Primum, ut essent dies illi epularum id est, destinati conviviis; Septuaginta ponunt pro epulis γάμους, id est, nuptias, id est haberent splendidas epulationes, ut in Parabolâ Matth. 22 de rege faciente nuptias. Alterum, ut essent dies lætitiæ, quibus se ludis, choreis, & voluptati honestæ darent; vocatur Hebraicè ℣. 22, dies bonus q. d. quo agerent Hilaria. Tertium; ut missitarent sibi mutuò partes, sic Hebræa & Græca, quas noster ad ciborum vel obsoniorum partes restrinxit; & rectè, quia sic solitum erat apud illos, ut constat ex 2 Esdræ cap. 8, vers. 10, ubi Nehemias & Esdras suadent, ut mittant partes, utique epularum, his qui non præparaverant sibi; per quos accipio egenos, qui non habebant, unde pingues & unctos cibos vel altilia saginata sibi mistruerent. Quartum, ut pauperibus munuscula largirentur juxta illud Isaiæ 58, vers. 7: *Frange esurienti panem tuum*, &c. *& carnem tuam ne despexeris*; &c.

Legitur diebus Phurim historia hæc in Iudæorum Synagogâ.

Advertendum 4, hodieque duobus illis diebus 14 & 15 Adar, id est, Februarii Iudæos pro more habere seriem historiæ hujus suis in conventibus publicè legere, & constat per multa secula eos suæ liberationis beneficium anniversariâ celebritate refricasse. Vide Iosephum lib. 11 Antiquitat. cap. 6, sub finem.

64. Tunc etiam statuam Amani exurant.

Præterea auctor est in Synopsi S. Athanasius Iudæos decimâ quartâ die Adar Amanum incendere, & festum diem agere salutis eorum memoriale. Per Amanum verò accipe Amani statuam lignean, effigiem (pilam vocat Martialis in Spectaculis Epigrammate 18) vel simulacrum fœno vel stramine offertum, aut linteo tomento suffultum (qualia olim in Amphitheatro tauri rapta cornibus in aëra jactabant.) Ita videmus pluribus hodie in locis patriæ perduellium effigies, quia haberi ipsi non possunt, tunicâ indutas molestè concremari.

65. Amani statuam crucl affigunt Iudæi.

Addunt alii Iudæos, ut repræsentarent Amani in cruce suspendium, crucem ligneam, contumeliæ causâ in Ambarvalibus circum compita præferre solitos, cui cùm ad satietatem verbis procacibus insultassent, eamdem tandem exurebant.

66. Excitant strepitus & clamores.

Præterea etiam nunc, cùm hæc Estheris historia in Synagogis legitur, horrendum strepitum excitant, manusque complodunt, pedibus solum cædunt, malleolis pulpita & scamna percutiunt, inscriptumique Amanis nomen contundunt, & lancinant, clamorem tollunt, contumelias in Amalecitam jaciunt, &c. prout scribunt Antonius Margarita lib. de ritibus Iudæorum, & Gregorius Tolosas Syntagmatum l. 2, c. 16, n. 10. Sic Iudæi renovabant quotannis quæ hoc libro Esther continentur.

68. Imperatores Christiani vetuerunt suis legibus ne Iudæi ulteriùs crucem exurerent, quia hoc modo Christiana religio in contemptum vocabatur.

Nota autem, quia Iudæi hac simulatâ actione & quasi Comœdiâ, quâ Amanum in crucem agebant, Liberatoris nostri Christi Domini sanctissimam crucem, & acerbos cruciatus subsannabant; ritum illum, & omnes alios, qui in contemptum nostræ religionis cedebant, Christiani legibus suis sustulerunt Imperatores, ut patet Cod. de Iudæis & Cælicolis, L. Iudæos, ubi sic statuunt Honorius & Theodosius: Iudæos festivitatis suæ solenni, Aman, ad pœnæ quondam sumptæ recordationem, incendere, & sanctæ crucis adsimulatam speciem in contemptum Christianæ fidei sacrilegâ mente exurere, provinciarum rectores prohibeant: neve jocis suis fidei nostræ signum immisceant, sed ritus suos citra contemptum Christianæ legis retineant, amissuri sine dubio permissa hactenus, nisi ab illicitis temperarint. Datum quarto Calend. Iunias Constantino Basso & Philippo Coss. 408. Ita Theodosius Iunior Cod. Theodosiano l. 18 t. 8, de Iudæis. Vide hæc apud Interpretes, & præter eos apud Iacobum Gretserum lib. 1, de Sanctâ Cruce cap. 60, & Cardinal. Baronium Tomo 5 Annal. anno 408.

67. Etiam modo Iudæi in Christi ludibrium carnes duritas contundunt, dicentes: *Dat is den durre Haman.*

Refert insuper hic Nicol: Serarius eosdem perfidos etiam modò in quibusdam Germaniæ locis duratas fumo carnes coquere, pueriisque suis diverberandas, & bacillis contundendas tradere, dicentes, *Dat is den durre Haman*, quod eorum plerique de Servatore nostro Christo per ludibrium intelligunt, quasi is sit *den durre man*, id est vir exsuccus, aridus, illiberalis, inops, &c.

Advertendum 5, festum Phurim haud dubiè decretum fuisse imperatumque à Mardochæo; unde, ut suprà diximus, vocatur 2 Machabæorum

Mardochæus festum Phurim instituit.

ultimo ℣. 37, dies Mardochæi: Patet hoc ℣. 21, hic. Videntur autem Iudæi ipsi proprio motu, cum à cæde inimicorum suorum quievissent, dicm illum vel dies tamquam festivos epulis & lætitiæ dicasse idque anno uno, quos postea Mardochæus anniversario festo semper voluit & sanxit celebrari. Acceptaverunt verò Iudæi hosce dies honorandos, ut festivos tam à se, quàm à posteris suis, & illis qui se eorum religioni & ceremoniis adjuncturi essent in perpetuum, id est, in longissima tempora, ut liquet ex ℣. 27, 28, 31, &c. Sed & accessit ℣. 29 hic secunda sanctio Mardochæi & Estheris, quâ confirmatum est hoc festum. *Scripseruntque*, inquit, *Esther & Mardochæus etiam secundam epistolam, ut omni studio dies ista solennis sanciretur in posterum*: ubi Hebræa habent: scripsit omni fortitudine, ut firmaret epistolam Purim hanc secundò. Tradit verò Chronicum Hebræorum cap. 29, anno sequenti, à morte scilicet Amani & cæde mensis 12 Adar hanc epistolam scriptam fuisse. Fuit ergo hoc festum secundò à Mardochæo confirmatum.

Vers. 26 & 27. *Et cuncta quæ gesta sunt, epistolæ, id est, libri hujus voluminc continentur: quæque sustinuerunt, & quæ deinceps immutata sunt.*

Quidam hæc verba putant pendere, & compleri versu sequenti, ibi; *Susceperunt Iudæi super se & semen suum*; &c. & id colligunt ex Hebræo, vel saltem videntur colligere.

Alii in illis verbis: *quæque sustinuerunt & quæ deinceps immutata sunt*; putant subintelligi quod præcessit, scilicet *libri hujus volumine continentur*; & ante verba: *Susceperunt Iudæi super se*, &c. interpungunt, & subaudiunt: Itaque, ut sensus sit: *Susceperunt* itaque *Iudæi*, &c.

Continebantur ergo epistolæ sive libri hujus volumine (eadem enim hic sunt liber sive epistola) duo Iudæorum tempora, unum, quo summo cum angore & metu exitium sibi ab Amano, & ejus fœderatis inferendum expectabant; alterum, quo versâ rerum vice lux nova illis exorta est & tempestas illa in serenitatem mutata, & in hostium suorum capita tela mortis retorta; quæ omnia hoc volumine breviter conscripta sunt.

Existimat Sanctius explicans hæc verba; summam rerum, quæ Iudæis evenerunt, sive prosperarum sive adversarum regnante Assuero in Persidc, strictim & leviore manu comprehensa fuisse brevi epistolâ à Mardochæo, ad omnes provincias transmissa, postea verò majore otio in meliorem & accuratiorem formam libri redactâ, prout modo legimus.

Susceperunt Iudæi super se & semen suum, &c. id est, obstrinxerunt se religiosè Iudæi tam suo, quam filiorum suorum & etiam proselytorum nomine celebraturos festum Sortium annuâ in perpetuum serie in gratam præstiti beneficii memoriam, sic ut duo hi dies ab omnibus coli deberent; pro locorum tamen diversitate, decimus nempe quartus ab iis qui extra Susorum metropolin degebant, à Susianis verò decimusquintus, ut antè diximus.

Ut nulli liceat duos hos dies absque solennitate transigere, quos scriptura (id est, epistola à Mardochæo scripta, & fortè postea à Pontifice vel Synagogâ Iudæorum confirmata, honorandos testatur, & præcipit) *& certa expetunt tempora*, id est, futura tempora requirunt, singulis annis recurrentibus.

Vers. 28. *quæ his ceremoniis obligata est*, id est, gens quæ lege Iudæorum tenetur hos ritus observare.

Vers. 29. *Scripseruntque Esther & Mardochæus*, &c.

Non suffecit Estheræ Reginæ religiosissimæ, & Mardochæo semel scripsisse ut festa Phurim celebrarentur, sed voluerunt insuper alterâ epistolâ idipsum omni studio & sollicitudine Iudæis confirmare & commendare.

Quid significet hæc formula: *Habere pacem, & suscipere veritatem.*

Vers. 30. *Ut haberent pacem & susciperent veritatem.*

Hebraicè: misit litteras ad omnes Iudæos verbis pacis & veritatis. Sic etiam Chaldaicè.

1. Explicatio.

Mariana hæc sic accipit: Miserunt Esther & Mardochæus litteras non solùm refertas verbis humanissimis, sed etiam rebus gravissimis & maximè seriis, seriò præcipientes, ut ita facerent, ut fuerat constitutum.

Secunda.

Sanctius aliter exponit; dicitque Estheram & Mardochæum hac scribendi formulâ non tam hortari, quàm summâ auctoritate præcipere, ut tam inter se, quàm cum aliis exteris nationibus pacificè vivant, neve inflati novâ rerum mutatione crudeliter cum illis agant, quos vident repentino casu collisos: deinde ut veritatem colant, id est, sectentur vera & solida bona, non autem fugacia & caduca, qualia sunt opes, principum gratia; &c. quæ Scriptura vanitatem & mendacium vocat Psalmo 4, ℣. 4.

Tertia.

Addit secundò, videri his verbis comprehendi legitimam scribendi formulam, quâ suis in edictis & rescriptis reges Persarum utebantur: sicut & aliarum gentium principes: Ita hîc c. 13, vers. 1, & cap. 16, item ℣. 1, Assuerus suo decreto salutem præfigit, & Esdræ lib. 1, cap. 4, ℣. 17, salutem & pacem. Vide ibidem cap. 7, ℣. 12. Ita Latini suis epistolis præponunt salutem, Græci χαίρειν, & εὖ πράττειν, quam formulam expressit Horatius lib. primo Epistola 8.

Celso gaudere & bene rem gerere Albinovano,

Quasi precentur gaudium & fortunatum eventum in negotiis peragendis.

Hinc fit ut verba illa solennia pro edictis sumantur; unde qui litteras à Rege vel Pontifice favoris impetravit, dicere poterit se à Rege gratiam & salutem, à Pontifice verò se habere vel accepisse salutem & Apostolicam benedictionem; unde tandem concludit Sanctius illa verba: *Miserunt Iudæis verba pacis & veritatis*, ut confirmarent dies Sortium, idem valere atque miserunt edictum, cujus inscriptio erat: *Pax & veritas.*

Quarta.

Postremò & aliam subjungit ex Hebræo interpretationem, ubi pro *veritatem* est, אמת Emeth, quæ vox etiam firmitatem valet; quare sensus esse poterit: Miserunt, id est, optare se velle dixerunt pacem veram, sive firmam ac solidam atque stabilem. Eadem ferè verba præfixit Darius suo edicto Daniel. 6, vers. 25, dum scribit: *Pax vobis multiplicetur*: q. d. pax vobis sit vera, solida, diuturna.

Quinta & amplectenda.

Placet mihi expositio, quorumdam Interpretum, ut Emman. Sa, Tirini, &c. scilicet, precati sunt illis pacem, id est, salutem, prosperitatem & omnia bona, & hortati sunt, ut suscipe-

rent

rent veritatem sive fidelitatem, id est, ut fideles essent in promissis, quibus spoponderunt quotannis se religiosè celebraturos festum Phurim.

Vers. 31. *Et illi observanda susceperunt à se, & à semine suo jejunia & clamores.*

Solùm petierant Esther & Mardochæus à Iudæis celebrari dies Phurim; at illi etiam suscipiunt observanda jejunia & clamores & omnia quæ hoc volumine continentur, vel omnia quæ gesta sunt, sive tristia & acerba, sive læta & prospera, idque per omnia tempora secutura. Vnde ut ante diximus, præmittunt Iudæi in suo Calendario diebus lætis Phurim, jejunium die decimo tertio Adar, & *clamores*, per quos accipe eorum ejulatus, quos excitarunt, cum se ad mortem damnatos sortibus Amani audivissent, de quibus hoc libro cap. 4, vers. 3. Sic ergo quotannis renovabant Iudæi omnia quę volumine Esther continentur, alia cum planctu & clamore lugubri, alia cum gaudio & exultatione.

Mariana per clamores intelligit Iubilum solennitatis Sortium; sed rectius alii *clamores*, preces & suspiria ad Deum fusa; hæc enim jejuniis conjungi solent, ut supra cap. 4, vers. 3 vidimus, & jejunia festivis, lætisque diebus præmittuntur.

Excvrsvs Primvs:

An Ecclesia auctoritate suâ festa in populo Christiano possit instituere: Vbi etiam obiter de feriis ob Victorias decretis.

68. Causa sæpe justa intercedit instituendi festa ob beneficia à Deo accepta.

IVstissimam festa decernendi causam sæpe intercedere, ambigit nemo. Siquidem ferè omnia instaurantur in gratam recordationem beneficiorum à Deo nobis collatorum. Sic enim testatur S. Augustin. lib. decimo de Civitate Dei cap. 4, *Deo*, inquit, *beneficiorum ejus solennitatibus festis & diebus statutis, dicamus, sacramque memoriam, ne volumine temporum ingrata subrepat oblivio.*

69. Auctoritatem hæretici detrahunt Ecclesiæ religiosa festa instituendi.

Auctoritatem festa seu dies religiosos indicendi Ecclesiæ detrahunt nostri novatores hæretici, dum tradunt annuas festivitates sive ferias solum inductas, ut ordo civilis & politia teneantur, non vero, ut Catholici & Orthodoxi lege obligentur, piè eas venerari, vel eas profanis, profestisque diebus sacratiores sanctioresque habere tamquam ad cultum Dei, divorumque pertinentes. Sed facilè tum aliis argumentis, tum ex nostra historia petitis rationibus refelluntur.

70. Probatur ex facto Artaxerxis hic cap. 16.

Primò: quia Artaxerxes sive Assuerus Persarum Imperator gentilis, aliquà tamen viventis altissimique Dei cognitione imbutus, agnoscens ejus beneficio & majoribus suis & sibi regnum traditum, & custoditum, ut ipsemet fatetur in suo Rescripto cap. 16, vers. 16, severè præcipit ibidem vers. 21, & sequentibus, ut tertiam decimam diem mensis duodecimi, qui vocatur Adar, inter ceteros festos dies habeant, & eam celebrent cum omni lætitiâ. Et ℣. ultimo sic concludit epistolam suam. *Omnis autem provincia & civitas, quæ noluerit solennitatis hujus esse particeps, gladio & igne pereat, & sic deleatur, ut non solum hominibus, sed etiam bestiis invia sit in sempiternum: pro exemplo contemptus & inobedientiæ.*

Ita princeps ille profanus suâ auctoritate sanxit diem festum sibi subditis Persis colendum.

70. Præceptî Assueri Persis diem festum.

Minus autem rectè Feuardentius ibi putat illũ præcipere Iudæis. Certum enim est & luce meridianâ clarius ex toto contextu Assuerum illam epistolam dirigere ad suos Persas, quod facile esset ostendere, nisi alibi id probandum nobis foret. Solùm urgeo verba quædam illius edicti vers. 21. *Hanc enim diem Deus omnipotens mœroris & luctus, eis* (Iudæis scilicet) *vertit in gaudium*, vers. 22. *Vnde & vos* (Persæ) *inter ceteros festos dies* (Græcè, ἐν ταῖς ἐπωνύμοις ὑμῶν ἡμέραις, id est, in gentilibus & cognominibus vestris) *hanc habete totę diem, & celebrate eam cum omni lætitia*; &c.

Sed, ut ad institutum veniam, dico Regem suo Decreto & Dogmate sive Placito statuisse ex suæ auctoritatis & potestatis plenitudine, ut festum Phurim toto regno Persarum celebraretur; quod colligitur ex pœnâ gravissimâ, ut pereat violator gladio & igne pro exemplo contemptus, & inobedientiæ.

71. Ex Apostolo constat etiam seculares principes posse leges ferre conscientiam subditorum obligantes.

Posse autem etiam principes civiles leges ferre conscientiam subjectorum populorum stringentes, constat ex Apostolo ad Romanos 13, ubi inter alia vers. 5. sic loquitur: *Ideo necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam*: quorum verborum hic sensus est legitimus: Necesse est, vos subdi potestati etiam gentilium & impiorum principum, non solùm propter iram, gladium, pœnam, vindictam, quam cervicibus vestris intentant, sed etiam propter propriam conscientiam, quam Deus suâ ordinatione ad obediendum principibus etiam sceleftis obstringit.

Non rectè ergo accipiunt aliqui hîc conscientiam aliorum, quos inobedientes edictis principum suo exemplo pravo offendunt. Dictat enim ratio & conscientia eis tamquam Dei ministris justa præcipientibus morem gerendum. Vnde videtur Rescriptum Artaxerxis subditos Persas sub peccato mortifero obligasse, cùm juberet rem magnopere ad Dei gloriam pertinentem. Nam, ut rectè Serarius noster exponens Assueri edictum, docet; viderunt Ethnici naturæ luce illustrati, quod Iudæi à Deo hausérant, æquum esse naturæ conditori certos dies consecrare, quibus coleretur, & pro beneficiis acceptis debitæ gratiæ persolverentur.

Quid his obgannant nostri seculi vulpeculæ, non video.

Sed ulterius ex nostrâ historiâ institutum nostrum confirmemus.

Mardochæus instituit festum Phurim.

Mardochæus vir spiritu prophetico afflatus, utpote auctor libri sacri etiam in Canonem Hebræorum recepti, instituit & mandavit festum Sortium, ut ex maximâ hujus capitis parte constat, sive postea Pontifex Iudæorum, & qui Iudæorum Synagogæ præerant, illud suâ auctoritate roboraverint sive non; & tamen nusquam Deus illud præceperat: ergo multo magis potuit, semperque poterit Ecclesia, quæ *columna & firmamentum veritatis* 1 ad Timoth. 3, ℣. 15. præcipere, ut antiqua festa piè, accuratèque celebrentur, & etiam ob nova beneficia à Deo accepta nova decernere, ut Deo gratiæ referantur.

Dicere verò cum Neoteris nostris non licere hoc Ecclesiæ, quia Deus hæc festa in particulari non præcepit, ridiculum est, cum nec festivitatem

tatem Phurim Iudæis Deus mandaverit, ut nec multas alias solennitates.

72. Deus solum instituit septem festa propriè dicta.

Siquidem solum reperio à Deo immediatè decretas ferias sive festivitates septem, quæ numerantur hoc ordine Levitici 23. Sabbatum, Pascha, Pentecoste vel festum Hebdomadarum, festum tubarum, festum Expiationis, festum Scenopegiæ sive tabernaculorum, festum cœtus sive Collectæ. Additur Numeror. 28, ℣. 11. Neomenia, Calendæ vel Novilunium; in quo clangebatur tubis, & offerebantur sacrificia; vide Psalmo 80, ℣. 4, & Numeror. 10, ℣. 10. sed ex Dei mandato non cessabatur in hoc ab opere servili; unde propriè festum non erat, nisi ex devotione populi.

72. Reliqua immediatè instituta sunt à Iudæis.

Reliqua instituta fuere immediatè à Iudæis, ut hic festum Sortium, deinde festum Encæniorum, seu purgationis templi & dedicationis altaris, 1 Machabæor. 4, ℣. 59, quod memoratur Ioannis 10, ℣. 22.

Rursus festum recepti ignis sacri, 2 Machabæor. primo ℣. 18. Item festum ob victoriam de cæso Nicanore 1 Machabæorum 7, vers. 49, & lib. 2 cap. ultimo ℣. 37. Vide de his Riberam lib. 5, de templo cap. 17 & sequent. & Calendarium Hebræorum apud Genebrardum, quod præmittitur explicationi ejus in Psalmos.

Addo his festum victoriæ Iudith reportatæ de obtruncato Holoferne, de quo Iudith ultimo, ℣. 31, his verbis scriptum est: *Dies autem victoriæ hujus festivitatis, ab Hebræis in numero sanctorum dierum accipitur, & colitur à Iudæis ex illo tempore usque in præsentem diem.* Sic ibi. Cur verò hæc νικητήρια sive dies victoriæ in ipsorum Ephemeride non collocetur, sicut dies renovationis templi vel Encænia, & alia quæ recensuimus, planè me latet.

Cur dies victoriæ Iudith non ponatur in Calendario Hebræorũ.

Dicere quis possit cum Sanctio nostro in locum Iudith prolatum, non dixisse sacrum historicum hanc solennitatem esse perpetuam, sed coli solitam, *usque in præsentem diem*, ad illum scilicet diem, in quo hæc historia Iudith sacris litterarum monimentis tradita est. Vide plura de hoc Iudithææ victoriæ festo apud Serarium quæstione 9 in cap. 16 Iudith, qui rectè colligit ex illo versu ultimo libri, dum dicit Auctor sacer diem illum victoriæ ab Hebræis in numero sanctorum dierum accipi, redargui nostri sæculi hæreticos, qui putidè & ineruditè negant diebus festis ullam sanctitatem inesse. Vide præterea de jucundâ gratulatione ob victoriam Iudith eumdem Serarium in Iudith. 15 ad finem capitis §. Quartum.

Plura de auctoritate Ecclesiæ, quâ valet, ad festa aliis diebus sanctiora & religiosiora instituenda & populo Orthodoxo præcipienda, hîc tractare non est mentis, nec instituti mei, cùm plures scriptores Dogmatici solidè & doctè hoc argumentum persecuti sint. Inter alios videat Lector facilè eorum principem Cardinal. Bellarm. tomo primo Controvers. lib. 3. de cultu Sanctorum cap. decimo.

73. Omnes gentes obtentâ victoriâ festum instituerunt.

Ceterum scire vel meminisse velim Antagonistas nostros Calvinistas & Lutheranos, omnes nationes sive barbaras sive cultas, sive veri Dei cognitione imbutas, sive genticæ superstitionis vanitate seductas, insigni aliquâ reportatâ de hostibus victoriâ, vel obtentâ à magnis periculis liberatione, ferias, festivitatesque decrevisse.

71. Sic Syracusani capto Nicliâ.

Sic memorat tomo 2 vitarum illustrium comparatarum, in Niciâ Plutarchus de Syracusanis. *Totius populi Syracusani & sociorum concione advocatâ Eurycles concionator legem rogavit: primum ut diem quo ceperant Niciam, festum agerent, eoque sacrificarent, atque ab operibus feriarentur, eumque diem festum à fluvio appellarent Asinarium. Dies fuit decimus septimus mensis Carnei*, &c.

Sic diximus apud Persas fuisse celebrem diem μαχεφονίας sive cædis Magorum.

Prioris sæculi anno 71 in gratiarum actionem navalis victoriæ relatæ auspiciis Ioannis Austriaci ab Aliæ tyranno Turcâ, decrevit Pius V Pontifex celebrari Dominicâ primâ Octobris festum B. Mariæ de Victoriâ ut aliàs dictum.

74. S. Mariæ de Victoriâ festum.

Sic autem habent tabulæ Ecclesiasticæ sive Martyrologium Romanum Nonis Octobris sive die 7. *Eodem die commemoratio S. Mariæ de Victoriâ, quam Pius V Pontifex Maximus, ob insignem victoriam à Christianis bello navali, ejusdem Dei genitricis auxilio, hac ipsâ die de Turcis reportatam, quotannis fieri instituit, & Gregorius 13 primâ hujus mensis Dominicâ die annuam solennitatem Rosarii ejusdem beatissimæ Virginis celebrandam decrevit.* Vide Baronium in Notationibus ejusdem diei ad Martyrologium.

Ne autem ingratus videar carissimæ meæ patriæ breviter hic referre placuit νικητήρια sive ferias indictas Ipris ob civitatem Anglorum obsidione liberatam ejusdem Virginis victricis & Tutelaris patrocinio.

Rem gestam breviter suis Annalibus Flandriæ intexuit Iacobus Meierus insignis historicus anno Domini 1383.

Ipras jam novem hebdomadas arctâ obsidione premebat & acerrimè oppugnabat Anglus; tanta ferebatur vis telorum, ut civium nemo in summo aggere vel muro consistere quiret, quinimo nec juxta mœnia nisi probè armatus tutus erat. Non tamen spem abjiciunt obsessi, quamvis brevi fame omnes essent perituri. Interim 8 Augusti die, quo asperrima ingruebat oppugnatio, omnis populi multitudo opem Deiparæ Virginis multis lacrymis & precibus efflagitat.

Nec incassum fusæ lacrymæ, missæ ad cœlum ardentissimæ orationum faces & jacula. nam adveniente potentissimo Gallorum exercitu, Angli, Gandensesque, qui urbem obsederant, fugere, solutaque obsidio, Iprenses victoriam acceptam tulere Virgini Matri, cujus eo potissimũ die suppetias postulaverant. Erat dies Sabbati, & octavus Augusti: unde etiam nunc illius mensis Dominica prima Ipris memorabilis est, ob Virginis beneficio civitatem hostilibus armis & insultibus liberatam; insignitur dies ille nomine Dominæ nostræ ad sepes, sintque annua Amburbalia, & supplicatio totius anni celeberrima. Feriæ autem illæ ad Sepes vocantur, eò quòd civitas intra sepem servata sit. Habebat enim tunc temporis sepem, spinosam ac densam cum muro cespititio, altisque fossis. Hæc Mejerus noster & omnes ferè scriptores qui res Flandricas litteris mandarunt.

75. Festum Ipris B. Mariæ ad Sepes, Tundachi vulgo.

Refert hoc loco Serarius ad idem propositum, diem festum institutum ob recuperata è Saracenorum manibus Hierosolyma, ductu & auspiciis religiosissimi & invictissimi Lotharingiæ

76. Festum ob recuperata Hierosolyma.

giæ ducis Godefredi Bullonii; de quo videndus Guilielmus Tyrius lib. 8, de bello sacro cap. ultimo.

Induantur novatores nostri sicut diploide confusione, quibus nec natura, nec ratio, nec sancti, nec Deus ipse suis sacibus, accensisque luminaribus sufficiunt, ut lucem veritatis aspiciant; & festivitates ob divinorum beneficiorum memoriam decretas ceteris profanis diebus religiosius colant.

Excvrsvs Secvndvs:

Dies sacri & festivi religiosis & sanctis functionibus honorandi, & omnis vanitas ab illis removenda.

VIdimus hoc capite vers. 22, festa Sortium fuisse dies *epularum atque lætitiæ, quibus mitterent sibi invicem ciborum partes, & pauperibus munera largirentur.* Sic ibi. Nec negat scriptura condecoratam fuisse festivitatem illam sacrificiis, oblationibus, hostiis salutaribus & pacificis, & aliis grati animi argumentis.

Nos quoque Orthodoxi, sicut à majoribus accepimus, dies Deo, Christo, Virgini Matri, ceterisque cœlitibus dicatos religiosis piisque exercitiis reddere etiam studemus sanctiores.

Vnde magis execranda ævi nostri hæreticorum sacrilega impietas, qui omni animi corporisque contentione & viribus dies Deo superisque devotos profanare, turbare, evertere, & tollere nituntur, ita excæcati Avernali fumo, & nequitiæ œstro abrepti, ut non videant, nec advertere velint, se unà etiam Dei cultum, cujus magna pars diebus illis continetur, & omnium ferè bonarum & laudabilium actionum genera è medio auferre, penitusque pessumdare.

Agnosco ipsorum abominandas & scelestissimas voces ex terrerrimo pectoris barathro emersas & graveolentis Averni faucibus erumpentes, in Psalmo 73, ℣. 8. *Dixerunt*, inquit Hebrææ fidicen lyræ, *in corde suo cognatio eorum simul: Quiescere faciamus omnes dies festos Dei à terra.*

77. Vox hæreticorum festa abolentium in Psalmis: Quiescere faciamus omnes festos Dei à terrâ.

Quamvis autem prædicere videatur vastationem & abolitionem religionis Dei, quam tempore Machabæorum molitus est Antiochus Epiphanes cum suis copiis; quia tamen nostri ævi hæreticorum ille fuit prodromus & prototypus, qui ut malus corvus mala ova exclusit, eadem etiam cum ipso nostrorum sectariorum mens, studium, conatus: ideo rectè dicuntur ejus cognatio; qui in corde, ore, opere proclamant simul: *Quiescere faciamus omnes dies festos Dei à terra*; ita scilicet, ut toto orbe terrarum cesset omnis religiosorum & Dei cultui consecratorum dierum memoria, & ne vestigium quidem eorum remaneat.

Notant verò in Psalmi locum interpretes, Ianson. Bellarm. & alii ex S. Hieronymo Epist. ad Suniam & Fretelam; in Hebræo legi: Incenderunt omnes dies festos Dei à terrâ, & in exemplaribus Origenis versionem Septuaginta habere: δεῦτε καυσώμεν, id est, venite incendamus omnes dies festos à terrâ, cùm alia lectio habeat, καταπαύσωμεν, id est, quiescere faciamus, ut habet Latina nostra editio. Et certè utraque translatio convenientissima est. Siquidem raptores illi animarum è Tartari emissi specubus inflammati à gehennâ tamquam furiæ passim suis facibus Dei & sanctorum templa concremarunt, existimantes illis sublatis, etiam conventus piorum hominum, qui ad festa celebrandâ eò confluere soliti erant, ipsamque dierum religiosorum memoriam unà se posse abolere, iisdemque flammis & rogo Religionem Catholicam absumere, & in cinere sepelire.

78. Altera lectio habet: Incendamus omnes festos dies Dei.

Verùm non advertunt illi tenebriones se gigantum more non cum falsis diis, sed cùm Deo vivo & vero bella gerere; nam qui ἀγωμαχῆ, θεομαχῆ, *qui cum sanctis belligerat, cum Deo belligerat*, & dum blaterant se Sanctorum tantum festivitates delere, etiam Dei festos dies quiescere faciunt, qui in sanctorum honoribus honoratur, & in ipsorum contemptu contemnitur, dicente Christo Domino: *Qui vos spernit me spernit.*

Orthodoxi, quibus melior mens cœlo infusa, festivos dies debitis honoribus celebrant, & tum internis tum externis virtutis religionis officiis, & piis obsequiis. Inter exteriora verò devotionis opera, primum locum sibi vendicat Sacrosanctum Missæ sacrificium, quod ipsi vel offerunt, si sacris initiati sint mysteriis, vel assistunt, si laici.

79. Honorantur festa Missæ sacrificio.

Vsque adeo hoc verum est, ut dies plures festi à missâ nomen acceperint. Hinc idiomate Belgico festum Natalis Christi vocitamus *Kerstmisse* q.d. Missam Christi, festum Purificatæ Virginis *Lichtmisse*, eò quòd festum illud, & illius diei propria Liturgia plurimis præter solitum accensis cereis colluceat. Sic Martinalia vel festivitatem S. Martino sacram dicimus *S. Martins Misse*, eò quòd illo die Missa audienda sit.

80. Missa olim pro festo accipiebatur.

Nec hoc modo verum est apud Belgas, sed etiam Germanos & Gallos; apud quos ante multa secula Missæ nomen pro festo usurpabatur. Nam in capitularibus Caroli Magni lib. 2, cap. 18, 20, &c. cum Imperator ille sapientiâ & pietate maximus hoc modo scribit: *Spatium usque ad Missam S. Martini decrevimus*: nihil aliud per B. Martini Missam, quàm lucem illi Divo sacram intelligit. Sic apud illum Missam S. Andreæ & alia hujusmodi reperire in promptu est.

Nihil hîc dicam de aliis religionis nostræ exercitiis, quibus pii homines & semper festa coluerunt, hodieque colunt, ut sunt orationes, oblationes, exomologeses, perceptio V. Eucharistiæ, sacrarum exhortationum auditiones, & alia pietatis obsequia; quæ omnia litterarum monimenta testantur.

Diximus suprà etiam diebus solennioribus varia exhibita fuisse lætitiæ signa, ut sunt splendidiora præ ceteris diebus convivia, & oblectationes honestæ, mundior & cultior vestitus &c.

Iam addiderim etiam festa nos posse honorare si partem aliquam deliciarum ab epulari accubatione detrahamus, ut sancti viri fecere.

81. Non celebrantur festa profusioribus epulis.

Rectè monet S. Petrus cognomento Chrysologus sermone 128. *Noli existimare, quod in solis prandiis, & profusioribus epulis natales* Martyrum celebrantur.

S. Augustin. lib. 20 contra Faustum Manichæum cap. 21, qui ut probrum Orthodoxis objiciebat ebrietates & luxuriosa convivia in diebus Martyrum honori consecratis frequentari solita, hoc modo respondet:

Qui, inquit, *se in memoriis Martyrum inebriant, quomodo a nobis approbari possunt: cùm eos etiam si in domibus suis faciant, sana doctrina condemnet.*

Quia verò ventris saturitatem, saltationes, & plures pudendæ petulantiæ quasi naturali concatenatione sequuntur, hinc in choros ducentes in sacris celebritatibus passim linguam exeruere sancti Patres. S. Epiphanius in festum Palmarum oratione. *Age*, inquit, *Christi Ecclesia, non corporis tripudio, sed mentis motu & religione festos celebra dies.*

81. Neque saltationibus.

Auctor ego sim viris, & maximè sexui φιλοχόρῳ puellis & mulieribus, ut in honorem Dei & Sanctorum, festis diebus paululum minuant instructum corporis, & pandectas nitoris & elegantiæ, vestiumque inane choragium, idque exemplo S. Elisabethæ Hungaricæ, de qua in ejus vita c. 4 inter alia sic legis apud Surium 19 Novembris.

82 S. Elisabetha Hungarica de ornatu corporis diebus festis aliquid detrahebat.

Festos, inquit auctor vitæ, *dies pro ingenii modulo religiose admodum peragebat, ita ut* (quod eâ fuit ætate mirum; erat enim juvencula, & despontata) *semper aliquid sibi de ornatu corpusculi decerperet, sciens Deo magis mentem, quam vestem placere, acceptioremque animum esse religionis studio deditum, quàm corpus margaritis, purpurâ, lapillis, auro, argentoque præfulgidum. Proinde chirothecarum usum tantisper intermittebat, dum res divina compleretur, volens officio quantumvis parvo, consuetudini suæ aliquid detrahere & voluntati aliud suadenti pro Deo contrarium ingerere.*

Iuverit hîc recensere quod Theodosius Iunior sanctitate præsignis Imperator rescripserit de diebus sacris religiose colendis absque spectaculorum impuritate, & quomodo etiam sibi aliquid honoris iisdem festis decerpserit. Extat ejus Rescriptum lib. 5 de Spectac. Cod. Theodosiano, his verbis.

83. Prohibentur profana diebus festis spectacula.

Dominico, qui septimanæ totius primus est dies, & Natalis atque Epiphaniorum Christi, Paschæ & in Quinquagesimæ (Pentecostes) *diebus*, &c. *omni Theatrorum atque Circensium voluptate per universas urbes earumdem populis denegatâ, totæ Christianorum mentes Dei cultibus occupentur. Ac ne quis existimet in honorem numinis nostri, veluti majore quadam Imperialis officii necessitate compelli, & nisi, divinâ religione interruptâ, spectaculis operam præstet, subeundam forsitan sibi nostræ serenitatis offensam, si minus circa nos devotionis ostenderit, quàm solebat: nemo ambigat, quod tunc maximè mansuetudini nostræ ab humano genere defertur, cùm virtutibus Dei omnipotentis ac monitis universi obsequium Orbis impenditur.* Datum Kalend. Februarii Constantinopoli, Theodosio A. 11, & Valentiniano Cæs. Coss.

84. Theodosius Iunior in Dei honorem libenter caruit suo honore, qui diebus festis Imperatori exhiberi solebat.

Addit Baron. Tomo 5 Annal. Christi anno 425, p. 499. Hæc idcirco à religiosissimo Augusto rescripta, quod in spectaculis coronare solerent imagines Imperatorum & faustis eas acclamationibus prosequi: quibus quidem ob propensiorem divinum cultum festis diebus exhibendum Imperator volens, libensque carere voluit. Hæc Cæsar Baron. Imitentur Principes & Magistratus.

Plura hîc se offerebant de cultu dierum sacrorum, sed quandoquidem hoc ab aliis eruditè & copiosè explicatum video, non judicavi hic hærendum. Vide Lector inter alios S. Thomam tom. 17 opusculo 4, de præceptis caritatis & Decalogi in expositione tertii Præcepti.

Felices porrò dixerim primos efflorescentis Ecclesiæ Christianos, quibus dies omnes feriati & festi erant (unde & ex decreto S. Silvestri Clericis tota hebdomada excepto Dominico & Sabbati die, in ferias distincta est.) Feriabantur quippe a malis artibus & sceleribus unique Deo & ejus religioni vacabant.

Cùm verò ad illibatam & sanctam vitam etiam accederet celebritas solennium dierum, tunc nescio quid eximium & illustre in ipsorum moribus & conversatione existebat. Dierum enim sanctitas nescio quantum decus & honestamentum quotidianæ exercitationi addebat.

85. Vir bonus omni die feriatur.

Viderat hoc lumine naturæ Diogenes, qui cùm conspexisset quempiam præter solitum ad quoddam festum se comparantem, teste Plutarcho lib. de animi Tranquillitate: *Annon*, inquit, *vir probus quemvis diem festum censet, & quidem si sobriè vivimus, admodum illustrem?*

Excvrsvs Tertivs:

Munuscula & convivia diebus festivis egenis paranda.

IVdæos festum Phurim sive Sortium peregisse etiam pauperibus munuscula largiendo docet, quod revolvimus, caput ℣. 22, & 23.

86. Tobias die Pentecostes pauperes ad mensam invitat.

Idem factitarunt auctoribus Nehemia & Esdra viris religiosissimis, Esdræ 2, cap. 8. vers. 10, & 12.

Vidimus idem præstitisse seniorem Tobiam cap. 2. ℣. 2: Nam ubi nos in Latino legimus: *Dixit Tobias filio suo: vade & adduc aliquem de tribu nostrâ, timentes Deum, ut epulentur nobiscum*; Hebr. & Græcus nominatim exprimunt pauperes. Sic habet Græcus: *In Pentecostes festo, factum est prandium bonum mihi, & accubui ut manducarem, & vidi obsonia multa, & dixi filio meo; adduc quemcumque inveneris de fratribus nostris, εὐδεῆ ὸς μέμνηλαι ἔ κυρίε, indigentem, qui memor est Domini.* S. Ambros. sic intellexit locum Tobiæ: *Tobias* ait *formam honestatis expressit evidentius, cùm relicto convivio mortuos sepeliret, & ad cibos pauperis mensæ invitaret inopes.*

Christus quia noverat Iudæorum morem, qui diebus festivis splendidius & lautius epulabantur, huc respexit, cùm Lucæ 14, ℣. 12, & sequentibus dicit Pharisæorum principi, qui se invitaverat. *Cùm facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos neque vicinos divites: ne fortè te & ipsi reinvitent, & fiat tibi retributio, sed cùm facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos: & beatus eris, quia non habent retribuere tibi: retribuetur enim tibi in resurrectione justorum.*

87. Suadet Christus ut pauperes ad convivium vocentur.

Hoc autem Christi consilium aureo suæ eloquentiæ flumine perfundit Chrysostomus, Homil. 1 in Epist. ad Colossi. dignus, quem omnes divites legant. Inter cetera autem hæc breviter. *Si amicum*, inquit, *invitaveris, ad vesperam usque est gratia. Propterea eorum quæ solvuntur, cursus quam temporis consumitur amicitia? Pauperem autem & manentem si invitaveris, nunquam parebit gratia.*

tia. Eum enim qui semper meminit, & numquam obliviscitur, habes debitorem; &c.

Christi monitum secutus S. Gregorius cognomento Magnus, de cujus hospitalitate, & liberalitate in egenos multa Ioan. Diaconus in ejus vita lib. 2. unum sufficiat excerpsisse & alterum.

88. Gregorius peregrinos mensæ adhibens, & Angelum, & Angelorum Dominum convivas habuit.

Gregorius quodam tempore juxta consuetudinem suam præcepit sacellario, ut duodecim peregrinos ad prandium invitaret. Qui pergens jussa complevit, eosque ad mensam pariter ordinavit. Dum autem simul discumberent, intuens Papa, tredecim numeravit. Et accersito sacellario cur contra jussionem suam, tertiumdecimum invitare præsumpserit, inquisivit. Ille obstupefactus convivantes peregrinos curiosius numeravit, & duodecim solos inveniens, velut securus respondit: Crede mihi, honorabilis pater, non sunt nisi duodecim, sicut ipse jussisti. Cùm ergo convictus sæpius duodecimi numeraret, ac tertium decimum, quem solus Papa videbat, non videret, advertens Gregorius virum propius discumbentem, vultus crebrò convertere, & nunc adolescentem, nunc verò se vetulum venerandæ quadam canitie simulare, finito convivio duodecim quidem abire permisit, tertium decimum verò manu suscipiens, in cubiculum suum induxit, vehementer adjurans, ut ei se, nomenque suum simpliciter prodere dignaretur. Qui respondens dixit: Scito memoriâ recognoscens, quia ego sum naufragus ille cui quondam dedisti duodecim nummismata & argenteam scutellam. Et hoc tibi pro certo sit cognitum, quia ab illo die, quo mihi hæc hilari animo tribuisti, destinavit te Dominus fieri præsulem sanctæ suæ Ecclesiæ, & successorem Petri cujus & virtutem imitatus es, cùm substantias offerentium divideret, prout cuique opus erat. Ego enim sum Angelus Dei qui me misit ut tibi sim custos, quamdiu fueris in isto mortali seculo. Et Gregorius: Si, inquit, propter pusillum meæ parvitatis munusculum tanta mihi restribuit Dominus: quanta putem mihi restitui si plura stipendia de pluribus erogare? Hæc ibi cap. 23. Capite 22, ejusdem libri sic scribit. *Quotidie ad mensam suam peregrinos quoslibet invitabat. Inter quos die quadam unus accessit, in cujus manibus dum ipse aquam infundere vellet conversus urceum accepit: sed repente eum, in cujus manibus aquam fundere voluerat, invenire non potuit. Cùmque hoc factum secum ipse miraretur, eadem nocte Dominus ei per visionem dixit: Ceteris diebus me in membris meis, hesterno autem die me in memetipso suscepisti.* Vide Homil. ejus 23 in Euangelia. Omitto alia.

S. Augustini aureum monitum omnibus divitum tricliniis inscriptum velim. Sic ipse sermone 2 de Tempore: *In sanctis solennitatibus secundum vires nostras abundantius erogemus, pauperes ante omnia frequentius ad convivium revocemus.*

Nemo historiæ Ecclesiasticæ gnarus ignorat laudabile nascentis Ecclesiæ epulum ab amore vocatum Græcè ἀγάπην, de quo ita Chrysostomus Homil. 27, in primæ ad Corinth. Caput undecimum. *Statis*, inquit, *diebus mensas faciebant communes* (nostræ religionis proceres) *& peractâ synaxi, post sacramentorum communionem, ineabant convivium, divitibus quidem cibos afferentibus, pauperibus autem & qui nihil habebant, etiam vocatis, & omnibus communiter vescentibus.*

89. Initio Ecclesiæ pauperes ad convivium vocabantur in Ecclesia.

Rursus idem Antistes Sermone in verba Pauli: *Oportet hæreses esse. Fideles*, inquit, *omnes in conventibus suis postquam audissent doctrinas, post preces, post sacramentorum communionem, solutâ concione, non mox domum conscendebant, sed divites & abundantiores alimenta & edulia domibus suis afferentes, pauperes vocabant, communesque faciebant mensas, communia prandia, communia convivia in ipsâ Ecclesiâ. Atque ita à communione mensæ & pietate loci undequaque ad charitatem accendebantur, non absque summâ voluptate, utilitateque maximâ: Pauperes enim tum fruebantur consolatione qualis obtingebat: divites verò fructum benevolentiæ & ab his quos pascebant, & à Deo propter quem illos pascebant, assequebantur.* Hæc ille, & plura.

90. Quare Agapæ sublatæ à SS. Patribus.

Concil. Gangrense cap. 11, habitum tempore Magni Constantini Agapas vocat convivia pauperum. Ceterum modus celebrandi Agapas postea displicuit sanctissimis Ecclesiæ Orientalis & Occidentalis Patribus, tum quia simul cum sacrosancto Eucharistiæ mysterio miscebantur, tum quia in Ecclesia habebantur, tum quia divites cœnas suas instruebant magnâ arrogantiâ & sumptibus etiam cum ebrietate, pauperibus vel exclusis vel non expectatis. Vide de his Interpretes in primam Epistolam ad Corinth. cap. 11, ℣. 20 & sequentib. & Card. Baron. tomo primo, anno Christi 57.

91. Oblationes fidelium festivis diebus.

Locus etiam hic agendi de oblationibus à viris & mulieribus diebus Dominicis in Ecclesiâ præberi solitis: sed de his multa tractarunt qui de officiis divinis scripserunt. Videndus Ioan. Stephanus Durantus lib. 2 de Ritibus Ecclesiæ Catholicæ cap. 26, quod est de Offertorio dicto ab oblationibus fidelium.

Quondam in lege veteri sæpius præceperat Deus; ut Exodi 23, ℣. 15. *Non apparebis in conspectu meo vacuus*: quod maximè servandum erat omnibus maribus, cùm ter in anno, in Paschate, in Pentecoste, & festo Tabernaculorum in Templum ascenderent Deuteron. cap. 16, ℣. 16. Tunc enim oblationem in testimonium divini cultus exhibere debebant.

92. Diebus festis pauperes ad templi fores cur sedeant.

Audi Chrys. homil. primâ in 2 ad Timoth. cap. primum: ubi inter cetera. *Indæ*, inquit, *ista discebantur, quanto magis nobis? Idcirco nempe pauperes ante fores templi astant, ut nemo vacuus ingrediatur, ut misericordiâ comite securus introeat. Intras templum ut misericordiam consequaris, prior ipse miserere;* &c.

Semper fuit mos, ut pauperes ante ædium sacrarum fores ad mendicandum sederent. Habes Actorum 3. ℣. 2, de claudo, qui à suis exponebatur ad Templi portam Speciosam ad petendam eleemosynam ab introeuntibus.

Postea in Ecclesiâ Christianâ in exteriori porticu, quæ post atrium januis templi inhærebat, eos solitos commorari certissimum est, ut modo in templorum propylæis & vestibulis stipem postulant, non quod eis illicitum sit preces in Ecclesiâ fundere, vel etiam ad sacram mensam accedere quasi contemptui habeantur, sed ne suo clamore obstrepentes sacra peragentibus in Ecclesiâ, vel ibidem orantibus molesti sint.

S. Gregorius Nazianz. celeberrimâ Oratione illâ, quam habuit de amore pauperum, inter cetera ait: *Ita petitionum clamor internis templi cantibus ex adverso respondet; atque è regione mysticarum vocum miserabilis luctus excitatur.*

Rursus aureus ille Orator homiliâ 28 ad populum Antiochenum, plures rationes adfert cur ante Ecclesiarum fores pauperes sedeant, ubi

inter alia. *Assident hic pauperes*, inquit, *ut te misericordem faciant, & ad misericordiam flexus Dei benignitatem admireris. Nam si Deus illos non erubescit, sed in vestibulis suis constituit, multo magis tu ne in terrenis ædibus altum sapias, nec erubescas cùm à paupere vocaris. Et si acceſſeris & genua teneat, ne repellas. Canes enim sunt quidam admirabiles regiarum cœlestium: neque contemnens eos canes vocavi; absit; sed magnopere laudans, regiam enim custodiunt aulam: eos igitur pasco: honor enim ad Regem transit*, &c. Vide reliqua usque ad finem, quæ vel plurimum proposito nostro serviunt.

93. Pauperes canes cœlestes.

Denique certum est dies festos præcipuè coli actionibus virtutis religionis, quæ versatur circa Dei cultum. Dicit autem S. Jacobus epistolæ suæ cap. primo ℣. 27. *Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem, hæc est: Visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc seculo.* Accipit verò S. Apostolus religionem vel pro pietate & misericordiâ, quâ quis pio affectu studet subvenire afflictis & miseris, ut pupillis & viduis desertis & solitariis inopiâ pressis, vel certè accipit religionem pro virtutibus ab eadem non elicitis sed imperatis, ut est visitatio viduarum & pupillorum ad Deum honorandum relata, &c.

94. Religio est visitare pupillos, &c.

Excvrsvs Qvartvs:

Religiosè Christi Domini, & Sanctorum celebrioribus solennitatibus pridianum præmittitur jejunium.

Documentum hoc elicio ex ℣. 31, hujus capitis, ubi scribitur: *Judæi observanda susceperunt a se, & à semine suo jejunia & clamores, & Sortium dies*, &c. memores videlicet triduani jejunii, luctus, ejulatus & clamoris ad Deum, quibus se afflixerant cùm decreto regio per Amanum extorto omnes ad mortem destinati essent.

95. Judæi festis præmittebant jejunia, quia his prohibitō erat jejunare.

Adhuc hodie 13 die mensis Adar, qui coincidit cum Februario nostro, colunt Iudæi jejunium, & in ipsorum Calendario præmittitur festo Sortium minori 14 ejusdem mensis, & majori 15; & vocatur ab ipsis jejunium Esther, ut suprà dictum.

In eâdem Hebræorum Ephemeride plurima indicuntur jejunia idq; mentibus singulis in monimentum vel gravis alicujus delicti commissi, vel cladis acceptæ. Habent singulis annis 26 dies, quos ex lege jejuniis dicatos scribunt in libello Taanith. Quibus addiderunt Magistri singulis hebdomadis jejunia secundi diei & quinti, id est, Lunæ & Iovis, tribus de causis, propter excidium templi, propter combustam legem, denique quod Rabsaces nomen Dei blasphemaverit 4 Regum 18. Aliqui etiam 40 dies sibi temperant à vino & carnibus, quod tamdiu Moyses & Elias jejunaverint, ut Rabbi Benjaminus in suo Itinerario refert.

Quia verò Iudæi diebus festis jejunia observare non solebant, ut ex Capite hoc colligitur ℣. 17, & 22, & ex lib. 2 Esdræ cap 8, ℣. 10, & Iudith 8, ℣. 6, ubi scribitur de ipsâ, *habens super lumbos suos cilicium, jejunabat omnibus diebus vitæ suæ præter sabbata & Neomenias & festa domus Israel*; ideo festo Sortium jejunium præmittebant: Nec invenio Hebræos in ullâ festivitate jejunasse, nisi in die Expiationis; de quâ dicitur Levitici 16, ℣. 29. *Mense septimo, decimâ die mensis affligetis animas vestras* (tum inediâ, tum aliis corporis macerationibus) *nullumque opus facietis*, &c.

Quinimo nefas erat Iudæis Sabbatis jejunare, & vetitum. Ita testatur Rabbi Moyses Ægyptius de ceremoniis lib. 3 de Tempore, cap. de Sabbato & jejunio; & pœna statuta erat, ut qui sabbato jejunaret, sequenti etiam die jejunare deberet. Idem quoque cùm agit de jejunio Purim vel Phurim, cùm illud incidisset in Sabbatum, anticipandum esse, & quinta Sabbati persolvendum tradit. Sic nos jejunium in Dominicam incidens prævenire solemus.

Ecclesia Christiana olim solennitates suas præcipuas duplici officio religioso præmisso venerari consueverat: In profesto enim Orthodoxi & corpus castigabant inediâ, & nocturnas agebant vigilias: sed posterius hoc, propter abusum, & in nocturnos conventus irrepentia flagitia, abolitum est, solùmque modò in sanctissimâ Natalis Christi nocte excubiæ fiunt, jejunio interim observato, quod etiam nunc vigilia nominatur in celebrioribus profestis sive diebus solennitates præcuntibus.

96. Olim celebrioribus festis Christiani & jejunia & vigilias præmittebant.

Ceterùm variis de causis Ecclesia Christi Sanctorum ferias consuevit prævenire sacris jejuniis.

Aliquas producit S. Bernardus (quas hîc in pauca contraho) sermone in vigiliâ S. Andreæ; qui sic incipit. *Sanctorum*, inquit, *festa præcipua Patrum sanxit auctoritas votivis prævenienda jejuniis. Viriliter planè, multa siquidem quotidie peccata contrahimus: nec tutum omnino est celebrandas susceipere festivitates sacras, maximeque eas quæ maximæ sunt, nisi prius abstinentiæ purificatione præmissâ, quò & digniores & capaciores inveniamur spiritualium gaudiorum. Sic enim justus in principio sermonis accusator est sui, nec nisi à propriâ reprehensione laudes incipit alienas.*

97. Primaria cur jejunia festis præmittantur est præparatio & præpurgatio à peccatis.

Auctore ergo S. Bernardo prima ratio anticipandi festa jejuniis est præparatio ad festivitatem.

Addit & alteram; scilicet; *quia*, inquit, *ex hoc discimus quænam vera sit via festivitatis æternæ. Quid est enim quòd jejuniis solennia prævenimus, nisi quia per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei? Indignus quippe solemni lætitiâ est, qui statutam vigiliæ abstinentiam non observat. Planè, inquam, si venuis affligere animam tuam in vigiliâ, indignus jure censeris requie & exultatione festivâ.*

98. Altera ratio, quia ad æternū festum pervenitur per afflictionem.

Potest etiam & tertia ex ipso educi ratio; nempe, ut similes Christo & sanctis simus, qui non solùm jejunaverunt, sed etiam acerbissimos cruciatus sustinuerunt. Ait itaque S. Bernardus de S. Andrea loquens. *Dignum est, ut si cum eo pendere non possumus, cum eo vel jejunemus. Nam & ipsum cùm biduo penderet in cruce, etiam jejunasse quis dubitet.* Hæc ille & plura.

99. Tertia, ut Christo & Sanctis aliquo modo similes simus, qui plurimum sustinuerunt.

Subjungamus his & alias: Ecclesia Christi & sanctorum celebritates & Panegyres inediâ pridianâ anticipans, hac noxiarum cupiditatum refrenatione & alexipharmaco & Deum placare, &

re, & ipsi, sanctisque ejus sacrificium spirituale & cultum deferre suos instituit alumnos.

100. Quarta: quia Deus & sancti coluntur jejuniis, & Anna Lucæ 2 jejunabat.

Gratum siquidem obsequium & honorem Deo præstari per jejunia, & similes carnis edomationes & asperitates fatentur omnes Catholici contra Neoteros hæreticos aliter sentientes. Quamvis enim illæ sint actus & functiones virtutis temperantiæ, imperari tamen possunt ab habitu Religionis, ita ut sint officia latriæ vel duliæ. Ita Numeror. 6, ℣. 2, Nazaræi olim voti religione obligati erant, ut abstinentiâ a vino & potu qui inebriare posset, Deum colerent.

Sic agebat venerabile illud viduarum decus Anna filia Phanuelis Lucæ 2, ℣. 37, *quæ non discedebat de templo, jejuniis & obsecrationibus serviens nocte ac die.*

Vt autem hæreticus sciat, cui his piis exercitationibus famularetur, manifeste illi indicabit textus Græcus, qui pro *serviens* habet λατρεύουσα, quæ vox restringitur ad cultum Dei, qui λατρεία vocatur. Sicut ergo Deum colebat oratione, ita & voluntaria abstinentiâ relatâ ad ipsius honorem.

Nec dissentit ab hoc Apostolus, cùm Romanos ita exhortatur cap. 12, initio. *Obsecro itaque vos Fratres per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum*; ubi verbis postremis rursus Græcè est, λογικὴν λατρείαν, id est, *cultum rationabilem.*

100. Per jejunia fiunt corpora nostra Deo grata hostia per latriam quamdam.

Dicat adversarius, quo alio modo fiant corpora nostra hostia grata Deo, nisi per munditiam, castitatem, & per quam ea vel maximè comparatur, spontaneam inediam, qua caro spiritui subjicitur, & in servitutem redigitur?

Sic communiter locum Apostoli accipiunt Interpretes.

Huc alludit Tertullian. lib. de Resurrectione carnis: *Sacrificia* (metraphorica) *Deo grata dico jejunia, feras & aridas escas.*

Hic primigeniæ Ecclesiæ mos fuit, de quo ita canit S. Paulinus Natali 7, S. Felicis Martyris:

Nostis eum morem, ut nos jejunare solemus
Ante diem, sero libatis vespere sacris
Quisque suas remeare domos.

101. Quinta ratio, ut per jejunia mens aptior fiat ad vacandum Deo per orationes, Sacramenta recipienda, &c.

Verùm illa potissima mihi semper visa fuit ratio festa solemniora præoccupandi jejuniis; ut mens Christiana aptior redderetur ad cœlestium rerum contemplationem, ad puriores preces Deo persolvendas, ad accuratam Exomologesin instituendam, ad dignè alimentum panchrestum & Eucharisticum percipiendum, ad divina officia exactius obeunda, quæ omnia feriis anni præcipuis à populo Orthodoxo frequentantur.

Audiamus aureum illud Græciæ oraculum, & os planè divinum, Chrysostomum, inquam, homiliâ primâ in Genesin: *Jejunium animæ nostræ alimentum est, leves ei pennas producit, ut in sublime feratur, & summa contemplari queat, voluptatibusque, & omnibus quæ in hoc mundo habentur suavia, ipsa sit superior. Et quemadmodum leviores naves maria velocius transeunt, contra multo onere gravatæ submerguntur: ita jejunium quidem leviorem reddens mentem efficit ut facilius hujus vitæ pelagus transmittat, & in cœlum, ac ea quæ in cœlis sunt, respiciat, & nihili faciat præsentia.*

Sed & alterum è Græciâ proferamus Oratorem, S. Basilium Oratione primâ & secundâ de jejunio, qui inter alia hæc habet nostram ad rem spectantia. *& copiosiore*, ait, *pastu, fumosi quidam vapores exhalantur, qui lucem Sancti spiritus in hominis mentem irradiantem quasi densa nubes intervenientes intercipiunt.*

Et rectè quidem sanctus ille Pater. Etsi enim Deo animum hominis illustrare volenti, nullum obstaculum interponi possit, suavis tamen ejus providentia creaturarum suarum cooperationem exigit, & ordinariè earumdem præparationem prærequirit. Quis autem nescit mentem hominis volutantem in humido aut cœnoso non æquè à Deo solere tangi aut irradiari, atque in defecato versantem & sereno?

Adde eos qui se à corporeis cupediis abstrahunt, dignos esse, qui spiritualibus pascantur deliciis. Lege S. Cypriani sermonem de jejunio, Athanasium lib. de virginitate, Ambrosium lib. de Elia & jejunio cap. 3.

Multa hîc se offerunt dicenda de illis qui pervigilia Christi, ejusdem Matris & Apostolorum singulari abstinentiâ venerati sunt, sed paucis contenti erimus.

102. S. Elisabetha Lusitana pervigilia Dei Matris maximè præveniebat jejunio.

Joannes Perpinianus, cujus melle dulcior fluit oratio, commemorat S. Elisabetham Lusitaniæ reginam non solùm Assumptæ Virginis pervigilio, quo die jure Ecclesiastico omnibus indicitur jejunium, sed etiam quadraginta ante festum ejus diebus cibis victitasse, quibus verni jejunii tempore vesci solemus: ipso autem pervigilio, quod idem factitabat in singulis ejusdem Virginis profestis, ut & in singulis sextis feriis & Sabbato, pane tantùm & aquâ vitam ægrè toleravisse. Ita ipse Oratione primâ de S. Elisabethâ.

102. Ita & S. Carolus Borromæus.

S. Carolus Borromæus, cujus dies Natalis colitur Novembris quarto, ut erat Deo parenti devotissimus, ita etiam omnibus ejus profestis pane & aquâ contentus erat.

102. Et S. Hyacinthus.

S. Hyacinthus Ordinis Prædicatorii cujus festiva lux celebratur 16 Augusti, profestis Dei Matris & Apostolorum panem solum & aquam sumebat, ceteris omnibus eduliis abstinebat.

102. Et S. Margareta Hungarica.

S. Margareta regis Hungarorum filia, ut peculiari studio erga S. Dei genitricem ferebatur, ita dies ejus festa præcedentes solo pane & aquâ transigebat.

Agmen hoc claudet Eminentissimus Cardinalis Stanislaus Hosius Concilii Tridentini præses religiosissimus, de quo hæc refert Stanislaus Rescius in ejus vitâ cap. 19. Cùm Cardinalis in omni vitâ suâ dies jejuniorum ab Ecclesiâ institutos religiosissimè observasset, sententiæ suæ constantiam ne quidem in ætate suâ defluente immutare voluit. Quamobrem cùm jam senex Quadragesimam in summâ abstinentiâ transigeret, nec ullis aut medicorum monitis, aut amicorum precibus posset expugnari, ut cibis salubrioribus vesceretur, dicere solebat, propterea se jejunia ab Ecclesiâ instituta diligentissimè servare, quòd optaret esse longævus super terram: scriptum autem esse: *Honora patrem tuum & matrem tuam ut sis longævus super terram. Pater*, ait, *meus est Deus in cœlis; Mater mea est Ecclesia in terris. Ille præcipit ut jejunem, ista præcipit, ut his vel illis diebus, utrumque libenter audio, certamque*

103. Cardin. Stanislai Hosii insigne Apophthegma, & responsum ad eos qui ejus jejunium strictum mirabantur.

spem concipio futurum, ut obedientiæ meæ fructum referam, ut juxta Scripturam sim longævus super terram. Hæc pulchrè Cardinalis.

Excvrsvs Qvintvs:

An festa instituta à majoribus, vota nuncupata à parentibus &c. filios & posteros obligent.

HVgo Carensis explicans verba illa hujus capitis v. 31: Iudæi *observanda susceperunt à se, & a semine suo jejunia & clamores, & Sortium dies*, &c. ansam mihi præbuit hûc excurrendi. Sic enim scribit: Obligaverunt se & posteros suos observare festum Phurim. Argumentum est hic, quod patres possint filios infrà annos discretionis obligare religioni. Sciendum tamen, quod cùm venerint ad annos, si volunt, possunt exire.

104. Obligant posteros festa à majoribus instituta: vota autem cum distinctione.

Et quidem de festis à majoribus Ecclesiæ sive Pontificibus consecratis & sancitis nulla potest esse dubitatio, quin posteri eadem observare teneantur, cum quisque ad Reipubl. suæ justas leges vel consuetudines astringatur, nisi contrariâ lege vel consuetudine abrogentur.

Quod si majores Iudæorum se astrinxerant ad observationem Phurim, tunc omnes eorum posteri, quamvis non consenserint, tenebantur tamen ad observantiam actus promissi, ex virtute obedientiæ: de qua re vide Francisc. Suarez tomo 2 de religione lib. 4, de voto cap. 9. n. 10.

De votis etiam nulla peculiaris difficultas est, cùm constet votum personale solum ipsum ligare voventem, ut siquis voveat audire sacrum, legere Rosarium, &c. si autem reale fuerit, & à vovente ante obitum persolutum non fuerit, tenebitur heres votum implere, ut colligitur ex L. 2. ff. de pollicitationibus ubi dicitur: *Vota obligationem ad heredem transire constat*; ut siquis templo voverit calicem, exstruere sacellum &c. Quod si votum fuerit mixtum, obligabit heredem quà reale, non quà personale: ut siquis voverit adire Virginem Hallensem, & ibi tres aureos offerre, tenebitur heres solvere aureos non autem Hallas proficisci. Hæc omnia certa sunt apud Doctores. Vide inter alios Lessium lib. 2, de Iustitiâ c. 40, dubitatione 10.

Disputatur solùm à doctoribus; num filii oblati à parentibus monasterio, & illi devoti, seu ipsorum voto dicati, teneantur etiam post annos pubertatis in eodem manere, ut voto parentum faciant satis.

105. Mos antiquus filios vel filias monasterio offerre.

Ex historiis Ecclesiasticis scitum est pios parentes filios vel filias suas solitos interdum Deo & religioni etiam infantes offerre & consecrare, exemplo inductos Annæ Helcanæ uxoris 1 Regum primo, quæ Samuelem infantulum adduxit ad domum Domini, prout antè voverat, ibique puer remansit: item alterius Annæ Ioachimi, quę Virginem Deiparam trimulam Deo obtulit, ut habet antiqua traditio. Sic Placidus & Maurus pueri à parentibus ad S. Benedictum adducti. Sic Sanct. Gregorius Nazianzenus à matre vix natus Deo oblatus. Ita Sanct. Bonaventura cùm infans ægrotasset, Ordini S. Francisci à matre consecratus.

Vtramque verò Annam suprà voto se obligasse testatur Damascen. lib. 4 de fide cap. 15. *Quemadmodum*, ait, *prisca illa Anna cum sterilitatis morbo laboraret per orationem ac promissionem Samuelem procreavit, eo modo hæc* (Anna B. Virginis Mater *jetiam per obsecrationem & promissionem Dei genitricem a Deo accepit.*

106. Possunt parentes liberos impuberes in monasterio offerre & vovere.

Nunc dico primò; possunt parentes filios suos parvulos ante annos pubertatis Deo in monasterio voto consecrare, & religioni mancipare, cùm liberi tunc temporis non tam sint sui juris, quam parentum juxta Aristotelem, 6 Ethicorum;

Probat hoc copiosè Franc. Suarez tomo 3 de Religione qui est de ejus statu lib. 5, cap. 2.

Ratio est quia parens offerens filium impuberem monasterio utitur jure suo, & ingressus ille cedit in bonum filii, nec privat illum jure suæ libertatis pro ea ætate, in qua ad illum solum spectat: Igitur talis patris actio non est filio injuriosa, nec repugnat religioni, aut alteri virtuti, & pater non peccat.

Videtur tamen non expedire ut parentes nimium filios impuberes urgeant, ut in monasterio juxta religiosum statum vivant.

Nota verò utrumque parentem jus habere ut religioni filium vel filiam offerat. Vnde si liberi altero parente sint orbi, in altero manet jus. Non potest tamen mater nolente patre, licet possit pater ipsâ invitâ.

107. Possunt filii hoc modo monasterio oblati jam pubertes ab eo recedere.

Dico 2, Nec oblatio parentum nec etiam eorum votum ita potest filios impuberes obligare religioni ut cùm ad annos pubertatis venerint non possint à monasterio recedere, & ad alium statum transire.

Ratio est primò; quia non est tanta potestas in parente ut possit liberè donare filium, aut obligare prout voluerit, etiam ad divinum servitium: nam licet hoc possit pro eâ ætate, in quâ censetur filius non habere voluntatem propriam, aut non perfectè liberam, non tamen pro eo tempore, pro quo jam est perfectè sui juris.

Vnde parens nihil aliud potest vovere, quàm daturum se operam, ut dum filius impubes est, vivat, & instituatur honestè in Monasterio, & inductum se filium, ut professionem emittat, cùm ad legitimam ætatem pervenerit.

Altera ratio est, quia quisque in iis quæ ad statum vitæ pertinent, sui juris est, nec potest ad ea adstringi nisi suo consensu, ut constat de matrimonio, sacerdotio, cœlibatu, virginitate. Tale enim onus, quod ad totam vitam pertinet, non ex alieno, sed ex proprio solùm pendet arbitrio.

108. Numquam fuit mos in Ecclesiâ, ut filii jam sui juris cogerentur in monasteriis manere ante pubertatem oblati.

Concludendum itaque est, numquam in Ecclesiâ fuisse observatum, ut filii impuberes & parvuli à parentibus monasteriis oblati, cogerentur postea ibidem permanere sive ut oblati, sive ut monachi, nisi sponte consentirent cùm ad annos discretionis pervenissent.

Rectè quippe dixit S. Marcellus Pontifex, C. Illud autem 20. q. 1. *Servitia coacta Deo non placent.* Et consentiunt Canones & eorum Interpretes & Doctores.

Nec dictis repugnat c. 3, Monachum 20, q. 1. ubi ex Concil. Toletano 4, can. 48 dicitur: *Monachum aut paterna devotio, aut propria professio facit: quidquid horum fuerit, alligatum tenebit: proinde his ad mundum revertendi interdicimus aditum, & omnes ad seculum interdicimus regressus.*

Item non obſiſtit quod dicit Iſidorus à Gratiano relatus cap. 4 ſupra. *Quicumque*, ait, *à parentibus propriis in monaſterio fuerit delegatus, noverit ſe ibi perpetuo manſurum, exemplo Samuelis, qui à matre oblatus in monaſterio permanſit.*

Nec etiam hiſtoria quæ memoratur de Roberto S. Bernardi nepote, qui à parentibus oblatus fuerat monaſterio Cluniacenſi, profeſſionem tamen non emiſerat, immò nec habitum aſſumpſerat.

Hic poſtea petiit à S. Bernardo Ciſtertienſem habitum qui ejus vocationem biennio probavit ob teneram ætatem; tandem eum flagitantem recepit, & poſt annum probationis ad profeſſionem admiſit. Poſtmodum idem Robertus ad Cluniacenſes tranſiit ab ipſis inductus, & apud eos profeſſus eſt. Mota eſt lis apud Pontificem, qui contra S. Bernardum ſententiam tulit pro Cluniacenſibus. Tantam enim vim habere voluit Pontifex parentum oblationem, ut per ſubſequentem profeſſionem reſcindi non potuerit: Vide S. Bernardi epiſtolam primam.

Reſponſio ad Decreta contraria.

Ad decreta producta reſpondemus illa eſſe accipienda de liberis in infantiâ oblatis, qui poſtquam ad annos pervenerint diſcretionis, oblationi ſuæ à parentibus factæ expreſsè vel tacitè conſenſerunt. Ita Gloſſa in C. Addixiſtis, ubi ſic commentatur: *Intellige hæc tria Capitula de illis, qui poſt ætatem adultam conſenſum accommodarunt.*

Ad hiſtoriam de Roberto reſpondet Suarez tomo 3 de religione lib. 6, cap. 3, Pontificem in eo caſu voluiſſe confirmare ſecundam profeſſionem, non quia prima valida non fuiſſet in Ciſtertienſi Ordine, nec quia per ſolam parentis oblationem filius factus eſſet monachus Cluniacenſis, ſed ſolum quia aliquod jus illi fuerat acquiſitum ad talem perſonam, unde accedente poſtea ejus conſenſu per profeſſionem jam ibidem factam, meritò noluit Pontifex aliam mutationem fieri; maximè cùm ſtatus ferè eſſet æqualis, & ad bonum ipſius religioſi præcipuè ordinatus, & ſiquis interceſſerat defectus, facilè poterat per ſummum Pontificem ſuppleri. Vide Suarez ſuprà, & breviter Leſſium lib. 2 de Iuſtitiâ cap. 40, Dubitatione decimâ, & inter Sacrarum litterarum enarratores Franciſcum de Mendoça tomo primo in primum librum Regum cap. primo numero decimo, ubi tractat hanc quæſtionem: An potuerit Anna filium ſuum Deo vovere, eumq; miniſterio tabernaculi obligare; cùm obligatio voti non niſi ex propriâ obligatione oriri poſſe videatur, ubi egregiè totam hanc difficultatem enodat, & oſtendit Elcanam in uxoris ſuæ Annæ votum conſentiſſe.

109. Reſponſio ad Hiſtoriam de Roberto nepote S. Bernardi.

CAPVT DECIMVM.

ARGVMENTVM.

Caput hoc partibus conſtat duabus. Prior pars quæ reliquum continet textus Hebraici, refert, quomodo Aſſuerus omnes regiones ſibi ſubjectas novis vectigalibus impoſitis oneraverit, & ad quantam dignitatem & gloriam Mardochæum provexerit virum boni publici & ſalutis Iudæorum ſtudioſiſſimum. Poſterior verò pars, ſumpta ex laciniis vel fruſtillis, quæ ex vulgatâ editione, ex Græco converſâ fini hujus libri attexuit S. Hieronymus, deſcribit interpretationem ſomnii, quod ante annos undecim Mardochæo oblatum fuerat, quod narratur Capite ſequenti; viſum autem illud portendebat, quæ ſuæ genti in Perſide erant eventura, primò adverſa deinde proſpera, nempe inexpectatâ tempeſtate Iudæos primò dejiciendos, poſtea liberandos ipſorum hoſtibus proſtratis, Eſtheram etiam puellam humilem ad regiam dignitatem exaltandam.

TEXTVS.

REx vero Aſſuerus, omnem terram & cunctas maris inſulas fecit tributarias: 2 cujus fortitudo & imperium, & dignitas atque ſublimitas, quâ exaltavit Mardochæum, ſcripta ſunt in libris Medorum, atque Perſarum: 3 & quomodo Mardochæus Iudaici generis ſecundus à rege Aſſuero fuerit: & magnus apud Iudæos, & acceptabilis plebi fratrum ſuorum, quærens bona populo ſuo, & loquens ea quæ ad pacem ſeminis ſui pertinerent.

Quæ habentur in Hebræo, plenâ fide expreſsi. Hæc autem, quæ ſequuntur, ſcripta reperi in editione vulgata, quæ Græcorum lingua & litteris continentur: & interim poſt finem libri hoc capitulum ferebatur: quod juxta conſuetudinem noſtram obelo, id eſt veru prænotavimus.

4 Dixit-

4 Dixitque Mardochæus; A Deo facta sunt ista. 5 Recordatus sum somnii, quod videram, hæc eadem significantis: nec eorum quidquam irritum fuit. 6 Parvus fons, qui crevit in fluvium, & in lucem solemque conversus est, & in aquas plurimas redundavit: Esther est, quam rex accepit uxorem, & voluit esse reginam. 7 Duo autem dracones: ego sum, & Aman. 8 Gentes, quæ convenerant: hi sunt, qui conati sunt delere nomen Iudæorum. 9 Gens autem mea: Israel est, quæ clamavit ad Dominum, & salvum fecit Dominus populum suum: liberavitque nos ab omnibus malis, & fecit signa magna atque portenta inter Gentes: 10 & duas sortes esse præcepit, unam Populi Dei, & alteram cunctarum Gentium. 11 Venitque utraque sors in statutum ex illo jam tempore diem coram Deo universis gentibus: 12 & recordatus est Dominus populi sui, ac misertus est hereditatis suæ. 13 Et observabuntur dies isti in mense Adar, quartadecima & quintadecima die ejusdem mensis; cum omni studio & gaudio in unum cœtum populi congregati, in cunctas deinceps generationes populi Israel.

VERSVS I, II, & III.

Rex verò Assuerus omnem terram, & cunctas maris insulas fecit tributarias:
Cujus fortitudo & imperium, dignitas atque sublimitas, quâ exaltavit Mardochæum, scripta sunt in libris Medorum atque Persarum:
Et quomodo Mardochæus Iudaici generis, secundus à rege Assuero fuerit, & magnus apud Iudæos, & acceptabilis plebi fratrum suorum, quærens bona populo suo, & loquens ea, quæ ad pacem seminis sui pertinerent.

Hebraicè: Et posuit Rex Achasueros tributum super terram & insulas maris; & omne opus fortitudinis ejus & potentiæ ejus, & expositio magnitudinis Mardochai, quâ magnificavit eum Rex nonne ipsa scripta sunt in libro verborum dierum regum Madai & Paras? Quomodo Mardochai Iehudæus, secundus regi Achasueros, & magnus Iudæis, & acceptus multitudini fratrum suorum, quærens bonum populo suo, & loquens pacem omni semini suo.

Iosephus verbis pauculis totam suam narrationem de Estherâ concludit.

Ceterùm Mardochæus illustri loco apud regem fuit, vir præpotens, regi administrationis, reginæ verò etiam vitæ socius: quorum operâ Iudæorum res floruerunt supra quàm vel sperare poterant.

COMMENTARIVS.

His versibus duo nobis proponuntur vel potius breviter insinuantur, magnitudo videlicet imperii Assueri, ejusdemque potentia, & Mardochæi gloria & dignitas, quâ tantus Imperator præ omnibus suis palatinis eum evexit: verùm de his nihil attinet hoc loco repetere cùm ex cap. primo satis constet Assuerum imperitasse centum viginti septem provinciis, & cap. 8 & alibi quanta majestas & splendor Mardochæi fuerit, facilè colligatur.

Observant interim hîc Interpretes, Dionys. Feuardent. & alii tantam felicitatem, gloriam, opes tantas à Deo fuisse Regi concessas ob insignem in gentem Iudæorum pietatem, quâ illam complexus est, & severam justitiam, quâ ipsorum hostes depressit, & è medio sustulit. Solet enim Deus etiam gentilium profanorum morales virtutes, & judicio rectæ rationis res præclarè & cum laude gestas temporali præmio remunerare, quamvis, ut suo loco dicetur, Assuerus non planè alienus fuerit à veri Dei cognitione, & ejus cultu.

Memorabilis est de hoc S. Augustini sententia l. 5 de civitate Dei c. 15, alibi à nobis prolata.

Assuerus itaque omnem terram & cunctas maris insulas fecit tributarias; quod intellige commodo sensu de terris sive provinciis & insulis Persicæ coronæ subjectis, ut & postea in suo edicto cap. 13, vers. 2 protulit. *Cùm plurimis gentibus imperarem, & universum orbem meæ ditioni subjugassem*; scilicet, qui Persis antea parere solebat.

Illud potius hîc investigandum, cur dicatur omnibus provincialibus suis novum vectigal imposuisse Assuerus.

Quæstio. Assuerum imponendi novum tributum?

Conjecturæ hîc variorum variæ.

Sanctius putat hæc dicta per Anacephalæosin vel hysterologiam: tunc enim provincias centum viginti septem vectigales habuit, cùm illis capite primo incepit imperare.

Varia responsiones.

Addit & aliam responsionem, nempe hæc verba referenda ad illud tempus, in quo subjectos sibi populos ab exolvendis tributis exemit, quod fuit septimo anno regni sui, quando Estheræ nuptiæ celebratæ sunt cap. 2, ℣. 18, ubi & dicitur: *Et jussit convivium præparari permagnificum cunctis principibus & servis suis pro conjunctione & nuptiis Esther. Et dedit requiem universis provinciis*, &c. diximus autem ibi per *requiem* intelligi verisimiliter relaxationem vectigalium, quibus plebs gravatur & fatigatur. Duravit autem hæc remissio à mense Tebeth decimo, qui nostro respondet De-

det Decembri, de quo suprà cap. 2, ℣. 16, usque ad mensem Adar anni sequentis, quatuordecim nempe menses, quo mense exaltatus est Mardochæus anno regis septimo, & anno sequenti & octavo Assueri occisi sunt Amanitæ: nisi dicamus aliquos præterea menses expectasse Regem donec omnes provinciæ admitterent edictum de festo Sortium celebrando. Sic Sanctius ariolatur, post festivitatem Sortium admissam tributa de novo exacta.

Iacobus Tirinus existimat tributorum novorum exactione gravatum populum singulari Dei providentiâ, & justitiâ castigante provincias, quæ prius inhiaverant facultatibus & sanguini miserorum Iudæorum.

Menochius putat vectigal novum impositum ob novam exortam Reipub. necessitatem.

Sentio ego cum Saliano Artaxerxis anno 13, novam necessitatem vectigalis pendendi colligi ex præsenti rerum statu. Cum enim, inquit, toto triennio in Græciâ cessatum esset ab armis, & hoc insuper anno fœdus quinquennale inter Græcos initum esset, non dubitavit rex Artaxerxes, quin eorum concordia in suam perniciem firmaretur, sicut revera contigit bello ab Atheniensibus contra Cyprum, quæ Persis parebat, Cimone duce, conflato. Hoc ergo novum vectigal ad novum bellum gerendum necessarium fuit.

Porro quam immensum fuerit vectigal, quod Rex Persarum ex provinciis suis colligebat, amplè hîc recenset Feuardent. ex Herodoto lib. 3.

Cetera, quæ Assuerus fortiter in bello, moderatè in pace, liberaliter in Mardochæum, Estheram & Iudæos præstitit, scripta sunt, inquit Hebræus in libro verborum dierum Regum Mediæ & Persidis, id est, continentur Annalibus, in quibus res regum Persicorum per annos & tempora recensentur: unde, quia invidiosa vetustas nobis illos eripuit, in multis divinandum est.

Nunc ad alterum caput de Mardochæi dignitate veniendum, de quâ tamen & suprà multa, & etiam infrà dicenda occurrunt.

Dicitur hîc à rege secundus vel primus à rege inter aulicos: Iosephus dicit illum illustri loco apud regem fuisse, potentiâ floruisse, in regno gubernando illi socium; gratiâ apud Iudæos valuisse, immo etiam apud omnes gentes imperio Persico subjectas, nec solùm magnus fuit apud Iudæos, sed etiam summis, & imis gratus & acceptus; eò quòd tranquillitati & bono eorum studeret, &, ut Hebraicè habetur, pacem loqueretur omni semini suo, id est, genti suæ. Latinè verò, *Loquens ea quæ ad pacem seminis sui pertinerent.*

Possunt autem hæc duobus modis exponi.

Primò, juxta Hebræum, quòd Mardochæus plebis suæ animos sibi conciliaret comitate, affabilitate suâ, & blandis verbis illos consolaretur, quòd ipsius ad fratres esset ingressus pacificus, quòd morum suavitate & verborum placabilitate eos sibi devinciret.

Secundò ex Latino, quòd re & verbis ostenderet se quieti & paci ipsorum esse studiosissimum, & patriæ salutis amantissimum.

Digressio Prima:

Documenta suggesta principibus in vectigalibus populo imponendis servanda.

CHristus & verbo & exemplo Cæsari tributum reddendum ostendit: nam Matth. 22 rogatus: *Licet censum dare Cæsari, an non?* respondit ℣. 21: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari* 1. Christus & tributum solvit, & solvendum docuit.

Rursus c. 17, cũ publicani, qui didrachma accipiebant nomine Cæsaris, accessissent ad Petrum, & ei dixissent: *Magister vester nõ solvit didrachma?* postea respondit ei Iesus ℣. 25: *Ut non scandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle: & aperto ore ejus, invenies staterem: illum sumens, da eis pro me, & te.* Tributum verò hoc solutum Cæsari, non templo docent ibi S. Hieron. & Beda.

Apostolus etiam ad Romanos 13, ℣. 6 scribit: *Ideo enim & tributa præstatis: ministri enim Dei sunt* (principes) *in hoc ipsum servientes*: q. d. penditis tributa principibus vestræ utilitati servientibus, quibus sustententur: deterrent enim vos à malo, & provocant ad bonum. Non ergo Christiani liberi sunt à solutione tributorum, ut rectè ostendit S. Iustinus martyr Apologiâ 2 ad Antoninum. Vnde & subjicit Apostolus ℣. 7 suprà. *Reddite ergo omnibus debita; cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal.* Item Apostolus.

Primum hoc monitum volo principem; quamvis jure illi tributa debeantur à populo subjecto, se tamen non habere dominium facultatum sive fortunarum privatorum hominum, ut certum est. 2. Privatorum bona non sunt principum.

Nec favet illi, quod Deus dicit Samueli, cùm populus Israel Regem ab eo peteret 1 Regum 8, ℣. 9. *Prædic eis jus regis, qui regnaturus est super eos*; & quod Samuel ibidem verbis Domini dicit ad populum ℣. 11: *Hoc erit jus regis, qui imperaturus est vobis*: & inter alia hoc recenset vers. 14: *Agros vestros, & vineas, & oliveta optima tollet, & dabit servis suis*, &c. Siquidem ut rectè explicant Interpretes, quos profert & sequitur Mendoça tomo 2, in Librum primum Regum in expositione litteræ ℣. 11: Ius regis ibi sumitur pro consuetudine usurpatâ injustè: Nisi enim urgeat necessitas publica, non potest privatorum bona pro libito Rex sibi vendicare, ut docet S. Thom. 1, 2. q. 105. art. 1 ad quintum; ubi hoc jus regis dicit fuisse iniquum; cum juri naturæ & etiam divino adversetur. Sic enim decrevit Deus Ezechielis 46, ℣. 18. *Non accipiet Princeps de hæreditate populi per violentiam, sed de possessione suâ hereditatem dabit filiis suis*, &c. Ergo illud dicitur jus regis, non autem regni; Regis arbitrium, non æquitas, jus vocatur, inquit ibi Cajetan. quod Rex volet esse jus. De hoc jure loquuntur impii Sapientiæ 2. vers. 11. *Sit autem fortitudo nostra lex justitiæ: quod enim infirmum est, inutile invenitur.* 2. Quod si ea usurpet extra necessitatem injustitiam committit.

Tale autem jus proponit populo Samuel, ut illum à suâ postulatione & desiderio petendi regem revocaret.

Intellexit sic S. Gregor. lib. 4, cap. 2, in caput 8 libri primi Regum. *Cum ergo*, inquit, *jus regis prædicitur, nimirum in unius carnalis præpositi conversatione ostenditur, quod carnales ceteri ex*

tyrannide (non ergo ex jure) *acturi sunt non quod electis debeant imitari: Nam in eadem Regum historiâ* (lib. 3. cap. 21) *legitur, quia cùm rex Achab Naboth vineam abstulit iram Dei omnipotentis incurrit; hîc verò cùm jus regis prædicitur, agri, vineæ & optima oliveta tollenda esse memorantur. Cùm ergo hîc prædicitur quod commissum illic punitum est, ostendit quod divino judicio non jubetur.* Hæc & plura ibi sanctus Gregorius.

Novimus quam acriter Oratione suâ perstrinxerit Sanct. Chrysostom. Augustam Eudoxiam, quòd à viduâ nescio quo prætextu vineam abstulisset, eique ob id factum ingressu Ecclesiæ interdixerit: quâ de re videndus inter alios Card. Baron. Annal. tomo 5, anno 401. ubi rem gestam ex oratione Leonis Augusti de vitâ S. Ioannis Chrysostomi amplè persequitur.

3. Non est populus per exactiones emungendus, sed mulgendus.

Alterum etiam inculcandum principi succurrit; ut, cùm justâ de causâ vectigalia & tributa exigenda sunt, ovium, id est, populi sui ubera mulgeat, non emungat. Scriptum est enim Proverbior. 30, ℣. 33. *Qui fortiter premit ubera ad eliciendum lac, exprimit butyrum; & qui vehementer emungit, elicit sanguinem; & qui provocat iras, producit discordias.*

In textu Originali Hebræo sic legimus: Nam emulsor lactis educit butyrum, emunctor nasi elicit sanguinem, & emunctor furorum producit litem.

Clarius Septuaginta: Mulge lac, & erit butyrũ: si autem expresseris nares, exibit sanguis; sin autem extraxeris sermones, exibunt lites & rixæ.

Etsi verò plures eruditæ extent hujus loci interpretationes, ut videre est apud Ferdinand. Salazar, & Cornel. à Lapide, quarum etiam quædam videantur planè esse genuinæ & litteræ conformiores; mihi tamen hoc loco explicatio, quam subjiciam, non videtur spernenda. Quandoquidem versu præcedente 32 suaserit Salomon, ne rigidius erga subjectum populum se gerant principes; quæ morum asperitas in primis apparet in extorquendis gravibus tributis, hac sententiâ ipsam temperat, & siquidem utramque partem similitudinis accipere velimus de uberum pressione cum S. Gregorio lib. 21, Moral. cap. 1, perbellè quadrabit comparatio nostro proposito.

3. Pastor princeps est qui oves mulget, non emungit.

Principes, ut non solùm ex sacris profanisque auctoribus constat, sed etiam vulgo notum est, & sunt & dicuntur pastores, ποιμένες λαῶν, Pastor autem, qui constanter & lentè ovium, vel potius vaccarum ubera mulgendo premit, ut lac educat, exprimit butyrum, non quidem immediatè: sed mediatè: crebrâ enim rotatione & convolutione lactis in vase vel utre paulatim butyrum optimum & pinguissimum concrescit & coagulatur: sin verò mammas ovium vel boum jam exsuctas & aridas nimium comprimat, & constringat, non lactis cremorem; non succum dulcem & alibilem, sed sanguinem elicit & exprimit, & pecudes in furorem & amentiam vertit.

Imitetur princeps pastorem. Cùm alendæ familiæ necessitas, vel publica utilitas efflagitat; si parcius & moderatius vectigalia à subditis exigat, & suavius mulgeat, lac eliciet & butyrum, id est, habebit unde & se, & aulam honestè & suaviter nutriat, & Reip. onera sustineat: sin verò acrius urgeat populum, tributis exigendis exhauriat, vehementer emungat, sanguinem elicit, id est, vitam pauperis & miserlæ plebeculæ exsugit, dum pecuniam omnem, quam multo labore, sudore, & sanguine suo comparavit, penitus expilat. Sic sanguis in litteris sacris accipitur pro vitâ, vel etiam pro pecuniâ labore partâ, quâ etiam pauper ut sanguine vivit. Vide à me dicta in illud Ecclesiastici cap. 33, ℣. 31. *quoniam in sanguine animæ comparasti eum.*

Cum verò miserabile vulgus se exhaustum videt & suas facultates emunctas, furore accenditur & in seditionem concitatur animis, armisque sævit; ut accidit tempore Roboami qui regnum pacatissimum & florentissimum dissociavit & evertit, 3 Regum 12.

3. Vberum pressio est vectigalium exactio.

Advertit Salazar in scripturis per uberum pressionem aliquando accipi vectigalium exactionem, ut Isaiæ 60. ℣. 16: *Suges lac gentium, & mammillâ regum lactaberis*, id est, gentes atque reges tibi vectigales reddes; Vbi & illud penticulatius examinandum; quod sicut ubera leviter, clementerque pressa, numquam deficiunt, aut exhauriuntur, sed novo semper lactis succo distenduntur (ut notant Interpretes in illud Cantic. primo ℣. 1. *Meliora sunt ubera tua vino:* uva enim expressa vini liquore destituitur, matris verò papilla, quam sugit infantulus, semper plena reperitur: Ita popelli marsupia dum non evacuantur, sed solùm moderatè ex illis aliquid pecuniolæ quasi accipitur, semper novis lucris, quæ ex artificiis, vel negotiatione aggerit, succedentibus replentur. Sin autem summâ vi ubera comprimantur, lactis scatebra aresçit & interit; Atque ita princeps, qui exactionibus subditos exhaurit, & facultates eorum evacuat, fontem tributorum sistit & exinanit.

4. Tributorũ moderata impositio populũ nec gravat & principem ditat immodica & illum exinanit, & hunc subsidio destituit.

Facilius è puteo pleno & exundante aqua hauritur: at si occulti meatus & traduces, per quos latices ducuntur & influunt, siccentur, & trames fonticulusque deficiat, quis ex puteo nisi fatuus, aquam petat? exhausto immoderatis vectigalibus populo, unde princeps subsidium speret?

Sapienter protulit Iustinianus Cæsar: *Tunc regnum, & Imperatoris ærarium opibus affluit, cùm populus ei commissus divitiis abundat, telluſque fecunda est, ac ferax.*

Consentit huic argutum Alexandri Macedonis responsum, cui ut refert Plutarch. in Regum Apophthegmatis, cùm inopiâ laboranti ob immodicos factos in rem militarem sumptus assentator quispiam suggessisset, ut novis vectigalibus populum gravaret, scitè subjecit:

Olitorem odi, qui radicitus herbas excidit.

5. Malus est olitor qui radicitus herbas evellit.

Olera si colantur, irrigentur, legantur radice intactâ, fructum cultori adferunt, excisâ stirpe exaresçunt. Populus regius hortus est, hic si colatur, principi est fructuosus, exsectus, sterilis fit & inutilis.

Præclarè lex Partitarum 2 tit. 5. l. 15. commemorat Aristotelem dixisse quondam Alexandro: *Optimus Regis thesaurus, & qui tardissimè perditur, est populus, cùm diligenter custoditur.*

6. Optimus Regis thesaurus est populus integer.

Tertium illud monitum esto. Vitet & oderit Rex assentatores, & eos qui suadent populum novis oneribus atterendum, quibus ipsi scilicet graves & molesti quæstores ærarii, & depeculatores ditescant, & impinguentur.

Hirudines illi sunt publici sanguinis, de quibus dicit

dicit Psaltes regius Psalmo 13, ℣. 4: *Qui devorant plebem meam sicut escam panis.* Vt enim panis cum sumitur, nec ossa, nec spinæ, vel quid simile relinquitur, sic illi parasiti & exactores miserum popellum abliguriunt, usque ad vivam cutem abradunt, ut nullæ illis facultates supersint. Amanes illi in crucem suffigantur.

7. Serarii quæstores sæpe assentatores, & publici sanguinis hirudines, δημοβόροι, populi devoratores.

Sed etiam nunc verum est, quod apud Gellium olim dixerat Cato, lib. 11, cap. ultimo: *Privatorum fures in nervo & compedibus ætatem agunt, publici in auro & purpura vivunt.*

8. Privati fures in vincula conjiciuntur, publici in auro splendent.

Horrendas execrationes & diras in hujusmodi naturæ prodigia, natrices, spongias, sanguisugas jaculatur Michæas cap. 3, dum eos vocat populi excoriatores, exossatores, concisores, popas, comestores, &c. Sic habet ℣. 3. *Qui comederunt carnem populi mei:* lege cetera.

9. S. Ludovicus oderat hujusmodi assentatores, & filio suo moriens mandavit, ne vectigalia nisi gravi ex causâ imponeret.

S. Ludovicus Galliarum rex, cuidam aulico graviſſimè succensuit, quod illi auctor esset; ut à regno nova tributa exigeret, præscriptâ etiam extorquendi ratione.

Idem etiam Princeps religione & beneficentiâ in egenos præstantissimus, inter monita quæ moriens Philippo primogenito suo & regni heredi reliquit, & hoc memorabile dixit: *Ne subditis tuis tributa imperes, aut imponas onera, nisi necessitas urgeat, atque manifesta regni utilitas compellat, idque non ultrò, sed gravi de causâ facias: si secus faxis, non Rex, sed tyrannus habeberis.*

Henricus 3 Castellæ rex cognomento Valetudinarius, de populi tributis aliquando agens hoc usurpabat crebris sermonibus: *Diras subditorum,* (cùm vexantur exactionibus) *magis formido, quam arma hostilia.*

10. Diræ subditorum magis formidandæ quàm hostium arma.

Eduardus tertius Anglorum Rex, ut auctor est Polydorus lib. 8 histor. Anglor. cùm exactores tributi populo impositi aliquando ingentem pecuniæ acervum ex eo collectæ delectandi ipsius gratiâ coram attulissent, ille subitò dæmonem circa ipsum acervum ludentem videre visus, & ob hoc ejusmodi pecuniam, ut rem funestam abhorrens, illud asportari, restituique populo jussit.

11. Eduardus Angliæ rex dæmonem vidit circa pecuniam ex vectigalibus collectam ludentem.

Prodigiis quibusdam confirmavit Deus sibi displicere, si vilioribus escis, quibus pauperiores vescuntur, tributum imponatur. Sic scribit Iacob. Meyerus noster lib. 16 Annalium Flandriæ anno M. CCCC. XLII.

12. Slusæ Flandriæ urbe conchæ disparuerunt, cum earum piscationi tributum esset impositum.

Conchæ, (Musselen vulgò) *hoc anno apud Slusam, postquam earum collectioni impositum esses quoddam genus vectigalis, non comparuerunt, sed cessaverunt affluere: quæ res loco certi miraculi habita. Nam postquam sublatum est tributum, rursus advenerunt. Pauperrimi iis vescuntur loco piscium.* Sic ille.

13. Clotharius indictum Ecclesiis vectigal revocat.

Clotharius Rex (ut narrat Gregor. Turonensis de gestis Francorum lib. 4, cap. primo, & ex eo Baron. Annal. 7, anno 540) *indixerat, ut omnes Ecclesiæ regni sui tertiam partem fructuum in fiscum referrent. Subscripserunt invitè multi Episcopi; R. tamen Iuvenalis subscribere & consentire venit: Si,* inquit, *Rex, res Dei tollere volueris, brevi regnum tuum Deus auferet: quia iniquum est, ut pauperum, quos ex tuo alere debes horreo, stipe tua horrea repleantur: Ita iratus à rege discessit. Rex verò perterritus veniam petiit, & factum suum damnavit.*

14. Rivulus, quem bibentibus vectigal impositum erat, exaresc.

Memorabile etiam est, quod narrat Athenæus lib. 3 Dipnosoph. Rivulus mari vicinus gelidam aquam fundens prope Edepsim emicuit; cujus potus ægros plurimos recreabat. Sed cùm Antigoni duces res principis procurantes vectigal bibituros pendere coëgissent, illa scatebra evanuit.

Postremò, proponant sibi reges graves clades, & tumultus, quos populus oneribus proritatus in regnis excitat, terribilem etiam vindictam, quam Deus infert principibus, cùm pauperes oppressi in cœlum ad eum clamant.

Vnum modò retulisse satis erit ex gestis S. Niconis, prout describit Baron. Annal. tomo decimo, anno 969. Res autem sic se habet.

15. Cubicularius Imperatoris Nicephori Monasterio vectigal imponere volens à S. Nicone flagellatur & resipiscit.

Venit cubicularius quidam ab Imperatore Nicephoro, aurei tributi causâ missus, qui, ut pecuniæ turpisque lucri percupidus erat, magnas cum ceteris civibus, tum sancto inprimis cœnobio molestias exhibebat. Solent enim civitatum imperia & exactiones non æquis & benignis, sed durioribus, ut plurimum, & inhumanioribus delegari. Frustra autem monachi, quibus auri nihil erat, immitem, ferumque lenire precibus studebant, qui aurum sitiens velut aspis ad incantantium voces obsurdescebat. Quin & ferocius insolescens post atroces minas in carcerem eos detrusit, ac monasterium ipsum expilare meditabatur. Quod ceteri audientes, qui in eo exercebantur, ad sanctum Niconem precibus exorandum se convertunt; præsentemque ejus opem sine morâ experti sunt. Etenim proximâ nocte, minace atque indignabundo vultu ad cubicularium veniens S. Nicon multis eum verberibus excepit, *eò quòd* (sic enim ipse illi ajebat) *monasterii curatores, cùm ipsi nihil deliquissent, vinculis mancipasti: quod nisi eos statim exemeris, acerbus te præteribit vitæ exitus manet.* Profuit palatino ad saniorem mentem hæc afflictio. Manè igitur & vinctos eduxit, & ad templum properans, sacræ theçe advolutus cum lacrymis audaciæ suæ veniam à Sancto petit, dicens se exemplo Lacedæmone promittens, & civibus aurum, quod exegerat, relicturum. Quod re ipsâ præstitit. Nam aureis septuaginta duobus ad beati loculum abjectis, consenso equo, protinus abscessit. Hactenus ex gestis S. Niconis. *Sic ille à Deo flagellatus nuntiavit omnibus magnalia Dei & potestatem*, ut quondam Heliodorus 2 Machabæor. 3, ℣. 34 & sequentibus.

Porro conditiones requisitas, ut tributum justum sit, prosequitur Cajetan. in Summâ v. Vectigalia iniqua, & fusius alii. Vide inter alios Lessium lib. 2, de Iustitiâ cap. 33, ubi multas tractat de hoc argumento quæstiones, & Francisc. Suarez lib. 5 de legibus, cap. 13, & sequentibus, ubi exactè hanc difficultatem discutit.

Digressio Secvnda.

Elogium Mardochai, & quorumdam aliorum præclarorum virorum qui Patres patriæ merito dicuntur.

MArdochæus illibatus aulæ Persicæ flosculus, palatinorum speculum, gloria & præsidium populi sui non potest satis dignis extolli encomiis. Inter omnia autem illud mihi alius præferendum videtur, quod jam manibus versamus:

16 Mardochæus Patet Patriæ.

Mardochæus acceptabilis plebi fratrum suorum, quærens bona populo suo & loquens ea, quæ ad pacem seminis sui pertinerent, vel. ut Hebraicè est, *loquens pacem omni semini suo*, id est genti suæ : addit Iosephus : *cujus operâ Iudæorum res floruerunt* supra quam vel sperare poterant.

Hujusmodi specimina & decora multorum Regum etiam impiorum & à veri Dei religione alienorum regiæ aluerunt.

16. Iosephus etiam.

Primus esto Iosephus Ægyptiæ curiæ columen, quem ob beneficentiam præstitam populo suo Pharao verso pristino nomine vocavit linguâ Ægyptiacâ Salvatorem mundi Genes. 41, ℣. 45. Romani Patrem patriæ suo idiomate indigetassent. Hoc ita esse Sirachides ostendit Ecclesiastici cap. 49, vers. 17 : *Neque ut Ioseph* (scilicet, quisquam fuit) *qui natus est homo, princeps fratrum, firmamentum gentis, rector fratrum, stabilimentum populi.* Vide ibi Commentat. nostrum.

16. Et Moyses.

Alter in eodem barbaro palatio educatus, sed tyranno ante omnes immaniore imperante Ægypto, qui ignorabat Ioseph, fuit Moyses, de quo scribit idem Sirachides cap. 45, ℣. 1. *Dilectus Deo & hominibus Moyses.* Intellige propter suavissimos mores : de eodem quippe scriptum est Numeror. 12, vers. 3. *Erat Moyses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terrâ.*

16. David quoque.

Tertius in regis sibi infensissimi aulâ, Saulis nempe, fuit David, de quo Ionathas animæ illius dimidium sic ad patrem locutus est, 1 Regum 19, ℣. 5 : *Posuit animam suam in manu suâ, & percussit Philisthæum, & fecit Dominus salutem magnam universo Israeli*, &c.

16. Et Daniel.

Quartus jure memorandus Daniel, qui suo exemplo omnium Regum Augustalia instruat. Vixit sub quinque Monarchis, Nabuchodonosore truculentissimo & fastuosissimo, Evilmerodacho, moderatiore, Baltassare sacrilego, Dario Medo æquitatis studioso, Cyro populo Dei fautissimo.

Quantus verò hic vates fuerit, ipsius prophetia ostendit, & è Societate nostrâ Adamus Contzen in suo Daniele.

16. Hujusmodi fuere Onias & Ieremias.

Adjicio postremò ex sacris libris duos alios publicæ salutis studiosissimos viros, Oniam & Ieremiam, de quibus sic legimus 2 Machabæor. cap. 15, ℣. 12, 13, 14. *Oniam, qui fuerat summus sacerdos, virum bonum & benignum, verecundum visu, modestum moribus, & eloquio decorum, & qui à puero in virtutibus exercitatus sit, manus protendentem, orare pro omni populo Iudæorum.* (per visum Machabæus conspexit) *Post hoc apparuisse & alium virum etate & gloriâ mirabilem & magni decoris habitudine circa illum : Respondentem verò Oniam dixisse : Hic est fratrum amator, & populi Israel : hic est, qui multum orat pro populo, & universâ sanctâ civitate, Ieremias propheta Dei.*

17. Admonitio paræneticaad Principes ut præclaris viris regni negotia committant.

O quisquis clavum Reipublicæ tenes, & Dei nutu ad regni gubernacula evectus in puppi sedes, etiam atque etiam animum advorte, ut imperii tui tales administros deligas, qualis fuit Mardochæus, qui non suis commodis serviant, sed publico bono studeant, ne dum natricibus, hirudinibus, lupis, Phaëthontibus, ærarii & gazæ regiæ depeculatoribus administrationem ditionum tuarum committis, regnum tuum pessumdes ; & mox

Incutiant aliena tibi peccata pudorem.

Quære non munia viris, sed magistratibus gerendis viros. Facem tibi præluxit Assuerus, qui secundum à se Mardochæum constituit, administrationis socium adhibuit. At qualem vir alterum posterior ætas vidit.

Non admoveatur tribunalibus, non subselliis, non conclavi regio quispiam ut illi lautè, splendidè, bellè sit, sed ut subjectis bene prospiciatur.

Si princeps atrium pictis tabulis illustrare satagit, non aliquem de trivio pictorem arte rudem accersit, sed magnis etiam impensis è longinquis regionibus peritum artificem advocat, Apellem, Zeuxin vel Protogenem quempiam, qui nobilibus coloribus, & doctâ manu vivos vultus majorum exprimat, effigies depingat, & stemmata. Quod si aulas suas, & atria aulæis & tapetibus belluatis convestire & ornare animus est, non vulgarem textorem quærit, sed è Belgio quempiâ illustrem opificem adscisit, & evocat, qui acu Arachnæâ peripetasmata elaborata texat, in quibus per ordinem abavis, ataviscque gesta bella quasi spirantia legat, dum atria sua obambulans perlustrat. Quod si hæc Regum non postrema cura est, cur non potior illa sit, ut in arcano eorum conclavi, in adytis, & lararriis augustioribus, in palatio resplendeat viva Dei imago Spiritus sancti manu ad prototypum immortale expressa vir aliquis sanctitate, prudentiâ, & scientiâ præstans, flagrans caritate patriæ, qui sit instar Mardochæi, quem intueatur, quem consulat, qui illi in tenebris hærenti lumen consilii præferat?

17. Principes multo magis ornare debent aulam suam viris bonis & sapientibus, quam pictis tabulis aut tapetibus.

Præcat Regibus vel monstrum illud regum Nabuchodonosor, qui Danielem & socios ejus viros divinâ sapientiâ plenos ad summas extulit dignitates, ut habes Daniel. 2, ℣. 48 : *Tunc Rex Danielem in sublime extulit, & munera multa & magna dedit ei : & constituit eum principem super omnes provincias Babylonis, & præfectum magistratuum super cunctos sapientes Babylonis. Daniel autem postulavit à rege & constituit super opera provinciæ Babylonis, Sidrach, Misach, & Abdenago : Ipse autem Daniel erat in foribus regis.* Significatur verò ipsos socios administrationi Monarchiæ præpositos, Danielem verò fuisse Aulæ præfectum (quem nos more Hispano & Gallico prisco Majorem domus vocamus) regique proximum, ut S. Hieron. interpretatur, sine cujus auctoritate nemo impune aulam vel ad Regem intraret; vel, ut alii intelligunt, fuisse summum eunuchorum Iudicem, quem in quibusdam regnis Cancellarium nominant & consilii sacratioris Præsidem. Et rectè : siquidem à portâ ut primariâ palatii parte tota regia nomen in quibusdam regnis accipit ; & olim, ut liquet ex litteris sacris, in portâ sedebant in tribunalibus judices & senatores, qui jus dicebant.

18. Nabuchodonosor aulæ suæ præfectum constituit Danielem, & ejus socios regni administros.

Idem Rex cap. 4, vers. 5, eumdem Danielem Collegam appellat id est, socium, regni administrum, ejusdem honoris consortem ; quod decus permansit apud Persas in illis, quos dicebant ὁμοζύγους ejusdem honoris.

18. Daniel, collega Regis.

Danielis splendor magis etiam refulsit Monarchiam occupante Dario medo, ut constat ex cap. 6 primis versibus. Dicitur ℣. 3. *Igitur Daniel superabat omnes principes & satrapas*, &c.

18. Daniel primus in aulâ Darii & aliorum Regum.

Rur-

Rursus de eodem dicitur cap. 14 initio. *Erat autem Daniel conviva regis, & honoratus super omnes amicos ejus.* Putant verò plures Interpretes hunc regem fuisse Evilmerodachum stante adhuc & florente Babylone.

Sic verum fuit in Daniele illud Aristidis Oratione primâ Platonicâ : *Maximum Respubl. commodum in proventu virorum bonorum consistere.* Et illud Salomonis Proverbior. 11, vers. 14. *Vbi non est gubernator, populus corruet, salus autem, ubi multa consilia.* Et rursus Sapientiæ 6, ℣. 26: *Multitudo sapientium sanitas est orbis terrarum; & Rex sapiens stabilimentum populi est.*

19. Vir bonus & sapiens aulæ præsidium.

Aristoteles lib. 4 Politic. cap. 15, Magistratus, qui legibus suis Rempub. moderantur, nominat ὀβελισκολύχνια, id est, faces vel lychnos obeliscis altè impositos, sicut prima germina fidei orthodoxæ apud Philippos Apostolus dixit luminaria, ad Philippens. 2, ℣. 15: *Inter quos*, inquit, *lucetis sicut luminaria in mundo:* Græcè φωστῆρες, id est, faces è pharo vel sublimi turre nautis viam ad portum prænonstrantes.

19. Præclari aulici sunt ὀβελισκολύχνια, & φωστῆρες sive luminaria, specula concava.

Sunt hujusmodi palatini specula concava politissima, quæ cum suopte lævore & fulgore niteant, non modò Phœbeæ lampadis & cœlestis jubaris radios excipiunt, sed etiam lumen & ardorem, flammasque honestatis & virtutum in subditum populum longè latéque jaculantur.

Virtus, inquit Tullius Oratione pro Sextio, *per se lucet in tenebris, & pulsa loco manet, splenderque per se semper, nec ullis umquam sordibus obsolescit.*

Sit Magistratus populo animata lex, ex cujus ore non solùm jura hauriat, sed in cujus vitâ & moribus rectè vivendi exempla legat.

20. Magistratus populo animata lex.

Acroama illud Platonis etiam à sanctis religionis nostræ Patribus laudatur, quo beatas affirmat esse Respublicas, quas vel Philosophi gubernant, vel reges ipsi philosophantur.

Affirmarim ego beatiores, quarum fasces & secures tenent viri probi, justitiæque tenaces. Quamvis enim industria in regendo sublimem locum teneat, est tamen virtutis pedissequa, nec quisquam eubuliâ vel sano consilio præstare judicandus est, cui defuerit probitas; quamvis etiam omnium scientiarum encyclopædia pectus limatum, refertumque habeat.

21. Nemo prudens habendus, nisi idem & bonus sit.

Effatum Lycei certissimum & aureum est, quod legitur 6 Ethicor. cap. 13. Ἀδύνατον φρόνιμον εἶναι, μὴ ἐντὸς ἀγαθόν. *Fieri non posse, ut quis prudens sit, quin idem & bonus sit.*

Magnum à Deo beneficium accepit Monarchia Chaldæorum cùm Regi datus est collega Daniel, magnum Persarum, cùm Regibus eorum concessus Nehemias, Mardochæus & alii fideles & probi Consiliarii.

Ita Orator Ethnicus vidit Dion Prusæus cognomento Chrysostomus Oratione 32. *Nam quibus*, inquit, *Numen benevolentiæ suæ curam, & singularis providentiæ tribuit, iisdem parat, instruitque probos consiliarios.*

22. Deus bonis Regibus providet de sapientibus Consiliariis.

Hoc ipse mundi architectus & moderator Deus per Isaiam clarè pronuntiat. Cùm enim favorem suum erga populum Iudæorum declarare vellet, sic inquit, cap. 1, ℣. 26: *Restituam judices tuos, ut fuerunt prius, & consiliarios tuos sicut antiquitus.* Quid inde in Rempublicam boni aut felicitatis redundavit? Subjicit mox: *Post hæc vocaberis civitas justi* (Græcè & Hebraicè, *justitiæ*, qualis fuerat sub rege Melchisedec, quod est, Rex justitiæ, & sub Christo futura Ecclesia, qui κατ' ἐξοχὴν dicitur *Justus*) *Vrbs fidelis*, (Deo tuo.)

Fabulantur Poetæ Græci Neptunum Athenis infensum quasi Megæram ac furiam urbi immisisse dictam Ἀνοβουλίαν, id est, stultum & amens consilium, inconsultam temeritatem.

23. Neptunus iratus Athenienſibus, misit in eos Dysboulam, id est, consilii stultam.

Ita & Deus supra apud Isaiam cap. 3, ℣. 3, comminatur se ab Ierusalem & à Iuda ablaturum inter alia, *consiliarium*: & mox subjicit ℣. 4. *Et dabo pueros principes eorum & effeminati dominabuntur eis.*

Horribile hoc Dei judicium est, & pœna funestissima cùm Reip. navis à fatuo & imprudente gubernatore in brevia & scopulos sine remigio, velo, clavo, malo abripitur.

24 Deus punit Respubl. per stultos consiliarios.

Ajunt quondam in quadam tabernâ Romæ fuisse scripta hæc carmina.

Roma vetus, veteres dum te rexere Quirites,
Nec bonus immunis, nec malus ullus erat.
Defunctis patribus successit prava juventus,
Cujus consilio præcipitata ruis.

Hactenus Commentariis nostris illustravimus historiam Estheræ, prout in Archetypo Hebræo modò reperitur: quæ sequentibus capitibus comprehenduntur, solùm Græcè leguntur, & Latinè ex Græco textu. Porro S. Hieron. inter utramque versionem Latinam ex Hebræo, & ex Græco, hæc suis verbis inseruit:

Quæ habentur in Hebræo plenâ fide expressi. Hæc autem, quæ sequuntur, scripta reperi in editione vulgatâ, quæ Græcorum linguâ & litteris continetur: & interim post finem libri hoc capitulum ferebatur: quod juxta consuetudinem nostram obelo, id est, veru, prænotavimus.

NOta hîc primò, S. Hieronymum de more suo veru vel asteriſco suas versiones notandi, ita scribere Epistolâ 108 ad Domnionem & Rogatianum. *Vbicumque*, inquit, *asteriscos, id est, stellas radiare in hoc volumine* (Paralipomenon) *videritis; ibi sciatis de Hebræo additum, quod in Latinis codicibus non habetur. Vbi verò obelus, transversa scilicet virga præposita est, illic signatur quid Septuaginta Interpretes addiderint, vel ob decoris gratiam, vel ob Spiritus Sancti auctoritatem, licet in Hebraïs voluminibus non legatur.* Hucusque Sanct. Hieronym. in fine Epistolæ, quæ est Præfatio secunda in librum Paralipomenon.

Quæ asteriſcis, quæ verò obelo notaverit S. Hieronymus.

Nota 2, hæc, quæ usque ad extremum libri sequuntur, non ideo veru notata fuisse à S. Hieronym. (Græci dicunt ὀβελίζειν, id est, veru configere vel jugulare) quod minus illa γνήσια, vel genuina censuerit, vel (ut nimis temerè dixit Sixtus Senensis à nobis refutatus in nostris Prælo quiis) corrupta illa crediderit, sed quia in suo codice Hebræo non repererit: habuisse autem S. Hieron. hæc etiam pro Canonicis constat ex pluribus ejus locis, ubi citat cap. 14 Esther, ut ibi videbitur.

Quæ sequuntur capita non fuerunt rejecta à S. Hieron. ut spuria.

Itaque quæ sequuntur capita nos obelo vel veru non jugulabimus, sed potius Asteriscis vel stellulis illustrabimus, ut docti scriptores senten-

Sunt hæc capita Canonica.

tias vel gnomas graves & eximias signare solent. Sunt enim nobis ex Catholicæ Ecclesiæ decreto sacrosancta & Canonica, quidquid contra obganniant & grunniant nostri Novatores vulpeculæ & nefrendes.

Ceterùm in posterum Latinam nostram editionem, ubi usus erit, conferemus non cum Hebræa, quâ caremus, sed cum Græcâ, ut aliquid luci illi accedat.

Hæ laciniæ in Græco habentur suis locis, sed non servata semper est ratio temporis.

Nota 3, in editione Græca Septuaginta, has additiones & lacinias, quæ jam in Latino disjunctæ sunt, & à corpore suo recisæ, conjunctas haberi (ut etiam in Latinâ vulgatâ veteri) & quasque suis locis insertas. Hîc tamen illas separavit S. Hieronym. ut ostenderet se eas non reperisse in Hebræo, simulque indicavit, ad quem locum textus Græci vel etiam Latini veteris pertineant.

Ita autem in Græco leguntur, ut non semper habeatur ratio temporis, quo historia contigit, quæ narratur; ut manifestum hîc est cap. 12, ubi conjuratio eunuchorum contra Regem Assuerum videtur significari fuisse facta anno secundo ipsius, statim post visum somnium à Mardochæo; cùm verisimile sit illam contigisse anno ejusdem circiter octavo, post initas nempe cum Esthera nuptias, ut probat Iacobus Salianus anno Mundi 3597, Artaxerxis Longimani octavo. Sed hac de re suo loco dicetur.

Nota 4, Cum hîc S. Hieronym. dicit, & in sequentibus, se has appendiculas invenisse in editione vulgatâ, satis indicat esse magnæ auctoritatis, quandoquidem antiqua Ecclesia illâ uteretur pro Canonicâ. Cùm verò aliquoties postea asserit quædam ex illis apud nullum se reperisse interpretem, intellige, exceptâ translatione Græcâ Septuaginta: nam ibi reperiuntur.

Suspicatur verò hîc Sanctius hæc sumpta esse ex annalibus Medorum atque Persarum, de quibus mentio hîc ℣. 2. cap. decimi. Sed hoc incertum est. Diximus enim in nostris Præloquiis, probabile esse omnia, quæ hîc ex Græco referuntur, quondam fuisse in Archetypo Hebræo, quod hodieque extare in quibusdam Bibliothecis dicitur, & habentur suis locis inserta in editione Septuaginta Romanâ quæ prodiit auspiciis Sixti quinti. Quidquid tandem sit, sunt hęc postrema capita infallibilis auctoritatis, ęquè ut priora, quæ in Hebræo feruntur. Insuper utrumque edictum Artaxerxis, hîc positum c. 13, & 16, etiam continetur scriptis Flavii Iosephi, ut suo loco explicabitur, licet paululum immutatum. Item pleraque habentur in Iosippo, vel Iosepho filio Gorionis.

VERSVS IV, & V.

Dixitque Mardochæus: A Deo facta sunt ista. Recordatus sum somnii, quod videram, hæc eadem significantis: nec eorum quidquam irritum fuit.

Græcè: Et dixit Mardochæus: A Deo facta sunt ista: Memini enim somnii quod videram de verbis (rebus) his.

Neque enim præterivit ab eis verbum, id est, nihil ex omnibus fuit, quod non fuerit impletum.

COMMENTARIVS.

De tempore, quo somnium vidit Mardochæus.

IN exemplaribus Græcis declaratio somnii Mardochæi, & consequenter ea quæ habentur initio capitis undecimi, finem libro huic imponunt. A versu 2 ejusdem capitis Septuaginta exordiuntur librum Esther. Et plerique interpretes & Chronographi hunc ordinem sequuntur, inprimisque Rupertus lib. 8 de Victoria Verbi Dei cap. primo. Et rectè quidem. Si quidem anno secundo Artaxerxis, quem Hebræi Assuerum nominant, vidit divinitus somnium sibi immissum Mardochæus, rerum maximarum prognosticum; nec intellexit quid portenderet, nisi annis undecim post, videlicet anno 13 ejusdem Artaxexis, quo Amanus hostis ejus capitalissimus cum suis asseclis suspensus, pessumdatusque est; ipse verò Mardochæus ad fastigium honoris evectus.

Somnio Mardochæi conjunctum magnum desiderium illius interpretationis cognoscendæ.

Observat Serarius hîc quæst. 7, recordationem illam Mardochæi vers. 5 non fuisse simplicem, quę solam memoriam somnii refricaret, sed fuit illi adjunctum ardens desiderium quoddam & expectatio eventus futuri, cùm sciret somnium esse divinum, paulatim autem ostentum illud & per partes compleri videbat, & perfectum totius exitum operiebatur.

Itaque Mardochæus obstupefactus consideratâ inperatâ vicissitudine & catastrophe mirabilium rerum, quæ se inter & Amanum contigerant, exclamavit: *A Deo facta sunt ista. A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.* Psal. 117, vers. 23. q. d. Hæc inexpectata rerum mutatio divinitus procurata est, & jam clarissimè perspicio somnii, quod Deus mihi ante annos undecim objecit, significationem. Video ad unguĕ omnia esse completa, quæ symbolicè per visum mihi se obtulerunt, nec quidquam est, cujus interpretatio me subterfugiat.

Notat hic Dionys. Mardochæum non fuisse prophetam, quia significationem somnii solùm intellexit ex eventu & evidentiâ facti, non per illius cognitionem cùm ei objiceretur. Verùm prophetis non omnia Deus revelat.

Quoniam verò somnium, & ejus declaratio inter se connexa sunt, estque somnium naturâ & tempore prius suâ interpretatione, ideo utrumque simul eodem commentario evolvemus, & somnium ipsum præponemus.

Somnium

Somnium Mardochæi ex capite undecimo versu secundo & sequentibus.

VERSVS II, III, & IV.

Anno secundo, regnante Artaxerxe maximo, primâ die mensis Nisan, vidit somnium Mardochæus, filius Iairi, filii Semei, filii Cis, de tribu Benjamin:

Homo Iudæus, qui habitabat in urbe Susis, vir magnus, & inter primos aulæ regiæ.

Erat autem de eo numero captivorum, quos transtulerat Nabuchodonosor rex Babylonis de Ierusalem cum Iechonià rege Iuda.

Græca. Anno secundo regnante Artaxerxe magno, unâ Nisan somnium vidit Mardochæus, qui fuit Iairi, qui fuit Semei, qui fuit Cisæi, de tribu Benjamin.

Homo Iudæus habitans in Susis civitate, homo magnus, minister existens in aulâ regis.

Erat autem ex captivitate, quam captivaverat Nabuchodonosor rex Babylonis ex Hierusalem cum Iechonià rege Iudææ.

COMMENTARIVS.

DIscrimen exiguum inter utrumque textum.

In Græco est Hebraismus, dicit unâ Nisan, ubi Latinus habet, *primâ die mensis Nisan*; ponitur enim numerus cardinalis pro ordinali, unus pro primus, ut Genesis primo ℣. 5. *Factum est vespere & mane dies unus*, id est, primus.

Sic accipitur passim unâ Sabbati vel Sabbatorum pro primâ die septimanæ.

Respondet autem mensis Nisan Martio nostro, eratque Iudæis primus anni mensis, quantum ad festorum celebritatem & res Ecclesiasticas, juxta illud Exodi 12, ℣. 2. *Mensis iste, vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni*: ceteroquin quoad civilium rerum tractationem, & reliqua omnia annum auspicabantur à Tizri, qui convenit cum Septembri nostro, vel potius cum ejus Lunatione, eò quòd putarent mundum hoc mense creatum, vel saltem renovatum è Cataclysmo Noëtico.

Præterea Græca etiam more Scripturæ omittunt nomen filii, ut videmus omissum passim Lucæ 3 à versu 23 usque ad finem.

Quod autem Latinè dicitur Mardochæus fuisse *inter primos aulæ regiæ*, Græcus habet solùm, minister in aulâ regis, intellige autem, quod fuerit primarius, vel unus ex primariis. Dictum est autem per prolepsin, vel Anticipationem, non quod anno secundo Artaxerxis talis fuerit, sed postea, maximè post Amanem in crucem actum, licet præterea etiam legatur cap. 2. ℣. 19 Mardochæus mansisse ad januam regis, idque anno Assueri septimo, ubi Græcè est, ἐθεράπευεν ἐν τῇ ἀυλῇ, ministrabat in aulâ.

Scimus autem ex Herodoto lib. 3, & Xenophonte lib. primo Anabaseos, adolescentes etiam ad januam palatii regii admissos, ut omnem morum honestatem docerentur ab iis qui ibidem versabantur, sicque via ad honores pararetur.

Ceterùm duæ hîc tanguntur difficultates. Vna de stirpe Mardochæi, altera de ejus ætate tempore Assueri. Sed quoniam de utràque diffusè à nobis actum est suprà cap. 2, ℣. 5 & 6, eò Lectorem remittimus.

VERSVS V, VI, VII, VIII, & IX.

Et hoc somnium ejus fuit: Apparuerunt voces & tumultus, & tonitrua, & terræmotus, & conturbatio super terram.

Et ecce duo dracones magni, paratique contra se in prælium.

Ad quorum clamorem cunctæ concitatæ sunt civitates, ut pugnarent contra gentem justorum.

Fuitque dies illa tenebrarum & discriminis, tribulationis & angustiæ, & ingens formido super terram.

Conturbataque est gens justorum, timentium mala sua, & præparata ad mortem.

Græca. Et hoc ejus somnium. Et ecce vox tumultus, tonitrua & terræ motus, & turbatio super terram, & ecce duo dracones magni parati processerunt utrique prœliari: & facta est eorum vox magna, & voce eorum parata est omnis gens ad prœlium, ut pugnarent in gentem justorum.

Et ecce dies tenebrarum & caliginis, afflictio & angustia, tribulatio & turbatio magna super terram. Et conturbata est omnis gens justa timentes sua mala, & parati sunt perire.

COM-

COMMENTARIVS.

IDem somnium viriſimiliter ex Hebræo codice deſcribit etiam Ioſephus Ben ſive filius Gorionis lib. 2 Hiſtoriæ cap. 2, his verbis. *Anno ſecundo regis Aſſueri Mardochæus vidit in ſomnis, & ecce terræ motus magnus, & tonitruum validum, ac vehemens, fueruntque turbæ per univerſam terram, formido & commotio, tremor ac conturbatio ſuper omnes habitantes in eâ. Tunc prælium inierunt duo ingentes dracones alter adverſus alterum, & concurrerunt ad voces eorum omnes gentes terræ. Et ecce inter eas gens quædam parvula, ita quam reliquæ omnes gentes inſurrexerunt ad perdendum nomen ejus, & delendam memoriam ejus ex univerſâ terrâ: fueruntque illo die tenebræ & caligo per univerſum mundum, afflictaque fuit gens illa parvula valde, itaque clamaverunt ad Dominum. Dracones interea pugnabant magnâ tum crudelitate tum iracundiâ, nec erat, qui eos dirimeret.* Hæc ad rem noſtram ibi Gorionides; reliquum ſomnii infrà ponemus.

Et hoc ejus ſomnium fuit, &c. De ſomniis multa diſſeruimus Commentar. in Eccleſiaſtici c. 34, ℣. 6, & alibi.

1. Cauſæ ſomniorum variæ. Cùm ſomnia variis ex cauſis oriantur, nempe ex diversâ corporis affectione & temperamento, ex cogitationibus præcedentibus, ex gravi animi perturbatione; quæ cauſæ naturales ſunt & intrinſecæ: Rurſus ex dæmonis illuſione, quâ diverſis ſpectris & imaginibus mentem hominis perturbat, & exagitat; & falſâ veris permiſcet, ut tandem dolis ſuis illaqueet & intricet, incautamque decipiat: Item ex divinâ viſitatione & illuſtratione, per quam Deus lumine ſupernaturali in hominis animum illabitur, & per mira ſymbola res vel futuras vel arcanas ſignificat, ut conſtat ex litteris ſacris, omnino dicendum eſt, viſum hoc, quod exponimus, divinitus Mardochæo fuiſſe objectum.

2. Divinum fuit hoc ſomnium. Nullæ namque cauſæ naturales hoc producere potuerunt, nec etiam dæmon illius auctor fuit, quandoquidem ſomnium hoc præſagium fuerit eventuum, qui pendebant à multorum liberâ voluntate.

Deinde Mardochæus à Deo miſſum ſibi hoc oſtentum clarè agnovit cap. 11, ℣. 12, ubi dicitur. *Quod cùm vidiſſet Mardochæus, & ſurrexiſſet de ſtrato, cogitabat quid Deus facere vellet.*

Solet autem Deus cùm oblato in ſomnis viſo hominem commonefacere proponit, mentem illius ſic afficere & irradiare, ut à Deo profectum non dubitet, ſicut Commentariis noſtris ſuprà in Eccleſiaſticum expoſuimus. Sæpe etiam ſolet Interpretem dare, qui illud exponat, ut ex Scripturâ notum eſt de Ioſepho & Daniele, vel ſaltem ſuo tempore quid ſignificaverit, manifeſtare.

Adde divina ſomnia portendere res magnificas & ſublimes, miraſque & maximè arcanas, quarum viſis ſymbolis mens hominis incitetur ad eas perveſtigandas: quæ omnia locum habuerunt in ſomnio Mardochæi.

Siquidem habes hic cap. 11, ℣. 12: *Cogitabat* (Mardochæus) *quid Deus facere vellet, & fixum habebat in animo ſcire cupiens, quid ſignificaret ſomnium.* Item cap. 10, ℣. 4. *Dixitque Mardochæus: A Deo facta ſunt iſta: Recordatus ſum ſomnii, quod videram, hæc eadem ſignificantis, nec eorum quidquam irritum fuit.*

3. Divinis ſomniis homo confirmatur. Non eſt autem dubitandum, quin animus Mardochæi inter ſæviſſimos turbines & tempeſtates, quas Amani intoleranda ſuperbia & crudelitas contra Dei populum concitaverat, ſomnii illius recordatione ne mente concideret, mirum in modum erectus fuerit, & poſt tenebras lucem, poſt tempeſtatem ſerenum, poſt nubila Phœbum cœlitus oriturum ſperaverit.

Ita 2 Machabæorum cap. 15, ℣. 11 & ſequent. Iudas Machabæus commilitones ſuos ad ſortiter dimicandum contra Nicanorem corroboravit & confirmavit, expoſito eis fide digno ſomnio, per quod omnes lætificavit; quod deinceps ibi narratur de Oniâ & Ieremiâ, qui ſibi in ſomnis apparuerant.

Porro ex quibus ſomniis futurorum liceat capere conjecturam, ex quibus non, vel quæ obſervare conveniat, quæ non, in Eccleſiaſtici locum ſuprà notavimus. Interim vide S. Thom. 22. q. 95 art. 6, & ibidem Cajetan. Inſuper Benedict. Pererium in primum Caput Danielis.

Apparuerunt voces & tumultus & tonitrua, &c.

4. Quorum ſymbola fuerint voces & tonitrua, &c. Hæc omnia, *voces & tumultus*, ſive, ut Græcè *vox tumultus* (ut ſit in Latino Hendiadys) & tonitrua, & terræ motus & conturbatio ſuper terram ſignificant ſymbolicè motus, quos concitarunt magni illi principes Mardochæus & Amanus, dum contrariis ſtudiis inter ſe digladiantur. Dum primum Mardochæus apud Eſtheram reginam neptem ſuam dignitatis locum obtinet, & per illam Regi conjurationem in ipſius caput ab eunuchis paratam aperit: Amanus verò à rege ſuper omnes principes & palatinos evehitur, ita ut honores divinos ſibi deferri, potiſſimum etiam à Mardochæo ambiat: Dum Mardochæus adorare à genibus ſuperbiſſimum caput recuſat, Amanus interim invidiâ tabeſcens, & furore amens ipſi crucem, toti verò Iudæorum genti extremam perniciem machinatur. Dum Mardochæus veſtibus indutus regiis per compita Suſiana obequitat, Amanus autem ſtratoris officio fungitur, & acclamare illi, quem peſſimè oderat, cogitur: *Sic honorabitur quemcumque voluerit Rex honorare.* Dum contraria edicta per Perſidem veredariis diſcurrentibus mittuntur; & per unum quidem Amano incentore Iudæi ad certam diem, ut victimæ, cædi deſtinantur, & addicuntur; altero verò, Iudaici nominis hoſtes ab ipſis Iudæis impunè ad ſeptuaginta quinque millia & octingentos trucidantur. Dum hic totius Tragœdiæ auctor cum filiis ſuis in crucem agitur, ille autem primus à Rege fulget veſtibus regiis, coronâ aureâ inſignitur, totus denique Iudæorum populus tripudiat gaudio, lætos & geniales dies agit, feſtumque celebrat frendentibus inimicis & frementibus. An non hæc horrifica fuere tonitrua, & inſolitæ telluris commotiones, quæ totam Perſidem attonuerunt, & concuſſerunt? Quàm diverſi animorum motus nunc Iudæos, nunc Perſas agitarunt, dum nunc illi metuunt & dolent,

dolent, hi sperant, & gaudent; nunc versâ vice qui spe erigebantur, & lætitia gestiebant, metu & luctu contrahuntur!

Quis ignorat quantis Reipub. navis jactetur procellis, dum adversis animis, simultatibus, seditionibus vulgus ejusque moderatores inter se confligunt & decertant? dum arma armis, pila pilis, castra castris; copiæ copus, viri viris opponuntur? Ostenderunt hoc omnibus seculis bella plusquam civilia Romanorum, Græcorum, etiam diuturna Belgarum, & aliarum gentium, quæ, ut ita dicam, cœlum terræ miscuerunt, omnia sursum, deorsumque verterunt.

5. Ut Imperator signis tubarum belli indicium. Deus per tonitrua & fulgura.

Pro more habent duces & Imperatores ad certamen militum animos clangore tubarum evibrare. Cum enim rauca cornua murmurant, strepunt litui, reboant tympana; prælium instat. sunt hæc pugnæ præludia. Ita Deus, inquit Sanctius, bellum hîc videtur symbolicè indicere, imo, dico ego, signis manifestis portendere, cum de cœlo tonat, fulgurat, cum terram gravi motu concutit, mundum fumantibus elementis & cæcis tenebris involuit. His autem fragoribus, & corporum collisionibus magna solet significari tempestas, & per illam bellum durum & truculentum designari.

Post hos igitur fragores, & quasi belli prolusiones exierunt duo vastâ mole dracones parati ad pugnam, ad quorum clamorem multæ undecumquæ copiæ congregatæ sunt, quas Aman coëgerat, ut contra innoxium Iudæorum genus prœliarentur.

Tribuitur hic clamor draconibus καταχρησικῶς sive abusivè: angium enim & serpentium proprius est sibilus: Accipe hîc ergo cum Serario per clamorem horrenda sibila, non voces articulatas, quæ plures nationes ad prœliandum commoverunt.

Dicitur porro illa dies fuisse Iudæis tenebrarum, caliginis, discriminis, tribulationis & angustiæ, &c. quia illis verbis notatur tempus illud, quo Iudæi in squalore & luctu versati sunt, jacuerunt in cilicio & cinere, oppleti lacrymis, planxerunt extremâ angustiâ & aporiâ oppressi, formidantes malum inevitabile, quod potentissimus hostis illis moliebatur; de quo habes initio cap. quarti.

Notat hic Dionys. nato Alexandro Magno similes procellas & tempestates fuisse exortas præsagia malorum quæ Orientis regionibus ipse esset allaturus.

6. Fulmen symbolum cladis, & contrà claritatis.

Ego verò solum reperio apud Pierium lib. 43, Hieroglyphicôn, quod Olympias primâ nocte, quâ se Philippo adjunxit, existimarit facto tonitru in uterum sibi fulmen illabi, ex cujus ictu magno excitato incendio in flammas inde latè diffusas abire visum. Quod si quis velit ômen quoddam fuisse calamitatum, quas Orienti Alexander esset illaturus; per me licet. Volunt tamen ὀνειροκρίται, sive somniorum conjectores illud prognosticum, indiciumque fuisse futuræ in filio claritatis. Vnde factum, ut pictores imagini Alexandri fulmen affingant, quod alii supra galeam collocant, alii ejusdem manum dextram fulmine armant.

7. Fulmen appingitur Alexandro Magno.

Et ecce duo dracones magni; &c.

Hanc partem Mardochæus ipse interpretatur cap. 10, vers. 8, non vanus somnii sui vates. *Duo autem dracones*, ait, *ego sum & Aman.*

8. Cur Aman & Mardochæus Dracones.

Cur verò dracones vocantur hi duo? Multi multa adferunt. Dionys. Aman draco per venenatam impietatem, & aliorum infectionem: Mardochæus verò per potestatem & fervorem caritatis.

Stephan. Menochius: duo dracones illi; quia ambo potentes, ambo vigiles; alter ad perdendum gentem Iudæorum, alter vero ad salvandum. Ambo etiam horrendos sibilos ediderunt in totâ Perside per suos nuntios.

Feuardent. Rectè Aman & Mardochæus draconibus signati sunt, quoniam uterque stemmate regio ortus, ille Saulis regis Iudæorum, iste Agag regis Amalecitarum, uterque viri magni animi, uterque ingenti glorià claruit in imperio Persarum, uterque ingentem populorum turbam dicto audientem habuit, uterque vitam in multos annos protraxit uterque magnorum rumorum in orbe causa fuit. Addit & postea, Mrdochæum cum dracone conferri, qui hostes gentis suæ perdidit. Sic viri fortes leonibus in scripturâ comparantur.

Rupertus lib. 8, de victoriâ Verbi Dei cap. 2, sic interpretatur. *Draco Aman propter causam veram, propter Diabolum serpentem antiquum veraciter quidem habentem in pectore Aman, cujus videlicet draconis capita septem habentis* (Apocal. 12 & 13) *quartum caput fuisse jam dictum est, regnum Persarum & Medorum, maximè propter Aman, & propter gentes illius imperii, super quas cum elevatus esset Aman, delere voluit gentem, de qua nasciturus erat Christus. Porro Mardochæus draco non verus, sed inimicorum, scilicet ejusdem Aman & complicum ejus accusatione falsâ dicentium, quod genus ejus Iudaicum esset seditiosum, & regno insidiosum. Nec mirum, quod homo simplex & rectus propter falsam opinionem per draconem malitiosum atque tortuosum in somnio est designatus, cum ipse simplicium Rex, & rectorum Dominus Christus per serpentem æneum fuerit præfiguratus* Numer. 21. *Nempe sicut serpens ille æneus fuit sine veneno, sic Christus cum accusaretur magus, erat absque peccato. Similiter Mardochæus propter accusationem Aman per somnium visus est draco: sed secundum rei veritatem homo erat Dei cultor, malitiam non habens draconis antiqui, qui sæviebat in illo Aman superbissimo.* Hactenus Rupertus.

Serarius tamen docet hanc similitudinem aptius posse proponi, si dicatur Aman draco, quia scelerati draconis administer, & Mardochæus similiter draco, quia sancti draconis organum, Dei scilicet, qui draconis antiqui & immanissimi caput contrivit, totumque absorbuit. Sic Christus assimilatus fuit serpenti æneo Ioan. 3, Numer. 21, & Moysis draco magorum dracones devoravit, Exodi 7, 12, & Mosis draco Pharaonem magnum draconem.

Ceterum dicendum est cum eodem Serario, Tirino, & aliis, Amanum & Mardochæum appellari dracones, quia tamquam principes in suo populo eminebant auctoritate, potentiâ, apud Regem etiam unus post alterum gratiâ valuerunt. Dracones autem vocantur Græcè serpentes, qui in vastam molem excreverunt, & ferociâ suâ multos alios serpentes vel superarunt, vel voracitate deglutierunt.

9. Quinam serpentes dicantur Dracones.

Adde draconem apud antiquos Hieroglyphis

Ægyptios sacrum characterem Regum, Præfectorum, ducum, principum, militum, ut jam ex professo fusius demonstrabimus.

Digressio Prima Symbolica.

Draco Deorum, Heroum, Regum, Principum, militum apud priscos Hieroglyphicus character.

10. Deorum hieroglyphicum Draco.

VSque adeo hoc verum est, ut scribat Horus Apollo Hieroglyphico primo, diis circumpositum serpentem: quod Nicolaus Caussinus suis in Horum observationibus existimat dictum, quia deorum coronas serpentum spiris implicabant.

10. Item Regum.

Vsitatum apud Ægyptios erat Regibus, Draconis anteriorem partem in capite gestare tamquam insigne principatus, ut notavit Diodorus lib. primo.

Quin etiam Ælianus lib. 7, de Animalibus cap. 38, disertè testatur Ægyptiorum Regum diademata anguium spiris implexa fuisse, ut stabilem imperii firmitatem declararent, Vide plura hac de re apud Caussinum initio Observation. in Hori Hieroglyphica.

11. In Dracone cernitur imago boni Principis.

Auctor mihi est Silvester Petra sancta lib. 7, de Symbolis Heroicis, immortali gloriæ Gregorii Decimi tertii Pontificis laudatissimi consecratos fuisse à Principio Fabricio Teramensi libros sex, in quibus forma Optimi Principis ducitur ex solâ Draconis consideratione, qui Draco & Gregorii Papæ, & totius familiæ Boncompagnæ nota & insigne est Gentilitium.

12. Tiberii Draco à formicis occisus quid significaret.

Tranquillus in Tiberio ad rem nostram facit. *Erat*, inquit, *Tiberio in deliciis Draco serpens, quem ex more suo manu suâ cibaturus cum peremptum à formicis invenisset, ab aruspicibus monitus est, ut vim multitudinis caveret.*

Formicas porro mortuis anguibus libenter vesci referunt Naturæ perscrutatores: at quod vivum serpentem multitudo formicarum consumpserit, hoc demum prodigio datum est. Et ostentum quidem commodam interpretationem habuit. Nam Draco Deorum & Regum sacra tessera est, formicæ autem designant plebis multitudinem.

13. Insigne Regis Sinarum color flavus & Draconis.

Satis constat Regis Sinarum insignia à Draconibus mutuata. Audi quid de his scribat Nicolaus Trigautius Noster lib. primo de Christianâ expeditione apud Sinas. *Color*, inquit, *regius, cæterisque interdictus flavus est; è quo vestis ejus contexta est variis ex aureo filo draconibus. Nec in veste solùm regia dracones, sed in palatio universo, vasisque aureis & argenteis, & reliqua supellectile vel cælati vel depicti cernuntur: quin etiam ipsa tecta & tegulæ flavum colorem & dracones spectandos exhibent: quod ansam fortasse præbuit quibusdam asserendi, palatii regii tegulas esse aureas, æreasve; at revera fictiles sunt, ut ego meis manibus attrectavi, sed flavo calore imbutæ, & singulis clavis, trabalibus fere, in tecto ipso defixæ: sunt enim nostratibus haud paulo majores: quorum clavorum caput est inauratum, ne quid appareat in regio palatio, quod regium colorem non præferat. Siquis eum colorem aut dracones in proprios usus adhiberet, perduellis haberetur, nisi forte regio sanguine esset prognatus.* Hucusque Trigautius.

14. Cur Pharao Draco vocetur, & habere multa capita scribatur.

Vt verò è litteris sacris aliquid promamus: Ezechiel cap. 29, ℣. 3, Pharaonem ob regiam potentiam, imperium latissimum, regionis fecunditatem, & divitias, quibus abundabat, draconem nuncupat his verbis. *Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te Pharao rex Ægypti, Draco magne, qui cubas in medio fluminum tuorum*; &c. Sermo autem Prophetæ est non de dracone terrestri sive serpente propriè dicto, vel de dracone marino vel cete, sed de fluviali sive crocodilo, qui in Nilo plurimus est. Vnde & Pharaonem quasi in Nilo cubantem & fluminibus ex eo deductis, Draconem & Crocodilum nominat: de quo & dicitur Psalmo 73, ℣. 14: *Tu confregisti capita Draconis*, id est, Pharaonis.

Plura capita illi tribuuntur propter immensam superbiam & potestatem maximam. Ita enim Reges Ægyptiorum & populus se efferebant ob Nilum, ejusque ubertatem, quasi nec Jove pluvio, nec cœlesti imbre indigerent.

Hinc & factum est, ut magni Principes originem suam ad Dracones referrent.

15. Magni principes Ethnicigenas suum ad Dracones referunt, ut Scipio.

Notum est de Scipione Africano, quem fabulatur Silius Italicus lib. 2, angue progenitum, de quo & meminit Livius l. 6, decade 3.

15. Fingitur Olympias Alexandri concepisse ex Dracone.

De altero verò dracone, ex quo velut Iove Ammone concepisse Alexandrum fingitur Olympias, plures etiam historici meminerunt: quos vide apud Matthæum Raderum Commentario in Curtii l. 4, c. 20. Certe Sidonius Apollinaris eum Draconi genam vocat.

16. Insigne Mediolanense.

Extat apud Alciatum Emblema de Gentilitio Mediolanensium symbolo, in quo anguis è faucibus infantem evomit, quod ab Alexandro Natali acceptum sic versibus illustrat.

Exilien infans sinuosi è faucibus anguis,
Est gentilitiis nobile stemma tuis.
Talia Pellæum gessisse numismata Regem
Vidimus, hisque suum concelebrasse genus;
Dum se Ammone satum, matrem anguis imagine lusam
Divini & sobolem seminis esse docet,
Ore exit: tradunt sic quosdam exisse angues:
An quia sic Pallas de capite orta Iovis?

17. Epaminondas cur in clypeo portarit.

Epaminondas clarissimus Thebanorum dux & Imperator Draconis gestamine insignis fuit. Eo verò loco, quo prœlium commissum ad Mantinæam, ubi & ipse fortiter occubuit, columnam erexit antiquitàs cum clypeo Draconem in ejus memoriam gestante. Quod Pausanias ideo factum arbitratur, quod is ex Spartiarum cognatione, quæ Thebis erat antiquissima, progenitus diceretur, quorum id gentile esset insigne, quippe quod à feminio anguineorum dentium, quos Cadmus severit, oriundi essent, de quâ fabulâ consulendus Ovid. Metamorphosi.

17. Draco gentilitium symbolum Spartiatarum.

Pierius lib. 15, Hieroglyph. copiosè ostendit ex variis historicis Draconem anguem visum, vel in somnum oblatum, esse argumentum dominii, amplitudinis, & claritatis futuræ.

18. Draco visus signum futuræ potentiæ.

Mihi verò Draconis symbolo designari videntur pernoctes excubiæ, & vigiliæ insomnes, quæ viris principibus conveniunt. Hujus rei nota Draco est, qui & thesauris incubare, & Hesperidum aurea mala custodire fingitur, & apud Græcos δρακὼν ἀπὸ τοῦ δέρκεσθαι, ab intuendo nomen invenit, eo quod acutissimâ oculorum acie præditus

18. Draco symbolum vigilantiæ, quæ necessaria principi.

sit;

18. Draco undè dictus?

sit, unde est & illud: ὄφεως ὄμμα, serpentis oculus & illud Horatii.

Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quam aut aquila, aut serpens Epidaurius?

19. Quomodo perspicax vigilantia Ægyptii finxerunt.

Hinc etiam Ægyptii cum testari vellent regem quempiam egregiam populi sui curam gessisse, Draconem vigilem vertice surrecto, elatoque pectore in obeliscis exhibant, ubi pro regis nomine Custos inscribebatur, utpote quod æquè atque Draconi, vigilandum regi sit, cui populi, regnique cura credita. Horus videndus Hieroglyphico 57.

18. Draco item signum potestatis in principe.

Nec illud omittendum, quod non mole quidem corpus (quamvis & istud quoque interdum contingat, ut in Saule rege Israel, Turno Rutilorum duce, qui toto vertice suprà populum eminebant) sed potentiâ & auctoritate subditis præstent, & frequenter formâ præditi sint imperio dignâ.

Ceterum notum est inter serpentes vocari illos Dracones qui mole corporis sunt vastiore.

19. Immensa quorundam Draconum moles.

Maximus Tyrius Sermone 38, tradit apud Iudos Alexandri tempore Draconem fuisse quinque jugerum magnitudine cui boves & oves in cibum Iudi ministrabant, & ut Deum colebant.

Hinc & Dracones quosdam vocant Boas, quod boves, deglutirent; qualis fuit ille, qui armenta & pastores tactos ad se vi spiritus absorbebat, quem pyram conscendere jubens exussit S. Hilarion, ut S. Hieronym. in ejusdem vitâ. Meminit & Ælian. lib. 2 Histor. Animal. c. 21, quorumdam, qui habitu aves ex aëre detrahebant.

Celebris quoque narratio est de serpente inusitatæ magnitudinis in Africâ, cujus meminit Gellius l. 6. Noctium Attic. c. 3. Orosius lib. 4, Livius lib. 18, Decadis 2. Valer. lib. 1, cap. 8, §. ultimo. Hujus verba mente reconde. *Refert* (verba sunt Valerii) *Titus Livius in Africâ apud Bagradam flamen, tantæ magnitudinis anguem fuisse, ut Attilii Reguli exercitum usu amnis prohiberet: multisque militibus ingenti ore correptis, compluribus caudæ voluminibus collisis, cum telorum jactu perforari nequiret, ad ultimum balistarum tormentis undique petitum, silicum crebris & ponderosis verberibus procubuisse, omnibusque & cohortibus & legionibus ipsâ Carthagine visam terribiliorem. Atque etiam cruore suo gurgitibus imbutis, corporisque jacentis pestifero afflatu vicinâ regione pollutâ, Romana inde submovisse castra. Dicit bellua etiam corium centum viginti pedes longum in urbem missum:* Hæc Valerius.

19. Iubens serpens in Africa.

Quis dubitet hunc serpentem Draconem, ut in tam immanem vastitatem excresceret, multos angues ante absorbuisse? Siquidem Proverbio Græcorum fertur sanè arguto, civili libertate in lotentiores jactato: Ὄφις εἰ μὴ φάγοι ὄφιν δράκων οὐ γενήσεται: *Serpens nisi serpentem devoret, draco non fiet.* Quem igitur Imperatorem constituas eo Adagio ajebant illi, necesse ei est multos Reges deglutire. Nos, si lubet, ad majorem prudentiam, auctoritatem quâ populo rex antecellat, potius transferamus.

20. Serpens nisi serpentem devoret non fit Draco; quid nocet?

Ceterum de Draconum mole & indole siquis plura desideret, Plinium legat lib. 8, cap. 11, & 12, Item lib. 29, cap. 4, & Dionem in Augusto.

Postremò, Dracones sacra nota fuerunt Præfectorum militiæ, ut tradit Pierius lib. 15, Hieroglyphicôn, & probat ex antiquis numis: quod vel maximè locum habebat apud Persas, ubi ferociores & præstantiores milites Draconum nomine appellabantur, ut in libro, Quomodo historia conscribenda sit, ostendit Lucianus.

21. Milites Draconarii quid?

Hoc etiam tempore in exercitu nostro vocaculo Gallico dicuntur equites quidem Dragoniers, Draconarii, qui tam ex equo, quam pedites pugnant, sunt que milites desultorii, in utrumque parati, seu stante pede, seu cursu cum hoste congrediendum sit.

Alexander Neapolitanus lib. 4, cap. 2 Genial. dierum docet in signis militaribus Romanorum aliquando effictam imaginem Draconis, quare draconi dicti milites, quod vexillum purpureum erat: quinimo in genere milites signiferi, qui signa portabant, dicti Draconarii, ut Vegetius lib. 2 cap. 7. Vide plura in Notis Tiraquelli ad Alexandrum suprà.

21. Draco in signis Romanorum & Ægyptiorum.

Creduntur à multis Ægyptii quoque in vexillis gestasse Draconum capita, & ad hæc in mari rubro demersa alludere Psalmodum, cum canit Psal 73, ℣. 13: *Contribulasti capita Draconum in aquis.* Alii tamen per Draconum capita accipiunt centuriones & duces Ægypticorum, & per Draconem, de quo dicitur ℣. 14, *Tu confregisti capita Draconis*, ipsum Pharaonem. Et hæc hactenus.

Digressio Altera. Allegoria:

Draco in sacris litteris & in Ecclesiâ Christi, tessera & symbolum Cacodæmonis.

REs notissima est vel illi qui divina Oracula à limine salutarit.

In ore omnium versatur ille ex Psalmo 90, versiculus 13: *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & Draconem.*

22. Draco in Psalmo 90, multa significat præcipuè tamen diabolum.

Quamvis autem diversæ extent illius interpretationes, ut S. Bernardi, de quatuor vitiis, quorum unum iracundia & furor Draconi adscribitur; ut illa quam indicat S. Augustin. de quatuor Ecclesiæ persecutionibus, quarum quarta est Antichristi, qui Antonomasticôs Draco dici potest: ut Theodoreti & aliorum qui accipiunt subjectionem verorum serpentum & Draconum, qui in sacris historiis sæpe leguntur justis & in Deum sperantibus se submisisse: maximè tamen litteralis videtur aliorum Patrum, Chrysost. & Augustini, qui explicant de Satanâ, humani generis adversario, qui & aspis & basiliscus & leo meritò appellatur, & ob potentiam, & maximum robur etiam Draco.

Locus celeberrimus est Apocalyps. 12, ℣. 3. *Et ecce Draco magno rufus habens capita septem*, &c. & vers. 9. *Et projectus est Draco ille magnus serpens antiquus, qui vocatur diabolus & Satanas, qui seducit universum orbem, & projectus est in terram*, &c. Sic passim ibidem, & cap. 13. Etiam Gentiles Draconem mali genii notam esse & signum indicarunt.

23. Annibal videt serpentem se subsequentem quo malo cabatur Italiæ vastatas.

Hujusmodi monstrum Annibal à tergo subsequi se prospexisse fertur, bellum quippe vastam & immanem circumplicatam serpentibus, quæ

quacumque se ferebat, arbusta, & virgulta omnia evertebat, tecta diruebat: quod Italiæ vastitatem præsignare intellexit.

Quia verò hoc Annibalis somnium ad illud Mardochæi illustrandum pertinet, adscribo hic verba Valerii Maximi lib. 1, cap. 7, quæ sic habent.

Annibalis ut detestandum Romano sanguini, ita certæ prædictionis somnium. Hausit enim proposito & votis suis convenientem imaginem, existimavitque missum sibi ab Iove mortali specie excelsiorem juvenem, invadendæ Italiæ ducem: cujus monitu primò vestigia nullam in partem motis secutus oculis, mox humani ingenii pronâ voluntate vetita servandi pone respiciens, animadvertit immensæ magnitudinis serpentem, concitato impetu omne quidquid obvium fuerat, proterentem: postque eam magno cum cœli fragore erumpentes nimbos, lucemque caliginosis involutam tenebris: Attonitus deinde quidnam esset monstri, ecquid portenderet, interrogavit. Hic dux: Italiæ vides inquit, vastitatem: proinde fide, & cetera tacitis permitte fatis. Hæc ibi.

Idem somnium adfert Cicero lib. 1, de Divinat. Livius lib. 21. Polybius ut fabulam ridet. Convenit verò cum Somnio Mardochæi.

24. Faustina serpentem parere sibi visa.

Faustina etiam non temere visa sibi in somnis serpentes parere, sed ex his unum ferociorem, cùm Antonium, & Commodum in utero gestaret, quod mores deinde Commodi pernicioli reipsà comprobarunt, non hominem, sed truculentum Draconem ad humani generis internecionem orco fuisse emissum.

Certum ergo sit Draconem mali præsagium jure Cacodæmoni attribui, qui in divinis oraculis, κατ' ἐξοχὴν malus & malignus nuncupatur, eximiè scilicet.

25. Dæmon apparuit sub specie Draconis.

Adde, quòd Stygius ille veterator passim se hominibus in effigie Draconis ostendit, ut inferius adferenda docebunt.

Vt hîc obiter dicam, scribit S. Gregorius l. 4, Dialogorum cap. 37, & Homil. 19, in Euangelia dæmonem apparuisse cuidam juveni specie Draconis.

Denique antiquæ sculpturæ & picturæ eumdem Satanam nobis representant sub Draconis ignivomi imagine.

26. Constantinus imagine suâ dæmonem ut Draconem depingi fecit.

Constantinus, inquit Eusebius lib. 3, vitæ ejusdem cap. 3, *in tabulâ depictâ, quam in sublimi ante palatii vestibula suspenderat, se omnium oculis contemplandum proposuit: salutareque passionis insigne supra caput ipsius locatum, in pictura exprimendum: inimicam autem illam & hostilem bellum, quæ Ecclesiam Dei impiorum tyrannide oppugnasset, in altum demersum, Draconis specie & figurâ describendam curavit. Sacra enim oracula in Dei prophetarum libris eum Draconem, & tortuosum serpentem nuncupant. Et propterea Imperator, quò occultum humani generis hostem diabolum (quem ipsius salutaris trophæi capite ejus imminentis vi jure ad extremum exitium prolapsum significavit) tum suis, tum suorum pedibus conculcatum perspicuè indicaret, Draconem medio ventre transfixum, & in profundos maris fluctus præcipitatum, subtili & artificiosa pictura sub omnium aspectu ad contemplandum subjecit.* Hæc & plura Eusebius.

27. Proprietates Draconi versibus descriptæ.

Ratio verò cur Draco omnium ille malorum invehtor dicatur, peti potest ex Draconis proprietatibus, quas quidam versibus inculcis quidem, sed rerum gravidis comprehendit. Sunt hi.

Sibilat, ignivomus, eremi, Babylonis, arenæ
Et maris incubitor, cristatus, edax: volat, ingens,
Os breve, cauda ligans elephantem, pervigil, æstu
Aspiciens, pugnans, sensus petit, est capitosus.

Hos versiculos refert Hugo Carensis in Psalmum 73, & has Draconis proprietates mysticè diabolo applicat ℣. 13 ibidem.

Sibilos serpentis prima parens vel peremtrix generis sui audivit, & illis delusa est Eva nimis credula Draconis illecebris. Vtinam sola fuisset, & nulli filii stultam matrem sequerentur?

28. Fabula de Salamandrâ filiolis suis pullos ad ignem irritante, & postea vorante.

Arrexo ad propositum nostrum fabulam non inficetam de Salamandrâ serpente Draconi non dissimili. Mediis in ignibus aliquando Salamandra recumbebat. Flammæ utrimque lucidissimæ eam cinxerant, nihilo secus quam extra ignes ventem. Ad hanc flammarum lucem pulli vix dies sex excluſi accurrerunt, gallinâ matre nequidquam præcipites glocitu eos revocante. Vidit hoc jamdiu Salamandra inter medios æstus sitibunda, amplius pullorum sanguinis desiderio, quàm ignibus exardescens. Evolare ad aucupium catenis astricta non poterat, & tamen pulli salivam illi monevant, qui nisi sponte se Salamandræ quasi in manum dedissent, numquam illis noxam attulisset.

Ergo quæ pedibus egredi non poterat, æstu egreditur; sibilare cœpit nescio quâ præter solitum dulcedine læta, & flammam veluti nidum mollissimum deprædicare. Ibi scilicet semper æstatem esse, brumam procul abesse, & omnem frigoris inclementiam, ibi ex mortalibus immortales fieri. Rebit has laudes gallina cautior, & pullorum suorum alios rostro, alios crebro alarum verbere retrahere, omnes monere, & incinere illud: *Angui ne credite pulli.*

Nihil valuere monita, nihil preces tantum potuere, quin major pars, stultiorque, ad Salamandram, ignemque sponte insiliret. Sed continò plexa est temeraria credulitas. Vix flammæ pullos corripuerant, cùm elegantulæ cristæ in fumum abiere. Salamandra interea captarum avium pasci sanguine quam avidissimè, quo exhausto etiam assatis carnibus splendidè vesci, mature circa ignem malè morigerorum pullorum dementiam deplorante, ceteris autem tam procul ab incendio fugientibus, quàm procul abesse volebant ab exitio.

Spectatum admissi risum teneatis amici.

28. Salamandra est diabolus, ad quem ligatum igneque tortū, multitudo tamen mortales cæco impetu accurrunt.

De multis mortalibus hæc fabula narrari potest. Salamandra Draco stygius est, qui ad æternos ignes damnatus, de quo Apocal. 20, initio: *Et vidi*, inquit Ioannes, *Angelum descendentem de cœlo habentem clavem abyssi, & catenam magnam in manu suâ. Et apprehendit Draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus, & Satanas, & ligavit eum per annos mille, & misit eum in abyssum, & clausit, & signavit super illum, ut non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni: & post hæc oportet illum solvi modico tempore.* Iste Draco flammis undique cinctus uritur, & tamen more modoque Salamandræ vivit ad augendam audaciam. Atque ut non frustra nuncupetur Lucifer, flam-

flammis se clarum & illustrem simulat; & mortalibus fatuis insibilat, promittitque illis parem claritatem. Hæc æternarum flammarum incendia humani sanguinis faciunt sitientissimum. Alligatus est tamen instar tricipitis Cerberi, nec egredi, nec nocere potest nisi prope accesseris, ita statuente divinâ bonitate: quia tamen, ignivomus est (ut versiculus suprà indicat) ingentes flammas eructat & jaculatur, sed vana sunt ejus incendia; nisi in illa sponte te induas.

Sed ô hominum quorundam deplorandam cæcitatem! O insaniam admirandam! Inveniuntur qui ad hanc constrictam Salamandram in ignes æternos se projiciant, quos tamen Christus, velut gallina toties voluit sub alis congregare Matth. 23, ℣. 37.

29. Dracones ignivomi in Scotiâ.

Quod autem Hugo suprà in suis de Dracone versiculis ignivomum illum appellet verum est: Nam, ut alios historicos præteream, scribit Lesslæus in suâ Scotiâ anno 1558 apud Marchiam & Laudoniam, Draconem quemdam ignes vomuisse, quibus segetes & fruges adurebat, ac proinde populum coactum fuisse pervigilare, ut hosce ignes restingueret.

Significatur odium ejus in homines.

Significat hæc proprietas ardentissimum odium in Deum, & implacabilem furorem in homines, maxime ejus filios, quos ignito suo flatu secum in Tartari incendia pertrahere gliscit, & conatur.

Dicitur ibidem ab Hugone, eremi, Babylonis, arenæ & maris incubitor sive cultor. Sunt enim & Dracones deserti, ut vocantur Malachiæ primo ℣. 3. De Dracone vero Babylonis, dicitur Daniel 14, ℣. 22. *Et erat Draco magnus in loco illo, & colebant eum Babylonii.*

30. Gentiles coluerunt dæmonem in formâ Draconis.

Ex quo loco manifestum est gentiles Dæmonem sub formâ Draconis coluisse.

30. Romani Draconem Epidauro advectum divinis honoribus coluerunt latentem in familia.

Romani grassante peste, Epidauro advexerunt, & adorarunt serpentem vel Draconem tamquam Vrbis Æsculapium, ut testatur Valer. l. 1, cap. 8, qui usque ad Plinii ætatem in semine & fetibus superuixit, ut ipse refert lib. 29, cap. 4, & Festus verbo insula Æsculapii. pascebatur hic vulgo in domibus, non nisi canis uberibus nutriri solitus.

Deinde plures auctores testantur tam Græci quàm Latini, usque ad tempora Constantini, Romæ latuisse in fauissis Capitolinis, id est, specubus, cellis sive cisternis (de quo verbo videndus Gellius l. 2, c. 10) Draconem, cui Romani divinos honores tribuebant; quorum specuum subterraneorum vel Hypogæorum aditus, S. Silvester, ut superstitionem tolleret, obstruxit.

31. Cur pingatur Draco ad pedes S. Silvestri.

Hinc fortè ansam sumpserunt pictores, ut ad pedes ejusdem sancti Pontificis Draconem exprimerent: nisi cum aliis sentiamus hoc ideo factum, quòd Constantino ad fidem verum traducto, dæmoni antiquo Draconi cultum ademerit, eumque Christi signo detriumpharit, ut suprà de Constantino meminimus. Vide Baron. tomo tertio anno Christi 324.

Rem miram, de quodam alio Dracone non vivo, sed ex ligno, aliave materiâ fabricato Romæ, in quodam subterraneo spelæo, cui Romani humanis hostiis litabant, narrat S. Prosper de Prædictionibus p. 3, cap. 38, quam relationem, quia longior est, ne fastidium lectori adferam, prætermitto, quam etiam suprà habet Baronius.

Ceterum fuerunt complures religionis nostræ Heroës, qui de hujusmodi gentium dis Draconibus scilicet & serpentibus, vel Dæmonibus anguineâ se formâ ostentantibus magnifica trophæa statuerunt, juxta illam Christi pollicitationem Lucæ 10, ℣. 19. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici: & nihil vobis nocebit.*

32. Multi Christiani diabolum in formâ draconis apparentem vicerunt, ut S. Georgius, Narcissus, Marcellus, Theodorus, Martha. Margarita.

Possunt in cœlum transferibere Christiani suos Apollines serpentem Pythonem (à quo & Phœbus Pythii cognomentum reportavit) conficientes; Hercules suos, monstri Lernæi interemptores, immò Danieles suos, non esse, aut fuisse sed in nomine Domini Draconem Babyloniorum idolum obtruncantes. Talis fuit S. Georgius fidei nostræ athleta invictissimus, cujus passim visitur imago Draconem lanceâ transfodiens, ut puellam, quasi ad thalamum properaret, adornatam, piacularem victimam dæmoni votivam futuram, ejus sævissimo rictui eriperet. Sed si Baronio in notis ad Martyrologium, & Molano de picturis & imaginibus l. 3, cap. 14, immo veritati credimus, symbolum hoc fuit, fortissimum pugilem fidei nostræ hyperaspisten pro Ecclesiæ virgine contra idolatriam fortissimè dimicasse.

Talis fuit & Narcissus Episcopus, talis Marcellus Parisiorum Antistes. Talis gloriosus Christi martyr Theodorus, de quo Surius in vitâ Februarii septimo.

Et ne Amazonibus & Heroinis professionis nostræ laus sua desit tales fuere Martha & Margarita, quæ salutis nostræ vexillo vel Dracones vel dæmones solita larvâ suâ se occultantes fugarunt, fuderuntque, ut sacræ asserunt historiæ. Nam, ut doctè observat. S. Augustin. lib. 11, de Genesi ad litteram cap. 28, solet dæmon speciem induere serpentis ad homines fallendos, *idque*, inquit, *ad primam facti sui memoriam commendandam, quod ei sit quædam cum hoc genere animantium familiaritas.* Ita ille. Victis enim Protoplastis videt fraudem illam belle sibi successisse. Vide Baron. tomo tertio anno Christi 324, pag. 258, ubi adducit plures viros sanctos, qui dracones occiderunt.

33. Gaudet dæmon formâ serpentis, & quare.

Narrat in Hadriano eumdem Cæsarem in templo Iovis Olympici Athenis pro Deo collocasse Draconem ex India deportatum. Sic miseros delusit Satan.

Athenis Draco pro Deo cultus.

Nec tantùm Ethnici, sed etiam hæretici dæmonem Draconis vel anguis effigie venerati sunt, quales fuerunt Ophitæ, sic nuncupati ὁσὸ τῦ ὄφεως, id est, serpente. Coluerunt enim serpentem quasi Christum, ut auctores sunt Epiphan. hæresi 37, Theodoret. Augustin. & alii.

34. Ophitæ serpentem quasi Christum coluerunt.

Quid plura? A stultâ gentilitate idolorum delubra & templa indigetabantur Draconia, nempe quia in illis Draconibus, id est, dæmonibus sub effigie Draconum divinus cultus exhibebatur, ut auctor est Strabo lib. 14.

35. Draconia templa gentilium.

Videntur ergo prima ferè idololatriæ semina circa monstra serpentium extitisse. Vide Sapientiæ 11, ℣. 16: *Quidam errantes colebant muta serpentes:* &c.

Addit Hugo suis in versiculis draconem incubare arenis, quod tum alia, tum suorum monstrorum ferax testatur Libya; ubi dictum à Catone

Serpens, sitis, ardor, arenæ
Dulcia virtuti.

Insuper incubitor maris dicitur ab eodem Hugone, quia attestante Davide Psalmo 103 etiam brutum illud elementum suos habet Dracones. Draco maximus Leviathan. Sic enim habet ℣. 26. *Draco iste quem formasti ad illudendum ei*, id est, ut in mari ludat, huc, illucque se circumvolvat venationem pisculorum ut ludum *instituat. Ita Hebr. & Chald.*

Est autem Hebraicè Leviathan, de quo & agit Iob cap. 40, & Isaias cap. 27, quem etiam vocat serpentem, vectem & tortuosum; est autem Leviathan balena vel cetus, &c.

38. Omnia elementa plena dæmonibus. Vt ergò quatuor mundi corpora, quæ elementa appellamus, dracones continent & alunt, ignis in quo spirat Salamandra, aër (nam & Hugo ait eos volare) terra, & mare; ita & mundus hic plenus est dæmonibus; Hi enim ignem & supplicium suum secum semper circumferunt, & velut atomi per aëra vehuntur; unde etiam dicitur *princeps potestatis aëris hujus* ad Ephes. 2, vers. 2, & cap. 6, ibidem ℣. 12, vocantur *spiritualia nequitiæ*, sive spirituales nebulones, *in cœlestibus*, id est, in cœlo aërio. Deinde terra nostra, & flumina, & maria offerta sunt dæmonibus, qui & ab illis nomina sortiuntur.

Nec mirum cum densissimo agmine è cœlo deturbati sint, ut insinuatur Apocal 12, ℣. 9, ubi dicitur è cœlo *projectus Draco ille magnus, serpens antiquus qui vocatur diabolus & Satanas in terram, & angeli ejus cum illo missi sunt*: & Christus affirmat Lucæ 10, ℣. 18. *Videbam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem.*

37. E cœlo in terram ceciderunt dæmones.

Poetæ hoc adumbrarunt figmentorum suorum schemate; dum scribunt à Iove Olympo præcipitatos Terrigenas, dæmones, gigantes Centimanos, anguipedes, Ophioneos, id est, serpentinos.

37. Fabula de gigantibus Ophioneis, serpentinis.

Hi tyrannidem suam in mortales exercent, perambulant terram, circumeunt, quærentes quem devorent. Annibal Antiocho navali prælio congressuro suasit, ut in hostium classem lagenas jacularetur anguibus & viperis oppletas & refertas, quarum metum perterriti hostes à dimicatione retardarentur. Idem cum Prusias jam cedente classe suâ seculset, victor fuit. Vide Pierium Hieroglyph. lib. 15, p. 142.

38. Annibal suadet ut in hostes lagenas serpentibus plenas Antiochus jactaret. Ita & dæmon facit.

Stygius Annibal cui minus quam Pœnis credendum, anguipedes furias, & Tartareos draunculos conferto agmine in nos immittit, quibus aërem; in quo spiramus obsidet. Quis hos serpentes & volantes dracones evadet? ille, cui dabuntur alæ duæ Aquilæ magnæ, ut mulieri illi Apocalyp. 12, ℣. 14, ut volet in desertum locum à facie serpentis; alæ sunt, spiritus orationis & sanctæ operationis Lege S. Augustin. Soliloquior. cap. 16.

Scribit Ælian. lib. 2, Histor. Animal. cap. 26, audito vel solo crepitu alarum Aquilæ Draconem in latebras se abdere.

Sed finis non sit, si velim omnia nomina, & artes rufi & antiqui Draconis percurrere.

Claudam hoc caput pugnâ Draconis cum Elephanto, quem dicit suprà Hugo cauda sua ligare.

39. Pugna Draconis cum elephanto. Item dæmonis & hominis.

Apud Iudos, auctore Æliano lib. 6, de Animal. cap. 21, graves inter se gerunt inimicitias Draco & Elephantus. Quare Dracones haud insciis ex arboribus Elephantos in pastus suos ramos decepere, in has primo serpunt, posteaque sinu corporis dimidiam partem, quæ ad caudam pertinet, frondibus arborum contegunt, anteriorem verò partem funiculi instar appensam demittunt. Eò cum accessit Elephas, ad surculos arboris carpendos, Draco in illius oculos desiliens eos effodit, deinde anteriore parte collum ejus illaqueans, posteriore flagellans, insitato modo strangulat.

Inimicitias perpetuò posuit Deus inter serpentem antiquum & genus hominum. Væ illis, quos carpentes vetitæ arboris fructus, & illecebris mundi inescatos Anguis hic subdolus squammeis pedicis revincit. His primum lumen mentis eripit, deinde suis irretitios laqueis suffocat, & trucidat.

Sequitur reliquum capitis undecimi de somnio Mardochæi à versu decimo usque ad finem.

VERSVS X, XI, & XII,

Clamaverunt que ad Deum; & illis vociferantibus, fons parvus crevit in fluvium maximum, & in aquas plurimas redundavit.
Lux & sol ortus est, & humiles exaltati sunt, & devoraverunt inclytos.
Quod cum vidisset Mardochæus, & surrexisset de strato, cogitabat quid Deus facere vellet, & fixum habebat in animo scire cupiens quid significaret somnium.

Græcè: Et clamaverunt ad Deum: à clamore autem eorum factus est sicut à parvo fonte flumius magnus, aqua multa.

Et lux & sol ortus est, & humiles exaltati sunt, & devoraverunt glorioſos.

Et cum surrexisset Mardochæus, qui vidit somnium hoc & quid Deus deliberat (vel, deliberaverat) facere, habuit somnium hoc in corde, & in omni verbo voluit cognoscere hoc usque ad noctem.

COMMENTARIVS.

HI versus decimus & undecimus clarè exponuntur cap. decimo, ℣. 6 & 9. quos etiam expolit Gorionides his verbis. *Iterum vidit Mardochæus in somnio, & ecce fons exiguus transibat inter duos Dracones, & dirimebat. Porro fons ille exiguus, crevit supra modum, effectusque est fluvius exundans, ut cum exundat mare magnum & spatiosum, & pergebat exundare omnem terram. Vidit deinde & ecce sol exortus est super omnem terram, fuitque lux per totum mundum. Postea*

evecta fuit magnaque evasit parva illa natio, & qui sublimes fuerant, humiliati sunt, factique deinde firma pax per totum mundum. Describitur per fontem in fluvium conversum, & per solem lucemque post tenebras, Esther Regina, de qua postea.

Quod dicitur: *Lux & sol ortus*; potest esse Hendiadys. q. d. lucidus sol exortus est. Significantur autem dies festi & læti, de quibus c. 8, ℣. 16. *Iudæis nova lux oriri visa est, gaudium, honor, & tripudium*, &c. Tunc enim reddita Iudæis serenitas post fœdas & caliginosas Amani tempestates.

Per hoc quod ibidem additur: *Humiles devoraverunt inclytos*, alluditur ad prœlium Draconum, ubi fortior infirmiorem deglutit & dilacerat. Humilis ante & inferior fuerat Mardochæus, sed Estherâ evectâ in reginam, & favore regis præpotens vires illi addidit, ut Amanum inclytum id est, fama illustrem, & gloriâ excellentem absorberet.

Solum difficultatem adfert versus 12 hujus capitis; eo quod discrimen aliquod sit inter textum Latinum & Græcos codices, qui omnes curam & diligentiam quam Mardochæus adhibuit ad veritatem somnii sui perscrutandam limitant. ἕως τῆς νυκτὸς id est, usque ad noctem nempe primi diei mensis Nisan; nam nocte præcedente primum illum diem somnium acciderat.

Serarius hic quæstiunculâ sextâ duobus modis illam solvit.

Primò, satis verisimile esse illa verba ἕως τῆς νυκτὸς, irrepsisse in textum Græcum, cùm in Latino non habeantur, idque ex notatiunculâ alicujus, qui subsequi videbat in primo versu c. 12: καὶ ἡσύχασεν, & quievit, ubi nos habemis: *Morati sunt autem*, &c.

Secundò, non esse putandum illo tantum die desiderium illud Mardochæi fuisse, ut vel secutâ nocte percepisset explicationem somnii, vel divinarum rerum negligentem fuisse, qui diei tantum unius curâ dignas illas putaret. Unde si verba illa Græca retinere velimus cum Septuaginta Romanis, interpretari licebit; usque ad noctem fuisse somnii ejus intelligendi studiosum, in nimirum ut magno desiderio teneretur, totus in eam curam defixus esset, Deum enixè interpretationem rogaret, & alios fortasse viros spiritu Dei plenos de somno consuleret: dies sequentes etsi votum & studium non omnino, sustulerunt, aliquantulum tamen intermiserunt. Sic ille.

Dico ego, Græca solum ostendere quod Mardochæus usque ad noctem cogitarit, non autem quod postea cogitationem illam deposuerit.

Iam ex capite decimo præcedente petenda somnii interpretatio.

VERSVS VI, VII, VIII, IX, X, XI, XII, & XIII.

Parvus fons, qui crevit in fluvium, & in lucem solemque conversus est, & in aquas plurimas redundavit: Esther est, quam rex accepit uxorem, & voluit esse reginam.

Duo autem Dracones ego sum & Aman.

Hic Postremus versus fusè à nobis est expositus suprà.

Gentes, quæ convenerant: hi sunt, qui conati sunt delere nomen Iudæorum.

Gens autem mea Israel est, quæ clamavit ad Dominum, & salvum fecit Dominus populum suum: liberavitque nos ab omnibus malis, & fecit signa magna atque portenta inter gentes.

Et duas sortes esse præcepit; unam populi Dei, & alteram cunctarum gentium.

Venitque utraque sors in statutum ex illo jam tempore diem coram Deo universis gentibus:

Et recordatus est Dominus populi sui, ac misertus est hereditatis suæ.

Et observabuntur dies isti in mense Adar, quarta decimâ & quintâ decimâ die ejusdem mensis, cum omni studio & gaudio in unum cœtum populi congregati, in cunctas deinceps generationes populi Israel.

Græcè: Parvus fons factus est fluvius, & erat lux & sol & aqua multa. Esther est fluvius, quam duxit Rex, & fecit reginam.

At duo Dracones ego sum & Aman.

At gentes, quæ convenerant, ut perderent nomen Iudæorum.

At gens mea hic est Israel, qui clamaverunt ad Deum, & salvati sunt, & salvavit Dominus ab omnibus malis istis, & fecit Deus signa & portenta magna, quæ non facta fuerant intergentes.

Propter hoc fecit sortes duas, unam populi Dei, & unam cunctis gentibus. Et venerunt duæ sortes istæ in horam & tempus & diem judicii coram Deo in omnibus gentibus, & recordatus est Deus populi sui, & justificavit hæreditatem suam.

Et erunt eis dies isti in mense Adar, quarta decima ejusdem mensis cum cœtu & gaudio, & lætitiâ in conspectu Dei secundum generationem in æternum in populo suo.

COMMENTARIVS.

GRæca ℣. 6, impedita sunt, & Latinis obscuriora; magis expedita sunt Septuaginta Romana, quæ legunt; *parvus fons qui factus est flumen*; & postea rursus *flumen* repetunt; *Esther & flumen.* Sensus autem sic clarus est. Esther significatur per flumen, quod ex fonte

fonte exiguo, qui & lux & sol, & aqua multa fuit, factum est.

Dicitur ℣. 9: *Deus fecit signa magna atque portenta inter gentes:* quod rectè Menochius exponit de admirabili catastrophe humiliationis Amani, & exaltationis Mardochæi. Sed Græca Septuaginta videntur significare non facta fuisse talia signa inter gentes: sic enim habent: Et fecit Deus signa & prodigia magna, quæ non sunt facta in gentibus; ut autem cum Latino consentiant, intellige, in aliis gentibus, quæ non erant Persis subjectæ.

Editionem Græcam secutus est S. Ambrosius lib. primo de vocatione gentium cap. 2. *Et quamvis scriptum sit in libro Esther, dicente Mardochæo: Gratias tibi Domine, quoniam feci sti nova signa & prodigia, qualia non sunt facta in gentibus, dividens omne seculum in sortes duas, elegisti unam tibi populi tui, relinquens aliam gentibus.* Adfert, autem illa verba S. Ambrosius, ut ostendat Deum populum Israel sibi in hæreditatem peculiarem segregasse.

S. Ambros. caput Esther decimum habuit pro Canonico.

Nota hìc obiter contra Novatores hæreticos S. Patrem etiam hanc partem, quæ non invenitur, in Hebræo, sed solum in Græco, habuisse pro Canonicâ, cum illam citet & interponat aliis scripturis Canonicis novi & veteris testamenti.

Et duas sortes esse præcepit, unam populi Dei, & alteram cunctarum gentium, id est, Deus invertit sortes Amani, & aliam constituit sortem Iudæorum, & aliam gentium, quæ Iudæis adversabantur.

S. Ambrosius suprà hinc probat quod Deus quamvis Iudæorum populum specialibus ad pietatem direxit institutis, nulli tamen nationi hominum bonitatis suæ dona subtraxerit, ut propheticas voces & præcepta legalia convincerentur in elementorum obsequiis ac testimonis accepisse: de quibus Actor. 14, ℣. 15 & 16.

Venitque utraque sors in statutum ex illo jam tempore diem coram Deo universis gentibus.

Carthusian. sic exponit. Ex decreto divinî judicii quælibet gens accepit suam mercedem, & salvata est una quæ clamavit ad Dominum, ac perdita altera.

Ad litteram propius accedit Tirinus. Utriusque gentis sors incidit in unum eumdemq; diem ex illo jam tempore, imo ab æterno: statutum enim coram Deo seu à divinâ providentiâ, nempe in 13 diem mensis duodecimi Adar. Sed venit hic dies infestus & exitialis universis gentibus inimicis populo Dei: festus verò & lætus genti Iudææ, quia recordatus est illius Dominus ac misertus est hereditatis suæ, ut testatur cap. 9, historiæ hujus. Reliqua per se aperta sunt.

Solum explicandum hîc, quomodo Esthera fuerit, fons parvus, qui crevit in fluvium maximum, & in lucem, solemque conversus sit, id est, in lucidum solem. Significat autem Estheram, quæ nocte, tenebris, & squalore ærumnarum erat ante circumfusa, subitò cœlesti jubare exorto fuisse exhilarantam & populum suum ingenti lætitiâ perfudisse. Sed quare Esther primò fons parvus?

15. Esther quomodo fons parvus.

Parvus quidem, quia exigua fuerunt ejus magnitudinis primordia, quia captiva, serva, utroque parente orbata, sub Mardochæi tutelâ, parva etiam insigni animi demissione, de quâ dicitur cap. 2, vers. 20. quod etiam ad regium thalamum, thronumque evecta quidquid Mardochæus præcipiebat, observaret, *& ita cuncta faciebat, ut eo tempore solita erat, quo eam parvulam nutriebat.* Unde & Mardochæus c. 15, ℣ 2, hoc ei inculcat: *Memorare dierum humilitatis tuæ, quomodo nutrita sis in manu meâ.* Ipsa verò de se fatetur in humillimâ suâ ad Deum prece cap. 14, vers. 16. *Tu scis necessitatem meam, quod abominer signum superbiæ & gloriæ meæ, quod est super caput meum in diebus ostentationis meæ, & detester illud quasi pannum menstruatæ, & non portem in diebus silentii mei.*

Fons parvus ergo Esther fuit illo tempore, quo in privatis Mardochæi ædibus educabatur vel nulli vel paucis nota; assumpta verò in regiam familiam excrevit quidem quatuor illis annis, quibus in Parthenone vixit, ante septimum tamen Assueri annum, quo in reginam adscita & tori consors effecta, non poterat dici fluminis modum attigisse. Regio etiam diademate incincta & ornata mentis modestiam retinuit, exteriori pompâ & apparatu sublimis, animi interiore habitu humilis.

Sed cur fonti similis perhibetur?

25. Cur fonti similis?

Interpretes plures adferunt hujus Analogias & congruentias.

Feuardentius: Parvus fons, inquit, Esther, quoniam animo & corpore pura, casta, modesta. Et jure quidem: Nam per se fontes limpidi sunt, pellucidi, perspicui, clari & puri; inde & canit Ovid. lib. 3 Metamorph.

1, Fons ob vitæ puritatem.

Fons erat illimis, nitidis argenteus undis.

25. 2, Ob pulchritudinẽ.

Sanctius verò fonti parem existimat ob rariam ejus speciem, & eminentem pulchritudinem, quæ tanti nominis ac tituli principium fuit. Fons enim gratus est, & ad exhilarandos animos, & sedandam sitim, & oblectandos oculos idoneus, cujus pulchritudinem variis modis amplificant poetæ.

Notum est illud ex Schola Salernitanâ.

Fons, speculum, gramen oculorum sunt relevamen.

Estheræ autem nihil erat in corpore fœdum atque distortum, nihil in animo ac moribus quod etiam inimici ac invidi non probarent.

26. Fons aquis collectis exundans vel multum commodi vel multum incommodi agris adfert.

Adjicit & aliam parallelam similitudinem Sanctius: Fons, inquit, parvus, neque multum potest adferre emolumenti, cum nec rigare prata possit, nec campos fecundare, neque etiam damni aut noxæ parere cum vi & copiâ aquarum careat, quam præcipitem voluat, & extra ripas violenter effundat. At si ex montibus decurrentes collegerit aquas, vel solutis nivibus intumuerit in torrentem, rigat & oblimat sata, agros impinguat, derivatur per trâduces & tramites in campos circumjacentes instar Nili, & plurima commodâ ruricolarum usui profert. E diverso etiam detrimenta & ruinas maximas facit, dum è ripis restagnat, & late diffunditur, radicitus evellit arbores, tecta evertit, oppositas moles prosternit.

Hinc factum est, ut hostium irruentium in urbem aliquam impetum, vel militum in prœlium procedentium violentiam poëtæ acceptâ à torrentibus similitudine graphicè depingant. Sic Virgil. Æneid. 2.

27. Exercitus hostium per flumen intumescens describitur.

Vt

Vt rapidus montano flumine torrens
Sternit agros, sternit sata læta boumque labores
Præcipitesque trahit silvas.

Sic etiam in litteris sacris sæpe à rapido flumine, vel amne inundante collatio sumitur, ut repentina clades ab hostibus illata cognoscatur.

Isaiæ 8, ℣. 7. de Assyriis dicitur: *Dominus adducet super eos aquas fluminis:* de exercitu verò Ægyptiorum Ieremiæ cap. 46, ℣. 17. *Quis est iste, qui quasi flumen ascendit, & veluti fluviorum intumescunt gurgites ejus.*

28. 3. Esther antequam ad regiam eveheretur dignitatem, nec suis multum prodesse poterat, nec hostibus obesse.

Talis fuit Esther, quæ quamvis à principio & ortu suo fons esset limpidissimus, speciosissimus, qui argenteis & crystallinis prorumperet undis, non tamen populo suo prodesse magnopere poterat, & se in commune bonum derivare, aut etiam hostibus gentis suæ detrimentum adferre, aut obruere; donec Regis Persici cubile ascenderet, & regio diademate redimitum verticem attolleret. Hæc fere Sanctius.

29. 4. Esther fons, quia incendium Amanis extinxit, machinas disturbavit.

Serarius, Tirinus, Menochius ex aliis fontis conditionibus collationem ducunt. Esther fons dicitur, quia illius aquis fœdissimum & vastissimum ab Amane excitatum incendium erat restinguendum, quia uberrimis ejus lacrymis divinum Numen propitiandum, quia fluctuum ejus decumanis voluminibus, & undarum vorticibus adversariorum copiæ, & machinæ demergendæ, disturbandæ, evertendæ, ut sic antiqua redirent miracula in mari rubro patrata. Psal. 73, ℣. 13 & 14. *Tu confirmasti in virtute tuâ mare, contribulasti capita Draconum in aquis. Tu confregisti capita Draconis, dedisti eum escam populis Æthiopum.*

30. Proprietates fontium.

Ex proprietatibus & naturis fontium plures hujusmodi comparationes petere in promtu est. Sunt fontes medicati, qui aquis calidis, aut tepidis, morbis gravibus remedium adferunt, vel etiam frigidis undis per æstum arentes viatorum fauces irrigant, & sitim sedant. Sunt non solum fontes dulces, salubres & potabiles sed etiam salsi, noxii, pestiferi, de quibus modo non agimus, sed sitibundum fontium ad Simonis Majoli dies Caniculares amandamus, qui multa fontium miracula recenset tomo primo Colloquio decimo tertio.

31. Analogia fontis & solis.

Sed jam ad solem pergamus jucundâ gradatione. Est enim magna vicinitas fontem inter & solem. Vt enim hic fons est luminis, ita ille aquarum origo. Ab hoc lumen prorumpit, ab illo flumen exoritur. Hic dispellit tenebras, ille sitis sistit molestias; Hic agros fecundat, ille sata irrigat. Vterque mortales recreat, sol suâ luce, fons suo latice. Denique non solum luminis, *sed fluminis impetus lætificat civitatem Dei:* Psalmo 45, vers. 5.

32. Esther prius latens in tenebris facta Regina instar Solis resplenduit.

Dicitur Esther sol lucidus facta, quia cum in ædibus Mardochæi lateret abscondita, & postmodum etiam in Gynæceo inter puellas regias degeret, quasi tenebris occultabatur; emersit postea, & in regali solio collocata instar meridiani jubaris resplenduit, cum bis sex solis radii fulgentia cingerent tempora, & baccato diademate rutilaret.

Etiam caligine tristitiæ & nebulâ mœroris obtegebatur cum patruo Mardochæo & populo suo, quando bipedum nequissimus Amanus, & capitalissimus hostis fraude extorto edicto, Assueri nomine perniciem, & extremam calamitatem Iudæis moliebatur: de quo tempore & hic scriptum est Capite undecimo, ℣. 8. *Fuitque illa dies tenebrarum & discriminis*, &c. Sed tandem blando ejus alloquio placatus Assuerus cum Amanum patibulo affigi jussisset, & priore edicto revocato, inimicos Iudæorum interfici permisisset, ipsa subitò *in lucem solemque conversa est, lux & sol ortus est, & humiles exaltati sunt & devoraverunt inclytos.* Non solum ipsa lucidum & serenatum vultum assumpsit, & ingenti lætitiâ perfusa est, sed & totum Iudæorum genus immenso gaudio affecit & recreavit.

Lux orta est justo, rectis corde lætitia. Psal. 96. Sed quia argumentum hoc Sanctius noster uberius quam alii Interpretes, explicavit, juvat quædam ex ipso mutuata hic inspergere.

33. Solis ardor modo salutaris agris, modo noxius.

Quemadmodum, inquit, fontis, qui in amnem ingentem & aquis inundantem excrevit, vis magna est in utramque partem, sive ut hominibus, agrisque detrimentum adferat, sive ut agricolis, satisque utilitatem, fecunditatemque præbeat; ita & solis ardor modo hominibus, terrisque salutaris, modo noxius est, & pernicioſus. Nimio interdum fervore exurit gramina, plantas, segetes, modo contra temperato calore germina flores, fructusque producit uberrimos;

Ecclesiasticus certè vehementiam æstus in eo obstupescit cap. 43, ℣. 3 & 4. Radii ejus modo morbos gravissimos generant, modo salubritatem animantibus producunt.

33. Esther suis lux salutaris, hostibus inimica.

Esthera quę instar lucernę sub modio & umbrâ domus Mardochæi condebatur, vel sub gremio latemæ, id est, regii Parthenonis claudebatur, postquam in solem quasi admirabili Metamorphosi commutata fuit, hoc est in throno regali quasi super candelabrum posita in aulâ Persicâ refulsit.

Clara micante auro, flammasque imitante pyropo;
teterrimam caliginem, densissimasque tenebras, quas Amanica tempestas induxerat, auricomâ fronte, oculis scintillantibus, roseo colore, capite radiato dispulit fugavitque: *Iudæis nova lux oriri visa est, gaudium, honor & tripudium;* Esther 8, ℣. 16 & 17. *Apud omnes populos mira exultatio, epulæ atque convivia & festus dies.* Post cæcam noctem dies serenus illuxit, qui Hebræos quasi ad vitam revocavit.

Interim verò, ut populo suo faustum sidus resplenduit, ita in Amanum, & illius factionis socios horrendam stragem invexit, igneos radios in eos efflavit, & noxio ardore prostravit, interemit, consumpsit.

34. Sol Persis vel solus Deus vel præcipuus, cui & equum sacrificabant.

Notat præterea Sanctius symbolo hieroglyphico accommodato ad religionem & mores Persicos Reginam Estheram in somnio Mardochæo objectam, nempe sub imagine Solis. Siquidem Persæ aut solum solem Deum colebant, aut certè præ aliis omnibus diis venerabantur.

Sed latius ex aliis auctoribus hoc argumentum ducendum. Itaque Persæ solem (quem Mithram sive Mithren vocavere, per quem jusjurandum concipiebant, cujus & festum celebrabant) coluisse pro solis auctore & Domino, res testatissima est omnium veterum scriptorum monimentis tam profanorum quam sacrorum. Alexander ab Alexand. lib. 2, Genial. cap. 22. *Apud Per-*

fas nulla dicabantur templa diis, quia cum Solem præcipuum numen & deorum maximum colant: mundum universum templum, ili esse dixerunt. Vide Herodot. lib. 1, Strabonem lib. 15, Iustin. lib. 1.

Vnde & exortæ religionis nostræ seculis felicissimis innumeros Christianos, qui Solem ut numen adorare voluerunt, horrendis mactavere suppliciis. Persæ verò equum Soli hostiam faciebant propter celeritatem, ut canit Ovidius 1 Fastorum.

Placat equo Persis radiis Hyperiona cinctum,
Ne detur celeri victima tarda Deo.

Cum in agmine Rex procederet, ducebatur, uti inquit Curtius lib. 3, cap. 7, *eximiæ magnitudinis equus, quem Solis appellabant.*

35. Imago Solis Regis tabernaculo eminebat apud Persas ex auro, & quidem crystallo inclusa.

Præterea *ad prælium more patrio non procedebant Persæ nisi orto sole, die jam illustri, signum è tabernaculo regis buccinâ dabatur. Super tabernaculum verò* (sive Prætorium) *unde ab omnibus conspici posset, imago Solis crystallo inclusa fulgebat.* Ita Curtius.

Si quis quærat, ex quo metallo conflata fuerit hæc Solis imago, aut quâ gemmâ seu pretioso lapide, respondebit Tertullian. in Apologet. decimo sexto, suis temporibus in linteo depictum & adoratum à Persis solem: Matthæus verò Raderus suis in Curtium explanationibus suprà existimat ab Persarum regibus circumlatum Solem ex puro auro fuisse expressum, celatum, elaboratum, expolitum, crystalloque velut sacello clausum, ut oriente vero sole, & in crystallum, aurumque incidente accenderetur, & ex repercussu solis per anaclasim, id est, refractionem radiorum incensus, alter Sol videretur, oculosque intuentium perstringeret. Aurum enim maximè Solem imitatur & ignem, ut Pindarus αἰθόμενον πῦρ, id est, ardentem ignem vocaret. Teste etiam Procopio primo mane Solem salutabant.

36. Persarum Reges Solis sibi nomen & titulum arrogabant.

Observat etiam Sanctius eosdem Persarum monarchas divinum cultum deorumque honores sibi arrogasse, atque ideo solis sibi nomen & imaginem vindicasse & in honorum titulis sibi usurpasse. Sic ut tradit Ammian. Marcellin. l. 18, Sapor scripsit se Regem regum, participem siderum, fratrem Solis & Lunæ. Sed de arrogantibus Imperatorum Persidis titulis alibi erit dicendi locus. Hi præterea, ut effigiem aliquam sibi Solis præferrent, coronâ utebantur radiatâ. Quam speciem multis post annis Imperatorum insania in Romanos fastus induxit, ut tradit Eutrop. in Aureliani Cæsaris vitâ.

37. Esther sub Solis symbolo Mardochæo visa regnum illam fore Persidis præsignavit.

Cùm ergo Esthera sub symbolo solis & effigie Mardochæo visa in somnis fuerit, quid aliud potuit conjici nisi illam ad titulos & dignitatem Reginæ assumendam, cujus caput aliquando coronâ duodecim solis radiis illustratâ coruscaret, ita ut ipsa etiam quasi jure suo solis vel auroræ nomen sibi assumeret? Nec hinc multum abludit Esthera nomen, quod per litterulæ unius Metathesin est Aster vel astrum: astrorum autem omnium pulcherrimum, nobilissimum, lucidissimum & maximè eximium est sol, dux & auctor luminum reliquorum, qui quod quasi solus lucere videatur, sol dictus est.

Allegoria Prima:

Sanctissima Dei Mater, fons parvus; qui crevit in fluvium, & in aquas plurimas redundavit.

FOntem Dei genitricem esse undis argenteis uberrimum, limpidissimum, lucidissimum, crystallinum, testantur plures religionis nostræ Antistites pietate & eruditione insignes Patres, quorum testimonia etsi deessent, nihilominus ipsa veritas manum nobis injiceret.

38. S. Maria fons signatus, ex quo Rex solus bibit.

Dicitur fons, sed *signatus* in Epithalamio Salomonis, Canticor. 4, ℣. 12, & ℣. 15. *Fons hortorum.* Signatus quidem, quia sigillo & annulo regis munitus, ne quis eo excepto, illius aquas potaret.

39. Talis fons fuit in Perside.

E Perside non abeamus longius. Tradit Athenæus lib. 12 cap. 3 ex Agathocle, apud Persas esse fontes, ex quibus solus rex, & filius primogenitus biberet, capitis pœnâ propositâ si quis alius eorum aquas libasset.

40. S. Maria fons Regius.

Ajunt similem fontem esse in Hispaniâ non procul Compluto distantem, quem Regium vocant, quia ex eo pro uno & solo Rege aqua hauritur.

Forte & Rex Salomon similem fontem habuit, cujus latices ipse solus cum Pharaonis filiâ potabat.

41. Fons signatus & Regius Salomonis.

De hoc cur non existimem loqui Iosephum, lib. 8 Antiquitat. cap. 2? ubi hæc memorat; *Aberat ab Hierosolymis duorum Schœnorum spatio prædium nomine Hettan, hortis & inductis fontibus amœnum simul ac opulentum, quo versari delectabatur.* Vel certè Hierosolymis, aut in aliquâ civitatum, quas condiderat Salomon ad deliciosos secessus, & idem Iosephus suprà cap. 6, scribit fuisse aquis perennibus irriguas, fons hujusmodi clausus & sigillo munitus fuerit.

42. Deipara fons ob societatem virginitatis & fecunditatis.

Ceterum, ut S. Patres asserunt, nominatur S. Maria fons signatus ob insignem fecunditatis & virginitatis societatem, & eximiam prærogativam; de quâ illud vetus Elegiacum extat.

Partus & integritas discordes tempore longo
Virginis in gremio fœdera pacis habent.

Audis hortum, sponsam, fontem? fructuum copiam, generationem, aquarum scatebras cogita.

Signatum, sororem, conclusum accipis? virginem, intactam, illibatam, existima. Soli regi hic hortus pervius, soli Christo hic fons servabatur.

S. Hieronym. lib. primo, contra Iovinian. circa medium. *Quod clausum est*, inquit, *atque signatum: similitudinem habet Matris Domini, Matris & Virginis: unde & in sepulcro Salvatoris novo, quod in petrâ durissimâ fuerat excisum, nec antea nec postea quisquam positus est: Et tamen hæc virgo, perpetua multarum est mater virginum: Sequitur enim: Emissiones* (propagines) *tuæ paradisus malogranatorum cum fructu pomorum malogranatis & pomis omnium virtutum significatur in virginitate concentus.* Hactenus. Hieron. Idem docent alii Patres & Interpretes.

43. Dei Mater licet Virgo, est tamen mater multarum virginum.

44. Fons signatus & hortus conclusus significant Deiparem à peccato Originis immunem fuisse.

Sunt plures recentiores, qui ex eo quod Dei Mater dicatur fons signatus, vel hortus conclusus (eadem enim utriusque est notio, & proprietas) colligant eamdem immunem fuisse à communi

muni contage culpæ primigeniæ, Neque enim decebat, ut fons quem unigena Dei filius sibi obsignaverat, concluserat, consecrarat, ab æterno sibi mortales artus assumturo servarat, aliis panderetur, ex eo virosus coluber prælibaret, immunda bestia gustaret, amica luto subsorberet, in eumdem irreperet vipera, basiliscus eum halitu intoxicato inficeret, aut serpens aliqua limosâ volutatione turbaret.

In priorem Paradisum serpens tortuosus se insinuavit, in hunc verò hortum à Domino munitum anguis subdolus, nec vi irrumpere, nec fraude potuit irrepere. Ita S. Damascen. de Assumptione Virginis. *Ad hunc*, inquit, *Paradisum serpens aditum non habuit*: Sophronius sermone de eadem Assumptione, *Fons*, inquit, *signatus sigillo divinæ Trinitatis, ex quo Fons vitæ manat, incujus lumine omnes videbimus lumen*, &c. & infrà: *Hæc est hortus conclusus, fons signatus, ad quem nulli potuere dolis irrumpere, nec penetravit frans inimici. sed permansit sancta mente & corpore*, &c.

45. Cur Dei Mater fons parvus.

Fons hic parvus, originem quidem ducens ex regali profapia, sed parentibus non ita opibus, potentia, aut divitiis florentibus, parvus submissione vitæ, conversationis, morum, animi, conclusus matris thalamo, aut templi adytis, aut cubiculi. Nazareni angustiis virgo virgula arborum umbre majorum mentis modestia se subjiciens, parata magis ancillari quam dominari, matronis aliis sibi vel sanguine vel familiaritate cunctis prompte se substernens, silentii studiosior, quam sermonis, solita assurgere majoribus natu, æqualibus non invidere, fugere jactantiam.

45. Modestia Deiparæ & ejus conversatio humilis.

Quando, inquit Mediolanensis Antistes l. 2, de Virginibus, sub initiũ, *ista vel vultu læsit parentes? quando dissensit à propinquis? quando fastidivit humilem? quando derisit debilem? quando vitavit inopem? Nihil torvum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum; non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior, ut ipsa corporis species, simulacrum fuerit mentis, figura probitatis.*

Et paulo inferius. *Prodire domo nescia, nisi cum ad Ecclesiam conveniret, & hoc ipsum cum parentibus, aut propinquis. Domestico operosa secreto, forensi stipata comitatu, nullo meliore tamen sui custode, quam seipsâ, quæ incessu affatuque venerabilis non tam vestigium pedes tolleret, quam gradum virtutis attolleret. Sic Maria intendebat omnibus quasi à pluribus moneretur: sic implebat omnia virtutis officia, ut non tam disceret quam doceret. Talem hanc Evangelista monstravit, talem Angelus reperit, talem Spiritus Sanctus elegit. Hæc ad ipsos ingressus Angelis inventa domi in penetralibus sine comite, ne quis intentionem abrumperet, ne quis obstreperet: neque enim comites fœminas desiderabat, quæ bonas comites cogitationes habebat?*

Et rursus post pauca. *Humilior facta est, ubi se à Deo cognovit electam, & statim ad cognatam suam in montana processit & tribus cum eâ mensibus mansit. Conservabat hæc omnia in corde suo. Quamvis Mater Domini, discere tamen præcepta Domini desiderabat, & quæ Deum genuerat, Deum tamen scire cupiebat.* Et post multa sermonem de Sancta Virgine matre finiens ita concludit. *Ergo sancta Maria disciplinam vitæ informes.*

Conferat hæc Lector cum illis quæ Esthera illius typus in suâ ad Deum prece depromsit c. 14, & quæ scribuntur de eâdem Reginâ factâ c. 2, ℣. 20. *Quidquid præcipiebat Mardochæus, observabat Esther: & ita cuncta faciebat, ut eo tempore solita erat, quo eam parvulam nutriebat.*

46. Quanta in Deiparâ fluenta gratiarum redundarint.

Quantum verò in fluvium, fons hic parvulus creverit, quantas in aquas redundarit, nullus melius novit quam ipsâ, quę in Carmine suo cecinit: *Respexit humilitatem ancillæ suæ; ecce enim ex hoc* (tempore) *beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens est*; &c. Crevit illa primum sibi ab Angelo gratia plena salutata, ut nobis postea facta superplena in aquas plurimas redundaret.

Iterum dico: Nullus melius ipsâ incrementa gratiarum suarum, quibus opulentata fuit, & quæ in mundum universum uberrimè effudit, expressérit, quæ Ecclesiastici cap. 24, ℣. 35, 36, 37, confertur (juxta Allegoriam) cum fonte Paradisi, ex quo prorumpunt toto orbe celebratissimi omnes, Ganges Nilus, Euphrates, Tigris; ubi multa à nobis memorata sunt de fertilitate & copia cœlestium ipsius donorum.

Vbi etiam de ea sic scribitur in sensu mystico: ℣. 39. *A mari* (id est, præ Oceano) *abundavit cogitatio ejus, & consilium illius ab abyssо magna.*

Et vers. 40, 41, 42, 43. *Ego sapientia effudi flumina. Ego quasi trames aquæ immensæ de fluvio, ego quasi fluvii discryx* (id est, fossa ductilis vel trames) *& sicut aquæ ductus exivi de paradiso.*

Dixi: Rigabo hortum meum plantationum, & inebriabo prata mea fructum.

Et ecce factus est mihi trames abundans, & fluvius meus appropinquavit ad mare. Græcè: factus est in mare, id est, ita excrevit, ut esset instar maris.

S. Bernardus sermone de Virginis nativitate, qui inscribitur de Aquæ ductu hic consulendus.

Auctores sacri & profani plura prodiderunt scriptis suis fontium miranda, sive auctori naturæ illa tribuenda sint, sive gratiæ, Dei Parenti, cum ipsa sit miraculorum fons sicut & gratiarum. Vnum aut alterum commemorasse mihi sufficiet.

47. Fons salutaris apud Emaum-tem, in quo Christus pedes lavit.

Narrat Sozomenus Histor. Ecclesiast lib. 5, cap. 20. *Ante Nicopolim* (quæ urbs Palestinæ est, sic nuncupata à Romanis ob partam contra Iudæos victoriam, tempore Christi dicta Emaus) *propter trivium* (in quo Christus post Resurrectionem à mortuis cũ Cleophâ incedens simulabat se ad alterum pagum properè contendere) *esse fontem quendam salutarem, in quo non homines modo, qui ægrotant, loti curantur, verum etiam alia animalia, quæ variis morbis laborant. Nam ferunt Christum unà cum discipulis quodam tempore è via ad fontem illum divertisse*, inque *eo lavisse pedes, & aquam ex eo tempore vim morbis medendi habuisse.* Sic ille.

Si affectuum tuorum pedes in fonte miraculorum Mariâ abluerit, integram ab eo morborum animi duces sanitatem

48. Fontes oleacei.

Plinius & alii referunt quosdam fontes oleaceos reperiri sive oleum manantes, non solum lucernis accendendis aptum, sed etiam ægritudinibus pellendis.

48. Fons olei medicus in Scotiâ dictus Sanctæ Catharinæ.

Hujusmodi fons dicitur ab Edinburgo Scotiæ urbe plus minus abesse duobus millibus passuum, cui olei guttæ innatant, ut si nihil inde collegeris, nihilo plus confluat; quantumvis autem

tem abstuleris, nihilo minus remaneat. Natum esse ajunt effuso illic oleo S. Catharinæ ex monte Sina allato; unde & fonti nomen inditum Divæ Catharinæ & in honorem ejusdem sacellum juxta ædificatum. Ita Hector Boethus in descriptione Scotiæ & alii. Dicitur hoc oleum valere scabritiei cutis abstergendæ.

Non dicam de fonte olei, qui Romæ fluxit sub ortum Christi è tabernâ meritoriâ trans Tiberim, de quo Paulus Orosius lib. 6, cap. 20.

Dei Mater fons misericordiæ est, cujus sacer character est oleum, quo de argumento profuse tractavi in Ecclesiastici cap. 24. ℣. 19.

Recensebo hîc historiam non omnino ab hoc proposito, alienam de imagine Dei genitricis oleum manante, quam describit Arnoldus Abbas Lubecensis, qui vidit, cum peregrinatus est in Palæstinam, & ex eo Baronius tomo decimo Annalium, anno Christi 870 sub finem. *A damasco*, inquit Arnoldus, *ad tria millia est locus quidam in montibus situs, qui Saidanaida vocatur, & a Christianis inhabitatur. Et est ibi Ecclesia rure sita, & ad honorem gloriosæ Virginis dedicata. In hac Ecclesia vidi tabulam ligneam ad mensuram unius ulnæ longam & latam ad modum dimidiæ, retro altare in muro Sanctuarii in fenestrâ positam, & ferro laqueatim cancellatim firmatam: in qua tabula effigies B. Virginis aliquando depicta fuit, sed nunc (quod dictu mirabile est) pictura super lignum est incarnata: & oleum odoriferum super odorem balsami incessanter ex ea manat: quo oleo multi Christiani, Saraceni & Judæi a diversis languoribus sæpe liberantur. Et nota, quod oleum illud numquam imminuatur, quantumcumque inde hauriatur, Nec prædictam tabulam quisquam tangere audet, sed cuilibet eam videre conceditur. Oleum autem illud à Christianis religiose servatur, & augetur, & quicumque id cum devotione & fide sincera sumpserit, in honorem B. Virginis, indubitanter impetrabit. Ad hunc locum in Assumptione & Nativitate ejusdē Virginis omnes illius provinciæ Saraceni unà cum Christianis causa orandi confluunt. Nota quod hæc tabula primò Constantinopoli depicta fuerit. Tunc temporis quædam Abbatissa supradicti loci causa Orationis Hierusalem venerat, & impetrata tabula à Patriarcha Hierosolymitano, eam secum ad Ecclesiam sibi commissam transtulit. Fuit autem hoc anno Christi 870: sed postea per multa tempora cœpit oleum sacrum ex ea manare.* Ita Auctor ille.

49. Imago Dei Matris oleum balsamum stillans.

Subjicio postremo prodigium fontis, quod refertur primâ parte Historiæ Societat. Iesu libro undecimo. In Bratilià, leucâ una ab oppido Portus Franciscus Petrius Societat. Iesu B. Virginis Adjutricis Oratorium indigenis pariter & advenis excitabat gratum sane opus cœlestibus. Constans etenim fama fuit, ex eo tempore in maximâ aquæ humanis usibus aptæ penuriâ, saluberrimum fontem paululum dehiscente terra divinitus erupisse, qui nunc manare ex ipsâ Virginis arâ videtur limpidus ac perennis, magnarumque virium ad pellendos morbos aspersâ aquâ vel epotâ. Quam ob causam concurritur è longinquo, & ipse quoque longè, lateque salutaris latex defertur. In eo etiam divina erga gentes indulgentia perspecta est. Hæc Nicolaus Orlandinus suprà.

50. Dum ædes Deiparæ in Bratilia ædificatur, fons mirè salutaris emanat.

Allegoria Altera:

Dei Mater semper virgo fons parvus, qui in lucem, solemque conversus est.

Inter honoris notas & titulos, quibus Deipara gloriatur, vel illud præcipuum decus est, quod fons lucis & solis audiat, & vocetur. Sic enim adscribit illi & accinit toto orbe diffusa Ecclesia: *Felix namque es sacra virgo Maria, & omni laude dignissima, quia ex te ortus est sol justitiæ Christus Deus noster*: & in Liturgiâ de eâdem: *Et virginitatis gloria permanente lumen æternum mundo effudit Jesum Christum*; &c.

Meminit liber Iosue cujusdam fontis solis Hebraice Ensemes, duobus locis cap. 15, ℣. 7. & cap. 18, ℣. 17. Nec invenio apud Interpretes, cur ita dictus sit, unde divinandum est. Num forte, ob rubrum colorem (quem circa solem in aëre videmus, matutino & vespertino crepusculo) ita dictus, quia in fundo rutilantes arenas, habebat, ut mare Erythræum sive Rubrum? 51. Fons Ensemes sive solis quisnam?

An quia aquæ illius lucidæ, illimes, puræ instar solis? An quia fons ille figuram gerebat oculi? En enim Hebraice & oculum & fontem significat. Sol autem mundi oculus est, sive quo tenebris funduntur omnia circum. Arbitretur Lector.

Sunt & alii fontes, qui solis nomine gaudent, apud Pompon. Melam lib. primo cap. 4, ubi ait in Cyrenaicâ provinciâ esse fontem Hammonis, quem Solis vocant, qui mediâ nocte fervet, mox paulatim tepescens fit luce frigidus, & quo magis sol incalescit, eo semper frigidior reperitur. Meminit & Plinius duorum fontium, quorum uterque fons solis nuncupatus est. 52. Fons Hammonis, quem Solis vocant.

Cur ita vocentur, lectoribus naturæ curiosis indagatoribus relinquo inquirendum.

Sciunt mecum omnes cur Deipara fons lucis & solis vocetur: Nempe, quia ex eâ tamquam fonte *lux vera* Ioan. primo, *Lux mundi* Ioan. 8. *splendor gloriæ* ad Hebr. primo, *Candor lucis æternæ*, Sapient. 8, Christus exortus est, & emanavit.

Hoc eam nomine passim Sancti Patres honorant. Damascen. Oratione prima de ejus Nativitate, eam indigetat *portam vitæ, fontem lucis.*

Epiphan. sermone de ejus laudibus. *Matrem lucis æternæ, quæ in cœlis illuminat copias Angelorum, lucis, quæ illuminat ipsorum Seraphim incomprehensum oculum*, &c. Chrysippus Oratione ad eamdem, sic illam salutat. *Ave fons lucis omnem hominem illuminans. Ave solis ortus, qui nullum ferre potest occasum.* Ildefonsus sermone primo de ejus Assumptione sic nos ad illam invitat *Securus*, inquit, *accedite ad laudem Virginis, & illuminamini, quoniam ipsa est, per quam vera lux in mari hujus sæculi refulsit.* Ephrem sermone de ejus laudibus. *Ave*, ait, *per quam clarissimus sol justitiæ nobis illuxit.*

Hinc extant voces Episcoporum apud Cyrillum Alexandrin. libro de rectâ fide ad Reginas, Virgini Θεοτόκῳ acclamantium: *Maria vitæ genitrix, pulchritudinis Mater, maximipara, lucifera.*

Ambros. de Institutione Virginis cap. 7, *Genuavit Orientem, peperitque solem Justitiæ.* Fulgent. sermone de laudibus Virginis. *Facta*, inquit,

quit, *Maria fenestra cœli, quia per ipsum Deus verum fudit seculis lumen.*

Non opus pluribus in re ipso meridiano sole magis perspicuâ.

Dicitur, hic *fons in lucem, solemque conversus.* Cur? quia in Virgine nihil fuit non lucidum, non splendidum, non luminosum, non solis radiis perfusum & infusum.

Cantic. 6, ℣. 9. *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol?*

Paucis verbis comprehendit Domini delicium & amor Salomon, quidquid in mundo hoc fulgentissimum oculis cernitur.

In die quid illustrius coruscat, & ardentius scintillat clarissimo solis jubare? In nocte quid nitidius emicat Lunâ, cui lampada noctis frater tradidit? Quid in noctis dieique confinio pulchrius irradiat, quam thalamo croco rosisque conspersо Aurora procedens?

Sed amplius nescio quid de illâ mihi in spiritu fundere videtur adoptarius ejus filius Ioannes Apocalyps. 12, in principio: *Et signum magnum apparuit in cœlo: Mulier amicta sole, & luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim.*

An non tota in lucem conversa tibi videatur mulier illa, quam vestit sol, calceat luna, stellæ coronant?

53. S. Maria tota lucida.

Nimirum, inquit S. Bernardus sermone in thema propositum, *ea est, quæ alterum solem induit sibi.*

Et inferius. *Maria*, ait, *meruit non velut summatim tangi, sed operiri magis undique & circumfundi, & tamquam ipso igne concludi. Candidissimus sanè, sed & calidissimus hujus mulieris amictus, cujus omnia tam excellenter irradiata noscuntur; ut nihil in eâ non dico tenebrosum, sed obscurum saltem vel minus lucidum, sed ne tepidum quidem aliquid, aut non ferventissimum liceat suspicari.* Hucusque Bernardus.

53. Dei Mater Parelius, alter Sol oculos mentis humanæ præstringens, ut S. Dionisii.

Nimirum, ut Solis auro cælata effigies facello vel ædiculâ inclusâ crystallinâ à Persarum regibus circumlata, veri Solis radiis repercussa ita radiabat, ut alter Sol intuentium oculis videretur, & mortalis acies ad ejus aspectum palpitaret, ut supra dicere memini: ita cœleste hoc mulieris prodigium sole amictum, Parelius, alter Sol erat, & hominum non modo oculos, sed & supernorum spirituum mentes luce suâ præstringuebat.

Ad hoc jubar, ita præstrictus fuit Magnus ille Areopagi Iudex Dionysius, ut illud quasi quid mortali specie augustius veneraretur & quasi numinis occursu obstupefactus resisteret, ut scribit Dionysius alter, Crathusianus in cap. 3. de divinis Nominibus.

Si hujusmodi candore & luce facies hujus Reginæ rutilabat & refulgebat, quibus facibus & luminibus arsisse mentem ipsius, existimabimus? Viri cujuslibet probi facies, simulacrum, ut verè dicam, est animi illius, figuraque virtutis.

55. Descriptio interni habitus & externæ figuræ viri probi qui undique virtutibus fulget.

Romanus id testatur Sapiens Epistolâ 115. *Si nobis animum boni viri liceret insficere, O quam pulchram faciem, quam sanctam, quam ex magnifico placidoque fulgentem videremus? Hinc justitiâ, illinc fortitudine, hinc temperantiâ, prudentiâque lucentibus. Præter has frugalitas & continentia, & tolerantia & libertas, comitasque, & (quis credat?) in homine rarum humanitas bonum splendorem illi sunm affunderent. Tum providentia, tum elegantia, & ex istis magnanimitas eminentissima, quantum, dii boni, decoris illi, quantum ponderis, gravitatisque adderent? quanta esset cum gratia auctoritas? Nemo illum, qui non simul venerabilem diceret. Si quis viderit hanc faciem altiorem fulgentioremque, quam cernis inter humana consuevit, nonne velut Numinis occursu obstupefactus resistat, & ut fas sit vidisse, tacitus precetur?* (id est, votis & precibus instet, ut videre vultum ejus liceat) *Tum advocante ipsum vultus benignitate productus, adoret ac supplicet, & diu contemplatus multum exstantem, suprâque mensuram solitarum internos aspici, elatam, oculis miti quidem, sed nihilominus vivido igni flagrantibus, tunc demum illam Virgilii nostri vocem verens atque attonitus emittat:*

O quam te memorem, virgo? namque haud tibi vultus
Mortalis, nec vox hominem sonat.
Sis felix, nostrumque leves quæcumque laborem.
Adsit, levabitque, si colere eam voluerimus. Colitur autem non tauroram opimis corporibus contrucidatis, nec auro, argentoque suspenso (inter anathemata & donaria) *nec in thesauros stipe infusâ, sed pia & recta voluntate. Nemo, inquam, non amore ejus arderet, si nobis illam videre contingeret.* Hæc Seneca de interno habitu, externaque specie viri probi.

Quid dixisset, si animum Divæ hujus, omnis honesti adytum, virtutis domicilium, pudicitiæ sacrarium, sedem probitatis, continentiæ thronum, in quo Dei Sapientia incarnata sessitarat, in quo divinus Spiritus habitaculum fixerat, mente vel leviter attigisset? Quid si vel per nebulam abscedentes ex pectore ejus sanctitatis & religionis radios in vultu ejus speciosissimo relucentes conspexisset? Obstupuisset scilicet, & ipse, & quicumque alius, adorasset venerabundus, exclamasset utique!

Quantum instar in ipsa est!

56. Multi Sanctorum etiam adhuc Mortales in facie splendore divino luxerunt.

Scimus Divorum plures, cum adhuc mortali hac aurâ fruerentur, cœlestibus in facie refulsisse splendoribus, & divinâ luce sæpenumero coronatos & circumfusos fuisse, quos commemorare pronum quidem, sed superfluum & longum esset. Si tales terræ fuerint habitatores, quales jam facti indigetes & cœli incolæ, æternæque gloriæ candidati?

56. S. Stephani facies Angelica.

S. Lucas testatur de facie castissimi Levitæ Stephani sidereo lumine perfusâ Actor. 6. ℣. 15. *Et intuentes eum omnes, qui sedebant in concilio, viderunt faciem ejus tamquam faciem Angeli.* Redundabat quippe in decorem vultus animi radiantis candor. Quam illustrem vultus Mariani majestatem fuisse dicemus, cujus animus ipsius increatæ Sapientiæ, luci fuit immersus?

57. Luna Soli proxima in lumine.

Luna quo propius solis flammis associatur, eo majus ab ipso suæ lucis mutuatur augmentum: cum ergo Dei mater proximè increato lumini conjuncta fuerit, eximiam & inextinguibilem quamdam accepisse claritatem quis ambigat?

57. Dei Mater ubique lucida & lux.

Tolle solem è mundo: & undique caligo & tenebræ omnia occupabunt: Tolle Mariam à seculo, & ecce densissimę ignorantiæ & criminum nebulæ mortales circumsistent. Maria in cœlo stella polaris, in mari Cynosura, candidum sidus,

in littore vel portu Pharos, in domibus lampas, in nocte illuni fax, in bello πυροφόρος ignifera, in dubiis lucerna, in obscuro Phosphoros: ubique virtute conspicua, sanctimoniâ præclara, sapientiâ coruſca, divini luminis æmula, cœlesti gratiâ irradiata.

57. Deus lux fontalis & superefluens luminis effusio. Deo proxima Dei prata.

Theologorum vertex Dionysius cap. 4, de divinis Nominibus, *Deus*, inquit, *est*, ἀπὸ πηγαίας, καὶ ὑπερεξελύζουσα φωτοχυσία *lux fontalis, & superefluens luminis effusio*, qui fons, ait, plenissimus & exuberantissimus se copiosè effundit in omnem mentem, sive sublimes Angelorum choros intueamur, qui proximè Numini astant, sive homines in terrâ degentes. Propinquiorne quæpiam creata natura illi fonti, illi luci, illi soli quam quæ illum carne induit, & vicissim ab eo fuit gratiâ vestita? Proximè ergo in Matrem suam radios divinitatis suæ vibrat, vel potius tota ab ipso irradiatur.

Quicumque, ait Magnus Leo Sermone 3 de Epiphania, *in Ecclesia pie vivit & caste, qui ea quæ sursum sunt, sapit, non quæ super terram, cælestis quodammodo in stellæ est luminis.* Sic ille. Ergo Dei parens, quæ καθ' ὑπερβολὴν pietate & pudicitiâ excelluit, rutilantior Lucifero, aut qualibet sidereâ luce in cœlo coruscavit?

58. Persarum Reges se effigiem habent in figuram Solis, Lunæ siderûm, vanâ stultitiâ.

Persarum quondam Imperatores, ut sanctitate conspicuus, & aureo flumine manans sermocinatur Chrysologus sermone 120, *subjecta nunc pedibus suis sphæra, polorum se calcare vices mentiebantur, nunc radiato capite ne sint homines, solis residentes in figura: nunc impositis sibi cornibus, quasi vitros se esse doleant, effeminantur in Lunam; nunc varias velut siderum sumunt formas, ut hominis perdant figuram, & nihil supernæ claritatis acquirant. Sed quia ista de sæculi vanitate descendunt, sapientibus tam fugienda sunt quam ridenda.* Sic ille stilo suo subsannans ambitiosas Persarum picturas & figmenta puerilia, qui se cœli filios, fratres solis & lunæ jactabant ridendâ vanitate.

59. Sola Dei mater calceatur Luna, Sole vestitur, &c.

Sola inter mulieres virtute illustres Dei Parens Lunæ, id est, mutabilitatis & stultitiæ globum insistit & pedibus volvit; Sola, ut Sol luminosum & auricomum cœlo exerit caput, quæ stabili sapientiæ claritate collucet, nec ullis umquam insciticæ tenebris obsolescit. Sola denique diademate astrifero cingitur, & bis senis sideribus ardente coronâ: Ariadnæâ illustriore devoratur; quia quot cœlum stellis, tot ipsa dotibus gratiæ & gloriæ colluescit.

Canit quidam ævi nostri ἐγκαλύπτων poëta καὶ ἀνωνυμοποιός,

Tot tibi sunt dotes, Virgo, quot sidera cælo.

Versum converto addita negatione,

Sidera non tot sunt cœlo, quot sunt tibi, dotes.

60. S. Basilius fax in sæculi nocte.

S. Gregor. Nyssenus fratrem suum Basilium virtute sibi non imparem Oratione suâ exornans, inter alia sic ait: *Cum veluti fax noctu per mare Ecclesiæ bono apparuisset, omnes ad rectam viam convertit.*

An non aptius & fortius illa in Maris stellam Mariam converteris, quæ vitæ meritis collucens sapientiæ coruscans lumine, non in Pharia turri collocata, sed è cœlo resplendens, ignaros veritatis mortales, undabundo sæculi mari jactatos ad portum salutis, recto, si velint, tramite perducit, & per medias noctis nebulas, fœdissimosque tempestatum nimbos facem splendoris affellit, ne hæretici tenebriones, infidum lumen ementiti, ut incautos fallant (piscatores fraudulentes, vel Corycæos imitati, qui nocturnum lumen accendunt, ut prædâ potiantur) eos in errorum scopulos, & hæresis Syrtes fatuo suo igne scintillantes pertrahant, & demergant.

Verè salutare sidus, & astrum candidum Oceani hujus Maris.

61. Thrasybulus Aram statuit Phosphori.

In hanc rem non malè quadrat, quod Clemens Alexandrin. lib. primo Stromatum memorat de Thrasybulo præclaro Athenienſium Duce. Is, cum exules in Atticam reduceret, nocte illuni, brumali, & obscurâ, lucidus ignis apparuit prævius, qui omnes incolumes perduxit: unde Aram illic posuerunt τῆς φωσφόρου; *Phosphori sive Luciferæ*. Sic verisimiliter in commendationem tanti Ducis finxit Antiquitas. Nos Christianæ religionis professores & defensores, Magnæ Matri & virgini Aram Phosphori & Luciferæ potius statuamus, quæ in cæcis hujus vitæ nubibus ac procellis, quibus multorum mortalium animi circumfunduntur, magno Numinis beneficio data nobis est stella Lucifera vel salutaris lux, faxque lucidissima, quæ nobis in hac νυκτομαχίᾳ & sæculi hujus caligine suo fulgore præiret, & ad æternæ salutis portum semitam aperiret.

Parecbasis sive excursus moralis ex versu 10, capitis undecimi:

Fons parvus crevit in fluvium maximum, & in aquas plurimas redundavit.

Magnarum rerum exigua plerumque primordia.

USque adeo progressus fit à parvis ad magna, rebus in omnibus. Habes hic lineamenta in Estherâ nostrâ humili, parvulâ, patriâ extorri, absconditâ, incognitâ, posteà ad fastigium regalis magnificentiæ, & apicem Persicæ monarchiæ evectâ, cujus rei ostentum in somnis oblatum Mardochæo in parvo fonte, qui in maximum flumen excrevit: juxta illud Nasonis lib. primo de Remedio Amoris,

42. Fons origo maximi fluvii.

Flumina magna vides parvis ex fontibus orta:
Plurima collectis multiplicantur aquis.

Iterum lib. 2, de Arte Amandi:

Nascitur exiguis, sed opes acquiret eundo,
Quæque venit, multas accipit amnis aquas.

Cernere hoc est in ordine naturæ, gratiæ, morum, & rerum humanarum processu.

De genesi mundi, in qua principio omnia rudia, incomposita, deformia, loquitur Salomon Sapientiæ 11, ℣. 18, *Non enim impossibilis* (Græce, ἀπόρευτος, id est, non in angustias redacta vel impotens) *erat omnipotens manus tua, quæ creavit orbem terrarum ex materia invisa:* Græcè ἐξ ἀμόρφου ὕλης, id est, ex informi materiâ; ubi collimat ad verba Genes. 1, vers. 2, *Terra autem erat inanis, & vacua:* Septuaginta ἀόρατος καὶ ἀκατασκεύαστος, id est, invisa, vel inaspectabilis, & incomposita, imparata. Aquila: Terra erat vanitas & nihil: hoc est, terra erat superfusâ sibi aquarum abyssо, quasi chaos, quoddam inane, tenebrosum, rude; ut canit Ovid. Transformat. primo,

Vnus

Vnus erat toto naturæ vultus in orbe,
Quem dixere chaos, rudis, indigestáque moles.

41. Deus orbem condidit ex informi & informi materiâ, eratque Chaos.

Deus ergo mundum condidit ex materiâ invisâ & informi, quoniam primo die nondum erat, antequam lux fieret, aspectabilis, omni specie & ornatu destituebatur, non cœlum sol, luna & cetera astra decorabant, nôn plantæ humum, floresq; vestiebant; non animantia terram incolebant, aquarum abyssо adoperta erat, & caligine infantiæ suæ tamquam fasciis & pannis involvebatur: nec videri poterat, nec erat digna videri.

42. Deus & natura ab imperfectis procedunt ad perfecta.

Ceterum noluit Deus totum mundum primò & simul perfectum, ornatumque creare, ut ostenderet naturam, cujus ipse auctor, ab imperfectis & informibus ad perfecta, ordinataque procedere. Si ordinem naturæ penitius & acutius perviderіs, næ hoc oraculis Sibyllinis verius acclamaris. Vidi immensæ molis quercus, arborum ingentia prodigia jure dixisses, quarum medium vix, brachiis extensis viri septem complectebantur. Vnde verò tanta magnitudo excrevit? in tantam altitudinem, latitudinem, profunditatem pertigit? ab unâ glande, ab exiguo semine orta sunt omnia, radix, truncus, ramalia ambitiosa, folia uberrima, fructus largissimus. Figura, color, situs, partium connexio, symmetria sive proportio, temperamentum & reliqua omnia in virtute seminis delitescebant, cui glandi vel semini Deus potentiæ & sapientiæ suæ infinitæ & admirabilis σφραγισμα sive sigillum impresserat, ut omnibus animalium & plantarum seminibus insculpsit.

43. Deus exiguâ ex glande ingentem quercum educit, imprimens semini σφραγισμα, id est, *sigillum suum.*

Esculus illa vel quercus non simul, sed paulatim, sensim sine sensu in tantam crassitiem & proceritatem adoleverat: vulgo enim dici solet, talem glandiferam arborem centum annis crescere, annis item centum mole & statu suo perdurare, denique annis centum senescere & occultè intermori. Ovidius suprà.

Quæ præbet latas arbor spatiantibus umbras,
Quo posita est primum tempore, virga fuit.
Tunc poterat manibus summa tellure revelli
Nunc stat in immensum viribus aucta suis.

44. Seminis incrementum & Regni Dei.

Seminis ad incrementum pedetentim procedentis meminit suis in sapientissimis Parabolis Christus, Marci 4, ℣. 26 & sequent. *Et dicebat: Sic est regnum Dei* (ita se res habet in Regno Dei sive Ecclesiâ) *quemadmodum si homo jaciat sementem in terram, & dormiat, & exurgat, nocte & die, & semen germinet, & increscat, dum nescit ille. Vltro enim terra fructificat, primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in spicâ. Et cùm produxerit fructus, statim mittit falcem, quoniam adest messis.*

Parabola Christi explicat eleganter & φυσικῶς tacitum augmentum & tritici, & doctrinæ Euangelicæ, simulque Christianæ Ecclesiæ; quâ de re consulendi Interpretes Sancti Marci.

44. Augmentum gratiæ Dei.

De incremento gratiæ sensim sine sensu adolescentis, & spirituali proventu animæ sanctæ, unum locum produxisse sufficiet.

Salomonis ille est in Proverbiis cap. 4, ℣. 18. *Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit usque ad perfectum diem.*

Vide Lector, quam præclarè Sapiens rex virtutis, justitiæ, gratiæ primordia, progressus, consummationem in honestatis, rectique cultore & observatore descripserit, cum illa confert cum creperâ luce, cum ejusdem incremento, & meridie. Vt aurora vel prima lux aureo colore finitorem irradians diluculum vocatur, estque diei initium; sic gratia (amplissimum Dei munus) cœlitus menti illapsa; primum hominem divino lumine collustrat, & depingit, quo inauratus & perfusus opera lucis aggreditur, quibus vitam æternam, & lucem perpetuam mereatur. Deinde quemadmodum aureum solis jubar pedetentim inclarescens & incalescens totum Semisphærium occupat, sic ut omnes tenebræ & nebulæ planè dissipentur: ita gratia, quæ lux quædam est, oculis tamen corporis non videtur, sed animo solo perspicitur, menti paulatim magis, magisque irradians copiâ uberiore eam replet, semperque ad majores auctus & incrementa virtutum impellit, & ad anteriora aspirare docet, donec tandem sol justitiæ super verticem refulgens meridiem splendidissimę æternitatis protulerit, ubi consistat, & à motu suo quiescat. Vide hunc locum explicatum apud Salazar & Cornelium à lapide.

45. Describitur augmentum justitiæ per Solis lucem.

Quantum Euangelium Christi, fides Orthodoxa, Ecclesia Catholica tenui exorta principio creverint, & fructificaverint, testantur omnia sæcula, omnia regna mundi ostendunt, omnes libri loquuntur & linguæ.

46. Fidei incrementi per granū Sinapis.

Hac de re extat Christi Parabola Mat. 13, ℣. 31 & 32. *Simile est regnum cœlorum grano sinapis, quod accipiens homo seminavit in agro suo: quod minimum quidem est omnibus seminibus; cum autem creverit, majus est omnibus oleribus, & fit arbor ita ut volucres cœli veniant, & habitent in ramis ejus.*

Copiosè hanc similitudinem ad præsens negotium applicant Sancti Patres & Interpretes.

Hanc fidei, Ecclesiæque extensionem & multiplicationem Regius Psalmodus pluribus locis præfatus erat, ut Psalmo 2, vers. 8. Psalmo 71, vers. 8. Psal. 7, ℣. 11 & 12, &c.

De Ecclesiæ dilatatione pulchrè scribit S. Prosper lib. 2 de vocatione gentium cap. 6. *Gratia*, inquit, *Christianorum non contenta est eosdem limites habere quos Roma: multosque jam populorum sceptro crucis Christi illa subdidit, quos armis suis ista non domuit, Quæ tamen per Apostolicæ sacerdotii principatum amplior facta est arce Religionis, quam solio potestatis.*

47. Latius patet Ecclesia Romano imperio.

Consentit Sanct. Leo Sermone primo de Apostolis Petro & Paulo, Romam compellans. *Quamvis*, ait, *multis aucta victoriis, jus imperii terrâ, marique protuleris, minus tamen est, quod tibi bellicus labor subdidit, quam quod pax Christiana subjecit, ut per sacram B. Petri sedem, caput orbis effecta latius præsideres religione divinâ, quam dominatione terrenâ.*

Idem cernere est in terrenis Imperiis, regnisque humanis, quæ omnia principium vile, parvumque tenuerunt, paulatimque aucta in immensum se protulerunt.

48. Tenue Romani imperii principium. & progressus.

Certè de Romanâ Monarchiâ, principatuque verba habens historicus Patavinus, egregiè & verè sic scribit primæ suæ decadis initio. *Res*, inquit, *ab exiguis profecta initiis eò crevit ut jam magnitudine laboret sua.* Sic Livius.

Vberius de eodem scribit L. Florus Prologo Epitomes gestorum Romanorum, ubi Romani Im-

Imperii quatuor gradus proceſſuſque recenſet. Primum ætatem ejus ſub Regibus ſive ejus infantiam, deinde tempus viris, armiſque incitatiſſimum ſive ejus adoleſcentiam. Inſuper tempus, quo totum orbem pacavit, quod ſub ætatem accidit Auguſti Cæſaris, quæ fuit quaſi juventa Imperii, & quaſi quædam robuſta maturitas. Demum ſecula poſteriora, quibus inertia Cæſarem quaſi conſenuit atq; decoxit. Hæc ille.

Incunabula Vrbis Romuleæ quis ignorat? quis ejus progreſſus, ſtatum, & inclinationem neſcit? De eâ florente canebat olim Sulmonenſis Poëta, Faſtorum ſecundo.

Gentibus eſt aliis tellus data limite certo:
Romanæ ſpatium eſt urbis & orbis idem.

CAPVT VNDECIMVM.

VERSVS I.

Anno quarto regnantibus Ptolomæo & Cleopatrâ attulerunt Doſitheus, qui ſe ſacerdotem & Levitici generis ferebat, & Ptolomæus filius ejus hanc epiſtolam Phurim, quam dixerunt interpretatum eſſe Lyſimachum Ptolomæi filium in Ieruſalem.

Græcè: Anno quarto regnante Ptolomæo & Cleopatrâ attulit Doſitheus, qui dicebat eſſe ſacerdos & Levites, & Ptolomæus filius ejus propoſitam epiſtolam Phurim, quam dixerunt eſſe, & interpretatum Lyſimachum Ptolomæi, qui in Hieruſalem.

COMMENTARIVS.

Hic verſus omnium poſtremus eſt in Eſtheræ hiſtoriâ, & librum hunc claudit; quod conſtat tum ex rerum geſtarum ſerie, tum ex verbis S. Hieronymi quæ interpoſuit cap. 10, poſt verſum tertium.

Certum autem eſt auctorem horum verborum non fuiſſe Mardochæum, quem hujus libri maximâ ex parte ſcriptorem ante docuimus: jamdiu enim antea Mardochæus mortuus erat cum allata fuerit hæc epiſtola regnantibus in Ægypto Ptolomæis. Quis autem hæc addiderit omnino inexploratum & in ambiguo eſt.

Quæritur circa hunc verſum primò: Cum omnes Ægypti Reges poſt mortem Alexandri Macedonis appellati fuerint Ptolomæi, à primo Ptolomæo Lagide ſive Lagi filio, qui fuit unus ex præcipuis ducibus Alexandri, ſicut & omnes reginæ nomen tulerunt Cleopatræ: quinam fuerint hi Reges in ordine Regum Ægyptiorum.

Plerique Interpretes cum Pererio lib. 13 in Danielem, in Catalogo Regum Perſarum, volunt eſſe Ptolomæum Philometorem, ſextum ab Alexandro Ægypti regem, idque probant ex Ioſepho lib. 2 contra Apionem. *Philometor*, ait Ioſephus, *Ptolomæus & ejus uxor Cleopatra, omne regnum commiſere Iudæis, & duces totius fuere militiæ Onias & Doſitheus* (ſic etiam in Græco hîc ſcribitur, non, ut in Latino, Doſithæus) *Iudæi, quorum nominibus derogat Apion, cum debuiſſet opera eorum potius mirari, & gratias agere, quoniam liberaverunt Alexandriam, cujus civis videri vult.* Ita Ioſephus. Annus verò quartus Philometoris incidit in annum mundi 3878.

Alii Interpretes hunc Ptolomæum putant fuiſſe vel Philadelphum vel Epiphanem vel Euergeten vel Alexandrum, qui decimus fuit, quia & illi habuerunt uxores Cleopatras. Sed parvi res momenti eſt.

Quæritur ſecundo, quænam fuerit illa epiſtola Phurim, quam in Ægyptum intulerunt Doſitheus & Ptolomæus filius ejus.

Putant aliqui per epiſtolam illam intelligi totum librum ſive hiſtoriam Eſther, quæ per modum epiſtolæ ſcripta fuerat. Ita Salianus, Tirinus, & Stephan. Menochius, & colligunt ex c. 9, ℣. 20. Addit Tirinus hiſtoriam Eſtheris à Cataſtrophe feralium Sortium ſubinde vocari hiſtoriam Sortium vel librum Phurim, quem ex Hebræo vel Chaldæo convertit in Græcum Lyſimachus filius Ptolomæi ſacerdotis. Eſt hæc communis opinio.

Forte tamen Epiſtola illa Phurim ſolum fuit longior explicatio illius, cujus ſumma hîc cap. 9. à Mardochæo hiſtoriâ Eſtheræ comprehenſa fuit; quæ explicatio diu poſt tempora Mardochæi ſolum inventa fuit, & tempore Ptolomæi Philometoris in Græcum tranſlata.

Reliqua capitis decimi & undecimi à nobis expoſita ante fuerunt: itaque ad caput duodecimum properamus.

CAPVT

CAPVT DVODECIMVM.

ARGVMENTVM.

Mardochæus duorum eunuchorum insidias Regem Assuerum jugulare molientium internuntiâ Esthera ipsi regi detegit. Quod cum quæsitum & exploratum esset, in crucem acti sunt. Res autem jussu regis relata est in diaria sive Commentarios.

Idem hic paulo fusius narratur, quod suprà cap. 2, vers. 21, & deinceps usque ad finem descriptum fuerat: duo hic superadduntur, scilicet, Mardochæo pro delatione munera tributa; deinde ob supplicium eunuchorum abs Rege sumptum inimicitias Amanum cum Mardochæo gerere cæpisse ipsi & genti ejus malum machinando.

Ceterum Caput hoc ex laciniis illis est, quas S. Hieronym. fini versionis Hebraicæ attexuit, & pertinent ad Proemium editionis Græcæ.

Quia verò quæ habentur in fine Capitis secundi suprà de iisdem gestis non explicavimus sed in hunc locum rejecimus, hic diligenter textus, Hebræus, Græcus, Latinus inter se conferendi.

TEXTVS.

MOrabatur autem eo tempore in aulâ regis, cum Bagatha & Thara eunuchis regis, qui janitores erant palatii. 2 Cúmque intellexisset cogitationes eorum, & curas diligentius pervidisset, didicit quod conarentur in Regem Artaxerxem manus mittere, & nuntiavit super eo regi. 3 Qui de utroque habitâ quæstione, confessos jussit duci ad mortem. 4 Rex autem quod gestum erat, scripsit in commentariis: sed & Mardochæus rei memoriam litteris tradidit. 5 Præcepitque ei rex, ut in aulâ palatii moraretur, datis ei pro delatione muneribus. 6 Aman vero filius Amadathi bugæus erat glorioſissimus coram rege, & voluit nocere Mardochæo & populo ejus, pro duobus eunuchis regis qui fuerant interfecti.

Hucusque proœmium.

Quæ sequuntur, in eo loco posita erant, ubi scriptum est in volumine,

Et diripuerunt bona, vel substantias eorum.

Quæ in sola vulgatâ editione reperimus.

Epistolæ autem hoc exemplar fuit.

VERSVS I, II, III, IV, V & VI.

Morabatur autem eo tempore in aulâ regis cum Bagatha & Thara eunuchis regis, qui janitores erant palatii:

Cumque intellexisset cogitationes eorum, & curas diligentius pervidisset, didicit, quod conarentur in regem Artaxerxem manus mittere, & nuntiavit super eo regi. Qui de utroque, habitâ quæstione, confessos jussit duci ad mortem.

Rex autem quod gestum erat, scripsit in commentariis: sed & Mardochæus rei memoriam litteris tradidit,

Præcepitque ei Rex, ut in aulâ palatii moraretur, datis ei pro delatione muneribus.

Aman verò filius Amadathi bugæus erat glorioſissimus coram rege, & voluit nocere Mardochæo, & populo ejus pro duobus eunuchis regis, qui fuerant interfecti.

Græcè autem ita habentur. Et quievit Mardochæus in aulâ cum Gablatha & Tharra duobus eunuchis regis, custodientibus aulam. Audivitque eorum cogitationes, & curas eorum scrutatus est, & didicit quod parant manus injicere Artaxerxi, & demonstravit Regi de eis. Et quæsivit rex duos eunuchos suos, & confitentes appensi sunt. Et scripsit rex sermones hos in Commentario, & Mardochæus scripsit de verbis. Et præcepit rex Mardochæum servire in aulâ, & dedit ei dona propter hoc. Et erat Aman Amadathi Bugæus inclytus coram rege, & quæsivit affligere Mardochæum, & populum ejus propter duos eunuchos regis.

Capitis ſecundi verſus XXI, XXII, & XXIII.

Eo igitur tempore, quo Mardochæus ad regis januam morabatur, irati ſunt Bagathan & Thares duo eunuchi regis, qui janitores erant, & in primo palatii limine præſidebant: voluerunteque inſurgere in regem & occidere eum.

Quod Mardochæum non latuit, ſtatimque nuntiavit reginæ Eſther: & illa regi ex nomine Mardochai, qui adſe rem detulerat.

Quæſitum eſt, & inventum, & appenſus eſt uterque eorum in patibulo, Mandatumque eſt hiſtoriis, & annalibus traditum coram rege.

Hebraicè ſic legitur: in diebus illis & Mardochai ſedente in portâ regis irâ efferbuit (irati ſunt) Bigthan & Teres duo eunuchi regis ex cuſtodibus liminis, & quęſierunt mittere manum in regem Achaſueros, & innotuit verbum (res) ipſi Mardochai, & nuntiavit Eſther reginæ: & dixit Eſther regi in nomine Mardochai. Et quæſita eſt res, & inventa eſt, & ſuſpenſi ſunt ambo ipſi ſuper lignum. Et ſcriptum eſt in libro verborum dierum ad facies regis (coram rege) Ioſephus ſic reddidit lib. 11 Antiquit. cap. 6.

Aliquanto deinde poſt (peractis ſcilicet regis cum Eſtherâ nuptiis) cum Bagathous & Theodeſtes eunuchi conſpiraſſent in regem, Barnabazus alterius ſervus genere Iudæus deprehenſas inſidias patruo reginæ indicat. at Mardochæus per ipſam regi inſidiatores prodidit. Rex verò territus, veritatem per quæſtiones invenit: & illis in crucem ſuffixis, Mardochæo tunc quidem pro ſalute ſuâ, quam ei debebat, præmii nihil perſolvit, tantum nomen ejus in commentarios ſuos referri juſſit, & annotari, ipſum vero verſari in regia, receptum inter amicos regis neceſſarios. Hactenus Ioſephus.

COMMENTARIVS.

BReviter in conſenſum & concordiam hi textus revocandi.

De tempore inſidiarum. Difficultas primò eſt in verbis illis, c. 12, verſ. primo *Morabatur autem* (Mardochæus) *eo tempore in aula regis*; ad quid referenda illa (*eo tempore*)

Prima ſententia. Reſpondet Emman. Sa annum ſecundum Artaxerxis, de quo mentio fit cap. 11, ℣. 2 non referendum ad ea quæ hîc dicuntur verſu primo, & contigerunt anno ſeptimo Aſſueri, ut ipſe dicit, vel potius anno octavo, vel poſt, ut tenent Serarius & Salianus, ſed ſolum ad ſomnium Mardochæi.

Secunda ſententia. Reſpondet 2. Serarius, illis verbis (*eo tempore*) ſignificari eo jam tempore, quo ſomnium habuerat, cum eunuchis illis moratum fuiſſe, non autem quod tunc in regem conſpiraverint. In Græco verò cap. primo, dum hujus commorationis occaſione per Prolepſin vel Anticipationem inſidiæ illæ narrantur, non appoſitum eſt (*eo tempore*) ſed ſimpliciter dictum, quievit, id eſt, habitavit, vel ut Hebraicè hîc dicitur, erat ſedens vel habitans in portâ regis. Vnde malè colligit hæreticus quidam Novator factas inſidias ea nocte quæ Mardochæi ſomnium conſecuta eſt, quod additum ſit in fine cap. undecimi, *ἕως νυκτὸς usque ad noctem*; quia hoc ad ſomnii interpretationem cognoſcendam ſpectat, ut ſuprà dixi, & hæc verba in Latinis deſunt, quæ eſſe Græcis emendatiora nemo dubitat. Ita Serarius.

Tertia ſententia. Reſpondeo ego, mihi non videri veriſimile Mardochæum cum illi oblatum eſt ſomnium, moratum fuiſſe in aulâ regis; quandoquidem nondum Eſther aſſumpta fuerat in palatium, ſed apud ipſum privatim educabatur; unde verba illa textus noſtri (*morabatur eo tempore in aula*) quæ Hebraicè ſunt cap. 2, ℣. 21, *in diebus illis*: accipio indeterminatè ſine certâ notâ dierum, annorum, vel temporum: Quod autem tempus vel annus fuerit Aſſueri, ſatis colligitur ex iis quæ narrantur cap. 2. Difficultas eſt 2, quod fuerit in aulâ regis horum eunuchorum officium.

De officio Eunuchorum in aulâ Aſſueri. Reſpondeo. Noſter dicit illos fuiſſe janitores & in primo palatii limine præſediſſe: Septuaginta verò illos cuſtodes aulæ; Ioſephus; σωματοφύλακας, ſatellitii regii Præſides, vel principes cuſtodum corporis regis. Hebraicè dicuntur cuſtodes Haſaph. Eſt autem verbum ambiguum: nam interdum ſignificat limen in ſcripturâ, aliquando vaſa & ſupellectilem: unde Cajetan. vertit, cuſtodes malluvii, regii, ſcilicet: & Liran. cuſtodes ſupellectilis; putat enim non fuiſſe tantæ auctoritatis cuſtodes palatii ut potuerint regem occidere, ſicut cuſtodes ſupellectilis, qui facilè poſſunt veneno Regem tollere: unde Hebraizantium tranſlationem male præponit Latinæ, quæ tamen melior eſt & conſentit cum Chaldæâ, quæ habet, cuſtodes palatii. Rabbi Salomon arbitratur illos fuiſſe regi à poculis. Sed ſervanda Latina verior lectio.

Nec ratio Lirani quidquam obtinet; non enim ſcriptura indicat illos veneno Regem perimere voluiſſe; quin potius, ſi Cajetano hîc credimus, aggredi cogitaverint regem gladio, cum Hebraicè dicatur quæſiviſſe manum mittere in regem.

De genere mortis quo cogitaverunt Regem interficere. Difficultas eſt tertiò, quo genere mortis Aſſuerum hi conjurati è medio tollere cogitarint. Variè varii opinantur. Scriptura non explicat, ſed ſolum dicit eos tentaſſe manus mittere in regem & occi-

& occidere. Ita Latina, Græca, Hebraica.

Chaldæus cum Rabbi Salomone & Lirano, ut dixi, voluisse toxico necare. Cajetanus gladio percutere. Gorionides ei caput auferre ut ad Macedoniæ Regem, qui in Assuerum erat concitatior perferrent. Quisque pro lubito conjicit.

Quæ causa insidiarum? Difficultas est quartò, quidnam impulerit hos spadones, ut tantum facinus machinarentur.

Causas insidiarum plures adferunt Interpretes, cum scriptura in Hebræo & Latino iram eorum solum statuat. Sed hic de causa tanti furoris quærimus.

Igitur quidam ajunt illos motos invidiâ: quoniam provectus erat Mardochæus. Addit Paraphrasis M. S. Chaldaica apud Sanctium etiam parasse eos venenum reginæ, quia metuebant se per eam gradu honoris dejiciendos, & Mardochæum substituendum. Alii addunt illos iniquo animo tulisse Vasthi reginæ repudium, & Estheram ignotæ gentis puellam in ejus locum evectam.

Ariolantur quidam illos tyrannidem affectasse, ut alias magi apud Herodotum, lib. 3.

Nonnulli illos exarduisse, eo quod stipendia & honores illis collati magnitudini meritorum nequaquam responderent.

Sunt qui existiment illos hoc pacto regis Macedonum gratiam inire cupivisse, & fortasse etiam Amani, transferendo regnum à Persis ad Macedones. Ita Gorionides.

Igitur, ut Serarius & Feuardentius ratiocinantur: Invidia, ambitio, avaritia illos ad tantum facinus audendum inflammarunt.

Quomodo Mardochæus has cognoverit insidias. Difficultas est quintò, quomodo in notitiam hujus conjurationis pervenerit Mardochæus.

Fabula M. S. Chaldæi. Respondet Paraphrastes Chaldæus M. S. apud Sanctium, Mardochæum calluisse septuaginta linguas (tot scilicet, quod distinctæ in ædificatione Babel) hoc autem illos latebat; atque ideo consilia & cogitationes suas quodam idiomate inter se contulisse, quod planè ignotum Mardochæo credebant. Sic ille somniat vigilando & scribendo.

Iosephi opinio. Iosephus, nescio quo auctore, scribit uni eunuchorum servum fuisse Pharnabazum vel Barnabazum Iudæum genere, qui deprehensas insidias Mardochæo detulit.

Item Rabbi Salomonis. Rabbi Salomon ait Eunuchos de conspiratione suâ inter se egisse sermone Tharsensi (quis ille?) existimantes illum Mardochæo ignotum, in quo fallebantur.

Rursus Cajetani. Cajetan, hìc infit facilè potuisse Mardochæum deprehendere ipsorum consilia, quia irâ efferveſcebant, & insurgere in regem volebant.

Vera responsio. Sed his omissis incertis, verisimillimum est Mardochæum conjurationem ipsorum detexisse mentis suæ sagacitate, & solertiâ ad cubilia consiliorum ipsorum, instar canis odorisequi feram indagantis, pervenisse. Indicant hoc Septuaginta hîc cap. 12, ℣. 2. *Cumque*, inquiunt, *intellexisset cogitationes* (Græcè λογισμὸς, quod etiam reddi potest, sermocinationes) *eorum, & curas diligentius pervidisset, didicit quod conarentur in Regem Artaxerxem manus mittere.*

Subscribit Gorionides lib. 2, cap. primo. *Cum*, inquit, *sederet Mardochæus in portâ regis, cognovit mussitationem duorum eunuchorum regis custodientium portam, & consultantium quomodo levarent manum contra regem, & ablatum ejus caput deferrent ad Regem Macedoniæ, qui jam bellum indixerat regibus Persarum.* Sic ille: quod autem ait eo tempore indictum à Macedonià bellum Regibus Persidis, sit fides penes auctorem. Gorionidæ sententia.

Asserimus ergo detectionem insidiarum Mardochæi tribuendum acri prudentiæ, & eunuchorum negligentiæ, quibus insciis aliquod interdum verbulum imprudenter de hac re excidebat.

Cur per Reginam insidiæ Regi indicatæ. Proponit hic Serarius quæstionem, cur insidiæ illæ Mardochæi nomine à Reginâ fuerint Regi indicatæ.

Aliquot hujus facti rationes assignare in promptu. Siquidem nullus vel interpres vel internuntius aptior aut convenientior, aut tutior intervenire, aut inveniri poterat Estherâ, quæ melius & securius patrui sui mentem regi aperiret.

Accedebat, quod nullus melius vel Assueri benevolentiam, vel liberalitatem Mardochæo conciliare poterat quam ipsa regina ejusdem neptis. Postremo hac conjurationis manifestatione Deus jacere voluit, quasi fundamenta salutis Iudæorum, quæ nequitiâ Amani postea in extremum perventura erat discrimen. Siquidem primus hic erat gradus, quo Mardochæus in gratiam Regis penetravit.

Multa hic idem Serarius memorat de munificentiâ regum Persicorum, de quâ alibi commodius. Nos ad textum revertamur; ubi

Quomodo crimen eunuchorū quæsitum. Nota primò, Assuerum hanc conjurationem deprehendisse partim manifestis indiciis & equuleo, partim conjuratorum confessione: hoc enim significant illa verba cap. 2, ℣. 23: *Quæsitum est & inventum*: & rursus cap. 12, ℣. 13. *Qui de utroque habitâ quæstione, confessos jussit duci ad mortem.* Genus autem mortis exprimunt Hebræa, Latina & Iosephus, dum dicunt affixos cruci; quin etiam Septuaginta habent illos fuisse, appensos. vel, ut alii vertunt, strangulatos.

Nota 2, illud quod dicitur cap. 2, ℣. 23: *Mandatumque est historiis & annalibus traditum coram rege*, & cap. 12, vers. 4, *Rex autem quod gestum erat, scripsit in commentariis*: *sed & Mardochæus rei memoriam litteris tradidit*: sic rectè explicatur; quod Assuero videnti & jubenti factum Mardochæi in Commentarios relatum sit. Sic enim rectè Iosephus: *Nomen*, ait, *ejus in commentaries suos referri jussit, & annotari*: *Mardochæo autem tunc nihil quidem pro salute suâ, quam ei debebat, persolvit, ipsum verò versari in regiâ, receptum inter amicos regis necessarios.* Ita Iosephus. Commentaria autem illa fuerunt diaria vel ephemerides, Hebraicè autem דברי הימים Dibre Haiamim, Verba dierum, eo quod cujusque diei gesta præclariora illis excipiebantur, ex quibus postea Annales vel historiæ contexebantur. Fidelitas ergo Mardochæi in hæc diaria vel Commentaria relata, est. In Græco, ut hic notavit Serarius, habetur μνημόσυνον ἐν τῇ βασιλικῇ βιβλιοθήκῃ ὑπὲρ τῆς εὐνοίας μαρδοχαίου ἐν ἐγκωμίῳ, id est, *Monimentum in regiâ bibliotheca ob Mardochæi benevolentiam cum encomio & laude.* Et cap. 6, ubi nos ℣. primo habemus: *Iussitque* (Rex) *sibi afferri historias & annales priorum temporum.* Græcè est, γεγραμμένα μνημόσυνα ἡμερῶν; *litteras monimenta dierum*; id est, quibus singulorum dierum memoria continetur. Quales fuerint Commentarii in quos Mardochæi fides relata.

Ioſephus vocat commentarios rerum à prioribus regibus, & ab ipſo Aſſuero geſtarum. Sic cap. 10, hìc verſ. 3, ubi noſter habet, *ſcripta ſunt in libris Medorum atque Perſarum*, Hebraicè eſt, in libro verborum dierum Regum Medorum atque Perſarum.

Nota 3. præter illa quæ habentur cap. 2. de conjuratione eunuchorũ à Mardochæo detecta, quædam ſuperaddi cap. 12, ℣. 5. *Præcepitque ei Rex, ut in aula palatii moraretur datis ei pro delationis muneribus.* Quomodo autem illa accipienda ſint, diximus cap. Sexto. Solum breviter hìc repeto, hæc dicta eſſe per Prolepſin ſive Præoccupationem & anticipationem, de exaltatione videlicet, & gloriâ, quâ affectus fuit Mardochæus cap. 6. Nam ibi ℣. 3. dicitur *nihil mercedis accepiſſe.* Non ergo cum detexit inſidias, fides ejus remunerata eſt coram Rege, ſed cum merita ejus in eumdem ex Annalibus recitata ſunt; niſi velis tunc ei dictum eſſe, ut in aulâ moraretur, & expectaret dignam compenſationem.

De tempore quo Mardochæus mercedem recepit.

Nota poſtremò, adjunctum eſſe & hunc verſum cap. 12: *Aman verò filius Amadathi Bugæus erat glorioſiſſimus coram rege, & voluit nocere Mardochæo & populo ejus pro duobus eunuchis regis, qui fuerant interfecti.*

De gloriâ Amani ejuſque progenie, & cur dictus Bugæus egimus cap. 3, ℣. primo.

Eunuchi ſuſpenſi fuerunt Amani conſiliarii.

Porro ex illis verbis, quod Aman voluerit nocere, Mardochæo pro duobus eunuchis interfectis colligunt Interpretes illos fuiſſe Amani conſiliarios, imo ipſum fuiſſe vel auctorem vel ſaltem participem & conſcium conjurationis in Regem, & regnum affectaſſe, vel voluiſſe transferre ad Macedones; hoc autem facile ſe obtinere poſſe credebat, cum princeps eſſet in aulâ maximus, & à rege ſecundus.

Confirmant autem hæc quæ infrà dicuntur à Rege in ſuo edicto cap. 16, ℣. 12, de eodem: *Qui in tantum arrogantiæ tumorem ſublatus eſt, ut regno privare nos niteretur & ſpiritu.* Conſentit & Gorionides, qui ita ſcribit: *Cum eunuchi ſuſpenſi eſſent in cruce, iratus eſt Aman valde, quod conſiliarii ſui ſic acti eſſent in crucem: & conatus eſt exterminare omnes Iudæos.* Sed de hoc actum eſt ſuprà, & infrà dabitur dicendi locus.

Moralia documenta ex hoc Capite collegit Feuardentius, quæ Lectorem inſtruant. Aliqua ſuggero, quæ tamen tractari poterunt à Concionatore vel ſub finem cap. 2, vel ſub initium cap. 6.

Monitvm Civile:

Fides palatinorum præcipua tutela Regum, regnorumque.

NOn fortiſſimorum virorum arma, non vigilum nocturnæ excubiæ, non æratæ fores, non ſatellitii laterum oppoſitus ita regem, principemq; tutantur, ut palatinorum, & amicorum fides, caritas, benevolentia. Arma enim ſine fide periculum augent.

Expertus es hoc, Aſſuere, magno tuo bono, regnique ſtabilimento, dum Mardochæum fideliſſimum ſenſiſti tuæ ſalutis defenſorem, aſſertoremque.

Claudian. Canit

Non ſic excubiæ, non circumſtantia pila,
Aurum ut tutatur.

1. Amor aulicorum magis Regem tuetur quam arma ſatellitum.

Melius cecinìſſet.

Vt tutatur Amor, puroque incincta paratu
Cana fides.

In Octaviâ apud Senecam verſu 450 dicit Nero:

Ferrum tuetur Principem.
Melius fides.

Reſpondet Seneca.

Ita etiam cenſet Sirachides cap. 6, verſ. 14, Eccleſiaſtici. *Amicus fidelis protectio fortis.*

Quæ verba proferens Nazianz. Oratione 6 ad Gregor. Nyſſæ Epiſcopum, addit: *Munitum palatium.* Alibi vocat *aſylum tutiſſimum.* Et Iſidorus Peluſiota, *Panoplium fortiſſimum.*

2. Amicus fidelis munitum palatium, &c.

Pergit Sirachides ℣. 15. *Amico fideli nulla eſt comparatio* (nihil cum eo, ut ei æquale in hoc orbe conferri poteſt) *& non eſt digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius*, id eſt, nulla eſt res, quæ comparari poſſit cum fidei ipſius honeſtate, pulchritudine, aut bonitate, quoad pretium vel æſtimationem.

Adjungit tertiò, Sirachides ℣. 16. *Amicus fidelis medicamentum vitæ & immortalitatis.*

Accedant & profani ſcriptores. Seneca epiſtola 88. *Fides ſanctiſſimum humani pectoris bonum eſt, nullo corrumpitur præmio.*

3. Fides res ſanctiſſima.

Et Valerius lib. 6, cap. 6. ſub initium. *Venerabile*, inquit, *fidei numen, dextram ſuam cerſiſſimum ſalutis humanæ pignus oſtentat.*

Ibidem §. 5. quia Senatus Romanus fidei erat obſervantiſſimus, *Romanam Curiam ſive* Conſilium, *Fidei Templum* appellat.

4. Romana Curia fidei Templum.

Plinius in Panegyr. Trajani: *Fruſtra ſe terrore ſuccinxerit qui ſeptus caritate non fuerit: armis enim arma irritantur.*

Rectè de hoc Adamus Contzen in ſuo Daniele, vel aulæ ſpeculo cap. 12. *Miniſtri prima dos, qua Domino commendatur, fides eſt. Integra, regnoque præcipuus error infidelitatis, cujus ne nomen quidem ad aures admittunt, qui rem non fugiunt. Fidum qui dixit, omnia complexus eſt. Nullum Regibus acceptum niſi à fida manu obſequium. Cetera animi corporiſque ornamenta, ſi abſit fidelitas, ſuſpecta ſunt, & tamquam fraudum inſtrumenta odio habentur.*

Et infrà. *Fidem præſtare Deo reges & magnates tanto magis tenentur, quanto magis illis opus eſt multorum fide; quodque plurimorum fidem unius perfidia reddere irritum poteſt.*

5. Fides Reges & Regna conſervat.

Monet reges & principes Nazianz. (Oratione 27) *Orbis univerſus mantii veſtræ ſubjectus eſt, diademata parvo atque exiguo panno retenta. Supera ſolius Dei ſunt: infera autem veſtra etiam ſunt. Subditis veſtris Deos vos præbete: liceat enim audacius aliquid dicere. Cor regis in manu Dei eſt, ut ex Scriptura audimus & credimus*, &c.

Et rurſus: *Fides tanto pretioſior, quanto in aula rarior, ubi magna turba ſectantium, pauci fideles, fortunæ comites multos, paucos fideles princeps numerat.* Hæc ille.

6. Pauci fideles aulici.

Hanc fidem nemo præſtat regi, niſi qui Deo fidem inviolatam ſervat.

Fidiſſimus Collega & ſatrapa Daniel Dario fuit, quia Deo in primis fidelis.

Oraculum divinum conſulamus Danielis 6,

℣. 4

ỽ.4 & sequent. *Porro rex cogitabat constituere eum* (Danielem) *super omne regnum: unde principes & satrapæ quærebant occasionem ut invenirent Danieli ex latere regis* (id est, ex insidiis; latrones enim ex latere aliquem aggrediuntur occultè; unde sic auctore Festo dicti, quasi laterones) *nullamque causam, & suspicionem reperire potuerunt* (tanta erat Danielis integritas, prudentia, fides) *eo quod fidelis esset* (Nota) *& omnis culpa & suspicio non inveniretur in eo* (ne per speciem quidem) *Dixerunt ergo viri illi: Non inveniemus Danieli huic aliquam occasionem nisi forte in lege Dei sui* (quia Deum suum sanctè colit ut servus fidelis) fides ergo in Deum fundamentum est fidelitatis in homines, quam qui integram servat, & fidelis hominibus erit.

6. Daniel fidelis aulicus.

6. Talis Chusai Davidi.

Fide quoque præclarus aulicus & amicus Davidis fuit Chusai Arachites, qui, ut refert liber 2 Regum, cap. 17, industriâ suâ & singulari prudentiâ dissipavit consilium Achitophelis præcipui consiliarii Absalomi patrem suum persequentis.

7. Infidelis Bessus, & alii.

Confer integritatem & fidem Mardochæi, Danielis, Chusai & aliorum honestatis & æqui servantissimorum aulicorum cum perfidiâ & improbitate proditorum, Bessi & aliorum, qui Darium ultimum Persarum regem comprehenderunt, & novo ludibrio, aureis compedibus vinxerunt, multisque confossum vulneribus reliquerunt, ut Curtius, Diodorus, Plutarchus, Arrianus, Iustinus, Orosius referunt, & ex illis Raderus sub finem lib. quinti explanationum in Curtium.

8. Canis Dario fidelior fuit, quàm aulici.

Certè Darius canem suum, qui fidelitatis est character hieroglyphicus, fidum magis, quam homines expertus est. Siquidem refert Ælianus lib. 6. cap. 25. *Dario in eâ pugnâ, quam contra Alexandrum suscepit, & commisit, cum à Besso multis vulneribus confossus esset, & stratus jaceret, omnibus mortuum relinquentibus, canis ab eo educatus solus permansit fidelis, eumque tametsi non amplius suum alterum, sicut tamen adhuc viventem servavit.* Sic Ælianus. Ita fides Perside profuga perfugium apud canes invenit.

9. Canis symbolum fidelitatis.

Socrates ut hoc significaret, apud Platonem in Phædone per canem jurat: quod symbolum est fidem & obsequium præstandum iis qui rerum habenas in civitatibus moderantur. Ita Pierius lib. 5 Hieroglyphicōn; sive de Cane. Idem notat canum latratus. Cum enim alicui allatrant, admonetur is ut in negotio præstando, integritatem servet.

Plura exempla fidelitatis canum ibidem habet Pierius & in zwopediâ suâ Balinghem v. Gratia vel gratitudo. Fere exulat Regum ethnicorum aulis fides, juxta illud Senecæ,

10. Rara fides apud Ethnicos.

Non intrat unquam regium limen fides.

Et Manilii lib. 3. Astronomicōn,

Cum fortuna fidem quærat, vix invenit usquam.

Non enim comparatur fides muneribus, aut auro; quin potius eodem Seneca teste,

Pretio parata vincitur pretio fides.

Domicilium integritas, justitia, fides fixit in pectore Christianorum, & in palatiis Regum & principum, quibus illi obsequuntur.

Inter illos jure reponas Hormisdam virum in Persis apprimè nobilem, ex genere Achæmenidarum oriundum, patre Præfecto. *Hunc*, (inquit Theodoretus, lib. 5 Historiæ Ecclesiasticæ, c. 38, (cui consentit Cassiodorus, Nicephorus & alii) *cum Rex Persarum Goreanes Christianum esse accepisset, ad se adduci, & Deum servatorem pernegare jubet. At Hormisda: Quod imperas, ô Rex, neque justum est, inquit, neque utile. Nam quicumque didicerit Deum omnium gubernatorem facile contemnere, eumque denegare, multo facilius Regem mortalis naturæ participem, contemptum est. Quod si qui tuum imperium pernegaverit, ô Rex, gravissimo dignus sit supplicio, quanto gravius meretur ille quidem, qui omnium rerum effectorem pernegat? An tu homini fidum futurum putas, qui erga Deum perfidus est? Hæc ille generosus Christi athletes, cum dixisset, divitiis & honore spoliatus, vestibus exutus, servili ministerio ad camelos ducendos, qui erant in exercitu ablegatur.*

11. Hormisda nobilis Persa Christum coram Rege Persarum Goreane confitetur, & offendit non fore regi terreno fidelem qui non fuerit Deo fidus.

Fuit sub eodem Persico Phalaride invictus Christi pugil Benjaminus Diaconus, de quo ibidem Theodoretus. *Hic etiam verum Deum abnegare jussus respondit. Quo tu illum Rex dignum supplicio judicares; qui te imperio ejecto, alium in throno tuo locaret, & diademate redimitum populis adorandum proponeret? Cum verò subjecisset tyrannus, eum nec unâ morte eâque gravissimâ scelus hoc expiaturum: Tum intrepidè Benjaminus: At sanè, ait, immanius facinus est Deo vero deserto, alium mundi opificem, gubernatoremque ejus in solio collocare. Scelestior est adversus Deum quam hominem perfidia, quanto scilicet mortalibus homunculis excelsius est æternum & immensum illud numen: cujus si quis majestatem violet, fidemque semel datam irritet, nae tu vehementer erras, si tibi, o Rex, fidum & obsequentem fore existimas. Non verebitur erga hominem terrigenam esse perfidus, qui cœlum, superosque contempsit. Incencussi pectoris robur & libertatem non tulit Persa tyrannus, inaudito & barbaro planè supplicio crudelitatem & sævitiam suam pascere apparat: arundines & sudes præacutas sub unguibus manuū & pedū, ubi acerrimus est doloris sensus, deinde membro genitali infigi jubet; demum stipitem ramosum per imam alvi sedem, secretaque naturæ violenter intrudi imperat: quo in cruciatu, corporis carcere recluso liber in cœlum spiritus evolavit, tanto glorioſior, quanto contemptior fuerat, & pudore ipso gravior pœna.* Hæc Theodoretus & alii.

12. Eadem fuit constantia & confessio Benjamini Diaconi.

Sic igitur statuendum; eum qui Deo fidus est, regi quoque fidelem fore; qui erga Deum fœdifragus extitit, perfidum quoque erga homines futurum.

Princeps insuper si subjectos sibi palatinos stipatores, satellitesque fidos requirit, constanter hanc quoque Nympham colat, ei lararium & templum in pectoris sui adytis excitet, sit fœderum, conventorumque tenax; ne illud vulgatum ei occinatur,

13. Princeps fidem datā servet, qui fidos ministros desiderat.

Frangenti fidem, fides frangatur eidem.

Si beatum, si florentem regni sui statum optat, candidâ & simplici mente cum subditis agat.

Præclarè Q. Marcius, apud Livium lib. 44 ait *Favere pietati, Fideique deos, per quæ populus Romanus ad tantum fastigii venerit.*

Hac fidei lege Rex astringatur, qui lege civili aut superior est, aut ejus vi cogi non potest: Nuda ejus verba sint oracula, & jurejurando quælibet potiora.

Agnovit hoc Franciscus Galliarum Rex cum summis seculi prioris heroibus conferendus.

14. Franciſci Gallorum Regis fides egregia.

Ille, ut prodiderunt noſtri Annales, Ille Carolum Quintum Cæſarem ſolâ fide & verbo regis firmum in Belgas properantem ſine copiis, & penè ſine comitibus, regificè, comiter excepit, apud ſe habuit, proſecut. s eſt. Sermones inter eos varii, & de pace etiam fuerunt, donandoque ducatu Mediolanenſi Carolo Regis filio. Sed cum Auguſtus ad ſuos veniſſet, tardior in hanc rem viſus eſt. Tunc igitur regis majeſtas, comitas, humanitas multorum ſermonibus vapulabat: Cur non, ajebant, hominem, in quo rerum omne momentum, detinuiſſet? Ecquando tam bella umquam occaſio? Saltem leges firmiores certioreſque ei dediſſet: nunc quid niſi inanem gloriam apud vulgus, apud prudentiores riſum quæſitum? Hos rumuſculos non ignoravit Franciſcus, & in cœtu nobilium illuſtri, cum alia ut ſe purgaret, dixit, tum has rege dignas voces extulit: *Etiam ſi fides toto orbe exſularet, tamen regibus tenendam, qui ea ſola & nullo metu, cogi, adſtringique poſſent.* Acroama aureis notis inſcribendum!

15. Regibus ſemper fides tenenda, eorum verba jurejurando ſanctiora.

Princeps fidem ſi colat, eandem omnes colent.

Iſocrates 1 Oratione ad Nicolaum de Regis inſtitutione. *Perpetuo*, ait, *tantum ſtudium & reverentiam præ te fer, ut tuis verbis major ſit fides, quam aliorum juramentis.*

Vide inter alios Lipſium lib. 2 Politicorum Monitorum cap. 13, & Ribadenir. de Principe Chriſtiano, lib. 2. cap. 15.

Nota hic, poſt extrema verba capitis 12 ſubjicit S. Hieronym. ſuis verbis. *Hucuſque proemium*, ſcilicet in verſione Græcâ Septuaginta & Latinâ tunc vulgatâ. Siquidem Caput undecimum à verſu ſecundo, & totum duodecimum in Græco præponitur Hiſtoriæ Eſtheris, quæ legitur in Hebræo. Quæ verò hic habentur cap. 10, à verſu 4, & cap. 11, verſu primo, pertinent ad finem libri.

Nota 2, eumdem S. Hieronym. poſtea & hæc addere.

Quæ ſequuntur, in eo loco poſita erant, ubi ſcriptum eſt in volumine. Et diripuerunt bona vel ſubſtantias eorum. Habentur autem illa c. 3, Hiſtoriæ noſtræ, ſed paulo aliter, ℣. 13: ſcilicet; *Et bona eorum diriperent.* Unde Salian. putat legendum in verbis S. Hieronymi *diriperent*, non *diripuerunt*. Dicit autem idem. *Quæ in ſolâ vulgatâ editione reperimus*, Græcâ ſcilicet. Subjicit etiam *Epiſtola autem hoc exemplar fuit*; quæ epiſtola optimè quadrat & inſeri poſſet hiſtoriæ noſtræ cap. 3, verſ. 14, ante illa verba textus. *Summa autem epiſtolarum hæc fuit, ut omnes provinciæ ſcirent & pararent ſe ad præfictam diem.* Et de facto ibidem inſeritur in Græcis libris qui nunc proſtant.

CAPVT DECIMVMTERTIVM,

ARGVMENTVM.

Capite hoc bipartito comprehenditur exemplar edicti regii, quo jubentur Iudæi, quorum tamen nomen non exprimitur, interfici quartâ decimâ die menſis duodecimi. Eſt autem epiſtola plena mendaciis ab Amano conficta, licet nomine Regis & ejus annulo ſignata in vulgus emanarit. Auctorem autem illius fuiſſe Amanum conſtat ex Capite tertio verſ. 12: Et ſcriptum eſt, ut juſſerat Aman, ad omnes ſatrapas regis, &c.

Altera parte continetur Oratio Mardochæi ad Deum pro Iudæorum liberatione, in quâ primo invictam ejus dilaudat potentiam, deinde profitetur ſe non tumore animi noluiſſe adorare Amanum, ſed ne Dei honorem homini tribueret; poſtremò ſupplicat ut Deus populo ſibi peculiari ſuâ bonitate miſereatur.

TEXTVS.

REx maximus Artaxerxes ab India uſque Æthiopiam, centum viginti ſeptem provinciarum principibus & ducibus, qui ejus imperio ſubjecti ſunt, ſalutem. 2 Cum plurimis gentibus imperarem, & univerſum orbem meæ ditioni ſubjugaſſem, volui nequaquam abuti potentiæ magnitudine, ſed clementia & lenitate gubernare ſubjectos, ut abſque ullo terrore vitam ſilentio tranſigentes, optata cunctis mortalibus pace fruerentur. 3 Quærente autem me à conſiliariis meis, quomodo poſſet hoc impleri, unus qui ſapientia & fide ceteros præcellebat, & erat poſt regem ſecundus, Aman nomine, 4 indicavit mihi in toto orbe terrarum populum eſſe diſperſum, qui novis uteretur legibus, & contra omnium Gentium conſuetudinem faciens, Regum juſſa contemneret, & univerſarum concordiam nationum ſua diſſenſione violaret.

5 Quod cum didiciſſemus, videntes unam gentem rebellem adverſus omne hominum genus perverſis uti legibus, noſtriſque juſſionibus contraire, & turbare ſubjectarum

rum nobis provinciarum pacem atque concordiam, 6 juſſimus, ut quoſcumque Aman, qui omnibus provinciis præpoſitus eſt, & ſecundus à rege, & quem patris loco colimus, monſtraverit, cum conjugibus ac liberis deleantur ab inimicis ſuis, nulluſque eorum miſereatur: quartadecima die duodecimi menſis Adar anni præſentis: 7 ut nefarii homines uno die ad inferos deſcendentes, reddant imperio noſtro pacem, quam turbaverant.

Hucuſque exemplar epiſtolæ.

Quæ ſequuntur, poſt eum locum ſcripta reperi, ubi legitur.

Pergenſque Mardochæus, fecit omnia quæ ei mandaverat Eſther,

Nec tamen habentur in Hebraico, & apud nullum penitus feruntur interpretum.

8 Mardochæus autem deprecatus eſt Dominum, memor omnium operum ejus, 9 & dixit: Domine Domine rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta ſunt poſita, & non eſt qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati, ſi decreveris ſalvare Iſrael. 10 Tu feciſti cælum & terram, & quidquid cæli ambitu continetur. 11 Dominus omnium es, nec eſt qui reſiſtat majeſtati tuæ. 12 Cuncta noſti, & ſcis, quia non pro ſuperbia & contumelia, & aliqua gloriæ cupiditate, fecerim hoc, ut non adorarem Aman ſuperbiſſimum, 13 (libenter enim pro ſalute Iſrael etiam veſtigia pedum ejus deoſculari paratus eſſem.) 14 ſed timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, & ne quemquam adorarem, excepto Deo meo. 15 Et nunc Domine rex Deus Abraham, miſerere populi tui, quia volunt nos inimici noſtri perdere, & hereditatem tuam delere. 16 Ne deſpicias partem tuam, quam redemiſti tibi de Ægypto. 17 Exaudi deprecationem meam, & propitius eſto ſorti & funiculo tuo, & converte luctum noſtrum in gaudium, ut viventes laudemus nomen tuum Domine, & ne claudas ora te canentium. 18 Omnis quoque Iſrael pari mente & obſecratione clamavit ad Dominum, eo quod eis certa mors impenderet.

VERSVS I.

Rex maximus Artaxerxes ab India uſque Æthiopiam, centum viginti ſeptem provinciarum principibus & ducibus, qui ejus imperio ſubjecti ſunt, ſalutem.

Græcè: Rex magnus Artaxerxes his qui ab Indiâ uſque ad Æthiopiam, centum viginti ſeptem provinciarum principes, & locorum præſides ordinati ſunt, hæc ſcribit.

Ioſephus edictum hoc Artaxerxis eodem loci collocat in contextu ſuæ hiſtoriæ, quo Septuaginta ſeniores; & veriſimile eſt ex ipſis hoc mutuatum eſſe, unde ſemper illum cum Septuaginta conferemus, ſic itaque habet.

Rex Magnus Artaxerxes centum viginti ſeptem Satrapis, qui Indiam inter & Æthiopiam provinciis præſunt, hæc ſcribit.

COMMENTARIVS.

QVi terrarum populos imperio premunt, quorum nutu gentes gubernantur, pro more habent ſuis decretis & reſcriptis præfigere dominiorum ſuorum titulos, & nominatim ſubinde exprimere regiones, quibus jura præſcribunt, idque ut oſtendant magnitudinem imperii ſui, quâ plerumque ſibi applaudunt & vanè gloriantur. Hoc fecit Artaxerxes ſuis in Placitis huc, & cap. 16. Item lib. 1 Eſdræ cap. 7. ℣. 12, his verbis. *Artaxerxes Rex, Regum Eſdræ ſacerdoti, ſcribæ legis Dei cæli doctiſſimo, ſalutem,* &c.

EXCVRSVS PRIMVS.

Oſtentatio Perſarum Regum, & aliorum barbarorum principum in texendo cenſu inanium titulorum.

VIx ulli Reges æquè ampullantur & honori ſuo velificantur atque Perſarum & Parthorum Imperatores. Hìc certe Artaxerxes & ſupra cap. 11, ℣. 2. & infrà cap. 16, ℣. 1. dicitur *Rex maximus.*

Paſſim hâc formulâ gaudent apud Herodotum, Xenophontem lib. 1, Anabaſ. Ariſtidem in Romæ Encomio, Dionem Chryſoſtom. Orat. 3, de regno, Ammian. lib. 17. Extat apud Strabonem lib. 15. Epitaphius iſte Cyri verſus. I. Titoli Regum Perſarum, aliorum.

Ἐνθάδ' ἐγὼ κεῖμαι Κῦρος, βασιλεὺς βασιλήων.
Hic ego Rex regum jaceo, qui nomine Cyrus.

4 Reg. 18, verſ. 19, eodem honore inſignitur Rex Aſſyriorum; *Hæc dicit Rex magnus, Rex Aſſyriorum.* Et Nabuchodonoſor Iudith. 2 & 3. Daniel quoq; alium Nabuchodonoſorem Chaldæorum regem cap. 2, ℣. 37, regem regum appellat.

Ita verò vocabantur barbari iſti principes, non ut vulgariter dicimus, ſapientiâ, rerum agendarum dexteritate, ingenio præſtantes, viros magnos, ſed tales audiebant eximiè, vel καὶ ἐξοχὴν, qui-

quibus nullus par esset, nullus secundus.

Sapor ex posterioribus Persarum regibus epistolam ad Constantinum Augustum dedit in capite præferentem speciosissimorum, sed vanissimorũ titulorum nomenclaturam, & indiculum.

2. Indiculus titulorum Saporis Persarum Regis.

Sapores rex Regum, particeps siderum, frater Solis & Lunæ Constantino fratri meo salutem plurimam. Ita Ammian. Marcellinus libro 17.

Sed percenseamus elenchum elogiorum, quibus salutabatur à suis Rex Bisnagensis in Indiâ, quas numerat Petrus Iarricus tomo primo thesauri rerum Indicarum. Tu interim arrige aures Pamphile, & Nomenclator, monitorque in posterum gnarus sies, ut de memoriâ nuncupes, ne apice quidem præterito.

Tituli Bisnagensis Regul.

Salve rex; sponsus es bonæ sortis, magnarum provinciarum Deus, Regum potentissimorum Rex, omnium equitatuum Dominus, magister & doctor loqui nescientium, trium Imperatorum Imperator, omnium, quæ vides, conquisitor, conquisitorum conservator, quem octo mundi partes metuunt, eques cui nemo par, & fortissimorum quorumque debellator, elephantorum venator, Dominus Orientis, Austri, Septentrionis, Occidentis & maris. Quid plura?

Auditum admissi risum teneatis amici.

Sed nondum finis inanium & bullatarum nominationum, quarum nugis paginæ barbarorum dynastarum turgescunt.

Soldanus Constantinopolitanus sic scribere solitus.

3. Tituli Soldani Babylonis.

Salmander omnipotens ante Carthaginem, dominus Iordanis, dominus Orientis, dominus Bethlehem, dominus paradisi, præfectus Inferni, maximus Imperator Constantinopoleos, dominus aridæ ficus, dominus qua Sol & Luna meant, protector primi sacerdotis Ioannis, Imperator, Rex Regum, dominus Christianorum, Iudæorum, Turcarum, amicus deorum.

Numquid titulorum satur jam es? Quid igitur? Solymannus sic Carolo Quinto Augusto olim scribebat.

3. Item Solimanni.

Carolo Quinto Imperatori semper Augusto, Belgæ coævus, Solyman ex victrici, nobilissimâque Ottomannorum prosapiâ ortus, Imperator Turcarũ, Rex Regum & Dominus dominantium, Imperator Trapezuntinorum & Constantinopolitanorum, Dominator mundi, & terræ domitor, &c.

O splendida nomina, sed crepitantia, & aliud nihil!

Cetera de genere hoc adeo sunt multa, loquacem Delassare queant Fabium.

Consule Maximiliani Sandæi in suo Mundo fallace Commentationem tertiam in abusu titulorum, ubi has nuncupationes examinat, & subsannat.

Paginæ nostræ non capient seriem elogiorum quæ excerebrati reguli barbaro fastu sibi arrogant, ut monstra hominum Reges Iaponii Taicosoma, Quabacondono, de quibus Nicolaus Pimenta epistolâ an. 1599.

4. Fastus Xatamæ Persarum Regis.

Non possum tamen præterire id quod Nicolaus Trigaultius scribit in vitâ P. Gasparis Barzæi nostratis, Goëzii scilicet & Zelandi Belgæ lib. 2, cap. 16, de arrogantiâ Xatamæ supremi Persarum Imperatoris ante annos circiter 50.

Igitur is eò dementiæ devenerat, ut se pro Deo coli juberet, aquam quæ pedibus abluendis superfuerat; velut sacrum asservari, ad quoslibet morbos curandos adhiberi, & quaqua versus distribui: vulgo etiam Principum litteras, si quas ad se darent, sic inscribi: *Magno Xatamæ, cujus operaculum & terra sustentantur.*

4. Item Tigranis Armeni.

Tigranes Armeniorum Rex apud Plutarchum in Lucullo stomachabatur, & injuriam sibi fieri conquerebatur, quod à Lucullo Romani exercitus Imperatore non salutaretur Rex Regum: quare vicissim Lucullo Imperatoris titularem honorem denegavit.

4. Moscoviæ Ducis vanitas.

Moschorum dux cum suis despoticè imperet, apud vulgus, & etiam balbutientes puellos & puellas audit *Magnus Dominus*. Sic Moschi suo principi adulantur *Magnus Dominus omnia novit. Quicquid in nobis est sanitatis & commodorum, totum à Magno Domino promanat.*

Tartarorum Imperator, dominator & tyrannus Asiæ nominatur & gloriatur titulo Magni Cham, eum etiam exteri Cæsarem & magnum principem salutant. Subditi verò Spiritum, umbram, & filium Dei indigitant.

Sed nihil insolentius umquam vel vidi, audivi, aut legi, quam epigraphen epistolæ quam Sigismundo Poloniæ Regi bellum indicturus scripsit. quæ farraginem continet titulorum arrogantissimorum & vanissimorum. Paucos recenseo.

5. Tituli Imperatoris Tartarorũ.

Vocat se filium Imperatorum fama notissimorum, filium Dei, Turcarum Imperatorem, Græciæ, Moldaviæ, Macedoniæ, regem omnium terræ incolarum, & paradisi terrestris, Dominum Imperatorum omnium mundi hujus ab Oriente ad Occidentem, regem regum omnium, præpositum & Guardianum Dei crucifixi, Dominum spei ethnicorum, &c. Sic ille.

5. Domitiani Imperatoris.

Nimis vetus est illud Domitiani Elogium; qui scribis suis dictare solitus. *Dominus & Deus noster ita fieri jubet.*

5. Regis Abassinorum insania.

Non tam incessenda quam ridenda Abassinorum Imperatoris, quem Prestem vel Presbyterum Ioannem nominant, ambitio, qui cum multis regionibus dominetur, titulos tamen sibi affingit provinciarum, quæ ditionis suæ terminis non continentur, ut quæ ultra Nilum sitæ sunt, Vangue, Damut & aliarum.

Illa est hominum insania: affingimus titulos regnorum vel quæ nusquam reperire est, vel quæ nostri juris non sunt.

Excvrsvs Secvndvs;

Quo splendidorum & ampullectorum titulorum nuncupatio vanitatis arguitur.

Filii hominum usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Psalmo 4, 3.

Licet, imo libet mihi iisdem verbis affari honoris inanissimi aucupes, quibus affatur regius vates, Spiritus divini plenus omnes terræ filios.

Majórne dementia & væsania reperiri potest, quam fictitios & umbratiles affectare & consectari gloriæ titulos, cum naturæ mortali convenientiores, magis salutares, & verissimi ad manum sint, in oculos sponte incurrant, qui refutari & refelli nequeunt?

Meritò iterum exclamem cum ipso Sapientiæ oraculo Proverbior. 1, vers. 22. *Usquequo parvuli diligitis infantiam, & stulti ea, quæ sibi sunt noxia cupient, & imprudentes odibunt scientiam?*

An-

An non hæc mera infantia est, puerorum more, modóque magno molimine ex luto, paleis, papyro, festucis sine fundamento in nudo pulvere excitare ædificium, quod vel spiritu oris vehementiore quis diffl averit, vel minimo manus vel pedis impulsu disturbaverit?

6. Magna hominum vanitas, qui veris relictis titulis vanos sectantur.

Numquid non hoc est fatuorum ritu captare umbram, ventos ceti velle concludere, ignem osculari, aquam cribro continere?

Næ hoc aliud quid est quam puellorum ludibundorum & imprudentium instar odisse scientiam, disciplinam detestari?

Suggerit tibi vanitas tua, mortalitas tua, instabilitas tua, vera, solida, bene fundata nomina, elogia, titulos non specie quidem decoros, sed re saluberrimos. Adesto Nomenclator, & edissere singula nomina. Ecclesiastici 17 ℣. 31 ex divinis adytis profatur Sirachides: *Omnes homines terra & cinis.* Igitur quicumque hîc magnificos titulos sibi adscribit, cineri inscribit, quos aura aufert, aut turbat, nisi forte in monte Olympo eos exaraverit, quo flamina non pertingunt. Hujus rei testimonium dabit Sanctus Iob c. 13 ℣. 12. *Memoria vestra comparabitur cineri.* Fulgida illa & speciosa nomina ventus dispellet. Seneca infra citandus: *Et quæ veneraris, & quæ despicis, unus exæquabit cinis. Hoc jubet illa Pythicus oraculis adscripta vox. Nosce te.* Non igitur in ventosis illis elogiis gloriandum. *Gaudete*, inquit Christus Luc. 10 ℣. 20: *quia nomina vestra scripta sunt in cœlis*, quæ numquam dente livido annorum series corrodet vel invidiosa consumet vetustas. Nuncupationes verò, & honores epitaphii quamvis æri & marmori insculpantur, longâ ætate veterascunt & intereunt juxta illud Ausonii.

7. Tituli inscribuntur cineri.

Mors etiam saxis, nominibusque venit aliàs marmoribusque.

Quid ergo, *superbit terra & cinis?* Ecclesiastici 10 ℣. 9. Et ibidem ℣. 13. *Cum morietur homo, hereditabit serpentes & bestias & vermes.*

Hoc symbolo gentilitio gloriare: hoc stemmate superbi: his imaginibus & tropæis triumpha. Si vita hominis vana est, proclamante S. Iacobo cap. 4 ℣. 15. *Quæ est vita vestra? vapor est ad modicum parens, & deinceps exterminabitur.* Si, Psalmo 38 ℣. 6: *Universa vanitas omnis homo vivens.* & Psal. 143, ℣. 4: *Homo vanitati similis factus est; dies ejus sicut umbra prætereunt*; Si vanitas homo, & vita ejus, quæ tamen tamquam fundamento exaggerata illa titulorum superbificorum moles nititur; quid erunt omnia honorum nomina, & apparatus, suggestusque nuncupationum, & elenchus dominiorum?

8. Vita hominis vanitas quanto magis tituli?

Nomenclator titulorum & vocabulorum præclarorum mihi erit Seneca, Consolatione ad Marciam cap. 11, *Homo quodlibet cassum vas, & quodlibet fragile, imbecillum corpus & fragile, nudum, suapte naturâ inerme, alienæ opis indigens, ad omnem fortunæ contumeliam projectum, cujuslibet feræ pabulum, cujuslibet victima, ex infirmis, fluidisque contextum, precariis spiritus, tenuissimis cansis, atque offensionibus morbidum, putre, cassum, à fletu vitam auspicatum. Cum interim*, inquit, *quantos tumultus hoc tam contemptum animal movet? in quantas cogitationes obscurum suæ conditionis venit? immortalia, æterna volutat animo, cum interim longa conantem cum mors opprimit.* Sic ille & plura.

9. Descriptio hominis miseri ex Senecâ.

Psal. 145, 4. *Exibit spiritus ejus, & revertetur in terram suam: in illâ die peribunt omnes cogitationes eorum.* ubi Rex ille maximus, Rex regum, Imperator Imperatorum, particeps siderum, Solis & Lunæ fraterculus? *O curas hominum! ô quantum est in rebus inane!* Verè & optimè tituli illi adscribantur ei, qui dominatur animo suo, & in motus non moderatos imperium tenet. Intellexit hoc Agesilaus apud Plutarch. in Apoptheg. *Quid*, inquiebat, *major Rex, si non temperatior & justior?* & Alexander apud eumdem lib. 2 de illius fortunâ; *solo plerosque nomine magnos esse asserebat.*

10. Viris probis tituli recte conveniunt.

Apud Horatium Epist. prima,

Si recte facies, pueri ludentes, rex eris, ajunt,

Et apud Ausonium Idyllio 17.

Qui recte faciet, non qui dominatur, erit Rex.

Seneca Thyeste,

Regnum mens bona possidet.

Quod si bonæ mentis cares regno, & interim Rex vel Imperator audis, & audire vis, regnum tuum umbratile est, honoris nomen crepitans bracteatum, titulus sine re. Et hoc ergo vanitas.

Hanc vanitatem sed à Socrate magistro suo instructus tandem intellexit Alcibiades suis honoribus insolescens, de quo hæc memorat Ælianus: *Socrates Alcibiadem intuitus ob divitias inflatum, & superbientem opibus prædisque in quemdam locum duxit, in quo suspensa erat Cosmographica tabula, terræ orbem, complexa: jussitque Alcibiadem, Atticam in eâ inquirere. Quam ut invenit, sua etiam prædia inspicere præcepit. Quæ cum Alcibiades nusquam esse picta diceret: Cur igitur, inquit Socrates, ob illa superbis, quæ circa nullam terræ partem existunt?*

11. Alcibiades arguitur vanitatis à Socrate teste Ælianno.

Et nostri ævi homuli, novi domicelli titulis dominiorum ventosorum glorientur, cum in puncto globi terræ ne punctulum quidem obtineant? Alexander, auctore Curtio lib. 4 cap. 20 & aliis, Iovis Hammonii filium se non solum appellari passus est, sed etiam jussit, ad aliorum forte regum superbam & stultam imitationem; verum saucius & cruentatus hominem se agnovit. Sic enim idem refert lib. 8 c. 20. *Hostium munimenta contemplantem Alexandrum quidam è muro sagittâ percussit, forte in suram incidit telum, cujus spiculo evulso admovere jussit equum. Ceterum cum crus saucium penderet, & cruore sicco frigescens vulnus aggravaret dolorem, dixisse fertur, se quidem Iovis filium dici, sed corporis ægri vitia sentire, scilicet percipiebat, se mortale corpus trahere, cujus læsi sensu doloreque tangebatur.* Plutarchus in Alexandro ait eum sagittâ ictum ingenti pressum dolore dixisse. *Hic, amici, qui fluit sanguis est* (hominis mortalis)

12. Alexander saucius telo se mortalem agnoscit.

Non talis, dius ut solitus manare beatis.

Versus est ex 5. Iliados Homeri prolatus.

Ridendus profecto Macedo, si antequam sagittâ perstringeretur, se immortalem sibi persuasit.

Et quidem Alcibiades vanitatem nomenclaturæ & titulorum edoctus est à Socrate, Alexander verò casu & periculo suo.

Sed Canutus Anglorum Rex obsessus ab assentatoribus aulicis, suos palpones modestiæ admonuit. Cùm enim illi more suo illum terræ, marisque dominum sæpius insusurrarent, & sortem ejus attollerent, quippe cui omnia ad nutum servirent; ipse fœdam illam sic expressit & repressit

adulationem. Spectantibus iis ſedem regiam in littore maris poſuit in ipſo ejus acceſſu & affluxu. Tum ait: *Tu mare, ditionis meæ es, & terra, in qua ſedeo, eſt mea. Impero tibi & denuntio, ne in terram meam aſcendas, nec membra, nec veſtem domini tui madore perfundas.* Dixerat, & mare tenorem ſuum tenebat, alluebat, accedebat. Tum reſiliens: *En*, inquit, *quam ego omnibus imperito! En Rex Angliæ, terræ & maris! Quin ſciant omnes, qui terram incolunt, vanam & falſam eſſe Regum potentiam: atque unum eo nomine dignum, qui verè imperium inhibet cœlo, terræ, mari.* Hæc ille modeſtiſſimus & ſapientiſſimus rex. Ita Lipſius ex Angliæ Annalibus lib. 2 Monitorum c. 14.

Canutus Angliæ Rex vanitatem ſibi aſſentantium ſapienter repreſſit.

Illud autem veriſſimum & omnium Tyrannorum, Regum, Imperatorum, & quorumcumque tandem Principum & Dynaſtarum medullis inſculpendum, ut typhus ipſorum detumeſcat, & ſupercilium deprimatur, quod Canutus proteſtetur vanam & falſam Regum terræ potentiam, unumque ſolum dignum Regis nomine Regem Deum; quo ſatis indicat titulos omnes hujus mundi eſſe umbratiles, chimæras & figmenta. *Magna enim potentia Dei ſolius*: Eccleſiaſt. 3, ℣. 21. qui *Rex magnus ſuper omnem terram.* Pſal. 46 ℣. 3. & ℣. 8 *Rex omnis terræ Deus.* & Pſal. 94. ℣. 3. *Quoniam Deus magnus Dominus, & Rex magnus ſuper omnes deos,* Et Chriſtus Apocal. 19, ℣. 16. *habet in veſtimento & in femore ſuo ſcriptum; Rex regum & Dominus dominantium.* Poſt Deum verò nimis honorati ſunt amici ejus, quibus titulos adſtruit plenos, & ſolidos.

Non enim qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt; ſed quem Deus commendat 2 ad Corinth. 10, ℣. 18. Sic Paulus gloriatur titulo Apoſtoli Chriſti, & ſuis illum præfigit epiſtolis. Non enim fuit *Apoſtolus ab hominibus neque per hominem, ſed per Jeſum Chriſtum & Deum Patrem*; ad Gal. 1 ℣. primo. Non ergo fallax aut fictus ille titulus, ſed verus, quem prima veritas tribuit, qui ex vaſe perdito compoſuit vas electionis, non vacuum: *gratia enim Dei in illo vacua non fuit, ſed ſemper in eo manet, in quo Chriſtus habitavit*; qui cum titulum confert, ſimul rem, & dignitatem titulo ſignificatam unà tribuit. *Dei enim perfecta ſunt opera.* Nos vana vanis relinquamus, & ſtudeamus eſſe magni non verbis, ſed rebus.

S. Paulus titulo à Deo accepto gloriatur.

VERSVS II.

Cum plurimis gentibus imperarem, & univerſum orbem meæ ditioni ſubjugaſſem, volui nequaquam abuti potentiæ magnitudine ſed clementiâ & lenitate gubernare ſubjectos, ut absque ullo terrore vitam ſilentio tranſigentes optatâ cunctis mortalibus pace fruerentur.

Græcè: Cum multis imperaſſem gentibus, & omni dominatus fuiſſem orbi, volui non temeritate potentiæ elevatus, mitius autem & cum manſuetudine ſemper gubernans, ſubjectos ſemper tranquillos ſtatuere vitâ (id eſt, ut alii, ſubjectorum tranquillam ſemper reddere vitam.) & regnum quietum ac pervium uſque ad fines præbens, renovare etiam deſideratam omnibus hominibus pacem.

Joſephus autem ſic: Conſecutus imperium tot gentium & orbis, quam latè volui dominio potitus, cum nihil ſuperbum ac ſævum in ſubditos admitterem, ſed manſueto ac miti moderarer eos regimine, & pacem in primis ac juris tutelam procurarem, cogitavi, &c.

COMMENTARIVS.

MOre meo confero, lectionem Latinam vulgatam & Græcam Septuaginta; ſimulque Joſephum, ut plus lucis lectori accedat, ſimulque diſcat Latinam noſtram tranſlationem non eſſe ſumptam ex Joſepho, vel Joſephi ex hac, ſed utramque mutuatam eſſe ex Septuaginta.

Eſt hæc ſolita formula, & exordium quo utuntur principes ſuis in edictis, quo amorem & benevolentiam ſubjectarum ditioni ſuæ gentium conciliare conſueverunt, & offenſionem omnem ac indignationem, quam forte gravitas & acerbitas decretorum continet & populo movet, à ſe amoliri. Quod hîc Amanus totius doli architectus verſipellis ſubdolè præſtat nomine Artaxerxis, ne Judæorum cædes crudelitati regis adſcriberetur. Inprimis itaque præfatur ſe nihil ex arrogantiâ vel ſævitiâ, ut tyranni ſolent, velle ſtatuere, abutendo ſuâ poteſtate in gloriam & commodum ſuum, populi verò perniciem: deinde velle ſe ad Reipublicæ tranquillitatem inire rationes ſuaviſſimas, id eſt, clementiâ regnum ſuum adminiſtrare: poſtremo (qui ſcopus eſt, quo omnes Reges & populorũ moderatores ſuis placitis & legibus collimare debent) oſtendit ſibi propoſitũ eſſe, ut quiete & pace ſubditi fruantur.

Circa verba edicti pauca hîc occurrunt. Dicit, *univerſum orbem meæ ditioni ſubjugaſſem*: ubi, vel eſt anxeſis, vel commodè accipiendus univerſus orbis pro parte Perſis ſubjectâ. Sic dicit ℣. 4 *in toto orbe terrarum populum eſſe diſperſum.* Adde illum totius pene Orientis dominium tenuiſſe, Ægyptumque ſuo imperio (ſi quidem is fuerit Artaxerxes Longimanus) reſtitutam, re ibi contra Athenienſes feliciter geſta.

Nota verò hîc Artaxerxem longè aberraſſe à ſcopo, quem ait ſibi præfixum ſuo in edicto, qui erat *absque ullo terrore ſilentio vitam tranſigere*, id eſt, quietam procul à bellorum ſtrepitu, & turbis ſubjectorum vitam reddere: planè enim contrarium facit dum gentem pacatam, & pacificam, ſanctiſſimis legibus utentem, inauditam & indictâ cauſâ perturbat, & neci tradit. Sed hoc ferociæ & immanitati Amani tribuatur.

PRI-

Primum Documentum Civile.

Modestia & clementia commendatur in Regibus, & populi moderatoribus.

CVm regum supercilium & fastus, etiam ipsum nomen formidandum sit, ita ut Horatius proprio Epitheto *tremendos* Reges vocet; nisi placabilitate, & benignitate imperium suum temperent, ac moderentur, erit illud horrificum & intolerabile.

Rectè Poëta lib. 2 de Arte amandi,

Dextera præcipuè capit, indulgentia mentes;
Asperitas odium, sæváque bella movet.
Odimus accipitrem, quia vivit semper in armis,
Et pavidum solites in pecus ire lupos.
At caret insidiis hominum, quia mitis hirundo est,
Quæsque colat turres, (columba) Chaonis ales habet.

15. Nihil Clementiâ Regis civibus dulcius, nihil amore civium Regibus securius.

Præclarè Seneca. *Salvum Regem in aperto Clementia præstabit; Vnum est inexpugnabile munimentum amor civium*, lib. 1 de clementiâ c. 19.

Pulcherrimum est in magnâ fortunâ minimum licere animo.

Regem suis præesse majestate tantum, non asperitate decorum est.

16. Cum Rex è solio sævit, tunc ferro pluit: cum verò clementia gubernat, rorem & aquas salubres mittit.

Nullum Clementia ex omnibus magis, quam Regem, aut Principem decet, Seneca lib. 1 de Clementia. c. 3. Auctor est Plinius lib. 2 c. 56, in Lucaniâ ferro aliquando pluisse. Quid verò ferreus imber indicat nisi principem acerbo & immiti ingenio, qui è superiore throno suo in subjectos ferrea depluit imperia, minas & iras jaculatur? Quis nescit reges cœlis æmulos? Hi verò sponte suâ & propitiâ naturâ pluviam salutarem, rorem genitalem & fecundum in hæc inferiora stillant, quibus tellus imbuatur & fructifera reddatur, radios etiam spargunt, quibus ad maturitatem sparsa semina perducantur. Ita Rex cœlis geminus benignitatis & favoris in plebem imbres influat, serenitatis & lenitatis luce inferiores perfundat; alioqui si dextram semper telis instructam, ut Iupiter fulmine, in subjectos vibret, & ferratâ furoris grandine in eos desæviat, non Rex sed tyrannus habebitur:

17. Nilus leniter fluit, & impinguat Ægyptum: ita & Rex mitis & placabilis, qualis Cyrus.

Ajunt Nilum leniissimo fluxu ferri: constat tamen satis, pratisque plurimum fertilitatis advehere, dum illa aquis cooperit, pingui luto oblimat, & ubertatem prope incredibilem toti Ægypto impertitur.

Rex ille præcipuè utilis Reipublicæ, qui gravitatem severitatemque dominatus benignitate, & comitate condire novit. Ita præstitit Cyrus, *cujus* auctore Iustino lib. primò, *clementia in Cræsum, non minus victori, quam victo utilis fuit. Siquidem eâ erga Cræsum missi victoria usus fuisset, ne sibi bellum inferret, totius Græciæ voluntates sibi devinxit.* Rex magnificentiæ beneficentiæque sinum omnibus aperiat, in publicam se totum effundat utilitatem. Præclarum clementiæ in subjectos symbolum præbuit nobis Franciscus Marcio Iurisconsultus clarissimus, missus à Republicâ Genuensi Orator ad Ducem Mediolanensem. Cum is nollet ipsum dimittere, nec pactis conventis cum Genuensibus stare, captatâ occasione obtulit eidem duci manipulum Ocymi: qui admirabundus quæsivit, quid eo symbolo vellet? Cui ille subjecit, talem esse hujusmodi plantæ genium & naturam, ut leniter & benignè contrectata fragrantissimum spargat odorem; durius autem compressa & attrita, non solum odorem omnem deperdat, sed etiam paulatim scorpios generet: habere autem se Genuensium ingenia pari modo. Dux arguto hoc viri responso recreatus, & sententiam priorem mutavit, & Oratorem honorificè dimisit. Ita plures referunt ex Iustiniano Genuensi Historiographo lib. 6.

18. Francisci Marcionis symbolum oblatus, nempe Duci Mediolanensi Ocymi manipulus, quo eum ad lenitatem flexit.

19. Quid Ocymum, & unde dictum? Aliqui Basilicum vocant.

Est autem Ocymum herba, sic dicta, quod celerrimè proveniat, communiter tamen scribitur per tertiam vocalem, ocimum; quidam volunt scribendum ozimum, à Græco ὄζω, id est, fragro, eo quod herba sit, quæ suavem odorem spiret. Græci recentiores qui de re herbariâ scribunt, Psellum secuti, βασίλικον, id est, regium vocant, quod ob præstantiam odoris dignum sit regibus.

Hoc spectavit vir sapientissimus, cum ait Proverbiorum 20, vers. 28. *Misericordia & veritas custodiunt regem, & roboratur clementiâ thronus ejus.*

20. Imperium firmat & tuetur clementia Imperatoris.

Quorum verborum sensus sic mihi & aliis probatissimus videtur: Misericordia, & justitia, quæ more scripturæ sæpius veritas vocatur (ut etiam apud principes linguæ Latinæ) regem ut vigiles & corporis custodes fidâ tutelâ communiunt, melius quam satellitum armatorum cohors; præterea eadem misericordia sive clementia thronum & regnum ejus fulcit tamquam solida basis & fundamentum. Clementia ad virtutem & quodlibet honestum populum allicit & adhamat, ad amorem Regis pertrahit, inuncat, & ut magnes, ferreos etiam animos sibi maritat:

Iustitia eumdem in officio continet; si verò effrenis est, & jugi impatiens, coërcet, profligat, prosternit. Referri huc etiam possunt illa Sallustii in Iugurthino bello. *Non exercitus, neque thesauri præsidia regni sunt; verum amici; quos neque armis cogere, neque auro parare queas; officio ac fide parantur.*

Adde & clementiâ, morumque facilitate. Virtutes enim hæ gratissimæ sunt vulgo. Vnde & dicitur iisdem in Paræmiis cap. 16, ℣. 15: *In hilaritate vultus regis, vita: & clementia ejus quasi imber serotinus:* qui scilicet agricolis non minus acceptus quam matutinus & temporaneus. Hic enim semina jacta in Octobri herbescere & germinare facit: ille vere novo grana facit grandescere: sermo autem est de Palæstinâ.

21. Clementia Regis imber serotinus.

Egregiè Seneca de Clementiâ lib. 1, cap. 7: *Non alia facies est quieti & moderati imperis quam sereni cœli & nitentis. Crudele regnum turbidum, tenebrisque obscurum est*, &c.

22. Quietum regnum est instar cœli sereni, crudele instar turbidi.

Convenit illud Plutarchi. *Vt Deus in cœlo pulcherrimum ac jucundissimum sui simulacrum constituit Solem: sic in Repub. principem, qui prudentiâ, justitiâ, benignitate se erga omnes repræsentet.*

23. Trajanus ob comitatem dictus Optimus.

Talis describitur Trajanus Imperator à Plinio in Panegyrico, qui suâ comitate ac benignitate à populo Optimi vocabulum obtinuerit; unde & novo Imperatori idem deinceps acclamabat:

Augusto felicior, Trajano melior.

De Augusto Cæsare sic scribit Seneca lib. 1 de Clement. cap. 10. *Bonum principem Augustum & bene illi convenisse parentis* (patriæ) *nomen fatemur.*

24. Augusti lenitas.

mur: ob nullam aliam causam, quam quod contumelias quoque suas, quæ acerbiores principibus esse solent quam injuriæ (quæ sine contemptu jactantur) *nulla crudelitate exsequebatur: quod probrosis in se dictis arrisit: quod dare illum pœnas apparebat cum exigeret.*

25. Imitetur Rex generosa animantia.

Rursus cap. 5: *Magni animi proprium, placidum esse, tranquillumque, & injurias atque offensiones superne despicere. Elephantes, leonesque transeunt quæ impulerunt* (prostraverunt) *ignobilis bestiæ pertinacia est. Non decet regem sæva & inexorabilis ira.*

Nec plura ex aureis libellis de Clementiâ delibo: ne Senecæ hortulum defloraſſe videar.

Ceterum hoc argumentum ample deduxi in variis locis Commentarii mei in Ecclesiasticum. Vide præcipue c. 10, ℣. 6, & c. 45, ℣. 6.

Alterum Documentum Politicum:

Princeps ad hoc collimet, ut populus pace & quiete fruatur.

PRopositum sibi hoc fuisse suo in diplomate significat Artaxerxes; *Volui*, inquit, *clementiâ & lenitate gubernare subjectos, ut absque ullo terrore vitam silentio transigentes, optatâ cunctis mortalibus pace fruerentur.*

Hoc ipsum bonum & acceptum esse coram Deo asserit Apostolus, & idcirco orationes institui cupit, cum ita Timotheo discipulo suo scribit, initio Capitis secundi epistolæ primæ, his verbis:

26. Pax publica exoranda.

Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus:

Pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate. Hoc enim bonum est, & acceptum coram Salvatore nostro Deo.

Cum verò Patres & Interpretes plures rationes suggerant cur Apostolus velit pro regibus & principibus etiam gentilibus Orationes publicas institui; illa vel præcipua fuit, ut nimirum à Deo illis impetrarent gratiam justè, benignè, quietè Rempub. administrandi, & ut Deus, in cujus manu corda regum sunt, ita eos dirigeret & flecteret, prout noverat tranquillitati & saluti Ecclesiæ expedire.

Idem suadet Ieremias propheta Iudæis, qui ex Iudæa transmigraverant in Babylonem, ut orarent pro Babylone, &c.

Sic habes cap. 29, vers. 7. *Quærite*, inquit, *pacem civitatis, ad quam transmigrare vos feci, & orate pro ea ad Dominum quia in pace illius erit pax vobis.*

Rectè proinde Tertullian. Apologetici 30. *Nos*, inquit, *Christiani precamur semper pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcunque hominis & Cæsaris vota sunt.*

27. Anchora docet Principi curæ esse debere populi pacem.

Adverto hoc indicatum antiquâ icone Anchoræ, circa quam Delphinus Φιλάνθρωπος sive hominum studiosus se complicat, quam versibus expressit And. Alciatus suis in Emblematis.

Titani quoties conturbant æquora fratres,
Tum miseros nautas anchora jacta juvat.
Hanc pius erga homines Delphin complectitur; imis:
Tutius ut possit figier illa vadis.
Quam decet hæc memores gestare insignia Reges,
Anchora quod nautis, se populo esse suo!

In hoc ergo toto pectore Rex incumbat, cujus humeris populi salus innititur.

28. Imperator labore suo civium pacem procurare debet, sed occupatione populi quietem.

Vidit hoc Romanus Sapiens Consolatione ad Polybium cap. 26. *Cæsari*, inquit, *quoque ipsi, cui omnia licent, propter hoc ipsum multa non licent. Omnium domos illius vigilia defendit, omnium otium ipsius labor, omnium delicias illius industria, omnium vacationem illius occupatio. Ex quo se Cæsar orbi terrarum dedicavit, sibi eripuit: & siderum modo, quæ irrequieta semper cursus suos explicant numquam illis licet nec subsistere, nec quidquam suum facere.* Ita ille.

Ergo Regis officium hoc est, privatis commodis & domesticæ quieti subditorum securitatem, pacem, salutem anteferre. Ita M. Tullius 5. de Repub. *Moderatori*, inquit, *Reipub. beatæ civium vita proposita est, ut ea opibus firma, copiis locuples, gloriâ ampla, virtute honesta sit.* Et Xenophon in Memorabilibus Socratis lib. 3. *Rex*, ait, *eligitur, non ut se molliter curet, sed ut per ipsum ii, qui elegerunt, bene, beatéque agant.* Imo Philosophus 8, Politicor. cap. 10, dicit, *hoc tyrannum a Rege differre, quod ille suum ipsius commodum spectet & quærat: at Rex subditorum.*

Non itaque majestatis splendor, trabeæ, purpura, fasces, stipatio, sceptrum, diadema, altitudo dignitatis, externus apparatus ipsis finis est, sed publicum bonum, populi tranquillitas.

29. Rex in terris Dei vicarius.

Deorum ait Seneca 1, de clementiâ, *vice in terris fungitur rex.* Si ergo Dei vicarius est, quare non erit ejusdem æmulus? Atqui Deus ordine maximo hunc orbem, magnumque mundi corpus regit, cœlos, terras, maria omnia in statu & concordiâ, paceque, etsi inter se maximè discordia, continet & servat. Subsequere, ô Imperator, vos Reges, & de vobis pronuntiabimus, *Dii estis, & filii Excelsi omnes.* Obliti quodammodo vestri, populo vivite.

30. Tiberii præclarum Apophthegma. Cæsar populo servire debet.

Tiberius, ut narrat de eo Tranquillus cap. 29, sic inter sui principatus initia Senatum est allocutus.

Et nunc dixi, & sæpe alias, Patres Conscripti, bonum & salutarem principem, quem vos tantâ & tam liberâ potestate instruxistis, Senatui servire debere, & universis civibus, sæpe & plerumque etiam singulis. Neque id dixisse me pœnitet, &c.

Adhuc tinniunt in auribus meis præclaræ voces Trajani, qui cum Præfectum Prætorii (vel tribunum militum) de more gladio succingeret, daretque vitæ & necis potestatem. *Cape hunc*, inquit, *& si quidem rectè & ex utilitate omnium imperavero, pro me; sin aliter contra me utere.* Dio Cassius.

31. Item Trajani, qui in se abutentem potestate tribuit Præfecto potestatē.

Commendatur hoc nomine ab Historicis Ioannes 2 Lusitaniæ Rex 13, de quo hæc prodidit litteris Antonius Vasconcellius Anacephalæosi 16, Regum Lusitaniæ. *Tanti principis* (Ioannis) *in occasu*, ait, *supra fidem tota Lusitania miserabiliter indoluit; quippe quem singulari benevolentia prosequeretur, & suas delicias amoremque, velut orbis totius Titum Roma quondam, posset appellare. Nec*

imme-

32. Ioannes 2, Lusitaniæ Rex ut suam caritatem in cives ostenderet, intigne sumpsit Pelicani se propullis vulnerantis, cum hoc dicto. *Pro Lege & Grege.*

immeritò : Ioannes enim , cum suam erga cives caritatem multis contestatam beneficentiæ monimentis reliquisset , eam tunc omnino comprobavit , cum (addito lemmate , *Pro Lege & Grege*) *pulcherrimum illud Pelicani symbolum pectora laniantis , & sanguinem in pullorum propinantis alimenta , certissimum pientissimus animus legit argumentum.* Hæc ille.

Ergo magnus ille Princeps duo sibi semper infixa gerebat animo , Legem & Gregem ; Legem quidem , ut illam ut normam sequeretur , hunc verò ut defenderet , & ubi opus, faculates, vitam, sanguinem animosè profunderet.

33. Idem moriens manu unâ cereũ, alterâ calamum tenuit , symbola sui non oblitus.

Addunt quidam eumdem Principem morti proximum , sui symboli & stemmatis non oblitum , manu alterâ ut Christianorum mos ex vita hac migrantium habet, accensum cereum, alterâ calamum ad scribendum prætulisse; cereum quidem ut fidem suam & religionem in Deum protestaretur , calamum autem , ut supplices suorum libellos subscripto nomine muniret. Ita certe scribit suprà Vasconellius , ipsum moribundum multos officiorum , remissionis , perpetui alimenti , aut aliis beneficiis, cum diplomate suâ ipse manu subscriberet , cumulasse , quemque pro meritis. Ergo cereum pro *Lege*, calamum *pro Grege* moriens manibus prætulit. Vide Franciscum de Mendoça in Viridario l. 6, Oratione primâ , quæ est de ortu Philippi 4 Hispaniarum Regis.

34. Pacis commendatio quâ omnia gaudent etiam fera animantia & ipsa mundi machina. &c.

Cogitet secum , qui imperio eminet , verba Artaxerxis *optatam cunctis mortalibus esse pacem* ; de cujus bono multa habet Aurelius Augustinus lib. 19 , De Civitate Dei cap. 11, 12, 13. Sententia illius hæc est Cap. 11. *Tantum est pacis bonum , ut etiam in rebus terrenis atque mortalibus nihil gratius soleat audiri , nihil desiderabilius concupisci , nihil postremo possit melius inveniri.*

Consentit Xenophon in Hierone. εἰρήνη δοκεῖ μέγα ἀγαθὸν εἶναι τοῖς ἀνθρώποις , πόλεμος μέγα κακόν , id est , Pax hominibus magnum esse videtur bonum, bellum magnum malum.

Pergit S. Augustinus cap. 12, inquiens, *pacem esse optabilem belli finem. Omnes enim belligerando pacem requirunt. Pacem cum suis omnes habere cupiunt.*

Quod etiam ostendit locum habuisse in Caco tyranno de quo Virgil. Æneidos 8 , cui nomen inventum ex singulari malitiâ; κακὸς enim Græcè Cacus malus dicitur.

Nec modo homines feri , barbari , scelerati pacem affectant, sed etiam animantia omnia non solum socialia , ut oves , cervi, columbæ , apes, sed etiam fera, solivaga & insociabilia, ut leones, tigres, aquilæ, noctuæ. Omnia ergo constant pace, omnia pace delectantur, ut eruditissimè ibi ostendit Augustin.

Nec hac ratione improbaverim sententiam Empedoclis Agrigentini , qui omnia pace & concordiâ in mundo jungi dicebat, disjungi verò discordiâ & lite. Sic quatuor mundi prima corpora licet inter se dissideant , in commune tamen universi bonum amicitiâ quadam arctissimâ sociari videmus. Omnia tendunt ad centrum, locum quietis & pacis quæ moventur, gravia deorsum, levia sursum.

Verum uberrimè hoc argumentum prosequitur sanctitate & eruditione clarissimus Gregorius Nazianzen. tribus Orationibus de pace ; in quarum prima elegantissimè demonstrat omnia pace vigere , florere , conservari , dissidio verò turbari, dissipari, desinere. Deducit hoc ab Angelis, cœlis, elementis , aëre, anno, die , nocte, hominibus , imperiis , Ecclesiâ Christi. Ex quibus omnibus hoc efficere vult , ut omnes mortales pacem præcipuè diligant & prosequantur. Prudentius in Psychomachiâ.

Pax plenum virtutis opus, pax summa laborum,
Pax belli exacti pretium est, pretiumque periclis:
Sidera pace vigent, consistunt terrea pace.
Nil placitum sine pace Deo.

Postremo , quandoquidem pro more principibus sit omnem movere lapidem , & ad hoc omnibus viribus adniti, ut regnum divitiis floreat, ipsique & populus sint quam opulentissimi, certò sibi persuadeant pecuniam , quam belli nervos Vespasianus apud Dionem vocat , nullâ aliâ arte melius comparari quam cum pace imperium fulcitur. In pacis enim gremio Plutus recubat , ut finxere veteres, id est, opulentia, ubertas, rerum copia, unde etiam illius Divę Hieroglyphica nota est Amaltheæ cornu.

35. Ex pace ubertas.

35. Vt ostendit regnum Salomonis, Pacifici.

Exemplum hujus esto Rex ille potentissimus simul & sapientissimus, qui quamvis pluribus nominibus in sacris oraculis insigniatur , communius tamen gaudet nomine Salomonis , quod à pace traxit, quâ regnum suum stabilivit.

Quantis verò opibus exundaverit ipsius ævo Iudæa, frustra ego hîc recenseam, cum liber Regum tertius , & Paralipomenon secundus id disertè sæpius protestetur. Ipse quoque de se sic asserit Ecclesiaste 2 , vers. 8. *Coacervavi mihi argentum & aurum , & substantias Regum & provinciarum.* Substantias autem interpretatur S. Thomas lib. 2 de regimine Principum cap. 7, thesauros collectos ex tributis tum ab ipso , tum à patre Davide , de quibus lib. 2 & 3 Regum.

39. Symbolum pacis & ubertatis.

Non contineo calamum , quin nitidissimum Andreæ Alciati Emblema 178 , hic subtexam , quo ex pace ubertatem provenire docet,

Grandibus ex spicis tennes contexe corollas ;
Quas circum alterno palmite vitis eat:
His compta Alcyones tranquilli in marmoris undâ
Nidificant, pullos involucréque fovent.
Lætus erit Cereri , Baccho quoque fertilis annus;
Æquorei si Rex alitis instar erit.

Alcyon sive Alcedo avis est , quæ juxta mare, cum in eo malacia est , & nulla tempestate concitatur, nidum struit ; & parit : pacis est symbolum. Norunt eruditi. Vnde & dies dicti Alcedonii , id est , quieti. Hunc Alciatus æquoreum alitem dicit.

VERSVS III, IV, V, VI, & VII.

Quærente autem me à consiliaris meis, quomodo posset hoc impleri, unus qui sapientiâ & fide ceteros præcellebat, & erat post regem secundus, Aman nomine

Indicavit mihi in toto orbe terrarum populum esse dispersum, qui novis uteretur legibus, & contra omnium Gentium consuetudinem faciens, Regum jussa contemneret, & universarum concordiam nationum suâ dissensione violaret.

Quod cum didicissemus, videntes unam gentem rebellem adversus omne hominum genus perversis uti legibus, nostrisque jussionibus contraire, & turbare subjectarum nobis provinciarum pacem, atque concordiam,

Iussimus ut quoscumque Aman, qui omnibus provinciis præpositus est, & secundus à rege, & quem patris loco colimus, monstraverit, cum conjugibus ac liberis deleantur ab inimicis suis, nullusque eorum misereatur quartadecimâ die Duodecimi mensis Adar anni præsentis:

Vt nefarii homines uno die ad inferos descendentes, reddant imperio nostro pacem, quam turbaverant.

Græca sic reddas. Quærente autem me à consiliariis quomodo duceretur hoc ad finem, qui sapientiâ (modestiâ, sobrietate) apud nos præcedebat, & in benevolentiâ immutabili & firmâ fide approbatus est, & secundum à Rege honorem adeptus (vel, secundo regis dono præcedebat) Aman, indicavit nobis in omnibus per orbem terræ tribubus commixtum esse odiosum (inimicum) populum quemdam, legibus oppositum adversus omnes gentes, & regũ prætermittentes assiduè edicta, ut non deducatur, qui à nobis dirigitur sine defectu principatus. Cum didicissemus ergo quod hæc gens sola in rebellione omni semper homini posita sit, vitã legum peregrinam permutans, & dissentiens nostris rebus, pessimaque consummans mala, & ut regnum non consequeretur constantiam (bonum statum,) Præcepimus igitur eos qui significantur nobis in scriptis ab Aman præposito in rebus, & secundo à nobis, omnes cum uxoribus & filiis perdi radicitus inimicorum gladiis sine omni misericordiâ & parcitate (clementia) die quartâ decimâ duodecimi mensis Adar præsentis anni. Vt qui olim & nunc inimici in die unâ violenter in infernum descendentes; in posterum tempus quietas (bene constitutas) & tranquillas præbeant nobis perfectè res.

Iosephus sic edictum Regis pertexit: Cogitavi quomodo hæc bona possint eis manere perpetua. Admonitus igitur ab amico propter prudentiam & justitiam mihi semper præ ceteris honorato, & ob egregiam fidem secundum post me locum obtinente Amane, esse permixtam hominum generi gentem inimicam, & suis quibusdam legibus utentem à ceteris diversis, inobedientem regibus, & depravatam moribus ac ritibus, nec monarchiam, negotia nostra probantem, volo ac edico ut hos ab Amane mihi parentis loco habito indicatos cum uxoribus & liberis perdatis, nemini eorum parcentes, neque miserationi plusquam nostro edicto tribuentes: idque fieri jubeo decimâ quartâ die duodecimi mensis præsentis anni, ut unâ die deletis in totum nostris hostibus, in posterum pace ac securitate frui nobis liceat.

Bene autem observat circa textum Iosephi Mariana hîc, ejus Interpretem putasse errorem à Iosepho commissum, dum scribit decimâ quartâ die mensis duodecimi delendos Iudæos, cum cap. 3, vers. 13, tertiâ decimâ die, id debere fieri jussũ Assueri scriptum sit, & ita habeatur in omnibus Latinis Græcis, Hebraicis codicibus unde & Iosephum ex illis correxit: Sed advertere debuerat hîc omnes Græcos & Latinos libros habere decimâ quartâ: Nec hoc à capite tertio dissidere, si dicatur omnium cædes commissa die decimâ tertiâ, ut Capite tertio præscribitur, ita ut die decimâ quartâ nullus superesset cui parceretur; ut infrà dicetur.

COMMENTARIVS.

Non omnia quæ referuntur ab aliis dicta in scripturâ, vera sunt.

Gaspar Sanctius hic duo præmittit. Primum, in litteris sacris non esse omnia vera quæ referuntur ab aliis dicta, licet verum sit illa ab iis dicta fuisse. Constat hoc ex pluribus, & luce meridianâ clarius est in hoc edicto, quod nomen quidem regis Artaxerxis præfert, re tamen verâ ab Amano confictum est, & mendaciis consutum. Ita quod *dixit insipiens in corde suo: Non est Deus* Psalmo 52 ℣. 1, falsum est, cum illum hoc dixisse fide certum sit.

Alterum etiam adjicit, Reges Persarum, ut & alios plerosque, cum adverterent temere aliquid à se

à se decrétum vel gestum, ne levitatis notam incurrerent errorem suum in alios consiliarios, nempe vel amicos rejecisse.

Cum igitur temerarium fuerit Assueri edictum, quo Iudæorum totam gentem Amani scelestissimi voluntati permisit, ut de illorum capite pro libito statueret; illud advocato consilio editum ostendit, prout etiam idem fatetur Cap. 16 in epistolâ, quâ hoc suum edictum irritum reddit, quod insignis inconstantiæ argumentum videri apud prudentes, poterat. Itaque in utrâque epistolâ quædam ad declinandam invidiam, & suam auctoritatem tuendam, interposuit.

Addo & ego tertium; conferendum hoc edictum cum verbis Amani, quæ habentur cap. 3, suprà ℣. 8, & 9, quibus summa hujus edicti continetur: sunt autem hæc. *Dixitq; Aman Regi Assuero: Est populus per omnes regni tui provincias dispersus* (hîc: *Indicavit mihi in toto orbe terrarum populũ esse dispersum*) *& à se mutuò separatus* (hoc hîc omissũ de industriâ ab Amano, ne Iudæi in unum coirent, ut se suáque defenderent) *novis utens legibus & cerimoniis, insuper & Regis scita contemnens* (plura hîc ut Iudæos in invidiam vocaret, intexuit Amanus) *Et optimè nosti, quod non expediat regno tuo ut insolescat per licentiam. Si tibi placet, decerne ut pereat*, &c.

Iam singula textus verba, in quibus dignus vindice nodus occurrerit enodomus.

Quærente me, inquit Amanus, nomine Regis (ut clarè constat ex alterius edicti verbis cap. 16, vers. 17, ubi Rex dicit litteras illas ab Amano sub nomine suo directas) *à consiliariis meis, quomodo posset hoc impleri*: Mendacium est primum (ex quo uno disce reliqua, quibus hoc edictum confertum est) nusquam enim legitur Rex consilium advocasse; quod tamen, si Rex prudens fuisset, facere debuerat, ut de communi bono in medium consuleret. Sed hoc nequiter confinxit Amanus quo invidiam edicti declinaret, ne à populo putaretur ipse solus hujus inhumanissimi Placiti architectus & auctor, sed potius omnes intelligerent esse commune Senatusconsultum, & totius concilii Persici decretum, & judicium, ut Iudæi omnes perirent.

Porro adfuisse semper Regi consiliarios suprà diximus Cap. primo vers. 13 & 14: ubi sic legimus. *Unde iratus Rex interrogavit sapientes, qui ex more regio semper ei aderant, & illorum faciebat cuncta consilio, scientium leges ac jura majorum, (erãt autẽ primi & proximi Charsena & Setbar, &c. septem duces Persarum atque Medorum qui videbant faciem regis, & primi post eum residere soliti erant.* De iisdem meminit etiam liber primus Esdræ cap. septimo ℣. 14 in Epistolâ Artaxerxis Esdræ datâ, his verbis. *A facie enim regis, & septem consiliariorum ejus missus es, ut visites Iudæam*, &c.

Vnus qui sapientia & fide ceteros præcellebat. Græcè, pro *sapientia*, est σωφροσύνη; & reddi potest etiam, *sobrietate, modestia, moderatione, continentia, verecundia*, &c. Est autem propriè sobrietas sive sanitas mentis: Vnde Aristoteles dicam ait σωφροσύνην quasi σώζουσαν Φρόνησιν, quod sanet vel salvet prudentiam, & Socrates apud Platonem, quasi σωτηρίαν τῆς φρονήσεως, id est, salutem mentis vel prudentiæ: Ita eleganter Apostolus ad Romanos 12 ℣. 3, φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν, quod Latinus transtulit, *sapere ad sobrietatẽ*.

37. σωφροσύνη quasi salus mentis & prudentiæ.

Nota hîc, quam magnificè se jactet Amanus hoc suo ficto edicto, quàm superbiat, cum mentiatur se omnibus regiis consiliariis prudentiâ, fide & benevolentiâ præstare: sed hanc larvam illi posteriore suo edicto Artaxerxes detraxit, cum cap. 16 ℣. 12 ita scribit de eodem, *Qui*, inquit, *in tantum arrogantiæ tumorem sublatus est, ut regno prævare nos niteretur & spiritu.* En: hæc benevolentia & fides est in regem. Prudentia autem ejus non vera fuit, sed potius versutia & calliditas. Sic enim idem Rex ibidem ℣. 5 & 6, ubi in genere nequitiam Amani notans ita loquitur: *Et in tantum vesaniæ prorumperunt, ut eos qui credita sibi officia diligenter observant, &c. mendaciorum cuniculis conentur subvertere; dum aures principum simplices, & ex suâ naturâ alios æstimantes, callidâ fraude decipiunt.*

Indicavit mihi in toto orbe terrarum, &c. Et hic quoque mendaciorum seges uberrima; Inprimis plura hîc in edicto contra Iudæos objiciuntur, quàm regi proposita fuerant cap. 3, ℣. 8, ut patet ex utrorumque collatione. Taceo illa, quæ hîc in Iudæos jactantur, meras esse calumnias: quas ipsemet Rex diluit & confutat suo posteriore edicto c. 16 ℣. 15 & sequenti, cum infit: *Nos autem à pessimo mortalium Iudæos nece destinatos, in nulla penitus culpa reperimus, sed è contrario justis utentes legibus*, &c.

Vers. 6: *Quem patris loco colimus.* Idem fatetur Rex cap. 16 ℣. 11: *tantam in se expertus humanitatem, ut pater noster vocaretur* &c. quod ideò dixit Artaxerxes, ut ostenderet facilè se potuisse decipi ab Amano, cui tantum tribueret, ut pater ejus vocaretur; unde etiam potuisse illi plus ceteris palatinis credere, & concedere.

38. Quis in scripturâ Pater dicatur.

Pater verò Hebraicè dicitur, ut etiam Græcè & Latinè, non solùm à quo quis genitus est vel secundùm carnẽ vel secundùm spiritum; sed qui etiã in aliquo genere alios antecedit, auctoritate, dignitate, sapientiâ, ut sit eorum dux, magister, &c. Sic Iosephus Gen. 45, ℣. 8 patrem se appellat Pharaonis, & 4 Reg. 16, ℣. 12 Rex Israel Elisæum patrem vocat, & alii passim, ut notum est.

Colligit ex pœnâ hujus edicti Sanctius, Assuerum planè ignorasse populum illum rebellem, quem ad necem poscebat Amanus, fuisse Iudæos: Numquam enim tam atrox in eos decretum evulgasset, cum, etsi ignoraret reginam illius gentis esse, exploratum tamen haberet, Mardochæum esse Iudæum, ut constat cap. 6, ℣. 10.

Nullusque eorum misereatur quarta decima die duodecimi mensis Adar.

Dubium circa diem statutum Iudæorum cædi.

Dubiũ hic occurrit, quomodo hic dicatur dies decima quarta præscripta neci Iudæorũ in omnibus Græcis & Latinis codicibus, cùm tamen c. 3, ℣. 13 statuatur huic interfectioni dies tertius decimus; & ita legatur Hebraicè, Græcè, Latinè.

Respondet Mariana, ut suprà dixi, Serarius, Salianus & alii ita constitutum esse diem decimum tertium, ut nullus superesset, cui decimo quarto die parceretur.

Sed placet mihi solutio, quam hîc adfert Tirinus, & alii; scilicet, diem decimum tertium fuisse inchoatæ interfectionis, sed decimum quartum, completæ; ut patet ex cæde Persarum, quam Iudæi exercuerunt duobus illis diebus. Nam, ut dicitur cap. 9 ℣. 17: *Dies decimus tertius primus*

primus apud omnes interfectionis fuit, & quarta decimâ die cædere desierunt. Nam qui in Susan urbe regia degebant, etiam decimâ quartâ die in cæde versati sunt, ut ibidem dicitur ℣. 18.

Differentia ergo hæc dierum nullo modo suspectam reddit horum posteriorum capitum fidem, ut volunt Novatores nostri hæretici.

Vt nefarios homines uno die ad inferos descendentes reddant imperio nostro pacem quam turbaverant. Hæc est communis clausula edictorum regiorum contra perturbatores publicæ tranquillitatis, vel alio scelere notatos, qua post enumerata ipsorum flagitia, supplicium & gravis pœna subjicitur, ut nimirum, qui vivi pacem Reipub. turbaverant, mortui illam reddant, & malè pereant, qui alios perdere tentaverant.

Dubium est, quid hoc loco significet, *ad inferos descendentes:* Sanctius hîc ait signari sepulturam commune mortalium domicilium, hoc enim modo loquendi sæpius utitur scriptura.

39. Descendere ad inferos propriè accipitur.

Delrius primâ parte Adagialium ex libro 2 Regum, enarrans verba illa cap. 6: *funes inferni*, digressione secundâ, acriter contendit *Inferos* hîc non posse capi de sepulcro: quia Aman Judæos insepultos ferarum pabulum esse volebat; unde & præposuerat: *Nullus eorum misereatur*, videlicet cadavera sepulturæ mandando. Nec poterant uno facile die tot millia sepeliri: uno autem die, imo & horâ poterant descendere,

Quo dives Tullus & Ancus.

Græcè etiam est εἰς ἅδην; & Vatablus, Clarius, Montanus ibi inferos & infernum retinuerunt. Ita Delrio, qui fusissimè ibidem ostendit nullum in sacrâ scripturâ esse locum, in quo שאול Scol & ἅδης, inferos cogamur accipere pro sepulcro, scrobe, foveâ, animæ à corpore separatione, vel in genere, pro statu mortuorum, aut alio, quam pro animarum subterraneo receptaculo saltè metonymicè accepto: Quin verò multa sunt in scripturâ loca, in quibus Hebræum שאול Scol, & Græcum ἅδης aut Latinum infernus, inferi non possumus nisi violenter & durè interpretari sepulcrum, scrobem, foveam, mortem (primam & propriè dictam) aut statum animarum vel mortuorum in genere, aut denique aliter, quam aliquod inferorum receptaculum, saltem Metonymicè significatum. Hæc Delrius axiomata fortissime maximè contra Novantes propugnat.

40. Mittere ad inferos est, occidere.

Quia verò mihi propositum non est hanc controversiam dirimere, dico commodè posse hoc loco accipi hanc locutionem pro phrasi poëticâ, quandoquidem hîc auctor impius, ethnicus & profanus Aman loquatur; idque, pro Judæorum occisione. Sic enim poëtæ loqui solent; *mittere ad Orcum, ad Tartara, ad Acherontem, sub Styga*, id est dimittere neci vel morti vel occidere. Sic usurpat Virgil. Æneidos 12.

Aut hac Dardanium dextra sub Tartara mittam
Desertorem Asiæ:

Monitum Politicum;

Consiliarii quidem in Senatum regium à Principibus advocandi, cum res postulat, sed cavendum ab improbis & fraudulentis.

41. Consilium magnis in rebus adhibendum.

HErodes Rex, cum indicio stellæ natum Judæorum Regem Magi Hierosolymis nuntiarent, prudenter in curiam, Principum sacerdotum & scribarum populi cœtum convocavit, sciscitans ubi Christus nasceretur, ut sacer Evangelista refert Matth. 2. sanctiùs & meliore mente Magi, qui luce prophetici oraculi illustrati, & sideris cœlestis præambulâ face edocti Deum Regem in cunabulis Bethlemiticis invenerunt.

Monstrant Eois regibus astra viam.

Vtrumque principibus de magnis rebus deliberaturis necessarium est; & seniorum concilium, & siderum lumen supernè menti infusum. S. Chrysost. homil. 9 de laudibus S. Pauli: *Consiliariis*, inquit, *omnes opus habent etiamsi Moysi conferri possint.* Et S. Hieron. in 3 Isaiæ. *Græci poëtæ laudabiles illa & admiranda sententia est: primum esse beatum, qui per se sapiat: secundum, qui sapientem audiat.* Quis poëta ille sit, ignoro. Simile tamen quippiam est apud Ciceronem pro A. Cluentio. *Sapientissimum*, ait, *dicunt esse eum, cui quod opus sit, ipsi veniat in mentem, proximè accedere eum, qui alterius bene inventis, obtemperet.*

Tunc verò vel maximè non unius tantum audienda sententia, sed plurium sapientiâ spectatorum virorum placita perquirenda, cum agitur non modo de unius aut alterius capite, sed de integræ gentis nece & pernicie: quâ in re graviter deliquit Assuerus, qui solius Amani superbissimi & crudelissimi hominis sensum secutus;

Disertè hoc monuit Seneca lib. 2 Natural. quæstion. cap. 43. *Quare*, inquit, *id fulmen, quod solus Iupiter mittit, placabile est; pernicioso id, de quo deliberavit, & quod aliis quoque diis auctoribus missit? Quia Iovem, id est, regem, prodesse etiam solum oportet, nocere non, nisi cum pluribus visum est. Discant hoc ii, quicumque magnam potentiam inter homines adepti sunt, sine consilio nec fulmen quidem mitti: advocent, considerent multorum sententias, placita temperent, & hoc sibi proponant, ubi aliquid perenti debet, ne Iovi quidem summ satis esse consilium.* Ita Seneca. Est quidem fulmen, id est lædendi potestas penes Regem, sed vibrandum non est, nisi consultò, & post diuturnam deliberationem.

42. Iupiter fulmen non mittit nisi ex consilio deorum, nec princeps nocere sine deliberatione.

Interim caveant sibi Imperatores & principes ab improbis, nefariisque consiliariis, qualis fuit Amanus.

Non sint similes Pantheræ, quam scribit Solinus hominis imaginem abominari, oblatamque discerpere, avidè verò ejus sordibus vesci. Multi, pro dolor! cum probonum virorum honesta consilia refugiant flagitiosorum amicorum putidis sententiis adhærescunt, & eorum sordibus inquinantur, quasi delicias forent. Imitentur potius Principes Lacedæmoniorum moratam & optimè institutam Rempublicam, de quâ hæc memorat lib. 18 cap. 3 Agellius ex Æschine. *Populus*, inquit, *Lacedæmonius de summâ Reipub. suâ, quidnam esset utile & honestum, deliberabat. Tum exsurgit sententiæ dicendæ gratiâ homo quispiam, turpitudine pristinæ vitæ defamatissimus, sed lingua tunc atque facundia nimium quanto præstabilis: consilium quod dabat, quodque oportere fieri suadebat acceptum ab universis, & complacitum est, futurumque erat ex ejus sententia populi decretum. Ibi unus ex illo principum ordine, quos Lacedæmonii ætatis, dignitatisque majestate tanquam arbitros & magistros disciplinæ publicæ verebantur, commoto, iratoque animo exilit. Es quænam, inquit,*

43. Qui improbis adhærent consiliariis similes Pantheræ vescentis humanis sordibus.

44. Probum consilium detrectans consiliarii improbi turpitudine.

quit, Lacedæmonii, ratio, aut quæ tandem spes erit urbem hanc, & hanc Rempub. salvam inexpugnabilemque esse diutius posse, si hujusce modi anteactæ vitæ hominibus consiliariis utemur? Quod si proba ista hæc & honesta sententia est, quæso vos, non finamus eandem deboneſtari turpissimis auctoris contagione. Atque ubi hoc dixit, elegit virum fortitudine atque justitiâ præter alios præstantem, sed inopi linguâ atque infecundum, jussitque tum consensu petitoque omnium eandem illam sententiam diserti viri cujusmodi posset, verbis dicere, ut nulla prioris mentione habitâ, scitum atque decretum populi ex ejus unius nomine fieret, quod ipsum denuo dixerat. Atque ita ut suaserat prudentissimus senex, factum est. Sic bona sententia mansit, turpis auctor mutatus est.

45. In nullis Principum remo ferè verum dicit, adulantur omnes.

Audiant & Senecæ judicium lib. 6 de Beneficiis, cap. 30. *Monstrabo tibi*, inquit, *cujus rei inopiâ laborent magna fastigia, quid omnia possidentibus desit, scilicet ille, qui verum dicat. Non vides, quemadmodum illos in præceps agat extincta libertas, & fides in obsequium servile submissa, dum nemo ex animi sui sententiâ suadet, dissuadetque, sed adulandi certa non est, & unum amicorum officium, una contentio, quis blandissimè fallat?*

46. Constantinus veritati aures dabat, omni exclusâ adulatione.

Sequantur Constantini Magni exemplum, cujus extat tale decretum in Codice Theodosiano lib. 9. tit. primo de Accusat. *Si quis est, cujuscunque loci, ordinis, dignitatis, qui se in quemcunque Judicum, Comitum, amicorum vel Palatinorum meorum aliquid veraciter & manifestè probare posse confidit, quod non integrè, neque justè gessisse videatur, intrepidus & securus accedat, interpellet me, ipse audiam omnia, ipse cognoscam: & si fuerit comprobatum, ipse me vindicabo. Dicat securus, & bene sibi conscius dicat. Si probaverit, ut dixi, ipse me vindicabo de eo, qui me usque ad hoc tempus simulatâ integritate deceperit: illum autem, qui hoc prodiderit, & comprobaverit, & dignitatibus & rebus augebo. Ita mihi summa divinitas semper sit propitia, & me incolumem præstet, ut cupio, felicissimâ florente Repub. Publicatum 15 Calend. Octobris, Nicomediæ, Paulino & Juliano Coss.*

47. Pœna Regum est cum Deus permittit eis consiliarios improbos.

Divinum numen summi beneficii loco tribuit regibus bonos & fideles consiliarios, quod si tales non concedit, sed permittit adulteros, improbos, & flagitiosos, signum est eumdem principibus esse infensum. Sic divinus vates Isaias loquitur cap. 19, vers. 14. *Dominus*, inquit, *miscuit in medio ejus spiritum vertiginis, & errare fecerunt Ægyptum in omni opere suo sicut errat ebrius*, ubi Septuaginta habent, spiritum seductionis, alii ex Hebræo reddunt, spiritū perversitatū: quo videlicet in agendis rebus instar ebriorū oberrent.

Sed quia de necessitate consiliariorum, & quales illi à regibus adhibendi sint, copiosè disserui suprà cap. primo circa versum 13 & sequentes Animadversione secundâ & tertiâ, eò Lectorem meum ablego.

Post edictum Artaxerxis subjicit S. Hieron.

Hucusque exemplar: Et,

Quæ sequuntur, post eum locum scripta reperi, ubi legitur:

Pergensque Mardochæus, fecit omnia, quæ mandaverat ei Esther.

Sunt autem in nostro textu verba ultima capitis quarti vers. 17: ubi nos habemus: *Ivit itaque Mardochæus, & fecit omnia, quæ ei Esther præceperat*: Vbi habent Septuaginta: *Et pergens Mardochæus fecit, quæcumque mandaverat ei Esther.*

Postea rursus S. Hieron. subdit: Nec tamen habentur in Hebræo, & apud nullum penitus feruntur interpretem.

Porrò sequens deprecatio Mardochæi ponitur à Septuaginta in ipso cap. 4, & à Iosepho Gorionide lib. 2, cap. 2, & 3.

Quod autem dicit Sanct. Hieronym. apud nullum penitus ferri Interpretem, accipiendum de Aquila, Symmacho & aliis; non autem de Septuaginta, in quorum editione vulgatâ se hæc reperisse suprà præfatus fuerat c. 10. Nihil ergo aliud hîc dicit, nisi quod initio hujus capitis 13 dixerat aliis verbis; se in solâ editione vulgatâ reperisse, quæ sumpta erat ex Septuaginta Seniorum translatione.

VERSVS VIII, IX, X, & XI.

Mardochæus autem deprecatus est Dominum, memor omnium operum ejus,

Et dixit: Domine, Domine, rex omnipotens; in ditione enim tua cuncta sunt posita, & non est qui possit tuæ resistere voluntati, si decreveris salvare Israel.

Tu fecisti cœlum & terram, & quidquid cœli ambitu continetur.

Dominus omnium es, nec est qui resistat majestati tuæ.

Græcè: Et deprecatus est Dominum, memor omnium operum Domini; & dixit. Domine, Domine, rex omnipotens; quia in potestate tua universum, hoc est (omnia sunt) & non est qui resistat tibi, cum volueris tu salvare Israel. Quia tu fecisti cœlum & terram, & omne mirabile in sub cœlo. Et dominus es omnium, & non est, qui resistat (ἀντιβῆναί σοι) tibi Domino.

» Notet hîc Lector Iosephum historicâ licentiâ Orationem hanc Mardochæi, ut » & sequentem Estheræ cap. 14 in pauca » contraxisse, & sensum solum expressisse. » solent enim historiographi nunc orationes eorum, quorum gesta describunt, in » angustum verbis nervosis cogere, nunc » verò longo ambitu & lacinioso sermone » extendere. »

Sic itaque Iosephus: Mardochæus quoque supplex Deum precatus est, ne populum suum deleri permitteret, sed quemadmodum antea sæpe saluti eorum prospexisset, & indulsisset peccatorum veniam, tum quoque eos à denuntiato liberaret periculo. Non enim suâ culpâ se venisse in discrimen infamis supplicii, sed ideo sævire Amanem irâ percitum quod soli Deo debitum adorationis honorem a se non tulerit, & propter divinarum legum reverentiam integrè servatam, universo generi moliri perniciem.

COMMENTARIVS.

48. Est hæc Mardochæi Oratio Canonica.

HAnc obsecrationem Mardochæi Canonicam esse, suprà firmavimus in nostris prælocutis etiam ex eo quod illam Ecclesia usurpet in divino officio, & eamdem producat S. Alexander Papa & Martyr in epistolâ ad Orthodoxos. *Si*, inquit, *Trinitas non est, cur Mardochæus orando, Domine, Domine Deus omnipotens, omnia in potestate tua sunt, dixit? Si unitas non est, quare in tuâ, posuit, & non in vestrâ, significavit?*

S. quoque Epiphanius hæresi 70, huc respexisse videtur, cum ita scribit. Οὐ γάρ τις ἀντίκειται αὐτῷ τῷ βουλήματι. *Non enim aliquis opponit se ipsius voluntati.* Verba quidem diversa sunt, quia tamen eamdem sententiam conficiunt, videtur Sanctus Pater hanc etiam Orationem Mardochæi pro authentica habuisse.

Mardochæus, ut vidimus cap. quarto, cum Estheræ mentem cognovisset, quæ ei dixerat vers. 16. *Vade & congrega omnes Iudæos, quos in Susan repereris, & orate pro me*, &c. ivit & fecit omnia quæ ei Esther præceperat, & Deum cum magnâ fiducia deprecatus est, quam acuit, ut hîc insinuatur, in memoriam revocans omnia ejus opera, maximè verò, quibus in manu forti & brachio extento populum suum Israeliticum liberavit ab extremis sæpe periculis.

Ponitur autem ejus oratio seu formula orandi speciatim, ut & Estheræ, quia uterque in populo suo agmen ducebant, & exemplo præire debebant. Constat autem & plebem Israeliticam eâdem mente Domino obsecrationes obtulisse, ut infrà hîc dicitur v. ultimo.

Cæterum dubium non est hanc orandi formulam ad impetrandum efficacissimam, & ad clementiam Dei obtinendam aptissimam, Mardochæo inspiratam à Spiritu Sancto, qui solet tales affectus suggerere orantibus, quos ipse exaudire decrevit. Ad Roman. 8, vers. 26: *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram: nam quid oremus, sicut oportet, nescimus: sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.*

49. Spiritus Sanctus tamquam Advocatus, & Referendarius Sanctorum preces & desideria Deo exponit.

Et vers. 27: *Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret Spiritus: quia secundum Deum postulat pro sanctis.* Vbi significat Apostolus Spiritum Sanctum in nobis excitare gemitus preces & desideria, quæ ipse exaudiat & Sanctissimæ Trinitati proponat tamquam Præfectus libellorum supplicum & Referendarius; sicut Iurisperiti dicunt advocatos apud Iudicem postulare, id est, desideria & postulationes aliorum exponere.

50. Oratio Mardochæi exemplar propositū Deum orantibus.

Iuvat verò hîc notasse quæ circa Orationem hanc Mardochæi observat Salianus tomo 5, anno mundi 3601. n. 17, quæ exemplar nobis esse possit aliquid à Deo flagitantibus.

Vide, inquit, ut divinam potentiam exaltet, cui nemo possit obsistere: sapientiam, quæ intima corda, intentionesque pervideat: tum statum causæ suæ, cum magnâ animi demissione exponat: quâ Deo non minus placet, quam zelo illo suo erga divinum honorem nulli communicabilem, quem præ se fert. Inde ad petitionem opis delabitur, quam implorat, tam Abrahæ meritis, quam antiquâ electione populi hujus, & commemoratione pristinorum beneficiorum. Postremo & gratitudinis pollicitatione, *ut viventes*, inquit, *laudemus nomen tuum, Domine, & ne claudas ora te canentium.* q. d. tua etiam interest, ut opem nobis feras: Nam soli sunt toto orbe terrarum Iudæi, qui te colant: si eos perire patiaris, omnium etiam ora te canentium clauseris. Et cum solus omnium laudari & celebrari ab omnibus gentibus, quarum conditor es, debeas, solus omnium taceberis, & ignoraberis, & solus hostis tuus dæmon coletur ab omnibus, solus laudabitur, solus adorabitur. *Et quid facies magno nomini tuo?* Ita Salianus egregiè.

Sed jam ad singula descendamus.

51. Repetitio verborum in Oratione devotionē auget, unde vana hîc non est.

Domine, Domine, &c. Non est censenda hæc Anaphora & ejusdem dictionis repetitio vana, vel arguenda ζωπλογίας, vel βαττολογίας; non magis quam ingeminatio quorumdam hemistichiorum in Psalmis Davidicis, vel in Oratione Christi cum in horto Gethsemaneo iteraret, Abba, Pater; vel eumdem sermonem tertiò ad Patrem resumeret. Emphaticâ enim illâ inculcatione mentis attentio, fervorque ardentis desiderii continuatur, confirmatur, augetur, inflammatur, ut lib. 1 de Horis Canonicis cap. 28, diximus.

Rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita; &c.

52. Ecclesia initio Orationum suarum Dei commemorat beneficia, &c.

Nota hîc viros sanctos in suis ad Deum postulationibus, quos passim in suis Orationibus sive collectis sequitur Ecclesia, initio Deo proponere suam omnipotentiam, sapientiam, justitiam vel misericordiam vel aliquod ejus attributum. Rursus breviter commemorare ejus miranda opera, vel beneficia in genus humanum collata, ut creationis, gubernationis, redemptionis, & hujusmodi, ut observavi suprà: hoc enim modo & mens nostra in superna evehitur, & Dei clementia ad nobis subveniendum provocatur. S. Ambr. De Institutione Virgin. cap. 2. *Bona oratio*, inquit, *quæ ordinem servat, ut primum à divinis inchoemus laudibus. Si enim, cum apud hominem agimus, benevolum volumus* judicem *facere, quanto magis cum Dominum nostrum precamur?*

Potest autem hæc pars orationis dici obsecratio; de quâ Apostolus prioris ad Timoth. 2, vers. 1, quia Deum per res sacratissimas obtestatur.

Mardochæus autem videtur hîc Dei inducere omnipotentiam, universale dominium, & cui nemo se opponat, Numen, ut significet Deo pronum & facile esse concedere, quod postulat, liberationem nempe ab infestissimo hoste Amano, qui extremam perniciem genti Iudæorum moliebatur. *Si enim Deus pro nobis, quis contra nos? In ditione enim tua cuncta sunt posita.*

Græcè in potestate, ἐξουσίᾳ, tuâ universum hoc est, ἐπὶ σὸ πᾶν. Tu mundi Dominus es.

Et non est qui possit tuæ resistere voluntati; Græcè, qui à te dissentiat, ἀνυπεύθυνον σοι: Loquitur autem de efficace & absolutâ Dei voluntate, quæ omnipotens & inflexibilis est; de qua dicitur Isaiæ 36, vers. 10: *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.*

Quid-

Quidquid cœli ambitu continetur. Græcè quidquid admirabile est, vel suspiciendum in terrâ istâ, quæ sub cœlo. q. d. quidquid in hac terrâ nostrâ videmus & videndo suspicimus: nam quæ supra cœlos sunt, non attingimus.

Locus hic erat agendi de Omnipotentiâ Dei & universali ejus dominio, sed visum est hæc Scholasticis relinquere. Interim, si lector etiam istorum desiderio tenetur, adeat Leonardum Lessium, qui solidè & piè hæc prosequitur lib. de perfectionibus divinis 5 & 10.

Excursus Moralis.

Virtus orationis amaro animo, & spiritu contribulato effusæ.

53. Mardochæus significat amarum animi dolorem, ex quo ejus prodiit oratio.

DEprecatio Mardochæi fuit juxta nomen ejus, conformis scilicet ejusdem notioni. Hebræum vocabulum, ut ante dicere memini, designat amaram contritionem: quam describit sacer historicus in exordio Capitis quarti, his verbis: *Quæ cum audivisset Mardochæus, scidit vestimenta sua, & indutus est sacco, spargens cinerem capiti: & in platea mediæ civitatis voce magna clamabat, ostendens amaritudinem animi sui, & hæc ejulatu usque ad fores palatii gradiens.*

Ex hac animi amaritudine profecta est hæc oratio & ad thronum summi cœlorum Regis penetravit: unde & digna fuit, cui benignè mente annueret.

Siquidem fixum stat divinum oraculum Psalmo 50. ℣. 19. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non despicies.*

Venerabilis illa Samuelis mater Anna huic veritati testimonium dabit, Primi Regum primo vers. 10. *Cum esset Anna amaro animo, oravit ad Dominum, flens largiter, &c.* Orationis hujus fructus fuit Magnus ille Samuel; hæc oratio Deum illi propitium reddebat.

54. Orat Anna amaro animo, & impetrat Samuelem.

Audiamus Chrysost. edissérentem illa Psalmi 11, vers. 6. *Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus. Magna,* ait, *est vis ejulatus, quæ supernum evocat auxilium. Timete quicumque pauperes injuriâ afficitis, habetis potentiam, opes & pecuniam, & judicum benevolentiam* (ut Amanus habebat) *sed habent illi arma omnium validissima: luctus & ejulatus: & illud ipsum injuria affici:* (in Mardochæum quadrant) *quæ è cœlis auxilium astrahunt. Hæc arma domos effodiunt: hæc fundamenta evertunt: hæc integras gentes submergunt. Bonum eorum animum Deus veretur; quando mala patientes nullum malum verbum proferunt, solum autem gemunt, & sua mala deplorant.* Hactenus Chrysost.

55. Vis hujus Orationis à S. Chrysost. describitur.

Totum sacrorum codicum tabularium eidem argumento fidem facit. Profero tabellas.

56. Talis fuit Oratio Tobiæ & Saræ.

Tobiæ tertio lege versu primo. *Tunc Tobias ingemuit & cœpit orare cum lacrymis,* &c.

Rursus ibidem vers. 11. *Sara audito impropetio ab ancilla, in oratione persistens cum lacrymis deprecabatur Deum:*

Effectum utriusque orationis, & amplissimum præmium clausula illius capitis continet vers. 24 & 25: *In illo tempore exaudita sunt preces amborum in conspectu gloriæ summi Dei: & missus est Angelus Domini sanctus Raphael, ut curaret eos ambos, quorum uno tempore sunt orationes in conspectu Domini recitatæ.*

57. Christus cum lacrymis preces offerens Patri, est exauditus.

Sed quid opus sanctorum texere catalogum, qui cum preces gementes fudissent, salutem optatam ex iis retulerunt, cum de Sancto Sanctorum testetur Apostolus ad Hebr. 5, 7. *Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad eum, qui posset illum salvum facere a morte, cum clamore valido & lacrymis offerens exauditus est pro suâ reverentia?*

Ecclesiastici 21, ℣. 6. *Deprecatio pauperis* (sive afflicti) *ex ore usque ad aures ejus* (Dei) *perveniet, & judicium* (vindicta) *festinatio adveniet illi.*

Psalmo 9 pluribus versibus, ut 5, 10, 13, 19, & in fine ultimis versibus.

Desiderium pauperum exaudivit Dominus, præparationem cordis eorum audivit auris tua:

Judicare pupillo & humili, &c. (ad judicandum pro humili & afflicto.)

Rursus Ecclesiastici 35 ℣. 17. & sequent. *Non despiciet preces pupilli, nec viduam; si effundat loquelam gemitus. Nonne lacrymæ viduæ ad maxillâ descendunt, & exclamatio ejus super deducentem eas?*

A maxillâ enim ascendunt usque ad cœlum, & Dominus exaudiet non delectabitur in illis.

Vide ibi Commentar. nostrum.

Qui expositi sunt & obvii fraudibus, & violentiæ inimicorum suorum crudelium, & omni humano præsidio destituti, ut Mardochæus, Anna, Tobias, Sara, & hujusmodi mille, calamitatibus oppressi armis carent, quibus hostibus & ingruentibus malis resistant; solum illis in promptu sunt lacrymæ, suspiria, ejulatus, preces, saccus, cinis, geniculatio, & hujusmodi doloris schemata & argumenta; Ipsorum vox resonat in ore Azariæ Daniel. 3, ℣. 39: *In animo contrito, & spiritu humilitatis suscipiamur.*

58. Afflicti arma non habent quibus se defendant, nisi lacrymas, gemitus, &c.

Hæc ipsorum panoplia, quâ depugnant cum adversariis & Antagonistis, Deo spectatore, adjutore, summo Agonotheta, qui certantes animat & coronat.

Significavit hoc nobis Apostolus ad Roman. 15, ℣. 30. *Obsecro ergo,* inquit, *vos fratres, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum:* q. d. concertate mecum, & estote commilitones armati armaturâ spirituali Dei, id est, Orationibus. Græcè est: *συναγωνίσασθαί μοι*, id est, ut concertetis mecum in agone.

59. Oratio panoplia fortissima, contra omnia adversitatū jacula.

Origenes in illum locum: *Dixit Apostolus,* inquit, *ἀγωνιζόμενος, ostendens quasi agonem haberet, certamenque Orationis, cum sibi adversantibus, sine dubio illis, de quibus dicebat alibi: Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus principes & potestates.* Sic ille: benè quidem.

Quis enim nescit *Orationes* esse *potentissima arma contra Stygium prædonem,* ut loquitur Chrysostom. in Psalm. 140, & *bonum scutum,* quo *omnia adversarii ignita spicula repellimus,* ut Ambros. Oratione de obitu Valentiniani; item κοινὸν φυλακτήριον, *communem custodiam & arcem,* ut Nyssenus in vitâ S. Gregorii Thaumaturgi? Apostolus tamen suprà, si sequimur Chrysostom. non loquitur de certamine cum Tartareis tenebrionibus, sed de gravi luctâ & agone qui illi imminebat Ierosolymis, Actor 21, vers. 27, in quo captus fuit à suis Iudæis, contra quos ipse precibus certabat, & Romanorū etiam auxiliatrices orationes implorabat.

60. Preces gementiũ vincula ignea, quibus uruntur dæmones, aureæque catenæ quibus Deus ligatur.

Dixerim meritò calidas calamitoſorum & gementium miſtas lacrymis preces nedum hominibus adverſantibus ignea eſſe vincula, ſed etiam dæmonibus quibus illi uſtulentur. Sic enim ſcribit S. Macarius homil. 43: *Si fuerint dæmones fortes, robore montibus haud diſſimiles, ab oratione comburuntur, veluti cera ab igne.* Interim aureæ eædem ſunt catenæ, quibus Rex omnipotens, exercituum Dominus vincitur, & vincitur in canalibus lacrymarum.

Vide, ſi lubet Canticor. 7, verſ. 5, Septuaginta legunt, *Rex ligatus in canalibus*, ubi nos, *purpura Regis vincta canalibus.*

VERSVS XII, XIII, & XIV.

Cuncta noſti, & ſcis, quia non pro ſuperbiâ, & contumeliâ, & aliqua gloriæ cupiditate feceram hoc, ut non adorarẽ Aman ſuperbiſſimum.
(Libenter enim pro ſalute Iſrael etiam veſtigia pedum ejus deoſculari paratus eſſem)
Sed timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, & ne quemquam adorarem excepto Deo meo.

Græcè: Tu omnia noſti, tu ſcis Domine, quia non in contumeliâ, neque in ſuperbiâ, neque in gloriæ cupiditate feci hoc, ut non adorarem ſuperbum Aman, quia placitum mihi eſſet deoſculari veſtigia pedum ejus ad ſalutem Iſrael: ſed feci hoc, ut non ponam gloriam hominis ſuper gloriam Dei, & non adorem quemquam præter te, Domine, & non faciam hoc in ſuperbiâ.

COMMENTARIVS.

PErgit Mardochæus commendare Dei ſapientiam, cui cogitata, dicta, factaque omnia perſpecta ſint, quem nullum ſecretum lateat: quo poſito ſuæ cauſæ patrocinatur. Poterat enim non nemo Iudæorum objectare illi publicam calamitatem, cujus auctor fuiſſet, dum quadam commotus pertinaciâ & faſtu elatus obſequium leve, ab omnibus impendi ſolitum detrectat, illum fuiſſe unguem in ulcere, crabronem excitaſſe, & Amani in totam Hebræorum gentem implacabile odium proritaſſe. Hanc opinionem à ſe removet & amolitur Mardochæus, cum Deum omniſcium in teſtem vocat, ſe non detrectaſſe Amano id honoris genus exhibere, ex animi tumore, contumeliâ, arrogantiâ, quaſi dignior illo eſſet, utpote Reginæ patruus, ſed ductum zelo gloriæ Dei, qui dicit: *gloriam meam alteri non dabo*, &, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies*: ni hoc obſtaret, paratiſſimum ſe eſſe, ſi ſalus populi id exigeret, infimum officium Amano præſtare, oſculari ſcilicet illius veſtigia, calceos lambere, & eorum ſolum ore baſiare. Quâ animi demiſſione, non minus quam ardentiſſimo erga Dei cultum amore, orationem ſuam acceptam reddit Deo quam maximè.

Ceterum Perſarum reges divinos honores à ſuis exegiſſe & Amanum eoſdem à Mardochæo popoſciſſe, ſuprà explicatum eſt c. 3, in verſum primum & ſecundum quæſtione primâ & tertiâ, quæ non decrevi hîc repetere. Quid enim exploratius illis verbis Mardochæi? *Timui ne honorem Dei mei* (ſoli Deo debitum, latriæ) *transferrem ad hominem*; vel, ut Græcè eſt, feci hoc, id eſt, recuſavi genu flectere Aman, ut non præponerem gloriam hominis gloriæ & honori Deo debito, & pluris penderem favorem hominis, quam gratiam & amicitiam divinam.

Solum hîc ſuperſunt examinanda verba Mardochæi ℣. 13, *Libenter pro ſalute Iſrael etiam veſtigia pedum ejus deoſculari paratus eſſem*; vel, ut Græcè eſt, complacitum mihi erat deoſculari πλάματα, id eſt, plantas pedum ejus.

61. Quid ſit oſculari veſtigia pedum.

Mira in primis hîc elucet Mardochæi humilitas, qua ſe demittit ad viliſſimum, abjectiſſimũ, ſordidiſſimum, planeque ſervile miniſterium, quale eſt oſculari veſtigia pedum, & lambere terram ab Amano calcatam, ſi populi ſalus id poſtulaſſet. Hanc modeſtiam Ioſephus Gorionides ſic expreſſit. *Fuiſſem paratus lingere calceum qui in ejus pedibus, & pulverem quem ipſe calcaſſet.* Eumdem demiſſionis modum oſtendit Iſaias cap. 49. ℣. 23. *Vultu in terram demiſſo adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent*: & Pſalmodus facet Pſalmo 71, verſ. 9. *Coram illo procident Æthiopes, & inimici ejus terram lingent.* Threnor. 3, ℣. 29: *Ponet in pulvere os ſuum, ſi forte ſit ſpes.*

61. Proprium hoc erat & uſitatum Perſis.

Et certè hoc proſtrationis obſequium, quo ſe ad terram uſque abjicerent, uſitatum fuiſſe apud Perſas, cum regem ſalutatum admitterentur, fuſe oſtendi ſuprà cap. 3, verſ. 2, quæſtione primâ & ſecundâ. Ita enim ſe proſternebant, ut fronte humum pene contingerent, meato terram tererent, ſolo oſcula imprimerent, veſtigia pedum regiorum lamberent, teſte Xenophonte lib. 8, Pædias & aliis.

Verum quia Græcum πλάμα, quod hîc habetur, ſignificat imam pedis partem, ſive plantam tam in hominibus quam in animantibus; ut copioſè hîc Mariana demonſtrat ex Græcis Lexicographis, ideo veriſimile eſt ſupplices olim non ſolum calceis, aut ſuperiori pedum parti oſculum impreſſiſſe, ſed etiam imæ, id eſt plantis, & ſoleæ calceorum, quæ pulverem colligit, terram calcat, & cœno collutulatur; & ad hoc Mardochæum præſtandum ſe promptum exhibuiſſe.

62. Mos Perſarum erat etiam ſolã vel partem inferiorem calcei deoſculari.

Hæc ima pedum pars dicitur Latinè ſolum quaſi ſolidum licet generatim ut norunt linguæ Romanæ periti, ſolum vocetur quidquid alicui rei ſubſternitur quaſi fundamentum. Sic aër vocatur avium ſolum, & navium ſolum, maris ſumma ſuperficies: ſed propriè ſolum nominatur ipſa calcei ſolea vel pedis planta & callum. Sic canit Lucretius lib. 4.

63. Quid propriè ſolum?

Avia Pieridum peragro loca, nullius ante
Trita ſolo.

Mar-

63. Est ipsa calcei solea vel pedis ima pars.

Martialis lib. 9 Epigrammat. 55 in Sutorem, vel cerdonem potius, id est veteramentarium sutorem.

Dentibus antiquas solitus producere pelles,
Et mordere luto putre, vetusque solum, id est, soleã.

Sic apud Ciceronem Tusculanâ 5 loquitur, Scytha Philosophus Anacharsis. *Mihi amictus est Scythicum tegmen, calceamentum solorum* (plantarum) *callum, cubile terra.*

Imitatus est S. Ambros. Sermone 74: *Ignota ante Christum erat via vitæ, quæ nullius adhuc resurgentis fuerat temerata vestigio: at ubi Dominus resurrexit, nota facta, solo attrita est plurimorum.*

Quod verò quidam hunc morem osculum figendi plantis aut calceorum soleis probant ex usu, qui erat apud Parthos, & ad Persas pertinent, quemque exprimit Martialis lib. 10 Epigramm. 62, his versibus:

63. Quid sit soli Regum basiare apud Martialem.

Frustra blanditiæ venitis ad me
Attritis miserabiles labellis:
Ad Parthos procul ite pileatos,
Et turpes, humilesque, supplicesque,
Pictorum sola basiate Regum:

Dubium est: Licet enim πέλματα sola significare possit soleas calceorum vel plantas, & ex parte totum, ipsos calceos & pedes tamen etiam designat ipsum aulæ pavimentum, quod vilia illa Parthorum mancipia & aulici impressis prope labris atterebant, dum Regem adorarent, ut alibi diximus; Hanc sententiam de solorum sive solearum basiatione vel maximè illud confirmat, quod hic Græcè sit, πέλματα, plantas vel soleas, non ἴχνια, id est, vestigia.

64. Vestigium Latinè etiam significat imam pedis vel calcei partem.

Nec huic obstat quod in Latino sit, *vestigia*, quæ sunt notæ pedis in terrâ relictæ: quia interdum vestigium etiam significat imum pedem vel solum pedis aut etiam soleam. Sic enim ait Cicero Academicâ 4 *adversis vestigiis contra nostra stare Antipodas*; & *Virgil. Æneidos* 5

Quem Thracius albis
Portat equus bicolor maculis: vestigia primi
Alba pedes, frontemque ostentans arduus albam.

Sic Plinius lib. 28 c. 20 accipit pro ipsius equi ferreâ soleâ. *Vestigium*, inquit, *equi excussum ungulâ, ut solet plerumque, si quis colligatum reponat, singultus remedium esse recordantibus, &c.*

Et profecto facilis est transitus ab uno ad alterum significatum. Sic Latinè sigillum dicitur & nota impressa, & instrumentum, quod illud imprimit. Idem dic de vestigio.

Adde his Mardochæum vix potuisse dissuaviari vestigia vel signa relicta in terrâ ipsius Amani, cum, ut alibi dixi, palatini non modo præcipui, sed etiam inferiores numquam fere pedibus incederent, sed semper vel equo vel rhedâ veherentur.

Vtrolibet itaque modo accipias vestigium sive pro signo pedum impresso, sive pro plantâ & soleâ, satis his verbis proditur rara & præclara Mardochæi modestia.

Excvrsvs Primvs;

Ritus deosculandi pedes aut vestigia virorum sanctitatis famâ celebrium, sacerdotum, maximè verò Romanorum Pontificum.

RItus apprehendendi vel tenendi pedes virorum virtute singulari præditorum, vel sacerdotum usurpatus fuit omni ævo.

65. Apprehendit pedes Elisei Sunamitis.

Sunamitis religiosa femina, 4 Regum 4 ℣. 27 Elisei prophetæ pedes apprehendit; non dubium quin more usitato ut venerationis osculum illis imprimeret. Notum est peccatricis mulieris pium officium osculantis pedes Iesu Luc. 7 ℣. 38; quæ ita erat assueta ejus pedibus dissuaviandis, ut etiam ab illo familiari servitio post ejusdem Resurrectionem arceri debuerit, Ioan. 20 ℣. 17 verbis illis. *Noli me tangere*; licet Matth. 28 id mulieribus permiserit, ℣. 9. *Accesserunt*, inquit Euangelista, *et tenuerunt pedes ejus.* Frequentarunt etiam hunc morem veteres Ethnici, ut de Persis & Parthis dictum, qui Regum pedes basiabant. Apud Romanos priscos consuetudo non fuit pedibus osculum infigendi, sed, ut auctor est Plutarchus in Catone Vticensi patrii moris fuit victrices dexteras Imperatorum ob fortia facinora deosculari: prodit tamen de Maximino (Iuniore, filio) Iulius Capitolinus, illum fuisse in salutationibus sibi pedes osculari. Legitur etiam, inquit Alexander Neapolitanus lib. 2 Genial. c. 19 Iulius Cæsar Pompejo Pœno agenti gratias pedem cum fiocculo aurato osculandum dedisse.

67. Item mulier peccatrix & aliæ pedes Christi.

66. Romani prisci Imperatorum dexteras osculabantur.

67. Permiserunt tamen aliqui se adorari, sibi pedes osculari, ut Maximinus, Iulius Cæsar, Diocletianus, alii.

De Valerio Diocletiano hæc refert Sept. Aurelius Victor de Cæsaribus: *Primus ex auro veste quæsitâ, serici ac purpuræ, gemmarumque vim planius concupivit. Quæ quamquam plus quam servilia, inimidique & affluentis animi: levia tamen præ ceteris: Namque se primus omnium Caligulam pedi, Domitianumque dominum palàm dici passus, & adorari se, appellarique uti Deum. Quis rebus, quantum ingenium est, compertum habeo, humillimos quosque maximè ubi alta accesserunt, superbiâ atque ambitione immodicos esse.* Hactenus Victor.

Non videtur autem dubitandum, quin Diocletianus (idem dic de aliis Imperatoribus, qui ut Deos coli se voluerunt) ad pedum osculum populum admiserit; unde ut óscula fierent & basia pretiosiora, calceis & soccis gemmas & uniones inseruit.

68. Osculum adorationis ritus, & symbolum.

Nemo verò profanarum vel sacrarum historiarum scius ignorare potest communissimum & antiquissimum adorationis ritum fuisse osculum, unde etiam adoratio apud Græcos & Latinos nomen invenit.

Certè maximi honoris simul & amoris symbolum osculum est, quo anima ex corpore quasi egressa se totam effundit ad rem quampiam colendam. Sic olim profani suorum Numinum effigies dissuaviabantur; & modo quoque Cælitum statuas vel icones pio osculo veneramur, nunc os imprimendo ipsorum ori, nunc manibus, nunc pedibus, ut frequentia osculorum & labellorum attritu illæ partes attenuatæ conspiciantur. Quod si præ reverentia non auderent vel procul dissiti effigies ipsas non possent attingere, manum ad os referebant, eamque osculabantur, quod honestissimum adorationis genus habebatur: de quo ritu vide Plin. lib. 28 c. 2. Sed hæc forte περίεργως dicta.

69. Christiani prisci osculabantur pedes sacerdotum, quos imitatus Sophista Ecbolius.

Ceterum veteri more consuevisse Christianos reverentiæ causâ sanctorum pedes osculo venerari, notissimum. Tertullian. certè libro de Pudicitiâ ait pœnitentes prostratos solitos fuisse lambere omnium, qui adstarent, vestigia; similiter & sacerdotum certo certius, & ipsius Pontificis, inquit Baronius tomo 2 ad annum Chri-

sti 216. n. 16. Ecebolius sophista homo vaferrimus, speculum nostri ævi politicorum cum Iuliani desertoris tempore ad simulacrorum cultum redisset, Ioviano Catholico ad Imperii insulas provecto, quasi pœnitens se pro foribus Ecclesiæ ad Christianorum pedes abjecit, meliorum spe veniam ab illis impetraturus. Ita Socrates lib. 3 histor. Eccles. cap. 11.

Idem Baronius anno Christi 294 refert Claudium affinem Principis Diocletiani Christianum factum Gabinii sacerdotis pedes osculatum fuisse. Addit & Maximum Diocletiani consanguineum adhuc Ethnicum pedibus Caij Pontificis osculum dedisse. Chrysostom. homil. 89 ad populum, ad osculum pedibus sanctorum Monachorum infigendum populum invitat his verbis. *Abi ad eos, hospitare, accede, sanctos tange pedes: multo namque honestius est illorum pedes tangere, quam alterum caput. Dic enim mihi, si quidam statuarum pedes apprehendunt, quoniam regiam tantum habent figuram, tu ipsum in se habentem Christum non pedibus tenebis? Sancti sunt pedes, licet vules sint. inquinatorum vero neque caput venerandum est: Sanctorum namque pedes magna potuerunt, &c.*

71. Episcoporum pedes olim populus osculabatur quod prædixit Isaias.

S. Hieronym. epistolâ adversus errores Ioannis Icrosolymitani testatur consuevisse plebem Episcopis occurrere, ac se prosternere ad eorum exosculandos pedes.

Mihi pro explorato est Entheum illum vatem Isaiam 49,23 hunc honorem deferendum Ecclesiæ, id est, ejus præsulibus, præcipuè verò Romano Pontifici, conspicuo Christi vicario, prædixisse, illis verbis: *Et erunt reges nutritii tui, & reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demisso adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent*; terram scilicet, cui vestigia impresseris vel calcaris. idque subjectionis & venerationis gratiâ. Legat, qui volet, vitas Sanctorum, Antonii de Paduâ, S. Hedwigis Poloniæ ducissæ, S. Catharinæ Senensis, ubi exempla inveniet hujus moris pedes monachorum, & sacerdotum amplectendi, & osculo venerandi. Referre hic juvat quod habet Leo Castrus in locum Isaiæ productum. *In vetustissimo*, aut, *codice Ordinis S. Benedicti reperi olim reges Hispaniæ, cum adirent Episcoporum Synodum, procumbere solites toto corpore ad terram ante ipsos Episcopos, terram osculari, neque prius attollere se humo, quam è suis illi sedibus surgerent, & reges eorum pedibus circumfusos brachiis attollerent, & in sellâ regiâ pro dignitate collocarent.* Annalium Ecclesiasticorum diligens pervestigator, si modo pervoluerit Cardinal. Baronii tomos, vel Spondani abbreviatoris compendium, plures inveniet Imperatores & Reges, qui se ad Christi Domini in terris vicarii pedes abjecerint, & venerationis osculo eosdem exceperint.

71. Reges olim Episcoporum pedes osculabantur.

72. Imperatores summi Pontificis pedes osculo venerati, ut Iustinus, Iustinianus, Carolus Magnus, Ludovicus Pius.

Inter eos occurrit Iustinus Imperator, qui S. Ioanni Pontifici Romano Constantinopolin venienti obviam totius populi stipatus cœtu, processit, & demisso in terram vultu adoravit.

Iustinianus 2 & ipse Augustus Nicææ, vel ut alii, *Nicomediæ* Constantino Papæ *occurrit*, & ad ejus pedes cum osculo abjecit.

Carolus Magnus adhuc Rex postquam Desiderium Longobardorum Regem regno exuisset, Romam veniens, Adriani Pontificis pedes non prius osculatus est, quam osculum dedisset omnibus gradibus atrii, in quo ejusdem Papæ thronus fuerat locatus. Ludovicus Pius ejusdem non degener filius parentis exemplum secutus Stephanum Quintum Pontificem in Gallias excipiens, ad pedes ipsius in primo aditu se ter advolvit, & deinde equo vectum Remos pedes ipse induxit.

Plura occurrunt hujus cultus tam vetera, quam recentia exempla, quæ congessit Thomas Bozius tomo 2 de signis Ecclesiæ, Signo 86, & Silvester petra sancta in Notis suis ad Epistolam Petri Molinæi hæretici ad Balzacum cap. 25.

73. Reges Iaponiæ per suos Legatos submiserunt se pedibus Gregorii 13.

Ævo nostro ex ultimâ Iapone Romam venerunt ad Christi Vicarium, qui tunc erat Gregorius 13 Pontifex vigilantissimus, trium Regum Oratores, qui sedi Apostolicæ obedientiam & reverentiam detulerunt.

Legatus Protasii Regis Arimanorum Epistolam porrexit cui hæc verba subscripta erant. *Sanctitatis vestræ substernitur calceis Dominus Protasius.*

Alter Francisci Bungi Regis Caduceator Epistolam his verbis subscriptam reddidit. *Sanctissimis pedibus Beatitudinis vestræ substratus Franciscus Bungi Rex.*

Tertius Legatus Bartholomæi Principis Orimanorum Epistolam tulit, cujus subscriptione hæc continebantur. *Ego Dominus Bartholomæus sanctis tuis pedibus humi substratus.*

Hæc vidit nostra ætas frendentibus & tabescentibus Neotericis nostris hæreticis. Sed ad alia.

Excvrsvs Alter:

Salutare alexipharmacum sive medicamentum politicum curandis ævi nostri Pseudopoliticis propinatum: Nihil simulatè agere.

TEmperavit hoc illis Mardochæus in Susianâ apothecâ, Magnæ operæ pretium fuerit penitus perdiscere viri

Compositum jus, fasque animi, sanctosque recessus
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto.

Sanâ mente, & integro animo, mavult exaggerati pectoris heros quodlibet malum sibi, totique genti suæ arcessere furorem Amani truculentissimæ belluæ in caput suum, suorumque accendere; fortunarum, honoris, vitæ certissimum discrimen adire, infamique crucis morte damnari, quam vel ad latum unguem justissimam Dei legem prætergredi, & vel tantillum de sanctissimo illius cultu decerpere. Secum statuit, & in hoc proposito mentem obfirmat vel minimam etiam mali speciem vitare, nullumque penitus simplicibus populi sui animis offendiculum præbere. Si è Florentino Machiavelli ludo prodiisset Mardochæus, si cœnoso Lemani lacu labra vel summa prolaisset, si, inquam, putentia Politicorum placita & dogmata hausisset, promptum illi erat, ut favorem Assueri sibi conciliaret, Amani gratiam vel colligeret, vel saltem iram odiumque ejus non provocaret, hypocritam agere, Amano assurgere, genu flectere, in terram coram illo se prosternere, crepidas aut calceos ejus exosculari; denique animo simulato & ficto illum adorare, ut plerique Græci Persarum reges humi corpora abjicientes & annulum se tollere simulantes, venerati sunt, ut suprà retulimus. Cùm etiam

etiam cultus ille, & argumenta, quibus significabatur, adiaphora essent, quibus & verus Deus, & etiam principes ejus vicarii honorabantur, facile fuerat Mardochæo, si πολιτίζειν, & καιζειν politicum agere libuisset, hæc adorationis symbola ad civilem cultum & venerationem restringere, & Deum qui Καρδιογνώστης est, *spiritu & veritate adorare.*

Sed procul à castissimo, integerrimóque corde talis abfuit simulatio, dissimulatioque.

Audi ergo, Politice, pessime Christianorum, mortalium deterrime tanto, quanto ille Iudæorum optimus fuit, Mardochæi audi consilium & argumentationem. Assurrectio, adgenicultatio, corporis prostratio & hujusmodi, quæ à me superbissimus hominum postulat, recusata à me sunt, non quatenus sunt vilia & abjecta servorum obsequia, quæ ego animi tumidi supercilio & fastidio respuerem (Testis enim mihi est Deus, paratum me esse multo etiam humiliora & sordidiora officia Amano præstare, quale est ipsius solum lambere, & vestigia pedum ejus deosculare pro populi mei incolumitate) sed prout illa indicia & signa sunt divini honoris apud Persas (qui principes suos ut Deos colunt) & vulgo hujusmodi existimantur: Nolui ergo Latriæ venerationem soli Deo propriæ, mortali homini deferre, vel detulisse videri magno cum probro summi Numinis, & sanctissimæ illius legis contemptu. Hæc illius fuit ratiocinatio, egregia sane, & cuilibet Christiano amplectenda.

Mardochæi consilium, quo fretus noluit Amanum adorare.

Putásne parem quempiam animi magni heroëm reperiemus, quem senem cum Mardochæo sene, principem cum principe, Iudæum cum Iudæo componamus?

Dabit nobis utique, fecunda talium virorum sacra scriptura, Eleazarum septem juvenum magistrum, Machabæorum, inquam, cujus laudum præcones scriptores habes Hebræos quidem, utrumque Iosephum; Græcos, Ephremum, ni Syrum hinc vocare malis, tomo 2 Paræneseos 25, Nazianzenum Oratione 22; Latinos S. Cyprianum libro de Singularitate Clericorum, & S. Ambrosium libro 2 de Iacob cap. 10.

Sed libet audire sacrum historicum lib. 2 Machabæorum c. 6. *Igitur Eleazarus*, inquit, *unus de primoribus scribarum* (Legis peritissimus) *vir ætate provectus* (tam mente quam mento canus) *& vultu decorus, aperto ore hians compellebatur carnem porcinam manducare* (ore videlicet tridente vel fuscinulâ violenter diducto) *At ille gloriosissimam mortem magis, quâ odibilem vitam complectens, voluntariè præibat ad supplicium.* (Græcè, tympanum; quod autem illud supplicium fuerit, dubium est, verisimile est, eum in catastâ vel equuleo distentum fustibus & baculis iterum, iterumque instar tympani fuisse pulsatum.) *Intuens autem, quemadmodum oporteret accedere, patienter sustinens, destinavit non admittere illicita propter vitæ amorem.*

74. Eleazari sacerdotis magnanimitas & pectus procul à simulatione remotum.

(Vbi estis Politici, genus degener?)

His autem qui astabant, iniquâ misericordiâ commoti, propter antiquam viri amicitiam tollentes eum secreto, rogabant afferri carnes, quibus vesci ei licebat, ut simularetur manducasse, sicut Rex imperaverat, de sacrificiis carnibus: ut, hoc facto, à morte liberaretur: & propter veterem viri amicitiam, hanc in eo faciebant humanitatem.

(Hæc vestra, ô Politici, qui religionem vitæ posthabetis, erat humanitas. Sed quid verè Iudæus, confessor?)

At ille cogitare cœpit ætatis ac senectutis suæ eminentiam dignam, & ingenitæ nobilitatis canitiem, atque a puero optimæ conversationis actus: & secundum sanctæ & a Deo conditæ legis constituta, respondit citò, dicens, præmitti se velle in infernum.

En quibus stimulis generosum pectus, ne politicam larvam assumeret, & vulpinam simulationis sibi assueret, perurgebatur. Decet honestam vitam decorâ morte concludi. Audiamus hîc Ambrosium suprà qui sic loquentem inducit, *Senectus pertæsa esse debet, non naufragium vitæ superioris. Non te negabo, lex patria: non abjurabo vos, sancta instituta majorum: non decolorabo vos, infulæ sacerdotales: non te perfidiæ pulvere turpabo, canities.* Sic ille apud Ambrosium.

Sed pergit oratione suâ Eleazarus. *Non enim ætati nostræ dignum est, fingere ut multi adolescentium arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum: & ipsi propter meam simulationem, & propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur, & per hoc maculam atque execrationem meæ senectuti conquiram.*

75. Vt turpe est senî canos fucare nigro colore, ita simulare in moribus.

Arrigant hic aures inveterati dierum malorum Politici. Noverint nulli ætati minus convenire hypocrisin & fictionem, quam jam provectæ & declivi. Non minus indecens est simulatè agere sêni in moribus, quam canos atro colore fuscare, ut juvenis appareat.

76. Simulatio magnum malum.

O magnum malum Reipub. cum viri ætate graves, auctoritate principes, vitæ ante actæ meritis conspicui, scientiâ & legum peritiâ præclari (qualis erat Eleazarus) aliis junioribus, inexpertis, infirmis, instabili vulgo per simulationem ad flagitium viam aperiunt! Sunt hujusmodi magnates publici fontes & putei, ex quibus cum populus limpidos doctrinæ sanæ, solidæ virtutis, boni exempli latices haurire cuperet, (ô rem indignam!) luto turbidos, vel potius toxico corruptos experitur.

Addit & hoc Eleazarus. *Nam, etsi in præsenti tempore supplicii hominum eripiar, sed manum Omnipotentis nec vivus, nec defunctus effugiam. Quamobrem fortiter vitâ excedendo, senectute quidem dignus apparebo: adolescentibus autem exemplum forte relinquam, si prompto animo, ac fortiter pro gravissimis ac sanctissimis legibus honestâ morte perfungar.* His dictis, confestim ad supplicium trahebatur, &c. Legant hæc Politici, confundantur & dissipentur, *Sicut deficit fumus, deficiant, sicut fluit cera à facie ignis; sic pereant peccatores à facie Dei.* Habuit porrò Dei Ecclesia semper hujusmodi Eleazaros, quorum memoriam servant Ecclesiasticæ tabulæ, Græcorum Menea, & Latinorum Martyrologia. Multos etiâ similes nostro seculo vidit Anglia, quorum Sanderus & alii scriptores persecutionis Anglicanæ, meminerunt: etiam hoc tempore plures spectat novella Iaponiæ Ecclesia, Martyrum sanguine irrigata, ut annuæ fidem faciunt inde missæ litteræ.

Verum enim verò, ut Christi Ecclesia semper habuit suos Mardochæos, Eleazaros, Cæsarios, Hilarios, Basilios, & alios, qui mente solidâ & inconcusso pectore adversus impietatem steterunt, & veram religionem sanguine suo confirmare potius elegerunt, quam falsæ simulationem assumere; ita omni tempore plures Ecebolios

Ver-

Vertumnos, Proteos, Chamæleontes & hujusmodi monstra orbis vidit, qui externâ & fucatâ pietatis specie populum deluserunt, ut honoribus, insulis, sceptris, coronis potirentur, quo illos ambitio impellebat.

77. Licinius Imperator primum simulavit se Christianorum fautorem.

Olim teste Eusebio lib. 9 Historiæ Eccles. cap. 10. fuit Licinius, qui Constantiæ, Constantini Magni sorori connubio junctus, primum quidem se Christianos summâ benevolentiâ complecti simulavit, ut Imperatoris familiaritate hoc adumbratæ religionis artificio conciliatâ, imperii consors fieret: ubi verò se voti compotem animadvertit, depositâ, quam ad tempus induerat, larvâ, & in leonem ex vulpeculâ migrans, immanem in Orthodoxos persecutionem excitavit. Hoc dogma & placitum est etiam recentium Politicorum. Sic enim tradit Machiavellus.

78. Dogma Machiavelli.

Opus est, inquit, *ut quæcunque ad religionem fovendam, amplificandamque apposita sunt, etiam si aliter sentiat, princeps amplectatur, augeatque.*

79. Julianus Apostata summus hypocrita, & Politicorum Alpha.

Quid Julianum Romani imperii maximum malum, vel facem potius, furiamque in medium producam? Quibus non fraudum cuniculis ad Christianorum favorem, gratiamque prorepsit? Præsules Ecclesiæ Catholicæ honoravit, Arianos verò honoribus spoliavit, vitam monasticam simulavit, divorum templa supplicitèr adgeniculatus lustravit, Sanctorum Martyrum veneranda ossa exosculatus est, quin etiam Mamanti Martyri sacram ædem exstruxit, viros Catholicos prudentiâ & scientiâ præstantes, auctoritate eminentes verborum lenociniis, ac ingentibus promissis ad amicitiam suam adjungere contendit; alia denique Orthodoxiæ argumenta summâ vafritie exhibuit, ut impedimentis remotis ad Augustale culmen sibi gradum faceret, eoque provectus Christianam religionem pessumdaret, & Catholicæ fidei memoriam ex toto orbe deleret. Ita passim testantur historiæ Ecclesiasticæ scriptores. Vide Sozomenum lib. 5 cap. 2.

Quæ facta Imperatorum istorum fuerunt, hæc doctrina est Politicorum. Tradunt enim sæpius & inculcant, Principem, ut cautius decipiat, & statum suum melius conservet, timorem ac reverentiam divini Numinis simulare debere (ò Orbis probrum!) quamvis nec Deum amet, nec vereatur: modestiam ac temperantiam, etiam si dissolutus sit & intemperans: clementiam ac lenitatem, licet truculentus sit & crudelis; ceterarumque omnium virtutum speciem & umbram quandam præferre, cùm illi commodum fuerit, ut vitia sua tegat, & qui probus non est, saltem vulgo talis appareat & habeatur. Hæc eorum placita ex profundissimo Tartari barathro exantlata, quibus adstruunt principem ad omnem fortunæ vultum, etiam vultum suum invertere velut scenam oportere. Hanc enim viam compendiariam esse homines impii judicant ad rationem status conservandam. Ignorunt nimirum illud in Academiâ natum pronuntiatum.

81. Simulata justitia summa injustitia.

Extrema est perversitas, cum prorsus justitiâ vacet, ad id tamen niti, ut vir bonus esse videatur. Ita Plato lib. 2 de Repub. Item illud Sanctorum Patrum Apophthegma. *Simulata æquitas duplex iniquitas.*

82. Omnis fictio cito perit.

Similiter & hoc M. Tullii: *ficta omnia celeriter tamquam flosculi decidunt, nec simulatum quidquam potest esse diuturnum*, Lib. 2 officiorum. Quomodo ergo stabit ratio status si fictio instabilis & vana sit? Sed finio, ex antiquitate prolatâ historiâ, quâ Deus singulari prodigio declaravit simulationem in religionis negotio sibi displicere, simplicitatem verò & sinceram mentem sibi acceptissimam.

Referunt plures sacri scriptores, & in iis Sozomenus suprà, fratres germanos Gallum & Julianum postea fidei defertorem Constantii patrueles, magnâ ambitione celeberrimo Martyri Maniæ (alii Mamanti) amplissimum templum cepisse exstruere, *opusque* (ut ait Sozomenus) *inter se ipsos dispertivisse, ac dum alter alterum sumptu & magnificentiâ superare contenderet, rem planè admirandam accidisse, & pene incredibilem, nisi quod multis, qui eadem ab eis, qui oculis illam aspexissent, se audivisse memorarent, ad nostram usque ætatem in vita mansisset. Siquidem partè operis à Gallo susceptam, pulchrè progressam esse, & ex animi processisse sententiâ: sed opus Julians partim corruisse, partim ex ipsis fundamentis & terra evulsum esse, nec sustinuisse ad solum coagmentari, sed extemplo velut vi quadam ex adverso urgeat, & infra moventè, inde repulsum esse. Rem omnibus visam fuisse revera prodigii similem, & à multis ex eventu solum judicatam: nonnullos tamen ex ea conjecisse eum non sincero ac sano animo erga religionem nostram affectum fuisse: sed quia Imperator, qui tum regnabat* (Constantius) *erat Christianus, simulatione quadam pietatem colere præ se tulisse.* Hæc Sozomenus, quæ etiam prodidit Nazianzenus, Oratione prima in Julianum.

83. Pars templi quam Julianus Apostata exstruebat corruit, quam verò Gallus adificabat, integra permansit.

Discant vel hinc Machiavellistæ statum Reipub. non fore stabilem & firmum, quem Princeps erigere nititur & firmare fucato religionis Orthodoxæ apparatu & externâ tantum specie: contra imperium illud roborandum & augendum, quod integrâ candidâ, simplice Catholicæ fidei professione inchoatur, producitur, consummatur.

80. Politicorum summa impietas.

VERSVS XV, XVI, & XVII.

Et nunc Domine Rex Deus Abraham miserere populi tui, quia volunt nos inimici nostri perdere, & hereditatem tuam delere.

Ne despicias partem tuam, quam redemisti tibi de Ægypto:

Exaudi deprecationem meam & propitius esto sorti & funiculo tuo, & converte luctum nostrum in gaudium, ut viventes laudemus nomen tuum, Domine; & ne claudas ora te canentium.

Græcè: Et nunc Domine Deus, Rex, parce populo tuo, quia respiciunt nos in perditionem, & desideraverunt perdere eam, quæ à principio, hereditatem tuam.

Ne despicias partem tuam, quam tibi redemisti de terrâ Ægypti:

Exau-

Exaudi deprecationem meam, & propitius esto sorti tuæ, & converte luctum nostrum in gaudium, ut viventes laudemus (ὑμνήσωμεν) nomen tuum, Domine, es ne perdas (extermines) os laudantium te, Domine.

Gorionides lib. 2 histor. Iudaic. c. 3 fusius hanc partem orationis persequitur.

Nunc autem Deus noster, qui copiosus es ad salvandum libera nos de manu Hamanis, quia imminet nobis tribulatio maxima, & nos pendemus à te atque confugimus ad te, ut protegas nos & stes in medio pugnaturus pro nobis contra omnes illos, qui surgunt contra nos. Recordare nostri quia nos sumus pars tua ab eo tempore, quo gentes tibi in hereditatem vendicasti, & dispersisti filios hominum. Nos, inquam, facti sumus portio tua, ceciditque super nos sors ipsa, quam projecisti, & facti sumus peculium tuum. Nunc itaque Deus noster; quare dicturi sunt hostes nostri de nobis: non habent Deum, aperiuntque os suum ad devorandam partem tuam, & ad laudandum deos suos, & vanitates suas? Obsecramus ergo, Domine Deus noster, ut tu salves nos: illi autem confundantur à vanitatibus & idolis suis, & ponant manum super os, videntes salutem tuam Domine, & misericordiam erga populum tuum, & hereditatem tuam. Ne obstruas ora laudantium te vespere, mane & jugiter, vertaturque luctus noster in gaudium.

COMMENTARIVS.

COmmendaverat Mardochæus Dei omnipotentiam & universalem Dominatum, simulque sapientiam, & omniscientiam: jam ab illo postulat populi sui liberationem de manibus inimicorum; & duobus potissimum utitur argumentis ad Dei misericordiam promerendam; nempe, quia Iudæa gens cessit in peculium ejus, & partem hereditariam præcipuam, unde si illam perire patiatur, quasi patrimonium suum maximè eximium perdet: addit deinde glorioſum Deo esse, si populus ejus salvus sit, quandoquidem ille solus sit, cui ejus cognitio affulserit, & qui proinde solus, dum hîc vivit, illum hymnis & laudibus celebrare possit; hoc autem sublato nullus erit qui os suum aperiat ad eum prædicandum. Mardochæus populum Israeliticum vocat populum Dei, ejus partem, sortem, funiculum, quæ omnia idem valent: quia erat populus ille electus, quasi Dei peculium, & pars ejus hereditaria, quam sibi ex omnibus gentibus separaverat, ut constat ex scripturis.

84. Cur hæreditas funiculus?

Dicitur autem ut ex iisdem constat, sors illa Dei, vel pars quæ sorte quasi obtigerat; funiculus, quia quondam fines agrorum funibus metiebantur, sicut modo eosdem describimus & mensuramus arundine vel decempedâ.

85. Quid hymnus

Ceterum notanda sunt illa verba: *ut viventes laudemus nomen tuum, &c.* ubi Græcè est, ὑμνήσωμεν, id est, hymnis celebremus. Est autem, teste S. Augustino, *hymnus* propriè *laus Dei cum cantico*; unde mox hic subjicitur; & *ne claudas*, vel perdas, ut Græci, *ora te canentium.*

Viventes Deum propriè laudare dicuntur, quia ipsorum laus meritoria est, & alios viventes ad Deo confitendum provocat: unde & dicitur Psal. 113 ℣. 17 & 18. *Non mortui laudabunt te, Domine, neque omnes qui descendunt in infernum:*

Sed nos qui vivimus, benedicimus Domino ex hoc nunc & usque in seculum.

Vide dicta à nobis in illa Ecclesiast. 17 ℣. 26 & 27. *Ante mortem confitere. A mortuo quasi nihil perit confessio*; & quæ sequuntur.

Efficacissima est hæc ratio & oratio ad Deum flectendum ut populo suo misereatur, quandoquidem is salvus & vivens ministrare possit Dei laudibus; mortuo autem illo, nullus in terrâ futurus sit, qui illum celebret; quasi dicat interest hoc tui honoris Domine, ut salvi simus. Hoc ipsum passim suis in precibus sancti Deo proponunt; Iudith 7 ℣. 20 *Nolι tradere confitentes te populo, qui ignorat te.*

86. Interest honoris Dei, ut liberentur servi ejus, & illum laudent.

Psal. 78, 9. *Adjuva nos Deus salutaris noster & propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos.* Daniel. 3 ℣. 43 orat Azarias in fornace: *Erue nos in mirabilibus tuis, & da gloriam nomini tuo.*

Iosue 7 ℣. 8. precatur Iosue: *Mi Domine Deus, quid dicam videns Israelem hostibus suis terga vertentem? ℣. 9. Audient Chananæi, & omnes habitatores Terræ, & pariter conglobati circumdabunt nos, atque delebunt nomen nostrum de terrâ: & quid facies magno nomini tuo?*

DIGRESSIUNCULA:

An licitum adversarios, cum injustè ab iis lacessimur, & infestamur, ad tribunal Dei summi Iudicis provocare?

AMplè hoc argumentum in utramque partem hoc loco versat Feuardentius, occasione orationis Mardochæi & Estheræ, qui ardentissimis votis ultionem & judicium à Deo flagitant contra tyrannidem & sævitiam Amani & inimicorum suorum.

Duo de hoc solum strictim hic tractare in animo est. Primum dico, ordinariè nequaquam probandum, ut læsus lædenti diem dicat & ad Dei judicium rationem redditurum accersat. Sapit enim immodicum vindictæ appetitum, maximè, si hæc appellatio & evocatio animo exacerbato & à viro non satis pio proferatur. Siquidem numquam licitum est hosti suo, quantumvis crudelissimo & iniquissimo imprecari malum, quia ipsi malum est, ut habet communis opinio Scholasticorũ. Quis autem neget malum gravissimum esse, si aliquis imparatus repentè cogatur coram Deo justissimo judice comparere scelerum multorum & atrocissimorum reus?

87. Ordinariè non probatur inimicos vocare ad Dei tribunal rationem reddituros.

Vnde docet S. Thomas 2. 2. quæst. 83 art. 8

88. Quomodo intelligendæ scripturæ, quæ malum imprecantur inimicis.

ad primum imprecationes, quibus Sancti adversariis suis mala quædam vovere videntur, quadrupliciter posse intelligi.

Primò quidem, ut per modum optantis, tantum eventura mala prædicant, non autem verè imprecentur: Hoc modo sæpè Psaltes Regius utitur, ut notum est.

Secundò, ut temporalia mala eis imprecentur, quibus plexi à sceleribus suis resipiscant, & corrigantur, juxta illud Psalmi 82, 17. *Imple facies eorum ignominiâ, & quærent nomen tuum, Domine.*

Tertiò, ut non tam cupiant peccatores perire, quam ipsorum peccata, & diaboli regnum destrui. Sic S. August. lib. de Sermone Domini in monte, intelligit orationem Sanctorum Martyrum Apocal. 6, ℣. 10. *Usquequò, Domine, Sanctus & verus, non judicas, & non vindicas sanguinem nostrum de iis qui habitant in terrâ? Vindictæ*, inquit, *martyrum est, ut evertatur regnum peccati, quo regnante tanta perpessi sunt.*

Quartò, ut conforment voluntatem suam divinæ justitiæ circa damnationem incorrigibilium, & perseverantium in peccato, idque propter bonum justitiæ, & aliorum correctionem, &, ut eâ ratione desinant aliis nocere, & peccando suam pœnam augere.

89. Divinæ justitiæ zelo interdum permoti Sancti ad Dei tribunal provocarunt inimicos. Ut Zacharias filius Iojadæ.

Igitur, nisi vel divino instinctu permoti, vel hujusmodi affectu, quem præcipuè in quarto modo expressimus, excitati, in certum diem ad Christi tribunal hostes suos sistant, vel venire voveant, non sunt ipsorum vota ullo modo approbanda.

Mente sanctâ & justâ sic dixisse credendus est Zacharias filius Iojadæ sacerdos, quem induerat Spiritus Dei, cum peteretur lapidibus ad imperium Regis Ioas, & morereturr, 2 Paralipom. 24. ℣. 22. *Videat Dominus, & requirat.* Certè vidit injustam necem de cœlo Dominus, & requisivit ultionem. Nam sequitur ibidem vers. 23, & sequent. *Nam cum evolutus esset annus, principes populi, qui in cædem ejus consenserant, à Syris trucidati sunt, & in ipsum regem ignominiosa exercuerunt judicia, quem cum dimisissent in languoribus magnis, servi ejus in ultionem sanguinis filii Iojadæ sacerdotis occiderunt in lectulo suo.* Sic raptus est ad divinum Tribunal.

90. Non ideo licita censenda est querundâ ad Dei tribunal appellatio, quia Deus eorum votis annuit.

Porro, non est, quod illi, qui exulcerato animo sibi injuriam inferentes omnibus diris devovent & ad sedem divini Numinis diem præscribunt, opponant, Deum plerumque ad tempus statutum hujusmodi è vitâ tollere rationem sibi reddituros, & idcirco credant se ab omni culpâ immunes.

91. Sic Deus admaledictionem parentum punit liberos.

Respondeo enim eodem pacto parentes frequenter optare liberis sibi non obtemperantibus & immorigeris quælibet mala, pestem, morborum Iliadem, Avernales furias & similia, quæ vindictæ appetitus & ira subministrat, idque non sine impietatis noxâ, quæ plerumque ad votum ipsorum irruere in filios videmus, ut copiosè variis exemplis ostendi in Ecclesiastici c. 3, ℣. 11. *Benedictio patris firmat domos filiorum: maledictio autem matris eradicat fundamenta.* Deus siquidem quod parentes malo affectu & impiè optant, justo judicio permittit, & sæpe vult contingere, ut ante extremum judicium severitatis suæ documenta præbeat, quæ alii rebelles liberi extimescant & corrigantur.

Alterum, quod proposui, est unum atque alterum exemplum in medium adducere, unde constet summum Iudicem ad postulationem injuriâ affectorum ipsorum adversarios ad tribunal suum evocasse.

Adfert hujusmodi Ieremias Drexelius in Opusculo suo, quod inscripsit Tribunal Christi lib. 2, cap. 3, viginti & unum testatissima & omni fide probatissima. Duo ex omni numero selegi. Primi nobis auctor est Thomas Cantipratanus l. 2 Miraculorum c. 35.

92. Præpositus Leodiensis ad Dei tribunal citatus sistitur.

Leodii cœnobium S. Iacobi nobilis adolescens ingressus est religionis causâ. Tulit id ægerrimè ejus cognatus Leodiensis Præpositus. Mox igitur severè imperat Abbati: consobrinum reddat, aut vim expectet. Recusat Præsul monasterii nolentem extrudere. Ergo præpositus satellites cogit & armat, cœnobium effringit, juvenem abripit, & vestibus religiosis exutum profanis induit.

Abbas adscitis civitatis primoribus ad Episcopum se confert causam suam & Dei acturus, expostulat de injuriâ sibi & monasterio illatâ à Præposito. Episcopus querimoniam vix admittere, in partem Præpositi apertè tendere, verbis durioribus Abbatem excipere. Quò se verteret vir religiosus? In cœlum suspicit, & humi defixis genibus ad Præpositum conversus: contra tuam nequitiam & iniquitatem in terrâ æquum judicem obtinere non possum; Igitur sursum auxilium & judicium petendum est, & supremum mundi Iudicem interpello, ut intra quadraginta dies uterque nostrum coram eo se sistat sententiam pro meritis excepturus: Præpositus cum suis interea liberaliter ridet & priscam hominis simplicitatem subsannat, dimittitque non absque despectu. Expectate pauxillum. *Deus* enim, teste Sirachide Ecclesiast. c. 6, ℣. 4, *est patiens redditor.*

Advenit vadimonii dies & decretorius, quadragesimus, quo Abbas horâ nonâ ante meridiem obiit. Eo tempore Præpositus domestico usus balneo lavabat: cumque audiret æra campana lugubre quidpiam præter solitum insonare, quæsivit, quid pulsus ille indicaret: Cui famulus: Ajunt Abbatem S. Iacobi modo defunctum esse. Præpositus continuò memor quadragesimi diei ab Abbate dicti exalbescens & consternatus, mox foras, inquit foras; habeo quod agam: heu! hodie mihi comparendum est coram summo judice. Cumque properaret thermis egredi, inter adstantium manus collapsus magno cum ejulatu cessit è vita causam dicturus, pro quâ vadatus ab Abbate fuerat.

Adscribo recentius, quod seculo nostro accidit anno 1606, & refertur à Guilielmo Ferdinando ab Efferen in Manuali Politico de ratione status seu Idolo Principum lib. 5, parte 3.

Miles Germanus homo non illepidus cum signo dato ad excubias vocaretur, suis contubernalibus arridens ait: Redeunt ad nos excubiæ, rediret utinam & nuntius pecuniæ. Excepta vox est, & ad ducem relata, qui pectore rerum capitalium (Auditorem vel Quæsitorem vulgo appellant) accersito jubet in hominem, qui voces seditiosas sparsisset, seriò animadverti. Mox in vincula miser trahitur, torquetur denique.

93. Dux à militie ad Dei tribunal citatus horâ condictâ moritur.

Capitis damnatur. Miles sibi optimè conscius audito mortis nuntio attonitus expavit. Vbi ani-

animum recepit, terrifico clamore ducem incessens, eique jam præsenti, Post tres, inquit, hebdomadas hac ipsâ noctis hora sanguinis injustè effusi coram Deo rationem reddes.

At dux subsannans: Tu, inquit, hæc oracula formidolosis cane: non me militem generosum ista terrent. Tu interim seditiosum caput in malam crucem abito. Ita mediâ nocte horâ duodecimâ infelice ex arbore suspenditur. Mane in commune ceterorum terriculamentum spectandus exponitur transfixis præcordiis cum hoc programmate: *Seditiosus miles.* Dux nonnihil consternatus tam audace provocatione ad Dei tribunal, hæsit, ejus tamen sensim oblivisci cœpit. Verum tempore indicto jam jam appetente cum nocte intempestâ horâ duodecimâ ad excubias lustrandas exiret, è ponte navali in aquas decidit, & iisdem suffocatus interiit. Sic ille.

Hanc rem pluribus historijs exploratissimam facit Drexelius suprà.

VERSVS XVIII.

Omnis quoque Israel pari mente & obsecratione clamavit ad Dominum, eo quod eis certa mors impenderet.

Græcè: Et omnis Israel vociferatus est ex fortitudine suâ, quoniam mors eorum in oculis eorum.

Iosephus: Similes erant preces totius populi, rogantis Deum, ut eorum saluti prospiciat, & totum genus Israeliticum imminenti cladi eximat, quam videbantur sibi habere præ oculis.

COMMENTARIVS.

HÆc communis & publica plebis Iudæorum deprecatio respicit tempus illud, quo crudele Regis Assueri edictum de internecione ipsorum propositum fuit in Susan, cap. 3, ℣. 15, & quo in omnibus provinciis, oppidis, locis, ubi habitabant, fuit promulgatum, cap. 4, vers. 3. maximè verò cum Esthera eodem capite ℣. 16, pro felice suo ad regem accessu postulavit fieri communes orationes à Iudæis, & generale per triduum & trinoctium jejunium.

Fuit ergo hæc oratio publica, & quidem ferventissima & intensissima, quam ardentiorem faciebat certissimum mortis periculum ipsorum cervicibus impendens, nisi Deus placatus ipsorum precibus avertisset; hoc indicat Græcus, qui habet illos vociferatos ex fortitudine, id est, summâ animi contentione: Latinus autem satis significat illam fuisse communem, cum infit illos clamasse *pari mente*; quemadmodum Apostoli perseveraverunt unanimiter in oratione Actor. primo ℣. 14. in quos ita animis consentientes & orationi instantes, & solenni prece supplicantes, Spiritus Sanctus effusus est, Actor. 2. Sic ibidem cap. 4, ℣. 24. *Apostoli unanimiter levaverunt vocem ad Deum*; &c. Pari modo de tribus ephebis Hebræis dicitur Daniel. 3, 51: *Tunc hi tres quasi ex uno ore laudabant, & glorificabant & benedicebant Deum in fornace*, &c.

De ritu & fructu Orationis publicæ hîc agendum esset, sed de his tractatum est suprà c. 4, ℣. 3, Ethologiâ primâ.

CAPVT DECIMVMQVARTVM,

ARGVMENTVM.

Esther, cui regis adeundi partes Mardochæus imposuerat, antequam id aggrederetur, Deo supplicat, & ut facilius impetret, quod optabat, abjecto cultu regio, habitu squallente & lugubri, cilicio scilicet & sacco se accingit, triduanâ inediâ macerata, sordidata cinere & stercore, capillis laceratis se prosternit in terram, & effundit in preces.

Oratio ejus ad Dei clementiam eliciendam est potentissima & accommodatissima, quâ primum Deo proponit præsentissimum suum & gentis suæ periculum, ex quo ipse solus possit eripere. Deinde ostendit agi de gloriâ divini nominis. Si enim contingat ab hostibus falsorum deorum cultoribus Iudæos trucidari, arguetur verus Deus vel sævitiæ, qui populum suum peculiariter à se electum tamquam propriam hereditatem deseruerit ab inimicis internecione delendum, vel impotentiæ, ut qui eum non potuerit liberare: unde sola idola deprædicabuntur, vero & vivo Deo, ejusque cultu oblivione sepulto.

Ne autem hoc contingat, & robur animi sibi à Deo concedi postulat, & in labiis suis instillari Orationem flexanimam, & compositam ad cor Assueri in misericordiam emolliendum.

Postremò, quamvis gentis suæ gravia fuisse peccata fateatur, sic tamen animo se esse comparatam, ut & ornatum regificum & diadema capitis sui, & Assueri thalamum penitus detestetur; nec nisi necessitate compulsam illius convivium admisisse, teste numine, perhibet, multo etiam magis omnem genticam superstitionem & Persicas delicias respuisse.

TEXTVS.

Esther quoque regina confugit ad Dominum, pavens periculum, quod imminebat, 2 Cumque deposuisset vestes regias, fletibus & luctui apta indumenta suscepit, & pro unguentis variis, cinere & stercore implevit caput, & corpus suum humiliavit jejuniis: omniaque loca, in quibus antea lætari consueverat, crinium laceratione complevit. 3 Et deprecabatur Dominum Deum Israel, dicens: Domine mi, qui rex noster es solus, adjuva me solitariam, & cujus præter te nullus est auxiliator alius. 4 Periculum meum in manibus meis est. 5 Audivi à patre meo, quod tu Domine tulisses Israel de cunctis Gentibus, & patres nostros ex omnibus retro majoribus suis, ut possideres hereditatem sempiternam, feciſtique eis sicut locutus es. 6 Peccavimus in conspectu tuo, & idcirco tradidisti nos in manus inimicorum nostrorum: 7 coluimus enim deos eorum. Justus es Domine: 8 & nunc non eis sufficit, quod durissima nos opprimunt servitute, sed robur manuum suarum, idolorum potentiæ deputantes, 9 volunt tua mutare promissa, & delere hereditatem tuam, & claudere ora laudantium te, atque extinguere gloriam templi & altaris tui, 10 ut aperiant ora Gentium, & laudent idolorum fortitudinem, & prædicent carnalem regem in sempiternum. 11 Ne tradas Domine sceptrum tuum his, qui non sunt, ne rideant ad ruinam nostram: sed converte consilium eorum super eos, & eum, qui in nos cœpit sævire, disperde. 12 Memento Domine, & ostende te nobis in tempore tribulationis nostræ, & da mihi fiduciam Domine rex deorum, & universæ potestatis: 13 tribue sermonem compositum in ore meo in conspectu leonis, & transfer cor illius in odium hostis nostri, ut & ipse pereat, & ceteri qui ei consentiunt. 14 Nos autem libera manu tua, & adjuva me, nullum aliud auxilium habentem, nisi te, Domine, qui habes omnium scientiam, 15 & nosti quia oderim gloriam iniquorum, & detester cubile incircumcisorum, & omnis alienigenæ. 16 Tu scis necessitatem meam, quod abominer signum superbiæ & gloriæ meæ, quod est super caput meum in diebus ostentationis meæ, & detester illud quasi pannum menstruatæ, & non portem in diebus silentii mei, 17 & quod non comederim in mensa Aman, nec mihi placuerit convivium regis, & non biberim vinum libaminum: 18 & nunquam lætata sit ancilla tua, ex quo huc translata sum usque in præsentem diem, nisi in te Domine Deus Abraham, 19 Deus fortis super omnes, exaudi vocem eorum qui nullam aliam spem habent, & libera nos de manu iniquorum, & erue me à timore meo.

VERSVS I, & II.

Esther quoque regina confugit ad Dominum, pavens periculum, quod imminebat.

Cumque deposuisset vestes regias, fletibus & luctui apta indumenta suscepit, & pro unguentis variis, cinere & stercore implevit caput, & corpus suum humiliavit jejuniis: omniaque loca, in quibus antea lætari consueverat, crinium laceratione complevit.

Græcè: Et Esther regina confugit ad Dominum, in agone mortis comprehensa. Et cum abstuliſſet vestes gloriæ suæ, induta est vestimentis angustiæ & luctus: & pro superbis suavitatibus (unguentis) cinere & stercoribus implevit caput suum & corpus suum humiliavit valde: & omnem locum exultationis suæ implevit tortis (laceratis) crinibus suis.

Iosephus: Regina quoque supplicabat more patrio humi in faciem prostrata, & amicta veste lugubri, per triduum abdicato

cato cibo & potu, & omnibus deliciis, rogabatque, ut miseratus daret ei apud regem quali maximè opus esset, facundiam, & majorem quam umquam antea formæ gratiam, ut modo utroque permotus rex ad clementiam, & in ipsam fieret indulgentior, & popularibus suis in extremo periculo constitutis patrocinantem æquis oculis aspiciat. Vtque in rege odium inimicorum ingeneret, omniumque imminentium in eorum perniciem, ni ipse avertat infortunium.

COMMENTARIVS.

PErtinent hæc ad capitis quarti finem ℣. 16, ubi sic ad Mardochæum Esther: *Vade & congrega omnes Iudæos, quos in Susan repereris, & orate pro me. Non comedatis, & non bibatis tribus diebus, & tribus noctibus, & ego cũ ancillis meis similiter jejunabo, & tunc ingrediar ad regem contra legem faciens, non vocata, tradensque me morti & periculo.*

Noluit regina suis etiam deesse partibus, sed quod promiserat, sedulò exequitur, oratione anxiâ, humillimâ, ferventissimâ ad thronum divinæ gratiæ confugiens.

1. Apparatus, quo Esthera placuit Deo.

Quia verò alium apparatum, sive cultum probè noverat placere Numini, alium autem humanis oculis, ideo nihil negligit in habitu, quo divinam clementiam permoveat, ut sibi ad malum imminens trepidanti & exalbescenti succurrat. Exuit se superbis & regalibus indumentis, vel cum Mardochæo illa disrumpit, sciens illa luctui non convenire, simulque indicans mœrore dissectum & effossum pectus; lugubrem verò assumit vestitum, utputa saccum cilicinum & setis horridum more patrio, symbolum animi dolore, & ægritudinis pallio involuti: quia verò maxima pars muliebris ornatus & deliciarum sita est in comæ suggestu atque implexu, & exoticorum unguentorum fragrantiâ, ut sibi fastidio illa esse demonstret, cinere & sordium graveolentiâ caput & capillum deturpat, & inficit, conscia coram Deo maximum esse cultum & mundum, cum mulier minimè culta est & munda: addit & jejunii humiliationem, quo ipsius oratio inediæ vehiculo sublata celerius ad divinitatis solium ascendat: postremò cubilis & gynæcei sui spatia, per quæ floribus & rosis aspersa ludibundo pede perambularat, sparsis & laceratis crinibus complet, omnem luxum & fastum conculcans.

Hæc illius arma fuerunt, hic bellicus apparatus, quo omnipotentia Dei oppugnatur, & si candido animo assumatur, ut Esthera assumpsit, expugnatur.

2. Ejusdem apparatus, quo placuit Assuero.

Alio mox habitu, & choragio circumdata procedet Assueri cor labefactura, aliis machinis animum illius debellatura. Scena enim vertenda est, ut Tragœdia, quam fecerat, placeret. Assumet vestes speciosissimas, id est regificas, omni gloriâ suâ amicietur, à vertice ad calcem compositò ad lætitiam ornatu convestita, unguentis suaveolentibus delibuta, cidari & diademate gemmato incincta, pallæ syrmate in humum defluente gloriosa, quam pedissequa honoraria manibus colligat, capite interim super alterius famulæ humeros recumbente. Sic vis facienda Assueri præcordiis, his armis & balistis quatienda.

3. Iudith iisdem armis procedit accincta expugnatura precibus Deum & Holofernem suo ornatu.

Sic forte meminerat feciisse religiosam illam & multarum palmarum Amazonem, patriæ suæ sospitatricem viduam Iuditham, quæ cum Deo manus consertura cap. 9, v. primo, panopliâ se obarmavit, quâ vinci illum confidebat. Hæc autem fuit, de quâ legimus libro Iudith suprà. *Iudith ingressa est oratorium suum: & induens se cilicio, posuit cinerem super caput suum, & prosternens se Domino, clamabat ad Dominum*, &c.

Non minus illuvies, squallor, sordes, saccus, cineris aspersio, lugubris habitus, oratio humilis, potentia fuerunt ad Deum invictum flectendum, & triumphandum, quam ad capiendum Holofernis animum corpus lautum, caput myro, myrrhaque madens, vibrati calamistro crines, facies composita & tenera, exquisita mundities, & mundi muliebris aurea gemmeaque supellex; de quâ habes ibidem cap. 10, ℣. 2 & tertio. *Abstulit à se cilicium, & exuit se vestimentis viduitatis suæ; Et lavit corpus suum, & unxit se myro* (unguento) *optimo, & discriminavit crinem capitis sui, & imposuit mitram* (coronam aut cidarim, splendidâ & coruscam) *super caput suum, & induit se vestimentis jucunditatis suæ, induitque sandalia pedibus suis, assumpsitque dextraliola, & lilia, & inaures & annulos, & omnibus ornamentis suis ornavit se*, &c.

Videntur mihi geminæ illæ heroinæ & viragines eisdem præceptis, institutisque à divinâ Sapientiâ imbutæ: pugnaturę enim contra Deum & homines, principem scilicet militiæ Assyriorum, & Monarcham Persarum, eodem apparatu in aciem procedunt.

Vtraque concurrit, paribusque accingitur armis.

Iam singula Reginæ arma discutiamus, & verba textus ponderemus.

4. Quid sit comprehendi in Agoniâ.

Esther confugis ad Dominum, pavens periculum, quod imminebat. Græca ἐμφαλικωτέρα; significantiora: habent enim, ἐν ἀγῶνι θανάτου κατειλημένη, id est, in agone mortis, comprehensa: quæ verba notant illam attonitam ita fuisse, & expavisse, atque si mors jam jam immineret.

Sic enim Lucæ 22, vers. 43. dicitur Christus *factus in agonia*; & Onias summus sacerdos 2 Machabæorum 3, ℣. 16 & 17, mœrore contractus, hisce verbis: *Iam verò, qui videbat summi sacerdotis vultum, mente vulnerabatur: facies enim & color immutatus declarabat internum animi dolorem: circumfusa enim erat mœstitia quædam viro, & horror corporis, per quem manifestus aspicientibus dolor cordis ejus efficiebatur*: mox verò ibidem vers. 21 ægritudo ejus summatim exprimitur hisce verbis: *Erat enim misera commistæ multitudinis, & magni sacerdotis in agone constituti expectatio.*

Nempe ob periculum ab Heliodoro raptore imminens, Sic describitur à Iosepho Iaddus Iudæorum pontifex angore & mœrore correptus lib. 11 Antiquitat. cap. 8, cum Alexandrum Macedonem Iudæis infensum properare Hierosolymam intellexit. *Alexander*, ait Iosephus, *expugnatâ Gazâ Hierosolyma propere petiit. Iaddus verò Pontifex postquam hoc audivit, sollicitus hærebat*

inops consilii, nec invenions quomodo regem deberet excipere iratum, eo quod antea neglexisset imperata ejus facere. Vbi consulendus textus Græcus.

5. Quę vestes gloriæ? *Cum deposuisset vestes regias.* Græca has vocant vestimenta gloriæ suæ, quibus scilicet gloriosa & honorata omnibus populis videbatur, sic infrà cap. 15, ℣. 4, dicitur *circumdata gloria sua*: Solet enim scriptura vestes splendidas & magnificas tam sacras, quam profanas appellare vestes gloriæ. mox autem

Fletibus & luctui apta indumenta suscepit.

Græcè: vestes angustiæ & luctus, hæ cap. sequenti. Dicuntur vestimenta ornatus sui, id est, cultus, quibus scilicet Deum in luctu & lacrymis colebat.

Iosephus simpliciter vestem lugubrem vocat. Gorionides verò saccum; quo scilicet in luctu utebantur.

Pro *Vnguentis variis* Græcè est μυρεψικῶν ἡδυσμάτων id superbis suavitatibus, deliciis.

6. Humiliationem Iudæi vocant jejunium. *Corpus suum humiliavit jejuniis.* Græcè solum habemus; corpus suum humiliavit valde. Sed rectè humiliationē illam ad carnis per jejunia afflictionē retulit Latinus. Nam Iudæi jejunia sua appellant Thaanin, humiliationes, & Iejunium Esther, quod celebrant 13 mensis Adar, qui nostro Februario respondet, vocant Thamith Esther. Iosephus, ut vidimus, illam humiliationem, secutus, ut videtur, Septuaginta, expressit per abjectionem in terram, cum dicit, *more patrio humi in faciem prostrata.* Gorionides utrumque expressit sic scribens: *Humiliavit animam suam in jejunio, & corruit in faciem suam & oravit.* Et certè conjuncta illa esse consueverunt seriò se in afflictione ad Deum convertentibus. Psaltes regius Psalmo 34, ℣. 13: *Ego autem cum mihi molesti essent, induebar cilicio. Humiliabam in jejunio animam meam, & oratio mea in sinu meo conversa est*, & vers. 14, *quasi lugens & contristatus sic humiliabar.* Sic Iudith cap. 9, ℣. primo, *prostravit se Domino.* Sic jacet Esdras *ante templum Dei orans, implorans & flens*; Esdræ cap. 10, v. primo. *Machabæus & qui cum illo erant*, 2 Machabæorum 10, ℣. 4, *Rogabant Dominum prostrati in terram*, &c. Iosephus etiam lib. 20 Antiquitat. cap. 2, sub finem narrat Izaten Adiabenorum Regem quod Iudæorum religionem amplexus esset, à Vologeso Parthorum Rege maximis copiis oppressum, ad Deum se convertisse, hoc modo: *humi*, inquit, *se abjecit, & cinere caput desurpans cum uxore & jejunans Deum invocans*, &c.

7. Pœnitentes jejunium corporis prostrationi, &c. conjungere solent.

Exploratum quoque ex historiâ Ecclesiasticâ habemus Theodosium Magnum ad pœnitentiam agendam ab Antistite Ambrosio admonitum, in templo humi se prostravisse, & gemebundum verba Psalmi 118, ingeminasse: *Adhæsit pavimento anima mea: vivifica me secundum verbum tuum.* Sed finis non sit, si omnia recensere velim.

Venio ergo ad ultimum supplicationis ritum, quo Regina nostra se ad deprecandum Dominum paravit & accinxit, in quo diutius nobis immorandum. De hoc ergo hic dicitur.

Omniaque loca, in quibus antea lætari consueverat crinium laceratione complevit:

Græca: omnem locum exultationis suæ laceratis vel tortis capillis implevit Gorionides: *sparsit huc & illuc crines capitis sui*: Gravi enim dolore consternata Regina muliebris ornatus nullam rationem habuit, sed decori oblita in pectus, & humeros incompositam comam defluere voluit, & crinibus evulsis solum sternere.

Excursus de ritu vellendi & lacerandi capillos luctus tempore.

8. Ritus lugendi. QVia de variis ceremoniis, sive ritibus, quibus luctus tempore, & calamitate gravi ingruente ad Dominum confugere tam Iudæis, quam etiam Christianis solitum, v. g. splendidarum vestium depositione, vel scissione, lugubrium verò assumptione, sacci vel cilicii gestatione, cineris & terræ in caput aspersione, corporis per inediam maceratione, copiosè disseruimus cap. quarto v. primo, & decimo, nihil aliud hic agendum supereſt, nisi ut ex gentium veteri more ostendamus, crinium detonsionem, sparsionem, evulsionem à lugentibus fuisse olim usurpatam.

Primum ergo hunc ritum ab Hebræis arcessamus: Esdras cap. 9, libri primi ℣. 3, sic de se loquitur. *Cum audissem sermonem istum* (quod accepissent filii Israel uxores alienigenas) *scidi pallium meum & tunicam, & evelli capillos capitis mei, & barbæ, & sedi mœrens.*

9. Ritus vellendi crines apud Iudæos. Idem lib. 3, c. 8, 72. *Et mox, ut audivi ista, conscidi vestimenta & sacram tunicam, & laceravi capillos capitis & barbam, sedi dolens & mœstus.*

Iob, cap. primo ℣. 20, *surrexit, & scidit vestimenta sua, & tonso capite corruens in terram, adoravit.*

Hinc prophetis in argumentum maximi & publici luctus præcepit interdum Dominus capillum detondere. *Tonde*, inquit Ieremiæ cap. septimo vers. 29, *capillum capitis tui & projice & sume in directum planctum.* Vbi sic S. Hieronym. *Apud veteres*, inquit, *hæc erat, omnium consuetudo lugentium tondere cæsariem. At nunc è contrario comam dimittere luctus indicium est.* Sic ille rectè. Licèt in mulieribus etiam modo argumentum summi mœroris sit aut comam neglectam & incompositam sinere, aut capillos vellere.

10. Tondere capillum olim luctus signum, nunc illum promittere in viris, in mulieribus negligere.

Certè mulier, *quæ erat in civitate peccatrix*, Lucæ 7, cum in ordinem redactos crines cincinnosque calamistratos & rutilatos solvit, spargit, & in linteum tergendis Christi pedibus convertit, maximi doloris signum prætulit, animam suam demortuam lugens & plangens sui ornatus oblita, & genii feminei.

11. Calvitium luctus symbolum. Insuper sæpe per prophetas minatur Deus se calvitium capitibus inducturum in pœnam superbiæ & luxus, unde materiam accipiant ægritudinis & planctus. Vnus locus sufficiat Isaiæ 3, ℣. 17, ubi filiabus Sionis petulantibus, lascivis, superbientibus hæc vates sacer intentat. *Decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit.* Et infrà vers. 24, *Et erit pro suavi odore fœtor, & pro zonâ funiculus, & pro crispanti crine* (quo stultæ puellæ gloriantur, dum aura ludibunda eum in cinnos vibratum ventilat, & collum flagellat) *calvitium*: dum nimirum vel ipsę sibi illud gravibus ærumnis afflictæ vel Chaldæi hostes, vel Deus ipse per alopeciam vel alios morbos in supplicium ipsarum fastus & lasciviæ inducet.

12. Mulier decalvata est turpissima. Notum est mulieres tam nubiles quam nuptas etiam hodie magnam pulchritudinis & decoris sui partem constituere in turrito comarum suggestu, vel hinc inde cincinnis circa collum intor-

tis

tis & pendulis: hoc choragium si detrahatur, magis fœdæ, & ridiculæ, quam simia glabro podice, apparebunt.

Testis est Apulejus lib. 2 Metamorphos. *Si cujusſibet*, inquit, *eximiæ & pulcherrimæ fœminæ caput capillis ſpoliaveris, licet illa cœlo dejecta, licet omni gratiarum ſtipata, & toto Cupidinũ populo comitata, & baltheo ſuo cincta, cinnama fragrans, & balſama rorans, calva proceſſerit, placere non poterit.* Idem habet Sanct. Ambroſ. lib. 6 Hexameron. cap. 9.

Meritò ergo sexus ille, ut ostendat sibi in luctu vanitatem illam & crinium plicaturam vel συμπλοκὴν curæ vel cordi non esse, capillos secat, spargit, dissipat.

13. Matronæ Persicæ in luctu crinem lacerabant.

Sed à Iudæis ad Persas nostras pergamus.

Curtius lib. 3. cap. 22, sic Persicarum matronarum luctum, fuso, fugatoque ab exercitu Alexandri Dario, ejusque copiis, describit: *Ingens circa eam* (Darii matrem Syſigambim) *nobilium feminarum turba conſiſterat, laceratis crinibus, abſciſſaque veſte, priſtini decoris immemores, reginas, dominaſque tunc alienis nominibus invocantes.*

Idem lib. 10 describens lugubrem Tragœdiam, incredibilem mœrorem etiam externarum gentium, & complorationem in morte Alexandri cap. 8, sic inter alia: *Ad Darii quoque matrem celeriter perlata eſt* (fama de obitu Alexandri) *ab ſciſſâ ergo veſte, qua induta erat, lugubrem ſumpſit*, (sic suprà Esther) *laceratiſque crinibus humi corpus abjecit.* Et paulo superius. *Perſæ comis ſuo more detonſis in lugubri veſte cum conjugibus & liberis, non modo, ut victorem & hoſtem, ſed & gentis ſuæ juſtiſſimum regem vero deſiderio lugebant*, &c.

Ita Herodotus lib. 9, ob Masistæ mortem in Platæensi prœlio cæsi scribit à Persis equos & jumenta, cum à se fecissent initium, tonsa. Idem refert Plutarchus in Aristide.

14. Idem mos apud alias gentes caput degiabrandi.

Omnibus fere gentibus quondam hic mos receptus fuit, ut amplè docet Alexander Neapolitanus lib. 3 Genialium dierum, cap. 7, & ibi probat Andreas Tiraquellus. Pauca ex illis accipe.

Mos apud barbaros inolevit frequens, ut in funere & casibus adversis juvenes tonderent comam, barbam ipsi ponerent, & uxorum capita deglabrarent. Perlæ quoque detonsis liberis ac conjugibus, lacerâ veste, lugubri ululatu corpora efferebant: qui etiam in funere clarorum virorum sciposos, equos & jumenta tondebant. Et paulo post hanc causam subducit.

Quippe ea lugenti aptissima putantur, quæ indecora, nec ulitata sunt. In quo illud facetissimum Bionis (apud Ciceron. lib. 3, Tusculan. quæst.) proditur, *perinde lugentes capillum evellere quaſi calvitio mœror levaretur.* Carthaginenses, in luctu comas & ora lacerant. Idem Græcis in usu fuit, ut in luctu capillum discindant, & comam vellant. Hæc modo satis, ne compilatorem agam. Plura etiam habet in doctissimo suo de Comâ Commentario cap. 5, Adrianus Iunius medicus.

Videtur mihi Regina nostra secuta speciem quamdam & factum Semiramidis, de quâ hæc Valerius lib. 9, cap. 3. *Semiramis Aſſyriorum regina, cum ei circa cultum capitis ſui occupatæ nuntiatum eſſet, Babylonem defeciſſe, altera parte crinium adhuc ſoluta protinus ad eam expugnandam cucurrit: Nec prius decorem capillorum in ordinem, quam tantam urbem in poteſtatem ſuam redegit. Quocirca ſtatua ejus Babylone poſita eſt illo habitu, quo ad ultionem exigendam celeritate præcipiti tetendit.* Sic Valerius.

15. Semiramis ſolutâ alterâ parte crinium Babylonem expugnatura properavit.

16. Esthera quomodò Semiramidem imitata.

Esthera laceros, sparsosque & volitantes temere per collum, humerosque capillos pectere, ad speculum indicem & judicem componere, discriminare & flectere in cirros prius noluit, quâ Deum omnipotentem in sua vota, vindictamque de hostibus sumendam flexisset, lacrymis precibusque vicisset, & spe quasi certâ præcepisset se Regem Assuerum in suam potestatem eodem auxiliante posse redigere.

VERSVS III, IV, V.

Et deprecabatur Dominum Deum Iſrael, dicens: Domine mi, qui rex noſter es ſolus, adjuva me ſolitariam, & cujus præter te nullus eſt auxiliator alius.

Periculum meum in manibus meis eſt.

Audivi à patre meo, quod tu Domine tuliſſes Iſrael de cunctis gentibus, & patres noſtros ex omnibus retro majoribus ſuis, ut poſſideres hereditatem ſempiternam, feciſtique eis ſicut locutus es.

Græcè: Et deprecabatur Dominum Deum Israel, & dixit: Domine mi, rex noster tu es solus, adjuva me solam, & non habentem adjutorem nisi te, quoniam periculum meum in manu meâ. Ego audivi à nativitate meâ in tribu patriæ meæ (familiæ meæ) quod tu Domine acceperis Israel ex omnibus gentibus, & patres nostros ex omnibus progenitoribus suis in hereditatem æternam, & feceris eis quæ locutus es.

Iosephus totam orationem Estheræ in pauciſſima contraxit; quæ dedimus versibus præcedentibus initio capitis.

COMMENTARIVS.

ESthera ab eodem spiritu magistro edocta, quo fuerat Mardochæus; idem ab Omnipotente postulat eâdem freta in Deum fiduciâ, eâdem simplicitate & candore nisi quod ipsius oratio utpote mulieris prolixior sit: sexui enim illi orationem ad Deum protendere proprium est. Accedit, quod primæ partes illi incumbebant, & Assuerum genti suæ conciliandi, & Amani machinationes convellendi.

Paraphrasis Chaldaica apud Sanctium dicit Esthe-

17. Esthera exemplo sanctorum illius temporis in loco ædiũ superiore versus Hierusalẽ oravit.

Estheram orasse conversо vultu versus Hierusalem, ut quâ ratione posset se coram Dei templo præsentem sisteret. Habebat ipsa hujus ritus forte magistrum patruum suum Mardochæum, & multorum gentis suæ exemplа. In primis Sara Raguelis filia, Tobiæ tertio, oratura pergebat *ad superius cubiculum domus suæ*, & ut habent Græca ℣. 12 πρὸς τῇ θυρίδι, deprecata est Dominum ad fenestram; quod sic intelligunt Interpretes, quasi in suo oratorio & secessu, qui erat in cœnaculo & loco domus editiore, habuerit fenestram, quæ respiceret Hierosolyma, ad quæ obversa suas preces Deo offerret: quam consuetudinem tenuit Daniel cap. 6, vers. 10, etiam cum vitæ periculo. Idipsum forte etiam secuta est Iudith, quæ cap. 8, ℣. 5: *In superioribus domus suæ fecerat sibi secretum cubiculum, in quo cũ puellis suis clausa morabatur*; ad quod etiam Deum deprecatura ascendit cap. 9, ℣. primo.

Sic in cœnaculo orabant Apostoli Actorum primo, 10, & S. Petrus cap. 20. S. Hieron. in caput 6, Danielis hujusmodi δώματα ἢ ἀνώγαια, ait Latinè dici Mœniana, solaria, tecta, cœnacula. Vide eumdem epistolà ad Suniam & Fretellam.

Sed & Nehemias dicit 2 Esdræ cap. primo ℣. 4, se orasse *ante faciem Dei cœli*; quod commodè accipi potest de facie conversa Ierusalem & templum versus. Et verisimile est idem alios etiã Iudæos egisse, quotiescumque ipsos abesse contigisset Hierosolymâ. Sic enim monuerat Salomon lib. 3 Regum cap. 8, ℣. 44. *Si*, inquit, *egressus fuerit populus tuus ad bellum contra inimicos suos per viam, quocumque miseris eos, orabunt te contra viam civitatis, quam elegisti, & contra domum quam ædificavi nomini tuo; & exaudies in cœlo orationes eorum.* Et rursus ℣. 48. *Si reversi fuerint ad te in universo corde suo & totâ animâ suâ in terrâ inimicorum suorum, ad quam captivi ducti fuerint: & oraverint te contra viam civitatis suæ, quam dedisti patribus eorum, & civitatis quam elegisti, & templi quod ædificavi nomini tuo, exaudies in cœlo*; &c. Vnde planè in animum induco etiam Estheram orationis causà in Gynæcum suum, cœnaculum, aut locum palatii editiorem secessisse, & exemplo Danielis apertâ fenestrâ ad templum Domini respexisse. *Adjuva me solitariam.* q. d. Sic solam, tamquam agnam leonis Assueri unguibus expositam, & sævissimi lupi Amani patentibus rictibus objectam, omni humano auxilio destitutam, parentibus orbatam, inter alienigenas agentem; quod & ipsa explicat infrà ℣. 14: *adjuva me nullum aliud auxilium habentem, nisi te, Domine.*

Gorionides sic paraphrasticus hæc circumscribit: *Ego*, ait, *sola hic habito, sola ego in domo Regis absque patre & absque matre sum, Sicut pupilla paupercula, quæ ostiatim mendicat; ita ego peto seu mendico miserationes tuas fenestratim, sive ex unâ fenestra ad aliam decurrens.* Sic ille. Quibus verbis insinuatur ritus orantium Iudæorum, de quò suprà, qui apertis fenestris, vel lumina ad templum sanctum dirigebant, vel in cœlum sustollebant.

18. Esther forte cecinit Canticum Graduum Psal. 122, &c.

Quid si dicamus metu perculsam, & omnis opis inopem reginam spiritu ingeminasse Canticum graduum Psal. 122: *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in cœlis. Ecce sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum: Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ*; (ut mancipia semper oculos conversos habent ad manus dominorum, ut non solum ipsorum jussis morem gerant, sed etiam auxilium opportunum ab iisdem impetrent) *ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.*

19. Sancti Deum precaturi proponere illi solent suã solitudinẽ.

Frequenter ii, qui inter summas angustias fuerant deprehensi, quorum vel salus vel etiam ipsius populi extremo in discrimine versabatur, hoc argumento usi sunt, ut divinam clementiam provocarent; cum illi proponerent se omni planè subsidio destitutos, & quasi depositos, planeque perituros, nisi cœlitus à Numine præberentur suppetiæ. Sic videtur orasse Iudith, cap. 9, ℣. 3: *Subvenі quæso te, Domine Deus meus, mihi viduæ:* q. d. cum marito orbata sim, tu mihi conjux, pater & mater es. Mihi ergo desertæ adfer opem.

Sic supplicat Sirachides Ecclesiastici cap. 51, vers. 10. *Circumdederunt me undique, & non erat qui adjuvaret.*

Respiciens eram ad adjutoriũ hominum, & non erat. Vnde & mox subdit vers. 11. *Memoratus sum misericordiæ tuæ, Domine,* &c. Vide quæ ibi à nobis dicta sunt. Ita & Psaltes Regius Psal. 24, ℣. 16: *Respice in me, & miserere mei, quia unicus & pauper sum ego.* Similiter fermè deprecabatur Dominum Asa Rex Iuda contra irruentem in se exercitum Æthiopum, 2 Paralipom. 14, ℣. 11. *Domine, non est apud te ulla distantia utrum in paucis auxilieris, an in pluribus: Adjuva nos Domine Deus noster: in te enim & in tuo nomine habentes fiduciam venimus contra hanc multitudinem. Domine Deus noster tu es, non prævaleat contra te homo.*

20. Quid sit periculum esse in manibus.

Vers. 4. *Periculum meum in manibus meis est.* Videtur formula Adàgialis Hebræis usitata, quâ significatur præsto esse, imminens & quasi præsens periculum. Extulit illam Gorionides hisce verbis: *Et nunc, ô Deus, ecce anima mea in palmis meis: suscipe eam de manibus meis, si bonum tibi videtur: sin secus, libera quæso oves pascuæ tuæ à leonibus istis, qui adversus eas insurrexerunt.*

20. Significat periculum proximum.

Hebraismus ille notus est ex Psalmo 118, ℣. 109. *Anima mea in manibus meis semper*: q.d. vita mea non minus objecta est certissimo & inevitabili mortis discrimini, atq; pecunia, vel alia quælibet res exposita est periculo direptionis, quæ circumfertur manibus per loca latronibus infesta.

Simili phrasi dixit Ionathas primi Regum cap. 19, vers. 5. Davidem posuisse animam suam in manu suâ, quando processit in certamen contra Philisthæum: Pari modo loquitur Saüli Pythonissa ibidem cap. 28: v. 21: *Posui animam meam in manu meâ.* Ita & Iephte affatur viros Ephraim, Iudicum 12, ℣. 3: *Posui animam meam in manibus meis*, id est, vitam meam objeci manifesto mortis periculo. Ex tam multis verò adductis locis dubium nullum superest, quin hoc fuerit Proverbium apud Iudæos, & adstipulatur, S. Hieronym. epist. ad Suniam, dum docet, eo significari vitam expositam esse periculo.

Audivi à patre meo, &c. Vlterius ut Dei erga se, & populum suum misericordiam excitet, commemorat ejus erga genus Israeliticum favorem & specialia beneficia, quod præ omnibus gentibus Israel elegerit tamquam peculium & hereditatem suam, & tamquam filium primogenitum

genitum dilexerit, ex variis regionibus, ubi dispersus, & servitute oppressus fuerat, in terram Chanaan ducens & reducens. Hoc autem sæpè litteræ sacræ inculcant: Deuter. 32. ℣. 9. *Pars Domini populus ejus: Iacob funiculus hereditatis ejus*; & quæ sequuntur. Vide etiam ibidem 7. ℣. 6. Gorionides hæc verba Estheris copiosius prosequitur. *Nam docuit*, inquit, *me pater meus, quod tu tuleris patres nostros de Ægypto, & interfeceris cuncta primogenita Ægypti, eduxerisque populum tuum de medio eorum, & manu tuâ robustâ, brachioque extento, velut equo, traduxeris eos per mare in desertum, & dederis eis panem de cœlo, & aquam de saxo durissimo, atque carnem ad saturitatem exhibueris eis, & percusseris ante conspectum eorum reges magnos & fortes, tradideriscque eis in hereditatem terram tuam optimam.*

Græca habent, ut dixi: Ego audiebam à nativitate meâ in tribu patriæ meæ, vel, ut alii, familiæ meæ. Vbi nota Septuaginta solere vocare tribum vel familiam (quales fuere duodecim apud Iudæos juxta numerum filiorum Iacob) πατριὰν, quasi dicat Latinè parentelam. S. Paulus in textu nostro ad Ephes. 3 ℣. 15 vocat *paternitatem. flectо*, inquit, *genua mea ad Patrem, ex quo omnis paternitas nominatur*, id est, existit. A Deo enim Patre habent homines quod sint patres filiorum, & principes seu patres tribuum & familiarum, ut fuerunt Patriarchæ.

21. Quid πατριὰ apud Septuaginta Interpretes?

Cæterum utrumque verum fuit, & quod Esthera audiverit à primâ ætate suâ in familiâ suâ, & etiam à patre suo vel vero, naturali, & proprio, vel adoptivo, utpote Mardochæo, qui singularem ejus rationem habuit, ut institueret juxta legem Moysi. Non enim frustra dictum est suprà cap. 2 ℣. 11, *quod curam ageret salutis Esther: quæ utrumque parentem amiserat*; ibidem vers. 7.

Excursiuncula exhortatoria, quâ monentur parentes liberorum animis religionis virtutumque satus inspergere.

HOc monitum & præceptum summus Magister Deus in divinis oraculis auribus & animis priscorum Patrum passim instillavit: nempe ut liberorum tenellis mentibus tamquam terræ adhuc virgini, nullius peregrini seminis sparsione corruptæ, nominis & numinis sui notitiam, suorum edictorum æquitatem, beneficia in gentem suam cumulatissimè collata, amplissima denique promissa sibi obsecundantibus facta, crebro insererent, & altius depangerent.

22. Ostendunt hoc Scripturæ.

Exclamat egregius Psaltes Psalmo 77 ℣. 7: *Quanta mandavit Patribus nostris nota facere ea filiis suis, ut cognoscat generatio altera; filii, qui nascentur, & exurgent, & narrabunt filiis suis. Vt ponant in Deo spem suam, & non obliviscantur operum Dei, & mandata ejus exquirant: ne fiant sicut patres eorum generatio prava & exasperans.* Idem Psalmo 33 ℣. 12 ad se convocat filios. *Venite filii, audite me: timorem Domini docebo vos.* Plura in eum locum suggerunt Interpretes.

Sed & Legislator Hebræus Exodi 12 ℣ 26 sic loquitur: *Cum dixerint filii vestri: Quæ est ista religio?* (observationis & cultus Paschæ) *dicetis eis: Victima transitus Domini est, quando transivit super domos filiorum Israel in Ægypto, percutiens Ægyptios, & domos nostras liberans.*

Hoc nomine commendat Dominus Abrahamum multarum gentium Patrem Genes. 18, nolitque consilium suum arcanum de perdendis Sodomitis ab eo celare: *Scio enim*, ait, *quod præceperus sit filiis suis, & Domui suæ post se, ut custodiant viam Domini, & faciant judicium & justitiam.* 23. Abraham hoc nomine commendatur, & alii.

Non solum hic Patriarcha pius erga Deum, sed etiam sollicitus fuit ut eàdem pietate filios & posteros suos imbueret. Domesticâ enim catechesi sive vivâ voce illos docebat, quæ ad cultum Dei pertinebant, & ad æternam beatitudinem consequendam id temporis scire & facere necessarium erat. Hæc enim est via Domini, hoc facere judicium & justitiam; operari nempe quod Dei & sapientum ratione justum & sanctum est, ut est Dei observare mandata.

Abrahami vestigiis insliterunt quotquot priscæ legis tempore viri vixêre religiosi, Dei & suorum liberorum amantes, ut canit Hebræa fidicen lyræ Psal. 43, exordio. *Deus auribus nostris audivimus: patres nostri annuntiaverunt nobis opus, quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis.*

Sed & juvat ex Persarum nostrorum moribus & institutis aliqua huc derivare. Novimus enim quondam priscis, primisque temporibus ipsorum Rempub. optimis fuisse legibus temperatam, maximè quoad puerorum informationem: de quâ multa Xenophon Musa Attica, lib. 1 Pædiæ, & ex eo Brissonius lib. 2 de Persarum dominatu, ex quibus ego hausi paucula. 24. Institutio juventutis apud Persas.

Erat illis Schola, in quâ docebantur ea quæ ad bene, beateque vivendi notitiam spectabant, quæ vocabatur ἐλευθέρα ἀγωγὴ id est, forum liberale & ingenuum; non autem rerum venalium, ut quies studentium bonis artibus non interturbaretur clamoribus & contentionibus.

Monebantur primò numquam mentiri, deinde jus suum cuique tribuere. Præclarè: nam ætas illa ad consuenda mendacia, & piceatas manus injiciendi in alienas pecunias cerea & prona. 24. Persarum disciplina.

Docebantur servare frugalitatem & continentiam. Ad quod illos maximè juvabat, quod ante oculos haberent, seniores non prius se conferre ad vescendum, quam principes permisissent; quodque non apud matres cibum sumerent, sed apud morum magistrum; ferrentque domo pro cibo panem, pro obsonio nasturtium; ad potum verò capedinem, ut ex flumine aquam haurirent: unde & commodâ utebantur valetudine. Instruebantur etiam parere magistratibus, præceptoribus, senioribus.

Proponebantur illis fabularum involucris tecta virtutum documenta.

Post mendacium, in proximo turpitudinis gradu ponebant æris alieni contracti molem, & debita.

Ingrati animi crimen detestabantur, illudque in judicium vocabatur.

Parentes summâ observantiâ colebant.

Item, quæcumque factu turpia, eadem & dictu ab ipsis censebantur.

Erudiebantur voce procerum pro foribus regiæ.

Curæ illis erat moderari risum; in levandâ vesicâ honestatem servare & alvo solvendâ, &c.

25. Diu vigult Persarum imperium per puerorum tectam institutionem.

Per hæc instituta teneris puerorum mentibus instillata stetit Monarchia Persarum diu incolumis, donec tandem Medicus, Lydiusque luxus priscam Persarum frugalitatem, disciplinamque evertit.

Hæc commemorasse abs re non fuerit, ut hinc Christiani parentes discant cum lacte materno liberorum animis virtutum rudimenta & nutrimenta instillare.

26. Deus passim præcipit parentibus ut filios suos doceant legem servare.

Sed redeo ad divina oracula: in quibus Deus ipse sæpe præcipit ut mira opera, quæ patravit, & edicta quæ finxit, parentes filiis suis proponant, & inculcent. Deuter. 4 ℣. 9. *Ne obliviscaris verborum* (rerum) *quæ viderunt oculi tui, & ne excidant de corde tuo cunctis diebus vitæ tuæ. Docebis ea filios ac nepotes tuos.*

Ibidem agens de suis justis cap. 11 ℣. 18 & sequent. *Ponite hæc verba mea in cordibus, & in animis vestris: Docete filios vestros ut illa meditentur, &c.*

Argumentum hoc uberrimum est, & fructuosissimum; sed quia frequenter illud edisserui & diffusius explicavi in Syrachide nostro, hic pressius stringo. Vide Ecclesiastici 7 ℣. 25 à me dicta. Item cap. 30, sub initium ℣. 1 & 2. & sequent.

Adduxi Persas veteres in exemplum præclaræ puerorum educationis, attuli & alibi pecudum & alitum in catulis & pullis educendis industriam & sedulitatem: jam eadem confirmo ex Philostrato in vitâ Apollonii Tyanæi lib. 2 cap. 7. *Elephantes*, inquit, *flumen Indum transeuntes, suos pullos deferunt vinculis, ne forte cadant, eos complexi. Inter lupos femina partus custodit, masculus autem pro catulorum salute cibos ad ipsam defert. Aves quoque videmus pullorum causâ multa facientes, velut aquilas ac ciconias, quæ nunquam nidos extruunt, quin lapides illis imponant: hæc quidam à se aquilinum vocatum, illa verò lychnitin appellatum, propterea quod facem adhibent, ut ova fœtum producant, & serpentes nidis non appropinquent. Cum ego*, inquit Apollonius, *in Ægis insulâ versarer, vidi Phocam* (marinum vitulum) *à piscatoribus comprehensam, mortuum filium, quem in carcere* (ut sic dicam) *peperat, ita deplorare, ut triduo à cibis abstinuerit, quamvis omnium belluarum voracissima sit. Balena autem fœcibus filios abscondit, si quando majorem belluam fugere eos contigerit. Vipera etiam visa est serpentes, quos peperit, lingua lambere, atque expolire.* Hæc ibi.

27. Bestiarum, avium, piscium cura in pullis educandis & catulis.

28. Ursa catulos suos fingit.

Ursam informes partus linguâ lingere, & lambendo fingere nemo ignorat, ex Plinio lib. 8 cap. 26. Collimat eò S. Ambros. lib. 6 Hexameron cap. 4. *Ursa*, inquit, *partus suos ad sui effingit similitudinem; tu filios tuos instituere similes tui non potes?* Ratiocinantur quidam non insulsè Eliseum prophetam 4 Reg. 2 hâc de causâ ursos de saltu immisisse in pueros sibi illudentes, *Ascende calve, Ascende calve*; ut parentes, qui illos malè educaverant, & ursos in eorum institutione æmulari neglexerant, filiorum per ursos veluti lictores, laceratione, ut congruâ vindictâ, plecteret. Plura de affectu & curâ erga fœtus & catulos suos variorum animalium reperire est apud Ælianum in historiâ de eorum proprietatibus, ut lib. primo cap. 16 de Glauco pisce, cap. 17 de Caniculâ marinâ, de Delphino cap. 18: de ursâ verò fingente catulos lib. 2 cap. 19.

29. Quare jussu Eliseï pueri illi illudentes per ursos occisi.

Finem imponet huic excursui Psaltes regius, qui Psalmo 127 inter alias benedictiones, quibus Deus se timentes beat, hanc ℣. 3 reponit. *filii tui sicut novellæ olivarum, in circuitu mensæ tuæ.* Quo loco ex S. Patribus, Augustino, Hieronymo & aliis auctoribus observant Interpretes, ut Lorinus, Tirinus & plures, proborum & Dei metuentium liberos fore præclaros, ita ut pares sint novellis olivarum, id est, surculis, stolonibus & germinibus novis earum; diu scilicet Dei misericordiâ, cujus oliva symbolum est, vitam producturi. Non enim olivæ surculi & plantationes putantur, ut vitium palmites: nec *Deus misericordiam suam abscindet à generatione in generationem*, Psalmo 76. 9. Deinde non erunt spurii vel adulterini sed filii verè germani & genuini, qui non modò parentes referent oris, vultus, manuum, & corporis lineamentis, sed multo magis morum, vitæ, pietatis & divini cultus similitudine. Ajunt verò Phytologi, qui historiam plantarum scribunt, non ferre olivam, ut trunco suo aliena planta inseratur, & adoptiva, seu, non sua poma producat. Præterea (ut breviter omnia perstringam) erunt hujusmodi liberi speciosi corpore, ductiles & flexiles ad parentum nutum, optimæ spei, quod pingues & optimos fructus prolaturi sint in domo Domini, semper virides non solùm corporis viribus, sed multo magis animi, virtutibus nempe & sapientiâ, victores tentationum & adversitatum, misericordes & munifici, concordes & pacifici; oleum quippe pacem & caritatem significat, & columba pacalem olivam sive tesserim pacis rostro suo in arcam detulit. Postremo grati erunt Deo & hominibus, & tales, quales quilibet parens sibi concedi optaret.

30. Cur filii præclarè instituti à Davide dicti novellæ olivarum.

VERSVS VI, VII, VIII, IX, X.

Peccavimus in conspectu tuo, & idcirco tradidisti nos in manus inimicorum nostrorum:
Coluimus enim Deos eorum. Justus es Domine.
Et nunc non eis sufficit, quod durissimâ nos opprimunt servitute, sed robur manuum idolorum potentia deputantes,
Volunt tua mutare promissa, & delere hereditatem tuam, & claudere ora laudantium te, atque extinguere gloriam templi & altaris tui,
Ut aperiant ora gentium, & laudent idolorum fortitudinem, & prædicent carnalem regem in sempiternum.

Græcè: Et nunc peccavimus in conspectu tuo, & tradidisti nos in manus inimicis nostris, eo quod glorificavimus deos eorum: justus es Domine.

Et nūc non eis sufficit in amaritudine servitutis nostræ (non sunt cōtenti amaritudine servitutis nostræ) sed posuisti manus eorū super manus idolorum suorum vel ipsorum (sed Septuaginta habēt, ἔθηκαν, pro ἔθηκας, posuerunt manus suas, &c. Gorionides autem: Ecce ipsi non dicunt; te nos in manus suas tradidisse, sed idolis hoc ipsum acce-

acceptum ferunt, eaque adorant, dicentes: Vos in manus nostras Iudæos dedistis) ad tollendam determinationem oris tui, & delendam hereditatem tuam, & obturandum os laudantium te, & extinguendam gloriam domus tuæ, & altaris tui, & ad aperiendum os gentium ad virtutes stultorum (vanorum, Græcè ματαίων) ut magnificetur (Græcè πνμαθῆναι, id est, ut admirationi sit, vel, ut admirentur) Rex carnalis in sempiternum.

COMMENTARIVS.

REgina hîc ℣. 6 & alio argumento contendit Numen divinum ad misericordiam flectere; humili videlicet confessione peccatorum, quæ Iudæorum populus commiserat in Iudæâ, Deos alienos colendo, propter quæ justo Dei judicio in Chaldæorum potestatem redactus fuerat. Sibi verò illa scelera imputat, quia membrum erat corporis illius civilis, ut rectè Dionys. hîc. Gorionides cap. 3 sic habet. *Quia peccaverunt patres nostri contra nomen tuum magnum, dedisti eos in captivitatem. Ecce nos in transmigratione hodierna isto die, &c.* Hoc ipsum procul dubio adhuc puella vel à patre suo vel Mardochæo nutritio & tutore hauserat, quomodo multi Iudæorum immeriti majorum delicta durissimâ servitute pressi luerint, licet ipsi numquam idola gentium fuissent venerati, nec earum superstitionibus commixti.

31. Sancti suis peccatis communes calamitates adscribunt, & parentum scelera ad se quoque pertinere existimant.

Est hic genuinus sanctorum spiritus, qui cum communi calamitate se involutos conspiciunt, mala omnia & flagella populo inflicta suis noxis, etiam levioribus imputant, vel saltem parentum scelera ad se aliquo modo pertinere præ se ferunt.

Rupertus lib. 8 de Victoriâ Verbi Dei hoc tribuit Estheræ justitiæ, cap. 16. *Quod dicit & confitetur. Peccavimus, &c. hæc justitia est. Nam justus in principio accusator est sui*, Prov. 18. ℣. 17. Sic enim legunt Septuaginta: *Justus sui ipsius est accusator in principio sermonis*; Noster verò habet, *Justus prior accusator est sui*: Quæ verba sic accepit S. Ambros. lib. 1 Officior. cap. 17. *Justus seipsum prius quam alios accusat; ille enim justus, qui nec sibi parcit, & occulta sua latere non patitur.*

32. Justus prior accusator est sui.

Sic Publicanus percutiens pectus suum dicebat: *Deus, propitius esto mihi peccatori*; cujus exemplo Liturgus ad sacra mysteria accessurus, principio Orationis suæ in conspectu Dei & Sanctorum culpam suam confitetur, ex antiquo Ecclesiæ ritu. Sic elicitur Dei ad miserendum propensa benignitas, cui semper humilium placuit deprecatio. Ita teste Chrysost. homil. 4 in Genesin, adversarius noster diabolus confunditur, & obmutescit.

33. Lupus ab homine prævisus ferociam amittit, sic diabolus cum illum confitentes peccata, prævenimus.

Hoc pacto tamquam lupus à nobis prævisus ferociam virosque amittit: quâ de re videndus S. Ambros. lib. 6 Hexamer. cap. 4. *Lupus*, ait, *si se prævisum senserit, deponit ferociam.*

34. Confessio peccatorum catena aurea, cujus primus annulus est humilitas.

Est illa criminum agnitio & exomologesis, auctore eodem Chrysost. homil. 9 in Epistol. ad Hebræos in Morali, *catena aurea*. Audi eum. *Est*, inquit, *pœnitentia & confessio veluti quædam catena aurea, & si initium acceperit, sequuntur omnia. Nam si peccatum fueris confessus, ut oportet confiteri, fit humilis anima*; Et paulò post. *Post humilitatem sequuntur intensæ preces, multæ lacrymæ, eleemosyna; &c.* quæ ipse more suo amplè deduxit.

Vbi vides, Lector, scelerum confessionem, ex corde humiliato & contrito profectam, esse primum annulum in torque aureo, qui reliquos annulos facilè ad se trahit, id est, plurimas virtutes, quæ inter se connexæ sunt; sicut & peccata sunt sibi invicem concatenata.

35. Catena peccatorum ferrea convertitur in auream pœnitentiæ beneficio. Sic fuit permutatio armorum Diomedis & Glauci.

Sed adverte divinum artificium, & quasi Chymicum. Manicæ & compedes multorum criminum, quibus peccator constringebatur, ferreæ & æreæ integræ, candidæ, & humilis confessionis opificio & beneficio, in aureas & gemmeas supernâ metamorphosi convertuntur: Ita fit hæc similis permutationi Diomedis, qui pro suis armis ferreis aurea à Glauco recepit bello Trojano. Sed in divinis libris non modo peccatores, ut David, Publicanus, inter orandum se scelerum reos agnoscunt, & arguunt, sed & innocui, justi & immaculati. Noverant enim illum facilem & mollem aditum esse ad thronum divinæ miserationis, & propitiatorium. Esdras sic orationem suam ad Deum exorditur; 1 Esdræ c. 9. ℣. 6. *Deus meus, confundor, & erubesco levare faciem meam ad te: quoniam iniquitates nostræ multiplicatæ sunt super caput nostrum, & delicta nostra creverunt usque ad cælum, &c.*

36. Viri justi, ut Dei misericordiam provocarent, peccata sua fatebantur.

Tobias inter cetera sic deprecatur cap. 3. ℣. 4. *Quoniam non obedivimus præceptis tuis, ideo traditi sumus in direptionem, & captivitatem & mortem, &c.*

Azarias stans in medio flammæ sic oravit, Daniels 3. ℣. 29. *Peccavimus enim, & iniquè egimus recedentes à te: & deliquimus in omnibus, & præcepta tua non audivimus, nec observavimus, nec fecimus, sicut præceperas nobis, ut bene nobis esset, &c.*

Quin & ipse vir desideriorum Daniel cap. 9 ℣. 5 orat Dominum Deum, & confitetur: *Peccavimus, iniquitatem fecimus, impiè egimus, & recessimus, & declinavimus à mandatis tuis, ac judiciis, &c.*

Idem fuit animus, eadem oratio aliorum sanctorum & prophetarum.

37. Sic mendicus ulcerosus benignitatem divitis movet.

Non minus viscera divinæ misericordiæ provocant peccatorum denuntiatio, & miseriarum propriarum declaratio, quam viri benigni pectus concutit & effodit ad sublevandum mendici pannosi, ulcerosi & calamitosi aspectus & consideratio.

Addit Tertullian. lib. de Pœnitentiâ: *Tantum*, inquit, *relevat confessio delictorum, quantum dissimulatio exaggerat.*

Vers. 7. *Coluimus enim Deos eorum.* Constat enim ex libris Regum & Prophetarum non solum populum Iudæorum, sed etiam ipsorum reges tam Israel quam Iuda simulacra falsorum deorum divino cultu fuisse prosecutos; adeo ut Sirachides dixerit Ecclesiastici 49 ℣. 5, loquens etiam de regibus Iuda: *Præter David & E-*

38. Reges Iudæorum idololatræ.

zachiam & Iosiam omnes peccatum commiserunt (aliquo modo se inquinaverunt culpâ idololatriæ, ut ibi ostendi) *nam reliquerunt legem Altissimi reges Iuda, & contempserunt timorem Dei.* Vnde propter hoc infandum scelus in captivitatem Babylonicam abducti sunt. Quin etiam gravissimâ Chaldæorum pressi servitute non destiterunt tamen diis alienis servire, ut Prophetæ docent.

Vers. 8 : *Robur manuum suarum idolorum potentiæ deputantes.*

Videntur hæc opponi verbis præcedentibus : *Tradidisti nos in manus inimicorum nostrorum*: quasi dicat : Cum tu, Domine, ob scelera majorum nostrorum nos tradideris in manus & potestatem Chaldæorum & Persarum inimicorum nostrorum ; ipsi contra & existimant, & palam ore prædicant, quod idolorum potentia tribuerit illis vires & robur, ut nos tibi subjugarent, debellatosque in exilium deportarent. Sic etiam intellexit Gorionides cum ita hæc reddit. *Ecce ipsi non dicunt te nos in manus eorum tradidisse, sed idolis hoc ipsum acceptum ferunt, eaque adorantes ajunt : Vos Iudæos in manus nostras tradidistis.*

Et consonant Græca, maxime juxta versionem Septuaginta, quæ sic habent : *posuerunt manus suas super manus idolorum suorum* : ut sensus sit : arbitrantur idolorum potentiam simul cum ipsorum copiis & fortitudine concurrisse, & conjunctis viribus nos superasse & cepisse.

Serarius verò & Menochius duobus modis illa exponunt: Adjunxerunt manus, viresque suas ad idolorum suorum manus, eis quasi ministros se præbentes & instrumenta contra nos.

Secundò : manus suas eorum manibus exposuerunt, quasi datis in eorum dexteras dexteris suis jurarint, & contra nos fœdus pepigerint, vel mutuo fuerint stipulati.

Sic de Iudæorum & populi sui hostibus scribit Propheta regius Psalmo 82, ℣. 6. *Quoniam cogitaverunt unanimiter : simul adversum te testamentum disposuerunt tabernacula Idumæorum & Ismaelitæ* 9: *Volunt tua mutare promissa.* Græcè est, volunt tollere definitionem vel decretum oris tui, quo scilicet nos salvare decrevisti.

Cæterum videtur Esther maximè respicere illa Dei promissa, quibus addixerat sè populum suum per varias regiones dispersum, & in servitutem redactum à barbaris gentibus, collecturum & reducturum ad fines patrios, si modo serià peccatorum commissorum pœnitudine tangeretur ; sicut per jejunia, humiliationes, carnis macerationes, orationes Iudæi à Mardochæo & Esthera admoniti planè fecisse videntur.

39. Dei promissa in reducendo populo Iudæorum.

Extant passim hæc Dei promissa, ut Deuter. 30, ubi inter alia dicit Dominus ℣. 4. *Si ad cardines cæli fueris dispatus, inde te revocabit Dominus Deus tuus, &c*, videlicet si (ut præmiserat ℣. 2) *reversus fueris ad eum, & obedieris ejus imperiis cum filiis tuis, in toto corde tuo, & in totâ animâ tuâ*: Vide præcedentia.

Ieremiæ 31 ℣. 35 & 36. *Hæc dicit Dominus, qui dat solem in lumine diei, ordinem lunæ & stellarum in lumine noctis : qui turbat mare, & sonant fluctus ejus, Dominus exercituum nomen illi. Si defecerint leges istæ coram me, dicit Dominus ; tunc & semen Israel deficiet, ut non sit gens coram me cunctis diebus.*

Illa ergo & hujusmodi Dei promissa de reducendo populo suo in Iudæam, de liberando illo ex potestate hostium, de semine eorum perpetuando, irritare, & ad nihilum redigere nitebantur Hebræi nominis hostes, quasi Deus aut non posset, aut nollet eos eripere de manibus eorum: quod in maximam Dei injuriam cedebat.

Vnde religiosa & amore divini cultus æstuans Regina contrà, omni animi contentione conatur provocare Dei zelum, qui dixerat, *Gloriam meam alteri non dabo*, Isaiæ 42, 8 ad æmulationem, & justam vindictam sumendam de inimicis suis, proponens illi in suâ oratione honoris sui contemptum, & idolorum gloriam & exaltationem.

Volunt, inquit, contra tua promissa, populum tuum, quem tibi in hereditatem separasti, de sub cœlo delere, ut *non memoretur nomen Israel ultrà* : & sic *claudere ora laudantium te*, ut nulla gens sub sole supersit, quæ laudes tuas, gloriam & beneficia tua deprædicet. Eodem zelo commotus dixerat cap. 13 ℣. 18. Mardochæus : *Ne claudas ora te canentium.*

Addit insuper Esthera : *volunt extinguere gloriam templi & altaris tui* ; quæ constat fuisse restaurata indulto Darii Hystaspidæ primi Esdræ 6. Ex hoc loco convincuntur illi, qui maritum Estheræ ponunt Cyrum vel Cambysen, cum illorum tempore nec templum nec altare fuerit restitutum : exstingui autem non potuit, quod non erat.

Subjungit, *ut aperiant ora gentium* : nihil enim aliud restabat, quam ut obstructis, fidelis & Dei cultoris populi labiis, in ore impiorum & profanorum præconia idolorum resonarent & eorum fortitudo ab omnibus extolleretur : quæ Græcè ματαία, id est, vana vocantur hîc, id est, omni virtute cassa, & nihili, ut ℣. sequenti ea appellat Esther dum ait, *ne tradas, Domine, sceptrum tuum his qui non sunt*, id est, idolis.

Postremò, *& prædicent carnalem regem in sempiternum* ; Assuerum scilicet, admirentur, ut habent Græca ; & magnificent tamquam Deum hîc, & post mortem in Deos relatum, cum tamen carne mortali & corruptioni obnoxiâ constaret. Hoc enim erat propositum impiorum ; sublato veri & vivi Dei cultu regum suorum honorem statuere: hoc etiam principum decretum. Sic scriptum est Iudith 3 ℣. 13. *Præceperat illi* (Holoferni Nabuchodonosor rex) *ut omnes Deos terræ exterminaret, videlicet ut ipse solus diceretur Deus ab his nationibus, quæ potuissent Holofernis potentiâ subjugari.*

VERSUS XI, XII, XIII, & XIV.

Ne tradas Domine sceptrum tuum his, qui non sunt, ne rideant ad ruinam nostram : sed converte consilium eorum super eos, & eum, qui in nos cœpit sævire, disperde.

Memento Domine, & ostende te nobis in tempore tribulationis nostræ, & da mihi fiduciam Domine rex Deorum, & universæ potestatis.

Tribue

Tribue sermonem compositum in ore meo in conspectu leonis, & transfer cor illius in odium hostis nostri, ut & ipse pereat, & ceteri qui ei consentiunt.

Nos autem libera manu tuâ, & adjuva me, nullum aliud auxilium habentem, nisi te, Domine, qui habes omnium scientiam.

Græca: Ne tradas, Domine, sceptrum tuum his, qui non sunt, & ne irrideant in casu nostro, sed converte consilium eorum super eos. at qui cœpit super nos, παραδειγμάτισον, *traduc in exemplum.*

Memento Domine, notum te fac in tempore tribulationis nostræ, & da mihi audaciam Rex gentium, & omnis principatus dominator: da sermonem εὔρυθμον, concinnum (compositum, numerosum) in os meum, coram leone, & transfer cor illius in odium oppugnantis nos in perditionem ejus, & qui consentiunt ei. Nos autem libera in manu tuâ, & adjuva me solitariam, & non habentem alium adjutorem nisi te, Domine; omnium scientiam habes.

COMMENTARIVS.

Ex ℣. 11: *Ne tradas, Domine, sceptrum tuum his qui non sunt*; vel maximè colligimus contra Novatores hæreticos, & Sixtum Senensem, etiam capita postrema hæc ex Græco conversa, esse verè sacra, genuina & canonica; quod quamvis in Præloquiis attigerim, hîc tamen ex professo hinc probo, quod plures Patres hunc versum ut talem proferant, & inprimis S. Hieronym. quem pro se stare putant.

40. S. Hieron. hæc habuit pro Canonicis, ut S. Basilius & alii Patres.

Hic itaque commentans in primum caput Epistolæ ad Galatas. *Transtulit autem*, inquit, *estis in aliud Euangelium, quod non est aliud: quia omne quod falsum est, non subsistit; & quod veritati contrarium est, non est: ut illud: Ne tradas Domine sceptrum tuum his, qui non sunt.*

Et in caput 63, Isaiæ 1, ℣. 3. *Quod autem in Septuaginta legitur; Dæmonibus, qui non sunt, & in Hebraico non habetur, illo sensu accipiendum est, quod juxta litteram, & juxta spiritum nec dæmonia subsistant, quia jam à Deo, qui vere est, exciderunt, nec sectæ hæreticorum, quæ nullam retinent veritatem, sed in umbrarum similitudinem transeunt, atque intereunt. Vnde & Esther loquitur ad Dominum: Ne tradas hereditatem tuam his qui non sunt.*

Et in Primum caput Ioel: *Qui est, misit me; ad distinctionem enim eorum qui non sunt de quibus in Esther legimus: Ne tradas sceptrum tuum his qui non sunt: Deus & Sancti ejus esse memorantur.*

Ex his patet luce solis clarius S. Hieron. hæc censuisse capita postrema Canonica.

Vt talia etiam profert ipso anterior S. Basil. lib. 2 contrà Eunomium: Καὶ ἡ σοφωτάτη Ἐσθὴρ, μὴ παραδοῦς, κύριε, τὸ σκῆπτρόν σου τοῖς μὴ οὖσι.

Et sapientissima Esther: Ne tradas Domine sceptrum tuum his qui non sunt.

Eadem verba producit Origenes Homilia 5 in Psalmum 36. Versum 13 citat Chrysost. infrà Homil. 3 ad populum.

Et hæc sufficiant pro veritate hujus capitis Canonicâ. Ad sensum venio.

Ne tradas sceptrum tuum his qui non sunt.

Duplex sensus verborum. Sensus hîc mihi duplex esse videtur, & uterque probabilis.

Prior. Primus: Ne permittas potentiam & gloriam tuam regiamque auctoritatem adscribi idolis, qui non sunt dii, quales à suis cultoribus putantur esse. Sic sceptrum accipietur Metonymicè, nempe signum pro re.

Posterior. Alter. Ne tuas gentem tuam, in quâ regnas, & sceptrum tenes, mancipari idolorum cultoribus. Ita Menochius, & Sanctius, qui accipit præcipuè de carnali Rege Assuero, dum ita scribit. Sceptrum his opinione hominum videtur tradere Deus, quibus grandia atque inusitata patrare permittit. Hinc enim suspicantur homines aliquid esse in Regibus humano majus, & divinum quidpiam: quæ causa fuit, ut in deorum numerum ab stolidâ gentilitate relati sint illorum plurimi.

Quod consecutus videbatur Assuerus, imo & Amanus, qui jam sibi divinos exigebant honores & in eos hostilem in modum bacchabantur, qui recusarent exsolvere.

Est hic posterior sensus valde litteræ conformis; sequitur enim, *ne videant ad ruinam nostram*, &c. cum scilicet viderint nos sibi traditos ad occisionem & mortem. Si enim in litteris sacris idola dicuntur non esse, nihil, vanitas, mendacium; cur non etiam eorum cultores? de quibus dicitur Psal. 113, vers. 8. *Similes fiant, qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.*

41. Idolorum cultores nihil sunt; ut & idola.

Hunc locum sic intellexit Ribera in Osee cap. primum scribens n. 77, & Velasquez tomo 2 in epistolam ad Philippens. Annot. 1, n. 5, in cap. 3, ℣. 3. Populus, inquit Ribera, Iudæorum, meritò dicitur Iehu, id est, ipse, sive existens, quia solus Deum verum noverat, sicut scriptum est Psal. 75: *Notus in Iudæa Deus*; &c. Idololatræ autem, quia eum non noverant, dicuntur in scripturâ non esse, ut Esther 14: *Ne tradas sceptrum tuum his qui non sunt*, &c, Ita Ribera.

42. Dicitur non esse, cui malè est, esse verò, cui bene.

Sic etiam quidam ratiocinantur: quandoquidem gentiles veri Dei cognitione carebant, merito dicuntur non existere, cum in Dei cognitione vera vita & beatitudo sita sit, juxta illud Ioan. 17, ℣. 3. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum*; &c. Sic non esse idem erit quod infelicem esse, ut loquuntur Comici: *Perii, nullus sum*, pro valde miser & infelix sum. Contra existere interpretantur, feliciter agere, beatèque vivere, & propter hanc incommutabilem beatitudinem volunt Deum dicere Exodi 3, 14. *Ego sum qui sum.*

Nihilominus, quia, ut vidimus suprà, S. Hieronym. & Basilius docent hoc contumelioso nomine vocari idola, quia falsa numina sunt, & mendacium vero contrarium, nec sunt dii, qui putantur esse, vel videri volunt; ideo prior sensus videtur sequendus: quem etiam suprà probat.

Prior sensus probabilior.

S. Basilius ex voce S. Pauli dicentis, serviistis diis, qui naturâ Dei non sunt, & Ieremiæ: Iurabant per Deos. qui di non sunt. Dei autem proprium est, esse, subsistere, vivere; unde & Hebraicè Exodi 3,14, se vocat: *Ero qui ero.* Delrius Adagio 229, tomo primo Adagialium putat τὸ *Qui non sunt*, Proverbialiter jactari tamquam convitium in eos, qui malunt aliquid videri esse, quam esse, boni, sapientes, sancti, &c.

Qui non sunt, forma est Proverbialis.

43. Idolum propriè est umbra & inane simulacrum sive vanum spectrum.

Vt autem Lector intelligat idola & simulacra gentium propriè dici non esse, vel nihil esse; sciendum est idolum Græcè significare similitudinem sive imaginem inanem & mendacem, ut sunt noctium phantasmata, spectra, & mortuorum umbræ, ut patet ex Platone in Theæteto, ubi sic infit: *mendacia & idola pluris faciunt quam veritatem*; ex Luciano Dialogo de mortuis, Homero 11 Odysseæ & ibidem Eustathio, quo loco umbræ mortuorum vocantur idola, & Virgil. Æneidos 6, dicit hujusmodi umbras *volitare cavâ sub imagine formæ.* Vnde litteræ sacræ & Patres appellarunt idola falsorum deorum simulacra, quia inania & cassa sunt quoad repræsentationem; quod enim repræsentant, non est Deus. Sic dicit Æneas 2 Æneidos de idolo Creusæ,

Infelix simulacrum; atque ipsius umbra Creusæ
Par levibus ventis, volucrique simillima somno.

Existimatur enim tale simulacrum esse similitudo Dei, qui tamen nusquam est. Pertinet huc locus Isaiæ 41, vers. 24, ubi loquens de idolis sic infit: *Ecce, vos estis ex nihilo, & opus vestrum ex eo quod non est*: id est: proveniistis non ex vero principio, sed ex falsa imaginatione.

44. Mendaciũ Henrici Stephani hæretici, qui imagines Sanctorum putat nos vocare Idola.

Hinc redarguitur hæreticus in suo thesauro Græcæ linguæ in voce εἴδωλον, dum scribit idolum significare apud Ecclesiasticos scriptores omne simulacrum numen aliquod repræsentans, quod cultu & honore veneramur: falsum enim hoc est, si per Ecclesiasticos, sanctos Patres, aut sacros scriptores intelligit. Nam 2 Synodus Nicena Actione 5 & 7 anathema dicit iis, qui imagines Christi & Sanctorum vocant idola.

45. Discrimen inter imaginem & idolum.

Deinde Origenes homiliâ 8 in Exodum, & Theodoretus quæst. 38 ibidem, docent inter imaginem & idolum hoc interesse, quod imago sit vera rei similitudo repræsentans id quod est: idolum verò falsa, non referens quod existimatur, vel repræsentans, quod non est, vel quale non est. Vide Bellarm. lib. 2 de imaginibus c. 5.

Illustrantur hæc omnia quæ diximus ex verbis Apostoli prioris ad Corinth. 8, ℣. 4. ubi agens de cibis qui immolantur idolis, sive idolothytis sic scribit: *De escis autem quæ idolis immolantur, scimus quia nihil est idolum in mundo, & quod nullus est Deus nisi unus.* Non enim est aliquod Numen, ut putant stulti gentiles, nec formaliter est similitudo Dei veri.

46. Idolum nihil est in mundo.

Vbi rectè observat Cornel. Apostolum alludere ad Hebræum אל Elil, id est, vanitas, res nihili & inanis, quo nomine Hebræi idola appellant, vel potius, ut Elil sit diminutivum ab אל id est, Deus, fortis, q. d. Elil, deiculus vel deaster, forticulus, vel, ut alii, Elil quasi לא אל Ali el, id est, non Deus, non habens potentiam & fortitudinem Dei, inops est ad salvandum. q. d. idolum non est Deus, sed falsâ & vana Dei umbra. Ita Cornelius. Et hæc hactenus.

47. Quare idolum dicatur Hebraicè Elil.

Ne rideant ad ruinam nostram: cùm scilicet nobis fortiores facti jugalabunt & occident, quod nobis quidem peracerbum & luctuosum, tibi autem ignominiosum, Domine, cui insultabunt Persæ tamquam vel impotenti vel immiti, qui populum tuo nomine vocatum, vel non potueris vel nolueris liberare.

Quod opprobrium ut Deus refelleret & averteret, sæpius deprecati sunt in Scripturâ viri sancti, ut Vates Psalmodus, Psal. 73, vers. 10. *Vsquequò Deus improperabit inimicus? irritat adversarius nomen tuum in finem?* Rursus ℣. 22: *Memor esto improperiorum tuorum, eorum quæ ab insipiente sunt totâ die. Converte consilium eorum super eos*: Esther non solum à Deo postulat, ut populum suum de manibus inimicorum eripiat, sed etiam ut ad majorem nominis sui gloriam ipsorum machinas & prava consilia in ipsorum caput convertat, juxta illud Psalmi 7, vers. 17: *Convertetur dolor* (quem mihi paraverat) *in caput ejus, & in verticem ipsius iniquitas* ejus (violentia, injuria, quam mihi struxerat) *descendet* (de cœlo missâ vindictâ) Idem quod hîc regina à Deo petit, obsecravit postea Assuerum seipsâ facta fortior & animosior, & impetravit, ut habemus suprà cap. 9, ℣. 25 & 26. *Et postea ingressa est Esther ad regem, obsecrans ut conatus ejus litteris regis irriti fierent: & malum quod contra Iudæos cogitaverat, reverteretur in caput ejus: Denique & ipsum & filios ejus affixerunt cruci.*

Et eum qui in nos cœpit sævire, disperde. De Amano sermo illi est. Græca Septuaginta: *& in eum, qui cœpit super nos, exemplum statue.*

Vbi vides deesse verbum (sævire) cum solum sit Græcè τὸν δὲ ἀρξάμενον ἐφ' ἡμᾶς, qui cœpit super nos, potest etiam reddi, qui aggressus est nos.

Deinde pro *disperde* Græcè ἐμφανίσατον, id est, efficacius est, παραδειγματίσατον, quod significat propriè, statue in exemplum, palam traduc, ludibrio expone publicè, de illo triumpha. Hæc enim omnia & plura significat Græcum παραδειγματίζω.

48. Quid sit in scripturâ παραδειγματίζειν, id est, exemplam dare.

Nota verò frequens verbum illud in scripturâ reperiri, ut Matthæi primò vers. 15, & ad Colos. 2, ℣. 15, ubi Latinus rectè transtulit, traducere, ad Hebræos 6, vers. 6, ubi reddidit, ostentui habere, & illud etiam aptè: Septuaginta quoque diversis locis eamdem vocem usurpant, ut Numer. 25, ℣. 4, ubi noster pro παραδειγμάτισον, habet suspende, alii, sursum fige, ostenta; Et vox Hebræa significat, suspendere. Ezechiel. 28, ℣. 17, reddit S. Hieronym. dedi te ut dehonestareris, vulgata, *dedi te ut cernerent te.* Ieremiæ cap. 13, ℣. 22, παραδειγματίσθησαν αἱ πτέρναι σου, vulgata, *pollutæ sunt plantæ tuæ*, reddi poterat, ut ludibrio vel ostentui haberentur calcanei tui.

S. Augustinus illam vocem παραδειγματίζειν reddere solet ostentare, vel novè, exemplare, Vide illum epistolâ 59.

Profecto verbum illud concinnè quadrat orationi Estheris, postulat enim, ut sævissimus Iudæorum hostis Aman publicæ ignominiæ exponatur, & in exemplum statuatur, ne quis in posterum nocere illis audeat: quod & factum est. Siquidem Amanus appensus cruci, quam Mardochæo paraverat, documento fuit pœnam retorqueri in caput sui artificis & auctoris, & omnium jussis palam propositus, factus in publi-

cum

cum exemplum, similitudinem & parabolam; denique in tropæum erectus, per quod & Deus, Mardochæus & Esther detriumpharunt.

Ostende te nobis, &c. Instat & urget precibus Deum, ut se propitium & benignum, ut est, demonstret sibi & populo.

Insuper petit sibi dari fiduciam sive audaciam & constantiam in pectore, quo audeat contra legem à rege statutam in conspectu illius apparere, ut coram illo metu non exalbescat, non concidat, animo non deficiat, non obmutescat lingua stupore impeditâ, & formidine hærente.

Idem oratione suâ postulaverat Iuditha pari negotio, æque arduo & periculoso imminente, cap 9, ℣. 14. *Da mihi in animo constantiam, ut contemnam illum* (Holofernis apparatum non timeam) *& virtutem, ut evertam illum.*

Rex Deorum. Græcè ἀρχῶν gentium. noster verò videtur legisse θεῶν, deorum.

Dicitur Deus deorum rex, quia & deorum gentilium qui multi erant; vel dæmones vel homines, etiam Dominus est; vel certè accipe per deos, ipsos mundi reges, principes, judices, qui sæpè etiam à Deo appellantur dii, ut Psal. 81 & alibi sæpè.

Dicitur & *Rex universæ potestatis*, Græcè, omni principatui imperans.

Ecclesia Catholica hæc verba hoc modo recitat Dominicâ 22 post Pentecosten ad offertorium. *Recordare mei Domine, omni potentatui dominans, & da sermonem rectum in os meum, ut placeant verba mea in conspectu principis.*

Tribue sermonem compositum in ore meo.

Græcè pro *ut sermonem compositum*, legis: λόγον ἐυρυθμον, quod idem est, & designat orationem numerosam, concinnam, bene aptatam, & compositam ad persuadendum, S. August. infra citandus vocavit congruum, Ecclesia, rectum sermonem.

Meritò Regina tenella & delicata (& quamvis sancta) animo tamen & corpore molliore, quam vir accessura ad Regem Persarum ingenio ferocem, terribilem aspectu, ardentibus oculis, non vocata (quod contra legem erat) à Deo flagitat in ore sermonem compositum, placentem, cui nihil redundet, nihil desit ad persuadendum & flectendum cor comparatum. Si enim, ut notum est, & alibi diximus, viri fortes, prudentes, dicendi vi & copiâ instructi, cum principes alloquendi essent, ad solum eorum conspectum, consternati & attoniti stupuerunt, sui, orationisque, quam præmeditati fuerant, immemores, ut omnem sapientiam metus illis expectoraret: quid faceret misella, sola, omni humanâ ope destituta coram rege barbaro peroratura, coram Assuero, cujus animum Amanus præoccupaverat, de omnium maximo negotio actura? Ne hoc in articulo divinâ illi opus erat eloquentiâ, ad regi persuadendum, ad mentem ejus in suam sententiam pertrahendam. Idem sentiebat Iuditha, quæ suâ in oratione cap. 9, ℣. 18, à Deo postulat: *Da verbum in ore meo, & in corde meo consilium corrobora.*

Sed bene est, prinsquam coram terreno rege peroret, cœlestem Regem oravit, & exoravit, qui suis amicis promittit. *Ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes adversarii vestri.* Dicebat par Estheræ nostræ & altera mulier, S. Lucia (cui hodierna lux festa illuxit.) Paschasio quondam præfecto: *Dei servis verba deesse non possunt, quibus à Christo Domino dictum est: Cum steteritis ante reges & præsides, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: Dabitur enim vobis in illâ horâ quid loquamini: Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.*

49. S. Luciæ Oratio ad Paschasium.

Sanct. Chrysost. homiliâ tertiâ ad populum hæc verba citat, eum ad studium orationis exhortans, cum terrores ab hominibus intentantur. *Terruit*, inquit, *homo? curre ad supernum Dominum, & nihil grave patieris: sic antiqui calamitates avertebant, non tantum viri, sed & mulieres. Fuit quædam mulier Hebræa, Esther erat ipsi nomen: Hæc Esther universum Hebræorum populum internecione delendum sic eripuit. Postquam Persarum Rex omnes passim Iudæos interimi jussit, & nullus erat, qui contra iram illius obsistere posset: pristinum vestitum exuta mulier, & sacco amicta, & cinerem substrata, divinæ clementiæ supplicabat, ut secum ad Regem ingrederetur, & talia erans verba ad ipsum dabat: χαρίσαιτο Κύριε τὸ ῥήματά μου, δὸς λόγον ἐυρυθμον εἰς τὸ στόμα μου; Gratificet Domine verba mea, & da sermonem congruum in os meum.* Ita S. Chrysost.

50. Exemplo Estheris confugiendum ad Deum cum homines nos terrent hinc docet Chrysost.

Flavius Iosephus, cujus verba suprà posui, addit Estheram non solum postulasse, quali opus esset, facundiam, sed etiam majorem, quam antea, formæ gratiam. Sunt enim & eloquium & species mulieris maximum illicium ad benevolentiam conciliandam, quâ de re inferius.

Ceterum rectè hîc ex Iosepho, qui orationem Estheræ in pauca contraxit, colligit Mariana falsò existimasse quosdam, qui ferè hæc postrema capita rejecerunt, dum dicunt Græca nostra, quæ extant apud Septuaginta, sumpta esse ex Iosepho, cum ipsi illo fuerint antiquiores, & hæc quæ ipse citat, apud illos non reperiantur: sed neque Iosephus de verbo ad verbum ex ipsis sumpsit, sed quandoque ipsorum verbis utitur pro re natâ, modò eadem contrahens, modò ut facundiam suam demonstret, multa addens.

Postrema hæc capita nec sumpta sunt ex Iosepho, nec Iosephus sua omnia ex Septuaginta accepit.

Ex Estheræ verbis documentum sumit S. Augustin. lib. 4 de Doctrinâ Christianâ cap. 30, utile divini verbi præconibus & expositoribus, quo illos monet, Deum ante conciones & lectiones deprecari, ut ipsorum sermo ita concinnè & aptè sit constructus, ut auditoribus placeat & persuadeat. *Sive*, ait, *apud populum, sive apud quoslibet, jam jamque dicturus, sive quod apud populum dicendum, vel ab eis qui volunerint, ac petierint, legendum est, dictaturus oret, ut Deus sermonem bonum det in ore ejus. Si enim Regina oravit Esther pro suæ gentis temporariâ salute locutura ad Regem, ut in ore ejus Deus congruum sermonem daret, quanto magis orare debet, ut tale munus accipiat, qui pro æterna hominum salute in verbo & doctrinâ laborat? Illi verò qui ea dicturi sunt, quæ ab aliis acceperunt, & antequam accipiant, orent, ut bene & ipsi proferant; & illi ad quos proferunt, sumant; & de prospero exitu dictionis, eidem gratias agant, à quo se accepisse non dubitant, ut qui gloriatur in illo glorietur in cujus manus sunt & nos & sermones nostri.* Ita ille.

51. S. Augustin. monet concionatores, ut exemplo Estheræ, ad populum dicturi, à Deo sermonem bene compositum postulent.

Notum est etiam profanos scriptores, poëtas, & oratores initio suorum poëmatum & operum Musas, Iovemque invocare, ut observavit alibi

51. Profani etiam oratores Deos initio orationis suæ invocare soliti.

S. Epi-

S. Epiphanius. Vide etiam Augustin. quæst. 9 in Exodum, & ibidem Origenem homilià 3.

Hinc illud Platonis in Timæo. *Omnes*, inquit, *qui quomodocumque mentis compotes sunt, in operis cujuslibet vel magni vel parvi exordio, Deum invocare solent.* Vnde & ex Demosthene infit M. Tullius lib. 2 de Legibus. *A Deo immortali sunt nobis agendi capiendæ primordia:* Quod idem repetit Oratione in Vatinium.

Plenius autem illud ipsum fatetur Plinius exordio Panegyrici ad Trajanum: *Bene*, ait, *ac sapienter majores instituerunt, ut rerum agendarum, itu dicendi initium à precationibus capere: Quod nihil ritè, nihilque providenter homines sine Deorum immortalium ope, consilio, honore auspicentur.* Vide Valerium Maximum in suo Prologo ad Tiberium.

51. Ministri Ecclesiæ initio Orationum Deum precantur.

Servavit hoc semper in suis mystis Liturgisque Ecclesia Christiana, qui divinam Psalmodiam benè aggressuri, ad altare accessuri, Dei verbum populo administraturi, Euangelium lecturi, ab invocatione Numinis ordiuntur.

Effatum est regis Sapientissimi Proverb. 16, ℣. primo. *Hominis est animam præparare: & Domini gubernare linguam.* Sed de his & alibi plurima, & hîc forte nimis multa. Sequitur.

In conspectu leonis. Assuerum intelligit, propter animositatem, & ferociam, aspectum terribilem, ardentes oculos, &c. Alibi egi de Persicorum Imperatorum sævitiâ, ingenio immiti, & truce, quæ hîc non repeto. Certè Gorionides inducit Estheram ita loquentem: *Assuerum*, inquit, *non aliter metuo, quam hœdus capraram metuit à leone.*

54. Leo symbolum Regis & etiâ dæmonis.

Constat ex litteris sacris reges feroces & truculentos appellari leones, ut quoslibet homines crudeles. Sic, explicante Sanct. Chrysost. & D. Thoma, Nero dicitur leo, 2 ad Timoth. 4, vers. 17. Consulat Lector à me dicta Ecclesiastici cap. 4 vers. 35, & cap. ultimo vers. 4, Cetcrum Leonem hieroglyphicam notam esse Principis etiam clementer & prudenter regentis, ostendi ibidem cap. 10, vers. primo; quæ non recoquo.

Eumdem esse characterem symbolicum dæmonis, ob astutiæ conjunctam violentiam, divina clamant Oracula: utriusque insignem Paralleli suum Lector habet apud Georgium Stengelium parte posteriore Labyrinthi cap. 13, n. 12, & deinceps.

Transfer cor illius in odium hostis nostri.

Sciebat sapientissima regina illud Salomoneum oraculum Proverb. 21, ℣. 2: *Sicut divisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini: quocumque voluerit, inclinabit illud:* id fuit, quod tantâ fiduciâ oravit, quod etiam exoravit. Siquidem cap. 15, ℣. 11, scriptum est, *Convertit Deus spiritum regis in mansuetudinem*, ut ipsi propitius petitioni ejus facilè annuerit.

Adjuva me, nullum aliud auxilium habentem, nisi te, Domine.

Est repetitio illius quod ante obsecraverat ℣. 3, & iterat ℣. 19. Solent enim graviter afflicti in suis orationibus, quas vel Deo vel hominibus offerunt, easdem preces frequentius ingeminare, *Ex abundantiâ enim cordis os loquitur.*

Qui habes omnium scientiam. Si interpunctionem Latini textus sequimur, hæc verba omnino pertinent ad hunc versum: quibus testatur & affirmat sibi nullum esse auxilium in terrâ, præterquam Dei, qui *juxta est iis qui tribulato sunt corde.*

Græca commodè pertinere possunt ad sequentia hoc sensu: Tu Domine habes omnium scientiam, & nosti, quia oderim gloriam impiorum, &c.

Corollarium Ethicum;

Arma muliebria validissima ad cor viri expugnandum forma & composita verba, sive à naturâ concessa, sive supernaturali munere addita.

ANacreon non nescius muliebrium blanditiarũ sic alibi canit. *Tribuit naturæ genius tauris cornua, equis ungulas, pedibus leporum velocitatem, leonibus victus & dentes, natatum piscibus & aquatilibus, volatum alitibus, viris in corde prudentiam: quod femineus daret, nihil supererat amplius. Quid igitur dedit? formam & pulchritudinem, quæ ipsis & clypeorum & lancearum omnium una instar est. Quæcumque verò pulchra est, & ferrum & ignem evincit.* Sic ille.

55. Deus aliis animantibus alia dona tribuit, feminis verò formæ gratiam.

Id fuit, cur uterque Iosephus ut vidimus, addiderint Reginam nostram à Deo petiisse singularem formæ gratiam præter compositum sermonem, ut eà irretitus Assuerus manus daret.

Quin etiam naturæ auctor Deus interdum, ut & dicendi gratiam augere solet in sanctis feminis, ita etiam & formæ venustæ incrementum addere, ut clarè habemus de Iudithâ cap. 10, ℣. 4. *Cui etiam* (naturæ dote, & extrinseco cultu ornatissimæ) *Dominus contulit splendorem; quoniam omnis ista compositio non ex libidine, sed ex virtute pendebat: & ideo Dominus hanc in illâ pulchritudinem ampliavit, ut incomparabili decore omnium oculis appareret.*

56. Deus Iudithæ pulchritudinem ampliavit.

An Estheram speciosissimam, dono supernaturali speciosiorem reddiderit, mihi non constat. Auctor sacer hujus non meminit.

Petiit tamen cum Iudithâ, sermonis compositi facultatem, ut vidimus.

Sic Iuditha orat Dominum cap. 9, ℣. 13: *Et percutias* (percute, permove) *eum ex labiis charitatis meæ*: q. d. Infunde labiis meis χάριτας, sive facundiæ & Suadæ gratias, quibus tamquam gemmeis & aureis catenulis attractus & adhamatus in me benevolum animum, mentemque benignam accipiat, ut teneam eum flexanimâ meâ oratione & gratiosâ voce devinctum; quod postea repetit. *Da*, inquit, *Domine verbum in ore meo.*

57. Iuditha à Deo petit composita verba, & gratiam labiorum.

De violentiâ formæ & speciei muliebris nihil hic suggero, quia de illâ actum cap. 1, ℣. 12.

Hàc non minor ferè vis & mulcedo vel pellacia apparet in blandiloquentiâ & mellito mulierum alloquio.

Sirachides Ecclesiastici 36 cum occultam efficacitatem muliebris venustatis indicasset ad accendendam viri cupiditatem, hæc mox subjicit ℣. 25: *Si est lingua curationis, est & mitigationis & misericordiæ* (in uxore) *non est vir illius secundum filios hominum* (q. d. est omnium felicissimus) mulieris fortis & industriæ Encomium in

58. Vis alloquii mollis in muliere, ut Abigaile.

cete-

ceteris est Proverbior. 31, ℣. 26: *Os suum aperuit sapientiæ, & lex clementiæ in lingua ejus.* Chaldaicè est, lex gratiæ in linguâ ejus: ubi gratia notat suavitatem; lex verò indicat illam non esse omnino mollem & solutam, sed habenâ prudentiæ astrictam.

Hac mellitæ & suaviloquæ facundiæ dote ornata fuit Abigail speciosissima & prudentissima, quæ, ut legimus primi Reg. 25 Suadâ suâ dulcissimâ Davidem ira præcipitem, & cedere nescium detinuit & delinivit, ne Nabalem maritum, ejusque familiam sanguine fuso fœdaret & deleret. Commendat ejus laudum præco David sermonis compositi decorem hisce verbis ibidem ℣. 35. *Benedictum eloquium tuum, & benedicta tu, quæ prohibuisti me hodie ne irem ad sanguinem.*

58. In Thecuicide. Oratio quoque sapientis mulieris Thecuitis commemorabilis est, 2 Regum 14, quæ congruo & elegante schemate figuram sermonis sui vertit, & parentem Davidem erga filium Absalomum fratricidam placavit.

58. In Iuditha. Sed & Iuditha, ut ante insinuavi, oratione suâ ad Deum satis ostendit sibi & pulchritudinis & eloquii veneres non defuisse, cum ita precatur cap. 9, ℣. 13: *Capiatur* (Holofernes) *laqueo oculorum suorum in me, & percutiet eum ex labiis charitatis meæ.* Quæ sunt labia charitatis, nisi favus distillans melle blandiloquentiæ verborum blanditiæ, & illecebræ, quibus animus virilis allicitur & mollitur?

59. Labia fraudis cur Græcè dicantur labia Iuditha. Græcè hæc labia in textu dicuntur χείλη δόλου, id est labia fraudis sive dolosa, quibus subest sub melle venenum, verba scilicet gratiosa, sed fallacia.

60. Mulieres Iustiniæ. Reperire est quasdam mulieres, quibus tanta Dei beneficio inest dicendi gratia, ut aëdones sive luscinæ ex ipsarum ore dulce melos canere videantur, uti proditum est de Stesichoro infante à Plinio lib. decimo cap. 29, ut minus mirum sit S. Basilium à fratre suo Gregorio Nysseno auream luscinam *fuisse dictum.*

Sirenes ex ipsarum faucibus modulari, vel potius in labris apes mella dixeris constipasse, ut de Platone & S. Ambrosio legimus.

Maxima verò vis est in leni earumdem facundia ad virorum iracundiam mitigandam, ut jam diximus de Abigailis suavitatis plenâ mulcedine, Thecuitis compositâ oratione, & capite sequente dicetur de Reginæ nostræ miti alloquio, quæ Assuerum ferocem leonem in leniissimum & benevolentissimum agnum suo placore, & linguâ cuchari commutavit.

61. Veturiæ & Volumniæ facundia. Nec caruit suis Sirenibus flexaminis Romana Respublica. Siquidem ex Livio lib. 2 Dionys. 8, Valer. lib. 5. Veturiam matrem & Volumniam uxorem Cn. Marcium Coriolanum in perniciem patriæ armatum, dolore injuriæ acceptæ furentem, Romanis funera & cædes minitantem de sententiâ dimovisse, & mellitis precibus flexisse scimus.

Testes etiam hujus rei sunt priscæ illæ Sabinæ, de quibus Plutarchus in Romulo, quæ imperium Romanum penè in ipsis incunabulis Martis furoribus extinctum admirabili fœdere composuerunt, & excitarunt. 61. Item habinarum.

Si ex Sabinarum acie in Christiana castra pedem transferimus, plures etiam ibidem reperiemus; inter quas non ultimum locum tenet Sancta Monica bis Sancti Augustini Mater, quæ aureâ & melleâ suâ eloquentia & prudentiâ adeò sibi conciliavit & devinxit Patritii conjugis sui animum stomacho præfervidum, ut insigne tropæum de ipso Orthodoxæ fidei sacris imbuto erexerit. *Dux femina facti:* Confession. l. 9, c. 9, S. Augustini legito. 61. Rursus S. Monica.

Non immeritò viri docti Iridem deorum nuntiam & interpretem, quæ versicolore suo cultu, & picturato schemate spectantium vultus in se convertit, & in admirationem trahit, & ob id Thaumantis filia indigetatur, eloquentiæ non solum symbolum, sed & antistitam esse voluerunt. Siquidem non solum ingenuâ & liberali suâ forma mulier, sed & suaviloquentiæ multicolore illecebrâ quoslibet in admirationem ducit. 62. Iris ob admirationē dicta Thaumantias symbolum eloquentiæ.

Themistius Oratione quintâ in ejusdem commendationem Homericam Iunonem inducit, veste coccineâ ornatam, flammeo velatam, aureis & gemmeis inauribus radiantem cestu vel Veneris zonâ præcinctam; hoc argumento insinuans mulieris elegante & concinno sermone, lacteo, melleoque orationis flumine, comptoque ornatu cœlites, ipsumque Iovem delectari, deliniri, superari. 63. Iuno Homerica argumentum suaviloquentiæ mulieris.

Hieroglyphicum suaviloquentiæ & illicis dictionis fuit Hercules Gallicus, cujus ex ore procedebant aureæ catenæ, quibus aures audientium innodabat, & attrahebat. 64. Item Hercules Gallicus.

Major vis animis virorum sibi attrahendis & devinciendis cernitur in mulieris voce melle dulcius fluente, dum etiam margaritas & elenchos, ab ore demittit, quibus nedum aures, sed & mentes nectit, & mariat.

Nec hoc cuiquam mirum videri debet: si enim gemma magnetica ferrum ad se allicit, si electrum & Ligurius vel Lyncurius ex urinâ Lyncis, paleas sibi copulat, cur non vivax & animata mulieris oratio nectare eloquentiæ delibuta conjungere & conciliare sibi potens sit pectora etiã virorum adamantina? Vt alias heroinas præteream, gratæ & suavis facundiæ arcana efficacia inprimis luxit in Estherâ, quæ, distillans favo dulcis eloquii in sensus animumque Assueri sensim sine sensu influxit & irrepsit, & quidlibet ab illo impetravit. Divina profecto fuit hæc eloquentia è cœlo in os ejus delapsa, similis Glossopetræ lapidi pretioso, quæ linguæ similis humanæ in terrâ non gignitur, sed Lunâ deficiente è cœlo delabi creditur: de quâ Plin. lib. 37, cap. 9. 65. Item magnes & Lyncurius. 66. Rursus Glossopetra lapis pretiosus.

VERSVS XV, XVI, XVII, XVIII, & XIX.

Et mœsti quia oderim gloriam iniquorum, & detester cubile incircumcisorum, & omnis alienigenæ.

Tu scis necessitatem meam, quod abominer signum superbiæ & gloriæ meæ, quod est super caput meum, in diebus ostentationis meæ, & detester illud quasi pannum menstruatæ, & non portem in diebus silentii mei.

Et quod non comederim in mensâ Aman, nec mihi placuerit convivium regis, & non biberim vinum libaminum:

Et numquam lætata sit ancilla tua, ex quo huc translata sum usque in præsentem diem, nisi in te Domine Deus Abraham.

Deus fortis super omnes, exaudi vocem eorum, qui nullam aliam spem habent, & libera nos de manu iniquorum, & erue me à timore meo.

Græca vix differunt à Latinis, suntque hæc. Et nosti quod oderim gloriam iniquorum, & detester cubile incircumcisorum, & omnis alienigenæ.

Tu scis necessitatem meam, quod abominer signum superbiæ meæ, quod est super caput meum in diebus ostensionis meæ, detester illud quasi pannum menstruorum, & non portem illud in diebus silentii mei, (quietis meæ) & non comederit ancilla tua mensam (in mensâ) Aman & non magnificaverim (glorificavi) symposium regis, neque biberim vinum libaminum. Et non sit lætata ancilla tua à die translationis meæ usque nunc, præterquam in te Domine Deus Abraham. Deus fortis super omnes exaudi vocem ἀπηλπισμένων, desperantium (quibus nulla est spes (vel desperatorum) & libera nos de manu malignantium, & libera me à timore meo (id est, ex eo quod malè metuo.)

COMMENTARIVS.

REgina nostra quatuor versibus sequentibus fiduciam, quę ad impetrandum, quod obsecramus, necessaria est, evibrat & excitat, proponens Deo, qui solus est καρδιογνώστης suam integritatem & innocentiam, testem illum invocans. Protestatur se immunem ab omni superstitione, ambitione, voluptate venereâ, vanę gloriæ appetitione, delicijs & cupedijs Persicis, denique omnibus quæ in hoc mundo haberi possunt, illecebris.

67. Puritas conscientię præbet impetrandi fiduciam.

Hæc mentis sibi recti conscię puritas orationi ante thronum divinæ majestatis animos metu malorum impendentiũ depressos & labefactatos allevare & erigere solet in confidentiam, & bonæ spei vexillum attollere. Sic religiosus rex Ezechias Isaiæ 38, ℣. 3 obtestatur Dominum: *Obsecro, Domine, memento, quæso, quomodo ambulaverim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim.* Et, ut alios omittam, Mardochæus noster eâdem fiduciâ fretus oraverat suprà cap. 13, 12, *Cuncta nosti, & scis quia non pro superbiâ, & contumeliâ, & aliqua gloriæ cupiditate fecerim hoc, ut non adorarem Aman superbissimum*, &c.

Hæc vitæ innocentia conjuncta profundæ humilitati, & sinceræ fidei, zeloque honoris divini quæ virtutum insignia in prece Estheræ elucent, Dei misericordiam inflectere ad propitiationem solet.

68. Quare gloria mundi vocetur gloria iniquorum.

Pergit itaque orare. *Et nosti quia oderim gloriam iniquorum*, &c. Choragium & pompam honoris hujus mundi vocat gloriam iniquorum, tum quia impii & ambitiosi illam, ut bonorum summam, & votorum suorum finem & complementum statuant; gloriam, quæ ex solo Deo est, vel nescientes vel flocci pendentes; tum quia illius appetitus immodicus frequenter ex justis iniquos facit: quod deploramus quotidie. At Regina nostra cum in culmine regiæ dignitatis constituta illius claritate & celebritate frui posset, superbiam omnem fastidit, calcat, odit, memor plus splendoris, quam soliditatis in omni illius apparatu & fastu inesse, omnia bona caduca, fragilia, vitrea, temporaria, animum verè generosum & divinitatis capacem fœdare, demergere, discerpere, pessumdare.

Addit: *& detester cubile incircumcisorum*, &c.

Profitetur coram Deo se suopte nutu, & affectus propensione alienam & fuisse & esse à nuptiali Assueri & cujusvis non Iudæi commercio. Libentius enim suæ gentis minimo & vilissimo connubiali fœdere conjungi parata erat, quam regium Assueri cubile ascendere, partim quia ob cultus disparitatem conjugium illud naturâ suâ non ita honestum erat, nisi boni communis amore & spe convestitum fuisset (quod insinuat Mardochæus cap. 4. ℣. 14. *Et quis novit, utrum idcirco ad regnum veneris, ut in tali tempore parareris?* quo scilicet Iudæorum salus extremè periclitatur) partim quia animo fastidiebat quidquid altum, magnificum, superbum, molle, delicatum, splendidum erat in Assueri palatio, ut, tum hîc, coram Deo fatetur, tum scriptura illi testimonium præbet cap. 2, ℣. 15, ubi sic legimus: *quæ non quæsivit muliebrem cultum; sed quæcumque voluit Egeus eunuchus custos virginum, hæc ei adornatum dedit:* partim etiam quia suavibus Mardochæi patrui imperijs assueta quietisque amans & solitudinis, turbam strepitumque aulæ præcipuéque fastum, fucatámque majestatem, Regis minus ferebat.

Ceterum licitum fuisse Estheræ cum Assuero Persâ connubium, Capite 2 probavimus, de quo nihil aliud dicendum hîc occurrit.

Tu scis necessitatem meam, quod abominer signum, &c. q. d. Nosti Domine, me necessitate coactam, quia regi nupta sum, & placere illi debeo, portare in vertice diadema, quod sponte meâ numquam facerem, aut capiti imponerem. Est mihi regia cidaris pondus Ætna gravius; patior diadema, non affecto; Non honor mihi est, sed onus, pannus est pretiosus, sed permolestus; Myrrha & labyzus quo imbutus est, nauseam mihi adspirat, non suavolentiam. Non quæro nec auro gemmeum illud auroque & lapillis intextum decus, & regiæ frontis notam, sed tolero & animo refugio.

Explicatur necessitas Estheræ.

Sanctius hîc illanc necessitatem & angustias Reginæ similibus illustrat. Sic, inquit, durum est se-

est secari & uri; atqui si morbus urgeat, & moriendi instet necessitas nisi vel acutum vel candens admittatur ferrum, chirurgo nos subjicimus & incidendos & ustulandos. Ita qui cibos inconditos parum mundos, vel acerbos aversabatur nauseabundo stomacho; fame compellente, cum nihil aliud suppetit edendum, illos non illibenter in mensam admittit & sumit. Pari modo Esthera urgeri se ait necessitate regium illud insigne in capite gestandi, & incircumcisi thalamum adeundi quia id angusta Iudæorum tempora suo jure exigebant. Cogor, inquit, ferre diadema, ad regium torum compellor, ut populo meo succurram. Hæc fere Sanctius.

En his verbis, quæ Patres citant, probatur hoc caput esse Canonicū.

Ceterum Patres hunc locum citare solent (quod etiam arguit caput hoc ab illis habitum tamquam Canonicum.)

S. Hieronym. in caput 64 Isaiæ. *Si quis*, inquit, *post Evangelium Christi, & adventum filii Dei, pædagogæ legis observat cæremonias, audiat populum confitentem, quod omnis illa justitia panno sordidissimo comparetur: cui & Esther diadema suum, quod erat regiæ potestatis insigne, comparat; quod nequaquam voluntate, sed necessitate portabat, dicens: Tu scis necessitatem meam: quoniam detester signum superbiæ meæ, quod est super caput meum in diebus ostensionis meæ: abominor illud sicut pannum menstruum: nec porto in diebus quietis meæ.* Sequitur verò versionem Septuaginta, excepto quod legisse videtur pannum καθαμένιον, menstruum, sicut & B. Augustin. epistola 199 pannum menstrualem, cum jam legamus, καθαμνιον, id est, menstruorum: sed idem est sensus.

Rursus idem Hieronymus epistola ad Demetriadem illam laudans, ita scribit. *Assuabat Christi tiruncula: Oderat ornatum suum, & cum Esther loquebatur ad Dominum: Tu nosti quod oderim insigne capitis mei, hoc est, diadema, quo utebatur quasi regina, & tantæ ducam immunditiæ velut pannum menstruatæ.*

S. Augustin. epistola 199 ad Ecdiciam: ubi inter alia: *Nempe apud Patres Esther illa regina Deum timens, Deum colens, Deo subjecta serviebat, quæ cum extremo periculo non suo tantum, sed etiam gentis suæ, qui tunc erat populus Dei, Domino prosterneretur orando, in ipsâ oratione suâ dixit, ita sibi esse ornatum regium, sicut pannum menstruatam, & ita orantem istam exaudivit, qui cordis inspector eam vera dicere scivit*, &c.

69. Exemplo Estheris potest quis gestare purpuram, & cor contio sinum habere.

Idem iterum Enarratione in Psalmum 51, sermonem instituens de mixtis hominum generibus, quorum unum cogitat de terrâ, alterum de cœlo. *Invenimus*, inquit, *modo civem Jerusalem, civem regni cælorum administrare aliquid in terra; ut puta purpuram gerit, Magistratus est; Ædilis est, Proconsul est, Imperator est, Rempub. gerit terrenam; sed cor sursum habet, si Christianus est, si fidelis est, si pius est, si contemnens, in quibus est, & sperat in quibus nondum est. De quo genere fuit sancta illa mulier Esther: quæ cum esset uxor regis, ventum est ad periculum deprecands pro civibus suis. Et cum oraret coram Deo, ubi mentiri non posset, in oratione suâ dixit, ita sibi fuisse illa ornamenta regalia, sicut pannum menstruatæ.*

Sic habet recens editio Lovanienſium; alii tamen legunt menstrualem, ut habebat Augustinus suprà epist. 199. Sed parvum est discrimen.

Rupertus etiam lib. 8 de victoriâ Verbi Dei, orantis Reginæ verba miratur cap. 15: *Veraciter*, inquit, *eximium temperantiæ documentum hic apparet, quia magnam humilitatis suavitatem sermo iste redolet.* Vide eumdem cap. 17.

Sed ad textus expositionem redeamus. *Abominor signum superbiæ & gloriæ meæ quod est super caput meum.*

Intelligit, ut mihi persuadeo, totum capitis ornatum, quatenus is reginæ proprius, ut est cidaris recta, regium capitis insigne, vel tiara quam diadema seu fascia cærulea albo distincta circuibat, quâ frons præcingebatur; Forte & coronam auream gemmis, pretiosisque lapillis coruscantem in vertice gerebat solaribus radiis lucentem: Nam & Persas etiam hujusmodi tulisse satis indicat, quod habemus supra cap. 8, ℣. 15, de Mardochæo, quod coronam auream portaret in capite suo.

70. Quare diadema signum superbiæ dicatur.

Hoc ergo totum vocat signum superbiæ, quia inde insolentes mulieres occasionem gloriandi & superbiendi assumebant. Habebat autem illud in capite tantum in diebus ostentationis suæ, cum videlicet jubente rege vel in publicum prodibat, vel coram ipso, regali cultu amicta parebat: dicit verò se non portare illud in diebus silentii, vel, ut Græcè, quietis suæ, cum videlicet, semota à publico, quiete & silentio in conclavi vel gynæceo frueretur, vel Deo sola supplicabat.

Illud verò rarū & mirabile est, quod ait se illud *detestari quasi pannum menstruatæ mulieris.* Videtur autem alludere illis verbis ad diadema, quod pannus erat, vel fascia, ut ab antiquis scriptoribus vocatur, sed pretiosissima, & fragrantissima, exoticos odores exspirans.

71. Quid pannus menstrualis. & quam immundus.

Manifestum porro est linteum vel pannum menstrualem esse visu teterrimum, fœdissimum, & fœtidissimum, qui nauseam, & fastidium aspicientibus & tangentibus adferat, ideoque ab Hebræis pro re sordidissimâ, maximèq; abominandâ accipiebatur, ut patet Isaiæ 64, ℣. 6. *Et facti sumus, ut immundus, omnes nos, & quasi pannus menstruatæ omnes justitiæ nostræ*: Ipsa etiam mulier menstrui sanguinis eluvione fluens, immunda & polluta habebatur. Levit. 15, ℣. 19. *Mulier quæ redeunte mense patitur fluxum sanguinis, septem diebus separabitur.* Quin etiam, quicumque eam tangebat, immundus erat, & quidquid ipsa tetigerat, pro polluto habebatur, ut ibidem habetur ℣. 20 & sequentibus.

71. Pannus menstruatæ noxius.

De ejus noxiâ qualitate multa Plinius lib. septimo cap. 15. *Nihil*, inquit, *facilè reperiatur mulierum profluvio magis monstrificum. Acescunt supervenu musta, sterilescunt tactæ fruges, moriuntur insita, exuruntur hortorum germina, & fructus arborum, quibus insedêre, decidunt; speculorum fulgor aspectu ipso hebetatur; acies ferri præstringitur, eboriſque nitor, alvei apum emoriuntur: æs etiam ac ferrum rubigo protinus corripit, odorque dirus æra, & in rabiem agantur gustato eo canes, atque insanabili veneno morsus inficitur.* Hæc & alia Plinius. Vnde colligimus quantum virus, quanta lues, quanta fœditas sit menstruum, & linteolum eodem infectum, cum quo tamen ornatum sui capitis splendidissimum sanctissima Regina confert, quo demonstret quanto fastidio, quo horrore, & detestatione illum profe-

quereretur, & quam invita illum circumferret.

72. Vestis muliebris viris exosa.

Gorionides illam inducit alio simili hanc nauseam suam declarantem: *Sicut vir odit vestem muliebrem, & ægrè ferat se eâ vestiri, quæ feminis tantum conveniunt: ita & ego odi vestem gloriæ meæ, & cidarim regni mei in capite meo.* Persæ verò se feminas vocari non patiebantur, multo minus muliebri stolâ indui, vel eam assumere.

℣. 17 pergit Regina in suâ prece: *Et quod non comederim in mensâ Aman, nec mihi placuerit convivium Regis, & non biberim vinum libaminum.*

Quod Græcè habetur, non comedi mensam Aman, accipe dictum Synecdochicῶς, quo accipitur continens pro contento, mensa pro cibis, ferculis & cupediis in eâ propositis, quibus ipsa non nisi parcè vescebatur. Non capiebatur deliciis, & exquisitis lautitiis vel mensis secundis, quas regifico luxu extruxerat Aman, ut illius gratiam eblandiretur, ut muliercularum delicatarum benevolentia salgamis hujusmodi saccaro vel melle conditis conciliari solet. Delectabatur simplici victu & sine arte mensa, & cibo facilè parabili, non minus quam Daniel & ipsius socii leguminibus, & potu frigidæ. Similiter apparatus mensæ regiæ & splendor illius appetentiam non irritabat aut excitabat, vel, ut Græcus legit, non magnificabat, id est, suspiciebat, aut laudabat regale epulum, planè Persicum, splendidum & magnificum: Cælestibus enim assueta deliciis, & quæ die ac nocte in lege Domini meditabatur, non nisi necessitate urgente dapibus opiparis & lautis pascebatur.

73. Esther deliciis mensæ secundæ non capiebatur.

Et non *biberim vinum libaminum*, cujus aliqua pars idolis libata fuerat, & in honorem falsorum deorum humi effusa, vel vinum, quod impiis superstitionibus fuerat inquinatum.

Quæritur hîc an Esthera ad nuptias Assueri assumpta ritus Iudaicos, quoad esculenta & poculenta servarit?

74. Esther solum vescebatur cibis lege Moysis permissis, ut probatur primò.

Respondeo, ita omnino videri, & apertè ex hoc versu colligitur, ubi protestatur se non comedisse in mensâ Aman proposita fercula, quod intellige non solum de deliciis, sed multo etiam magis de idolothytis & immolatitiis, quod similiter extendi potest ad dapes, quibus mensa regis instructa fuerat, expresse autem dicit se non bibisse vinum libaminum, vel diis libatum.

Secundò probatur.

Deinde, si Daniel, & ipsius contubernales ex proposito se abstinuerunt à cibis regiis & à vino ejus, Daniel 1, ubi scriptura sic loquitur ℣. 8. *Proposuit autem Daniel in corde suo ne pollueretur de mensâ regis, neque de vino potus ejus*: cur non Esthera iisdem divini cultus rudimentis à tenellâ ætate imbuta, & sanctitate eximia; præsertim cum ipsa ad regium thronum evecta majore auctoritate polleret, quam Daniel, cum primum inter Regis ephebos adscisceretur?

Tertiò probatur.

Tertiò facile, cum Regina esset, sibi parari jubere poterat escas, quibus per legem vesci licebat, præ se ferens talibus se delectari, quod maximè locum habuit cum constabat illam esse genere Iudæam.

Quartò probatur.

Quartò, quod si vocata ad mensam regis, invitaretur ad gustandum aliquid lege Mosaicâ vetitum, vel diis immolatum, nullo negotio se excusare poterat, dicendo se hujusmodi cibum nauseabundam respuere, nec assueviſse talem manducare. Quis autem instaret, & auderet Reginam ulterius premere, quam videret præ teneritudine vix corpus sustinere, ut dicitur cap. sequente. Certè Iuditha cap. 10, ℣. 5, ad castra Assyriorum protectura *imposuit Abræ suæ ascoperam vini, & vas olei, & polentam & palathas & panes & caseum & profecta est*; adfert ergo cibos puros & mundos.

Rursus cap. 12, ℣. 2, excusat se Iudith apud Holofernem, ut non vescerentur dapibus convivii ejus hisce verbis: *Nunc non potero manducare ex his quæ mihi præcipis tribui*, &c. vide sequentia: Multo potiori jure potuit Regina nostra vel legem patriam, vel morem suum, corporisque affectionem vel aliquid simile prætendere, & per pedissequas honorarias edulium aliquod sibi placens & licitum condiri imperare.

Quintò probatur.

Postremò, non videntur Persæ adeo addicti fuisse superstitioni & genticis ceremoniis, ut aliæ nationes. Siquidem deos suos colebant sine templis, aris, simulacris, quâ de re videndus Brissonius lib. 2, de regio Persarum principatu. Quocirca, ut mihi est verisimile, rarò epulæ numinibus profanis sacratæ in convivium inferebantur. Quidquid sit, pronum fuit Estheræ se sine offensione ab his gustandis eximere, præsertim in tantâ ciborum affluentiâ. Hoc autem eam feciſse non dubito, cum esset, ut tradit Sulpitius in historiâ, traditionum paternarum non immemor, quas ex præcepto etiam Mardochæi accuratissimè servabat.

Et numquam lætata sit ancilla tua, ex quo huc translata sum usque in præsentem diem, nisi in te, Domine, &c.

Miranda sunt hæc & singularia: inter tot aulæ oblectamenta, voluptatum illecebras, invitamenta luxus; integritatem vitæ, puritatem animi, religionis illibatum decus obtinuisse. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Hoc Estheræ encomium, hic titulus sepulcralis. *Immensi præconii est*, ait S. Gregor. lib. 1 Moral. cap. primo, *bonum inter malos extitisse.* Vide illum.

Sic verò intellige hæc verba in sensu commodo. Non enim vult significare se nullam omnino jucunditatem ex rebus hujus vitæ vel humanis percepisse, cum scriptum sit suprà hoc eodem capite ℣. 2: *omnia loca, in quibus antea lætari consueverat, crinium laceratione complevit*, scilicet porticus & aulas, ex quibus in hortos, paradisos, & amœna vireta prospectabat, ex quorum intuitu non modicam oblectationem hauriebat; sed dicit nullam se liquidam, puram, & impermixtam cepisse voluptatem, cui non aliquid molestiarum interveniret, dum aureæ Sionis recordaretur, & proponeret Ierusalem in principio lætitiæ suæ: Psal. 136, ℣. 6.

75. Nulla liquida & pura fuit Estheræ voluptas in palatio Assueri.

Nempe captiva cum populo suo gemebat, sedebat & flebat. Quodcumque deinde hilaritatis argumentum se offerebat, non planè illam capiebat, nec cor suum in illud dabat.

Præterea, ut canit Ecclesia de sanctis matronis: *Regnum mundi, & omnem ornatum seculi contemſerat propter amorem Dei ſui*, in quo quiescebat, præ quo, ut ante dixerat, aurum, purpura, & gemmeum diadema sordebat, putebat, vilescebat. Apparatus & gloria fucata palatii multorum sæpè illi fuerat causa dolorum, cum autem ad æterni Regis Augustale & Basilicam pennis animi, qui sæpè sine corpore vêlox est, subvolaret,

ret, liquidis & cœlestibus fruebatur deliciis. Denique si quid fugitivorum gaudiorum ad pectus appelleret, illam non inescabat, sed præ divinâ exultatione vel respuebat, vel si concessum & licitum erat, ad Dei gloriam referebat. Rara hæc sunt in Reginâ nostra insignia & virtutis emblemata.

Salianus noster huic orationi hoc Epiphonema sive Acclamationem addit. Super omnia, inquit, illa mirabilis est animi puritas, quod cōram Deo, qui scrutatur renes & corda, profitetur se inter tot & tantas opes, delicias, & corporis insuper sui, animique dotes, numquam ullâ in re lætatam fuisse, nisi in Domino Deo suo, idque in lege umbratili, quæ nihil ad perfectum adduceret, in regali pompâ, in medio incircumcisorum, longè à sacrificiis, sanctis locis, & in tempore dissimulatæ religionis suæ. Hæc qui faciat, non illum cum summis hominibus comparo, sed simillimum Deo judico. Ita Salianus.

Vide etiam Carthusianum hæc sapidè & piè exaggerantem.

Deus fortis super omnes, &c. Eleganter & efficaciter hæc Sanctius sic enarrat. Appellat Deum fortem, quia liberare potens est imbecille hominum genus & inerme, cui major vis irâ armata extrema omnia minatur, quod cum ab humano sperat nihil, à divino auxilio sperat omnia vitæ salutisque subsidia. Et cum multa timeat ab intestinis & domesticis hostibus, à semetipsâ tamen, nempe femina cum sit, timet multo magis ne à suâ infirmitate, muliebrique languore victa aut adire non audeat Regem leonis instar frementem, aut saltem ante ipsius conspectum metu deficiat, & timore constricta lingua non præstet officium. Sic ille. Porro quam sit necessarium, sive cum homine certandum sive cum dæmone, Dei causâ exigente, timorem omnem abjicere, animum magnum assumere, & divinâ niti fiducia, copiosè & disertè idem Sanctius persequitur in Tobiæ 6. ℣. 4.

76. Fiducia in Deo fugenda in tribulatione.

Documentum Primum Morale.

Esthera raro exemplo matronis præluxit, dum non cupiditate gloriæ, sed solâ necessitate ordinis sui ornatur.

RArum est hoc insigne, Esthera proprium est: non facilè alteri dabitur vel nuptæ vel innuptæ.

Quid enim? *Numquid obliviscetur virgo ornamenti sui, aut sponsa fasciæ pectoralis suæ?* Ierem. 2. ℣. 32. q. d. ita cordi sunt puellis & præcipuè desponsatis sua monilia, torques & reliqua cimelia quæ supra pectus demissa gerunt, vel fasciæ byssinæ quæ illud stringunt, ut vix umquam illorum subrepat oblivio. Quis nescit sexum illum φιλόκοσμον, id est, supra modum sui ornatus studiosum?

77. Mulieres supra modum studiosæ ornatus & mundi sui.

Scribit S. Hieronym. Epist. ad Gaudentium, multas feminas etiâ insignis pudicitiæ, quamvis nulli virorum, sibi tamen libenter ornari. Idem ad Demetriadem, de virginitate servanda, ait ad corporis ornatum cultumque ardere ac insanire studia matronarum.

Seneca lib. 7 de Beneficiis c. 9 hanc etiam perstringit insaniam. *Video*, inquit, *unionis non singulos singulis auribus comparatos: jam enim exercitatæ aures onera ferendo sunt: junguntur inter se, & insuper alis binis superponuntur. Non satis muliebris insania viros subjecerat, nisi bina ac terna patrimonia auribus singulis pependissent. Video sericas vestes, si vestes vocandæ sunt, in quibus nihil est, quo defendi aut corpus, aut denique pudor possit. quibus sumptis, mulier parum liquido nudam se non esse, jurabit. Hæc ingens summâ ab ignotis etiam ad commercium gentibus accersiuntur, ut matronæ nostræ ne adulteris quidem plus sui in cubiculo, quam in publico ostendant.* Ita & Tertullian. lib. de habitu mulierum. His gemina habet S. Ambros. lib. de Nabuthe cap. 5. *Delectantur*, ait, *compedibus mulieres, dummodo auro ligentur: non putant onera esse, si pretiosa sunt; non putant vincula esse, si in his thesauri coruscent; delectant & vulnera, ut aurum auribus inseratur, & margaritæ dependeant: habent & gemmæ pondera sua: habent vestimenta frigora sua: sudatur in gemmis, algetur in sericis; tamen pretia juvant, & quæ natura aversatur, commendat avaritia; smaragdus & hyacinthum, &c. summo quærunt furore vel si dimidium patrimonii petatur; non parcunt dispendio dum indulgent voluptati.* Vide & Chrysost. Homil. 41 in Genesin.

78. Vniones in auribus.

79. Vestes sericæ pellucentes.

80. Vinciuntur aureis vinculis mulieres, ornantur gemmis.

Hujus rationem dat Valer. lib. 9 cap. primo. *Mulieres*, inquit, *imbecillitas mentis & graviorum operum negata affectatio omne studium ad curiosiorem sui cultum hortatur convertere.*

81. Excusantur mulieres ob mentis imbecillitatem.

Vtinam non reperiantur & semiviri quidam, qui mulieres in nimiâ se ornandi curâ æmulentur. Certè Demosthenes apud Athenienses, & Hortensius apud Romanos probris hac de causâ sunt proscissi: ut auctor est Gellius lib. primo cap. 5. Sed & Tacitus & Seneca Mecænatis calamistros rident, & immodicam ejus munditiem: Iulius quoque Capitolinus Maximinum Imperatorem arguit Iuniorem, quod in vestibus tam accuratus esset, ut nulla mulier nitidior esset in mundo.

82. Notati etiam viri ob immodicum cultum, Hortensius, Demosthenes, Mecænas, Maximinus Iunior.

Stoicorum princeps zeno faceto scommate quempiam incessit, qui se nimiâ diligentiâ componebat. Nam cum vehiculum lentè transcenderet: *Meritò*, inquit, *suspectum habet luxum; neque enim se illo velut in speculo intueri potest.*

83. Scomma in ornatus studiosum virum.

Sed quorsum, inquies hæc? ut Lector intelligat ex immodico studio & flagrantissimâ cupiditate quâ mulieres, & interdum viri ad insaniam prope in corporis comptum, luxumque feruntur, rara & penè singularis virtutis fuisse, dum Esthera nostra, Persidis Imperatrix, omnem mundum cultumque negligit, & detestatur. Putásne pares aliquas in orbe inveniemus, quæ idem decus (decus dico, ne quis hoc dedecus in muliere esse cogitet) cum Estherâ affectarunt, regnumque mundi, & omnem ornatum seculi contempserunt?

Fuere certè, quarum quasdam in censum dabo.

84. Spreverunt aliquæ cultum, ut uxor Trajani, uxor Philonis Aspasia, Regina Persidis.

Plinius in Panegyrico laudat uxorem Trajani quod esset modica cultu.

Antonius Monachus tomo 2 Melissæ c. 33, & Maximus Philosophus & Martyr in locis Commun. 139 scribunt uxorem Philonis interrogatam, cur sola in conventu mulierum non gestaret aureum ornatum, respondisse δι' ἀυτάρκειαν κόσμῳ μοι ἔστι ἡ τῦ ἀνδρὸς ἀρετή, quia sufficiens orna-

ornatus mihi eſt mariti virtus. Ælianus lib. 12 Variar. inter magnas Aſpaſiæ laudes, quæ Artaxerxi Perſarum regi nupſerat, non ultimo loco ponit, quod ab omni curioſitate muliebri & ornatu eſſet aliena.

Quid ſi Aſpaſiam hanc mundi muliebris, & nitoris, elegantiæque veſtitus contemptricem Eſtheram fuiſſe dicamus? Sed nolumus hariolari.

In Chriſtianis eminet S. Eliſabetha Andreæ Hungarorum regis filia, conjux Ludovici Lantgravii Thuringiæ, Principis Haſſiæ & Saxoniæ, Comitis Palatini, cujus extat vita apud Surium. Vide librum primum cap. 4, & lib. 2 cap. 2.

Accenſenda Eliſabethæ vitæ ſanctimoniâ conſpicua Poloniæ duciſſa Hedwigis, ejus materterâ, quæ non minore affectu omnem nitorem, pretiumque veſtitus ſprevit, quam inſanæ multæ mulierculæ ambiant. Vide Surium in vita cap. 2, Octobris 15.

85. Kinga vel Kunegundis Duciſſa Poloniæ veſtitu ſimplice utebatur.

In hanc claſſem etiam referenda Kinga vel Cunegundis filia Belæ quarti Hungariæ regis, & Mariæ filiæ Alexii Imperatoris Orientis. Hæc ut in ipſius rebus geſtis ſcribit Ioan. Longinus Canonicus Cracovienſis, nupta Boleſlao Pudico Poloniæ Duci, quemadmodum à teneris annis omnem veſtium coccinearum luxum, nitorem & mollitiem rejecerat, ita jam in manum viro data cultum, curioſum & ſuperfluum repudiavit, probè ſciens habitu rudi & ſimplici virtutem foveri, pretioſo verò & ſumptuoſo eamdem opprimi. Vbi verò advertit neglectum hunc veſtium ſocrui & Duci conjugi ſuo diſplicere, nempe minimè convenientem regum filiæ recenſque nuptæ duciſſæ, ne imperium utriuſque contemnere videretur, ſplendida & ſe digna indumenta aſſumpſit, ita tamen, ut, quantum fieri poterat, nullis lapillis, margaritis, aut adamantibus colluceret, quorum amore matronæ ardent. Siquidem omnia monilia baccata, & cemelia, quæ vel à parentibus vel conjuge acceperat, Deo in templis dicaverat, vel in egenos diſtribuerat, ut hi illis veſtirentur, illa verò ornarentur. Interim verò nudum corpus magnifico foris cultu conveſtitum cilicium è ſetis equinis contextum ſtringebat. Sic mundo illudebat, dæmonem torquebat, carnem ſpiritui ſubjiciebat. Hæc ibi.

86. Margarita Auſtriaca Hiſpaniæ regina abhorrebat à vano veſtitu.

Nec hic ſilentio involvenda Margarita Auſtriaca Philippi tertii Hiſpaniarum regis uxor, quæ ſeculo noſtro ſplendidum ſidus eluxit, multiſque virtutum diverſarum claruit inſignibus. Hæc etiam, ut refert Iacobus Guſmannus Indiarum Patriarcha in ejus vitâ, ab omni novarum veſtium pompâ & vanitate abhorrebat. Solutura ex Italiâ in Hiſpaniam per Venetias iter habuit. Cum verò ibidem obvias ſibi haberet mulieres Venetas vano ſplendore adornatas & comptas, magnum animo concipiebat dolorem & taſtidium, & ſe comitantibus inquiebat: Ante omnia cum in Hiſpaniam appulero, cordi mihi erit, ornatum matronarum ſuperfluum, curioſum & noxium vel tollere, quantum valuero, vel moderari, & nimiam mulierum libertatem in corpore colendo reſtringere.

Prætermitto alias recenſere virgines vel matronas inferioris ordinis, & minus eminentes, quæ ſibi, omni levitate, ſplendore & elegantiâ veſtitus ſeverè & rigidè interdixere. Vnde nec mirum, ſi Reges vel Imperatores, aliique viri principes faſtum & pretium in corporis habitu neglexerint, modeſto, mundóque cultu contenti.

Plura exempla protuli alibi eorum, qui purpuram, ſericas veſtes, gemmas, & hujuſmodi inanias & crepitacula nugacitatis ſepoſuerunt, & rejecerunt. Vide Commentarium meum in Eccleſiaſtici 11 ℣. 4 & Iuſtum Lipſium lib. 2 Politicor. Monitorum cap. 15. Hic illuſtriora paucâ attingam.

89. Eleſbaan rex Æthiopum coronam ſuam mittit Hieroſolymam.

Elesbaan Rex Æthiopum ſanctitate & bellicâ gloriâ præclarus devicto & interfecto Dunaan Homeritarum ſive Sabæorum tyranno, cum in Regiam ſuam ſpoliis ditatus opimis rediiſſet, primum Deo gratias pro inſigni victoriâ egit, deinde volens ſeipſum dignum reddere majoribus ſuis, regium ſuum diadema miſit Hieroſolymam, ſanctiſſimæ Cruci votivum anathema. Ipſe verò indutus cilicio, & noctu palatio ſuo egreſſus in montem conſcendit ad monaſterium Aſcetarum ſeu Monachorum qui exercebantur. Cum autem ibi ſe in exiguâ clauſiſſet caſâ, propoſuit toto tempore vitæ ſuæ non egredi, ex iis, quæ ſunt mundi nihil poſſidens præter ſolam ſtoream, & poculum ad aquam bibendum, ſolo pane & aqua contentus & viridibus oleribus, ſi quis ea attuliſſet, ad aliud nihil habens mentem intentam niſi ad ſoli Deo vacandum. Ita habent ex Metaphraſte Acta S. Aretæ Martyris anno Chriſti 522, apud Surium Octobris 24, in fine.

87. Godefridus Bullonius numquam auream geſtare voluit coronam Hieroſolymis.

Godefridus ille Bullonius terræ ſanctæ recuperator, Hieroſolymorum vindex, & Rex, Lotharingicæ familiæ inclytum ſidus, eâ in civitate, cujus clavum moderabatur, numquam vertice geſtare regiam coronam paſſus eſt, quod ibidem cæli, terrarumque Rector ſpineâ compunctus & incinctus fuiſſet, ut eſt apud Guilielmum Tyrium de bello ſacro. Viſitur tamen ejus ſtatua Oeniponti diademate ſpinis plexo coronata.

88. Kanutus Angliæ rex capiti Chriſti ſuam imponit coronam.

Magnus Kanutus Angliæ & Daniæ rex, ut eſt auctor Polydorus Virgilius lib. 7 Hiſtor. Anglicanæ, ſpeculum modeſtiæ fuit, nec ſe regem potentiſſimum vocari à ſuis ferebat, qui mari & terræ latè imperitaret. Hic aliquando Vintoniam progreſſus, coronam, quam geſtabat, capiti imaginis Chriſti crucifixi, quæ in templo Apoſtolorum Petri & Pauli pendebat, manibus ſuis impoſuit, numquam poſtea ejuſmodi capitis ulus inſigni.

90. Rex gentilis diadema ſuum vili pendit.

Laudatur à Valerio lib. 7 cap. 2 rex ille profanæ ſuperſtitionis, *fuiſſe ſubtilis judicii, quem ferunt traditum ſibi diadema, priuſquam capiti imponeret, retentum diu conſideraſſe ac dixiſſe. O nobilem magis quam felicem pannum, quem ſiquis penitus cognoſcat, quem multis ſolicitudinibus & periculis & miſeriis ſit refertus, ne humi quidem jacentem tollere velit!* Stobæus autem Sermone 47 ait Regem fuiſſe Antiochum, & dixiſſe. *O pannum miſerum, qui curas tot & pericula procreas!*

91. Iuſtinus Imperator ſplendoris vanitatem Tiberio oſtendit.

Præclara fuit Iuſtini Iunioris Imperatoris omtio, hæc ipſa, de quibus agimus, declarans, quâ imperium Orientis Tiberio reſignans, ita eum alloquitur, tunicâ induens Imperatoriâ & læna circumveſtiens: *Ne te in errorem inducat veſtis ſplendor, neque illuſtris ornatus iſtarum rerum, quæ ſub aſpectum cadunt, decipiat, quibus ipſe in fraudem impulſus, imprudens me ipſum graviſſimis ſup-*

pliciis

plicitis obnoxium reddidi, &c. vide Enagrium lib. 8 Histor. Ecclesiasticæ c. 13.

Intellexerunt magnæ illæ animæ, quam verè Esthera appellarit signum gloriæ suæ pannum menstruatæ.

Quomodo autem mulieres, ut viris suis placeant, licitè se comere & adornare possint, copiosè tractatum habes apud magnæ & lectionis & eruditionis Iureconsultum Andream Tiraquellum in Legem tertiam Connubialem maximè n. 38 & sequentibus.

Documentum alterum spirituale.

Sola lætitia vel delectatio de Deo rebusque divinis digna est, quæ ab homine verâ religione imbuto expetatur.

ITa sensit Regina nostra, quæ spretâ & pedibus pressâ omni voluptate, quæ ex choragio & splendore vestium regiarum, insigni pretiosi diadematis notâ, mensæ Persicæ luxu & deliciis percipi potuit, numquam nisi in solo Deo lætata est, ut eodem teste, ipsâ profitetur ℣. 18.

Nimirum solum illud gaudium ab homine expetendum, quod admirabili affluentiâ & cœlesti cataclysmo à throno Dei procedit, & in humana pectora depluit. *Et ostendit mihi* (inquit dilectus Christo discipulus) *fluvium aquæ vitæ, splendidum tamquam crystallum procedentem de sede Dei, & Agni*, Apocalyps. 22, ℣. 1. Interpretes accuratiores per hunc fluvium accipiunt exuberantiam liquidissimarum voluptatum, quæ maximo impetu derivatur ex beatificâ visione numquamque exarescunt, aut deficiunt: de quo fluvio accipe illud Psal. 45, 5. *fluminis impetus lætificat civitatem Dei*, & Isaiæ 66, 12. *Declinabo super eam quasi fluvium pacis, & quasi torrentem inundantem gloriam Gentium.* Itaque à Deo & cœlis viva, perennis, pura, splendida, exundans, vera procedit lætitia. Alia omnis hilaritas & delectatio mortua, brevis, impura, fœda, sterilis, falsa, nulla, similis scilicet rebus, unde hauritur.

92. Lætitia ex Deo similis est fluvio vitæ, qui procedit de sede Dei.

Prior, pars est & coronis seu cumulus beatitudinis & felicitatis, ut etiam auctor est Aristoteles 7 Ethic. c. 12. unde & *μακάριον* felicitatem quidam nominaverunt *παρὰ τὸ μάλιστα χαίρειν, a maximo, gaudio.*

93. Felicitas quare à Græcis *μακαριότης*.

Posterior, quam Seneca Epist. 23 vocat invectitiam, fons & principium æterni est sæpe doloris. Deinde nihil illâ vanius, levius, inconstantius, aliquâdo etiam nihil turpius & indecentius.

Qui hujusmodi voluptatis capiuntur ludibriis, dicuntur lætari de nihilo. Ita Amos cap. 6 ℣. 14. *Qui lætamini in nihilo*, id est, fluxis & caducis, quæ fugitiva statim avolant. S. Augustin. tractatu 7 in Ioannem, *Lætitia sæculi cum magna expectatione speratur ut veniat, & non potest teneri cum venerit.*

94. Lætitia hujus mundi vana & fluxa.

Contra gaudium, quod est donum & fructus Spiritus sancti, solidum est, quod è rebus divinis & honestis hauritur, ex Dei erga nos caritate, benevolentiâ, & *φιλανθρωπίᾳ* sive humanitate ut loquitur Apostolus ad Titum 3 ℣. 4. ejus beneficiis, ex spe bonorum, quæ in cœli domicilio præparavit diligentibus se & hujusmodi.

Illud est homine sapiente dignum: nam, ut doctè Gregor. Nyssen. homilia 5 in Ecclesiasten: *εὐφροσύνη, id est, lætitia nomen sortita est, quoniam ex τῷ φρονεῖν, quod est, recte sapere, hujusmodi animi exultantis affectio promanet.*

95. Euphrosyne, id est, lætitia unde Græcè dicta?

Ex quo sequitur lætitiam illam improborum, *Qui lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis* Prov. 2. ℣. 14, non esse veram & firmam, sed falsam & fucatam, nec cor penetrare & possidere, sed frontem pigmentis hilaritatis tantum colorare;

96. Gaudium improborum risus Sardonicus, & quare?

Potius est risus Sardonicus, index & comes latentis intus molestiæ. Sic scribit Salvian. Massilienſis Antistes de populo Romano rebus prosperis exultante. *Sardonicis herbis omnem Romanum populum putes exsaturatum: moritur, & ridet.* Ita mala, ficta, infana sunt sceleratorum gaudia.

97. Sola lætitia digna homine, quæ ex Deo percipitur quia ex creatore.

Sola illa lætitia ingenuo homine digna, quæ ex Deo, rebusque divinis percipitur; quod quidem multis argumentis ostendi potest.

Et primò quidem, solus Deus dignissimus est, cujus contemplatione mens pascatur, cujus amore pectus inflammetur, cujus deliciis animus perfundatur & fruatur. Voluptas verò, quæ ex eo capitur, non corporalis est, sed spiritualis & intima ad quam perfruendam non opus est apertione oris, extensione brachiorum aut aliorum membrorum usu, sed vivâ & liberâ spiritus cupiditate & affectu. Itaque quo conditor rebus à se conditis præstantior est, quo animus corpore pretium majus habet, ita quoque gaudium, quod animus ex Deo ducit, præstabilius, dignius, majus est. Intellexit hoc S. Bernardus, qui ita scribit Epist. 115. *Revera*, inquit, *illud verum & solum est gaudium quod non de creatura, sed de creatore percipitur: cui comparata omnis alibunde jucunditas mœror est, omnis suavitas dolor est, omne dulce amarum, omne decorum fœdum, omne postremo, quodcunque delectare posset, molestum.*

98. Extra Deum nullum est verum gaudium.

Hæc qui non capit, nescio an hominis nomine dignus sit, & non potius in numerum pecudum redigendus.

Accedit & altera ratio; quod delectatio, quam contemplatio summi Numinis infundit, sola sit sufficiens ad mentem hominis explendam, ita ut nullas alias delicias aut jucunditates desideret; immò verò omne aliud gaudium, quod de Deo non est, fastidiat & respuat, ut vidimus in sanctissimæ Reginæ Estheræ oratione, quæ omnem gloriam, ornatum, pompam, cupedias, quæ imperium Persicum pleno, quod ajunt copiæ cornu illi infundebat, negligebat, & detestabatur; solo verò Deo jucundissimè fruebatur.

99. Gaudium de Deo solum hominis mentem explet, quod eo major est, quo arctius eidem jungimur.

Quamvis autem tum demum spiritualis hæc animi voluptas perfectionis cumulum adeptura sit, cum gloria Domini apparuerit; tum enim omnium ejus motuum finis erit, & omnis appetitio conquiescet; nihilominus certum est, quo clariorem hic Dei cognitionem assequimur, quo arctiore amoris vinculo ipsi astringimur, quo per familiaritatem & quasi convictum eidem magis agglutinamur, eo etiam puriore, pleniore, majore dulcedine penetralia cordis nostri perfundi & exundare.

100. Nullus unquam hic fuit bonorum terrenorum.

Agedum; profer mihi in medium quempiam albæ fortunæ alumnum, in quem plenâ manu omnia bona sua conjecerit, qui se honorum, divitiarum, oblectationum saturum esse ex animo fassus fuerit.

Hacte-

100. Nec Alexander Magnus.

Hactenus nullus prodiit, ne quidem unus, ut quidem putabat, orbis victor Alexander, de quo Iuvenal. Satyrâ decimâ.

Unus Pellæo juveni non sufficit orbis.
Æstuat infelix angusto limite mundi,
Ut Gyaræ clausus scopulis, parvaque Seriphe.

100. Nec Iulius Cæsar.

Nec etiam C. Iulius Cæsar Dictator Alexandri ambitione æmulus, de quo hæc Suetonius in vita cap. 7. *Cum Gadeis venisset, animadversâ apud Herculis templum Magni Alexandri imagine, ingemuit, & quasi pertæsus ignaviam suam, quod nihil à se memorabile actum esset eâ ætate, quâ jam Alexander orbem terrarum subegisset* (anno 33 teste Ciceron. Philippicâ 5) *missionem continuo efflagitavit ad captandas quam primum majorum rerum occasiones.* Ergo hi orbis terrarum principes votis suis terminum nullum invenerunt.

Ego verò tibi producam viros humiles & mundo despectos, qui cælesti dulcedine delibuti, se saturos, ebrios inundantes proclamarunt.

101. S. Franciscus Xaverius hic fatur fuit divinæ consolationis.

Prodeat in lucem Magnus ille Indiæ & Iaponiæ Phosphorus Xaverius: de quo hæc Horat. Tursellin. prodidit historiæ de vitâ ejus lib. 6 cap. 5. *Observarunt cum sæpe Goæ Patres quidam intempestâ nocte fixo in cœlum oculorum obtutu in hortis domesticis inambulantem, totumque ex Dei incitatione atque amore pendentem, ut non ambigeres ejus animum à sensibus abstractum eminere foras. Inde ad se cum rediisset tunica de more ab æstuanti pectore manibus distracta, hanc identidem vocem iterantem exandierunt: Sat est, Domine, sat est, eo vocis sono, qui facile ostenderet tantam vim esse superfundentis se lætitiæ, quantam capere vix posset mortalitas.*

Si corporis custodiâ adhuc clausus se impetum gestientis lætitiæ capere non posse ingeminabat: quid illum sentire dicemus, cum jam in gaudium Domini intraverit?

Nec solus supernis illis solatiorum fluentis infusus & inebriatus fuit Xaverius; plures commemorare licet; in quos divinæ illius voluptatis fontes redundarunt. Dicitur enim S. Effremus Ecclesiæ Syræ decus, cum penè ejus præcordia divinitus haustâ jucunditate rumperentur, *Recede à me, Domine*, sæpe exclamavisse: *Recede parumper, quia vasis hujus infirmitas ferre non potest.*

101. Item S. Effrem.

Omitto alios, quorum pectora cum divinis deliciis colliquescerent & abundarent, omnes hujus mundi jucunditates felle, absynthio, & Sardois herbis amariores, existimarunt. *Gustato enim spiritu desipit cæro.*

Sapienter dixit etiam quidam. *Delectatio mundi numquam sufficit, gaudium Dei numquam desipit.*

Postremò, vel maximè commendatur spiritualis lætitia, quam divinarum rerum suppeditat meditatio, ex eo; quod hominis menti incredibilem tribuat dignitatem, excellentiam & gloriam, eam efferat ad gradum ordinis altioris, & quodammodo divinam efficiat; cum versâ vice quælibet delectatio orta ex rebus fluxis, caducis, & sæpè spurcis & bestialibus, eamdem dedecoret, humi deprimat divinæ particulam auræ, eam collutulet & contaminet, obbrutescere faciat, & in ordinem pecudum & jumentorum dejiciat, juxta illud sacri poëtæ Psal. 48 ℣. 13: *Et homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Contra 1 ad Corinth. 6 ℣. 7 *Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est*: nempe cum Domino Deo.

Observa verò hic primò, delectationem animi esse quasi quamdam vitalem quietem in bono aliquo, quod quis diu multis modis & votis desideravit, & vehementer amavit; quæ quies dicitur, quia omnes alii animi motus in illo adepto conquiescunt, sicut lapidis motus cùm ad centrum pervenerit, cessat. Hæc autem affectio suavissimè animum demulcet, cum alii motus vel actiones ejus non expellant omnem molestiam & angorem, ut videre est in rei amatæ desiderio; diciturque hæc fruitio, quia re optatâ & amatâ pro libito delectatur. Quamvis autem maximè & præcipuè, propriéque hæc locum habeant in æternâ beatitudine, in quâ anima quæ per intellectum quasi manum spiritualem Deum intra se tenet, eodem perfectissimè suavissimeque perfruitur, in gaudium Domini intrat, inebriatur ab ubertate domus Dei, & torrente voluptatis potatur: Analogicè tamen & quadam proportione etiam aptari possunt jucunditati, quâ quis perfunditur & perfruitur tempore orationis divinæ, vel meditationis rerum cœlestium, cum mens supernâ dulcedine colliquescens in optatissimis Dei amplexibus ut sponsa conquiescit, ut primis quibusdam Dei amicis accidisse legimus.

102. Delectatio est vitalis quies in bono adepto, quæ maximè gustatur in beatitudine æternâ.

Observa 2, ex doctrinâ Doctoris Angelici impuritatem uniuscujusque rei consistere in hoc, quod vilioribus immiscetur. Non enim dicitur argentum esse impurum ex permixtione auri, per quam melius redditur, sed ex permixtione plumbi vel stanni. Manifestum est autem, quod rationalis creatura dignior est omnibus temporalibus & corporalibus creaturis, & ideo impura redditur ex hoc quod temporalibus se subjicit per amorem (&, quæ ex eo sequitur, eumque comitatur, delectationem) à qua quidem impuritate purificatur per contrarium motum, dum scilicet tendit in id, quod est supra se, scilicet in Deum, in quo quidem motu primum principium est fides, (sed multo nobilior est amor, & perfectior fruitio, & gaudium) Ita S. Thomas 2, 2, quæst. 7 art. 2 in Corpore.

103. Res dicitur impura ex permixtione vilioris; sic homo fit impurus, cum se amori creatarum rerum subjicit, à quo vitio purificatur per conjunctionem cum Deo.

Ex hoc colligimus animum hominis, dum blandis rerum fragilium & perituroruṁ bonorum illecebris implicatur, capitur, tenetur, à se degenerare, id est à naturâ & ingenitâ sibi nobilitate, & divinum illum æthereæ auræ haustum in fætentem paludem demergi, gemmam illam & cœlestem elenchum luto inquinari, denique spiritum in carnem convertì.

104. Qui prætermissis divinis, carnis deliciis oblectantur, similes sunt Scarabæis, Copronymis, pantheris, elephantis, &c.

Qui hujusmodi homines vel potius pecudes sunt, ut Scarabæi, vivunt in stercore, id est, putentibus & turpissimis deliciis, in rosis verò, quas Empyrei palatii paradisus & viridaria proferunt, extinguuntur: Sic enim de Scarabæis scribit Ælian. lib. 4 Histor. Animal. c. 18 & alii. Dixerim illos pares stercorei nominis Imperatori, qui non cinnamomo, balsamo, & suavibus odoribus, sed sordibus, & fœtore tantoperè alliciebatur, ut excrementis jumentorum se illineret, & odore lotii oblectaretur: unde se dignum nomen sortitus est Copronymi & Caballini. Ita Theophanes & alii. Similes pantheræ, quæ etiam sordibus hominis pascitur. Ita potus fontis argentei

tei & illimis Elephantis odiosus est & ingratus; aquam verò turbulentam & sordidam dulcissimè proboscide exsorbent.

O cœno nata pectora, non cœlo, quibus ambrosia & nectar sordent, porcorum vero siliquæ placent, & ad eorum stomachum faciunt obscœne carnis voluptates! O animas suillas, quæ numquam serenum lumen hauriūt, sed perpetuò in volutabro luti cum scrophis volutantur! O mentes degeneres, quæ cum è supernì Patris aulà purissimas & Angelicas dapes accipere potuissent, cepis, alliis, peponibus, imo luto se ingurgitant! Ad Circes haram perituri abeunt, ubi noxio poculo in bestias, sueisque morum vitæque deterrimâ Metamorphosi convertuntur: sordent illis nempe divina munera, quibus delibatis naturæ cœlestis consortes fuissent facti. Caro sunt Genes. 6, ℣. 3, vel, ut Græcè, carnes sunt, & ideo Dei spiritus in ipsis non manet.

105. Carnalis voluptas Hydra.

Poëtæ, ut notat S. Basilius de verâ virginitate sub finem libri, cum vellent carnalem voluptatem exprimere, Hydram multorum capitum belluam in Lernâ palude teterrimâ, & cœno putidissimo cubantem finxerunt. Est hoc congruum voluptuariorum Emblema, qui se totos sensuum lenociniis dediderunt, nec unquam cœlum mente aspiciunt; ut inde divinâ suavitate satientur, sed toto corpore, ore, corde in terram projecti, iis epulis pascuntur cum amicis luto suibus, quas Lernæa, palus subministrat.

Sic impuri sunt, sicut ea quibus oblectantur; cum animæ magnæ & sublimes ætheriis deliciis satientur, quibus mundiores astris & similes Angelis efficiuntur.

Sed illis suibus valere jussis, alloquamur, Christiani Asceterii alumnos, quibus cordi est exemplum Reginæ nostræ: alloquamur illos verbis Tertulliani lib. de Spectaculis c. 28. *Delicatus es, Christiane, si & in seculo voluptatem concupiscis; imo nimium stultus, si hoc existimas voluptatem.*

106. Voluptas seculi non est voluptas.

Sed plura de spirituali gaudio, cujus origo Deus est, inveniet Lector apud Franciscum de Mendoça tomo primo in librum primum Regum cap. 2 ℣. primo, ubi explicat illud Cantici Annæ: *Exultavit cor meum in Domino, &c.* Spectat huc illud Christi: unum est necessarium, Luc. 10, in quem locum vide Interpretes, & præcipuè Cornelium nostrum.

CAPVT DECIMVMQVINTVM,

ARGVMENTVM.

Inducitur Esthera post triduanam inediam, post lamenta, afflictionem, habitum sordidatum, & luctuosam ad Deum supplicationem meditari ingressum ad conclave regium. Regiis ergo & splendidis se vestibus ornat & duabus honorariis famulis comitata ad regem pergit: cujus terribili aspectu, simulque majestate & gloriâ attonita corruit, & penè exanimatur. Divinitus verò Rex mansuefactus labentem amplectitur, & blandis alloquiis consolatur, verbisque suavissimis delinit, donec ex languore & animi defectu respiraret. Nec officio eam territam erigendi desunt palatini. Illa ad se rediens pavoris sui causam in regiam magnificentiam & gloriam rejicit. Quid autem à Rege postulaverit hic non scribitur, sed ante cap. 5 relatum supponitur.

Hoc itaque capite supplentur illa quæ capite quinto fuerant prætermissa; nimirum apparatus, quo regina ad regem intravit, ejusdem animi defectus & consternatio, blandimenta regis, quibus illam exanimatam delinivit, &c.

TEXTVS.

Hæc quoque addita reperi in editione vulgata.

ET mandavit ei (haud dubium quin Esther Mardochæus) ut ingrederetur ad regem, & rogaret pro populo suo & pro patria sua. 2 Memorare (inquit) dierum humilitatis tuæ, quomodo nutrita sis in manu mea, quia Aman secundus à rege locutus est contra nos in mortem: 3 & tu invoca Dominum, & loquere regi pro nobis, & libera nos de morte.

Necnon & ista quæ subdita sunt.

4 Die autem tertio deposuit vestimenta ornatus sui, & circumdata est gloria suâ. 5 Cumque regio fulgeret habitu, & invocasset omnium rectorem & salvatorem Deum, assumpsit duas famulas, 6 & super unam quidem innitebatur, quasi præ deliciis & nimia teneritudine corpus suum ferre non sustinens: 7 altera autem famularum sequebatur dominam, defluentia in humum indumenta sustentans. 8 Ipsa

autem roseo colore vultum perfusa, & gratis ac nitentibus oculis, tristem celabat animum, & nimio timore contractum. 9 Ingressa igitur cuncta per ordinem ostia, stetit contra regem, ubi ille residebat super solium regni sui, indutus vestibus regiis, auróque fulgens, & pretiosis lapidibus, eratque terribilis aspectu. 10 Cumque elevasset faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicasset, regina corruit, & in pallorem colore mutato, lassum super ancillulam reclinavit caput. 11 Convertitque Deus spiritum regis in mansuetudinem, & festinus ac metuens exilivit de solio, & sustentans eam uluis suis, donec rediret ad se, his verbis blandiebatur: 12 Quid habes Esther? Ego sum frater tuus, noli metuere. 13 Non morieris: non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est. 14 Accede igitur, & tange sceptrum. 15 Cumque illa reticeret, tulit auream virgam, & posuit super collum ejus, & osculatus est eam, & ait: Cur mihi non loqueris? 16 Quæ respondit: Vidi te domine quasi Angelum Dei, & conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ. 17 Valde enim mirabilis es domine, & facies tua plena est gratiarum. 18 Cumque loqueretur, rursus corruit, & pæne exanimata est. 19 Rex autem turbabatur, & omnes ministri ejus consolabantur eam.

Verba sunt S. Hieronymi, quibus more suo notat hæc se non invenisse in Hebræo, sed tantum in Latino, & Græco.

VERSVS I, II & III.

Et mandavit ei (haud dubium quin Esther Mardochæus) ut ingrederetur ad regem, & rogaret pro populo suo, & pro patriâ suâ.

Memorare (inquit) dierum humilitatis tuæ, quomodo nutrita sis in manu meâ, quia Aman secundus à rege locutus est contra nos in mortem:

Et tu invoca Dominum, & loquere regi pro nobis, & libera nos de morte.

COMMENTARIVS.

Hi versus à quibusdam omittuntur.

OBservandum est, hos tres versus à quibusdam omitti; forte quia sunt repetitio eorum quæ habentur cap. 4, ℣. 8, 13, 14, Vbi Mardochæus Estheram monet, ut intraret ad regem, & deprecaretur pro populo suo.

Advertit præterea rectè Mariana in Bibliis varianum translationum Antverpiæ recusis apud Keerbergium nullam fieri mentionem Septuginta, quasi caput hoc omisissent. Sed neque in Bibliis Regiis tres hi versus Græcè leguntur, ut adverterunt Emman. Sa, Salianus & alii: habentur tamen hæc Græcè apud Septuaginta cap. 4, ℣. 8, ut mox ostendam, & patebit infrà in textu ipsorum.

Petes ergo, quo tempore præceperit Mardochæus Estheræ hæc, quæ hîc dicuntur?

Respondet Salianus hæc inculcata fuisse Estheræ à Mardochæo tempore triduani jejunii, ut per se currentem & paratam intrare ad Regem, vehementiori etiam calcari admoto perurgeret.

Sed dicendum cum omnibus aliis hæc esse cap. 4 dicta à Mardochæo, cùm Estheram moneret, ut ad Regem pro populo suo deprecatura intraret.

Sic cap. 4, ℣. 8, leguntur apud Septuaginta, Vbi enim nos habemus hîc: *Et mandavit ei ut ingrederetur ad regem & rogaret pro populo suo, & pro patriâ suâ.* Septuaginta ita ibi habent, *Ut mandaret illi ingredienti deprecari regem, & orare eum pro populo:* ubi vulgata c. 4, suprà habet. *Et moneret eam ut intraret ad regem, & deprecaretur eum pro populo suo.* Iosephus verò sic recitat. *Adjectis mandatis ut supplex regem adiret super hoc negotio, nec gravaretur pro incolumitate suæ gentis ad tempus infra dignitatem sese demittere, & deprecari ejus periculum.*

Mariana verò putat illa, *(haud dubium quin Esther, Mardochæus)* esse ab Auctore vulgatæ ad majorem claritatem adjuncta, quæ cap. 4 omissa sunt, quia expressa Mardochæi fiebat mentio.

Vlterius verba ista versus secundi. *Memorare dierum humilitatis tuæ, quomodo*, &c. Septuaginta suprà cap. 4, vers. 8, sic habent: *Memor dierum humiliationis tuæ, quomodo nutrita es in manu meâ: quoniam Aman secundus à Rege locutus est contra nos in mortem.* Hæc autem vulgata cap. 4 omisit, quia non habebantur in Hebræo. Iosephus sic subscribit suprà. *Amanem enim, cujus secunda sit post Regem dignitas, incitare eum crebris contra Iudæos accusationibus.*

Rursus postrema verba ℣. 3. *Et tu invoca Dominum, & loquere regi*, &c. ita referunt Septuaginta suprà: *Invoca Dominum, & loquere Regi pro nobis, & libera nos à morte.*

Hæc diligenter & sagaciter animadvertit Mariana, & clara sunt in textu infra producendo Septuaginta.

Sensus autem horum versuum facilis est. Tribus enim Mardochæus rationibus excitat Estheram ut omni posito metu intrepida regem adeat deprecatura populi Iudaici periculum.

Prima est, ut humilis suæ conditionis & status, in quo erat antequam ad thronum & thalamum Regis assumeretur, memor esset, & non ignara mali seu servilis sui ordinis, miseris succurrere disceret.

Alte-

Altera, ut animo revocaret, quâ curâ & studio ipse eam educaverit, & à tenerâ ætate usque ad nubiles annos perduxerit: paterno amore alimenta illi procurarit, liberalibus disciplinis & puellaribus artificiis erudierit, Dei cultum, timorem, & sacrarum litterarum cognitionem instillaverit. Videret etiam atque etiam, quid tantis promeritis, tantæque benevolentiæ rependere æquum esset.

Postremò, perpenderet seriò periculum, quod Amanus ambitione & furore æstuans toti Hebræę genti machinaretur; hoc præmissâ ad Deum deprecatione, ab ipsorum jugulis, etiam si ipsi moriendum esset, depellendum.

Quam sedulo autem Esthera hæc omnia præstiterit, habes cap. 4, sub finem, & cap. 14 initio, & etiam hîc in sequentib.

Monitvm Moratvm;

Iustum & decorum esse ad fastigium honorum provectis pristinæ fortunæ & conditionis humilis meminisse, ut miseris hoc pacto succurrere discant.

MEmorem Estheram monebat Mardochęus hisce verbis: *Memorare dierum humilitatis tuæ.* Altâ enim mente repositum fuerat quidquid illi patruus præcipiebat (ut habes cap. 2, vers. 26.) etiam ad dignitatem regiam promota. *Quidquid enim ille præcipiebat, observabat Esther: & ita cuncta faciebat, ut eo tempore solita erat, quo eam parvulam nutriebat.*

Noverat æquam servare mentem rebus in bonis ab insolenti temperatam lætitiâ, nec se efferre fortunâ secundâ adspirante. Noverat & illud Horatii.

Metiri se quemque suo modulo ac pede verum est. id est, justum: sic convenit.

1. Agar insolens.

Modestiæ speculum Esthera, procul abfuit ab insolentiâ Agaris ancillæ Sarai, quæ Genesis 16, v. 4, *concepisse se videns despexit dominam suam.*

Hortatur Sirachides Ecclesiastici c. 11, ℣. 27, *In die bonorum ne immemor sis malorum*, &c.

Rursus cap. 18, ℣. 25: *Memento paupertatis in tempore abundantiæ, & necessitatum paupertatis in die divitiarum.*

Vide Commentarium meum ibidem.

2. Rarum est in prosperis non insolescere.

Canit Seneca in Thyeste. *Nemo confidat nimium secundis.*

Pulchrè S. Bernard. lib. 2 de Consideral. *Quando*, ait, *prosperitas non fuit incautis ad disciplinam, quod ignis ad ceram, quod Solis radius ad nivem vel glaciem?* Et paulo post. *Magnus qui incidens in adversa, non excidit vel parum à sapientiâ: nec minor, cui præsens prosperitas, si arrisit, nō irrisit.*

Difficile est, & ideo singulare, si filii ad sublimem honoris locum elati, & parentibus suis jam facti dignitate altiores, meminerint exiguæ suæ conditionis, unde emerserint, & educationis aut institutionis paternæ.

3. Egregium Apophthegma filii recusantis Imperatoris titulum à patre oblatum.

Vnde sapienter quidam parenti Imperatori volenti illum suum in locum surrogare respondit; honorem illum respuens. *Verear ne si fiam Imperator, filius esse, desiscam.*

Intellexit hoc, apud Valerium lib. 5, cap. 7, (cujus etiam meminit Appian. in Mithridatico) alius filius, *cui cum Ariobarzanes pater Cappadociæ regno cedere vellet, ideoque sellâ descendisset, & diadema in caput ejus transtulisset, hortarique cœpisset, ut eò transiret, unde ipse surrexerat; excidere lacrymæ juveni, cohorruit corpus, dilapsum diadema est, nec quo jussus erat, progredi potuit: Quodque penè veritatis fidem excedit, latus erat qui regnum deponebat; tristis cui dabatur. Nec ullum finem tam egregium certamen habuisset, nisi patriæ voluntati auctoritas Pompeii adfuisset. Filium enim & Regem appellavit, & diadema sumere jussit, & in curuli sellâ considere coëgit.*

4. Filius Ariobarzanis patris regnum suscipere renuit.

Ad hoc argumentum elucidandum vel maximè spectat Sirachidæ acroama & effatum, Ecclesiastici 23, vers. 18. ubi sic monet. *Memento patris & matris tuæ, in medio enim magnatorum consistis:* cujus notionem hanc probatissimam attuli: Memento generis tui, & beneficiorum, quæ in te parentes contulerunt procreando, educando, & in illam ætatem provehendo; idque præcipuè cum inter principes & magnates ad magnos honores elatus versaris: tunc enim subeat animum tuum recordatio stirpis tuæ, ut si illa vilior fuerit, te non supra modum attollas, sed potius modestè te geras, &c. ubi plura à me huc pertinentia commemorata, & ibidem etiam cap. 41, ℣. 25.

Verba illa Mardochæi (*Memorare dierum humilitatis tuæ*) tamquam oraculum quoddam plusquam Delphicum sibi existiment pronuntiata omnes, qui in edito & conspicuo gloriæ fastigio locati sunt, quibus à scopulo arrogantiæ quam maximè cavendum, in quem plerique velis remisque contendunt.

Opus habent illi, qui interdum conantur majores pennas extendere nido, & honorifluæ famę alis in sublime feruntur aliquo pondere deprimente ut potius discant solidè subsistere in se quam inaniter ferri supra se. *Omnis homo nihil est, aliquid, qui se putat esse:*

Est aliquid, quisquis se putat esse nihil.

5. Fortuna optima pessimæ proxima, & omne fortuitum instabile.

Præclarè Romanus Sophus lib. de brevitate vitæ cap. 17. *Maxima quæque bona sollicita sunt: nec ulli fortunæ minus bene, quam optimæ creditur. Aliâ felicitate ad tuendam felicitatem opus est: & pro ipsis, quæ successerunt votis, vota facienda sunt. Omne enim, quod fortuitò evenit, instabile est: quo altius surrexit, vergit pronius in occasum.*

Accinit his Æschylus: *Citò*, inquit, *casum minatur & adfert virorum felicium fortuna, nimis pinguis.*

6. Viri excellentes memores seri volebant suæ tenuitatis, &c.

Id fuit, quod viri magni tàm genticæ superstitionis, quam veræ religionis albo adscripti, ut tumorem animi, quem plerumque res nimium prosperæ invehunt, comprimerent, symbolum vel mnemosynon quoddam suæ infirmitatis, tenuitatis, mutabilitatis, mortalitatis sibi ipsis proponerent, vel ab aliis sibi objici curarent.

7. Spectat huc Philippi Macedonis effatū, & modestia in prosperis.

Philippus Macedo cum in palæstrâ quondam inter luctandum lapsus fuisset, & jam erectus vestigium sui corporis in pulvere conspexisset, *Papæ*, inquit, *quam parvam terræ partem sortiti, orbem appetimus!* Volebat scilicet animum bracteatâ felicitate crepitantem, & gloriæ bullâ inflatum exiguâ corporis mensurâ continendum.

Idem, cum eodem die nuntios tres magnæ felicitatis indices accepisset, quadrigas nempe suas alias omnes in curriculo Olympico cursu anteverti-

tisse, deinde Parmenionem ducem suum hostes prœlio fudisse, & Olympiadem uxorem Alexandrum filium enixam esse; sublatis in cælum manibus exclamavit, *Eia fortuna, quæ tot me hodie bonis cumulasti, levi aliquo me infortunio multa.* Plutarch. in Apophthegm.

Idem matutinus ab ephebo quotidie audiebat ad hoc instructo: *Philippe, homo es.*

Nota sunt Romanorum cognomina, Pisones, Fabii, Cicerones, Lentuli, Porcii, Bubulci, &c.

Plura suppetunt exempla eorum, qui cum clari evasissent, ignobilitatem stirpis suæ ingenuè confessi sunt.

8. Bion Philosophus. Bion Philosophus Borysthenites fassus est coram Antigono Rege natum se matre ex lupanari, patre verò liberto, qui cum laridum venderet, cubito se detergere solitus erat.

9. Agathocles Rex. Agathocles Siciliæ Rex ut se figulo natum meminisset, fictilibus cœnabat, ut habet Ausonius Epigrammate 8, quod hîc depingo.

Fama est fictilibus cœnasse Agathoclea Regem,
Atque abacum Samio sæpe oneravisse luto,
Fercula gemmatis cum poneret, aurea vasis,
Et misceret opes, pauperiemque simul.
Quærenti causam respondit: Rex ego qui sum
Sicaniæ, figulo sum genitore satus.
Fortunam reverenter habe quicumque repente
Dives ab exili progrediere loco.

10. Williges Moguntinæ Præsul. Williges Moguntinus Antistes ortus patre carpentario rotas pro insignibus gentilitiis suis in parietibus depinxit; quem morem alii secuti.

11. Benedictus 11 Pontifex. Benedictus 11 Pontifex maximus, ex ordine S. Dominici, vir sanctitate, miraculisque clarus natus matre lotrice, illam ad se venientem veste cultiore indutam agnoscere noluit nisi postea vilibus pannis amicta in conspectu ejus compareret.

12. Rex Mogoris jubet aulicos quos promovit ad honores, ferre pro insignibus artis suæ instrumenta. Ferunt regni Mogoris regem latè dominantem, nonnumquam homines plebejos & infimæ sortis ad honores amplissimos provehere, atque, ut suæ tenuitatis & pristinæ conditionis recordentur, & numquam beneficii à rege collati memoriam deponant, mandare, ut artis, quam antea exercuerant, instrumenta pro gentilitiis insignibus gestent: quasi illa ipsis insusurrent hoc Mardochæi monitum: *Memorare diem humilitatis tuæ*, &c.

Simile quid memorant Dubravius lib. 2. Æneas Silvius & alii de Premislao, qui ex rustico homulo, à vomere & aratro ad regni Bohemici gubernacula accitus, sagum rusticum, manticulam, ligneos calceos sive calopodia, antequam inauguraretur, sibi jussit adferri, & apud se servavit, quo sibi in memoriam revocaret vitæ antiquæ & agrestis genus, simulque successores minus haberent, quo intumescerent. In hunc finem hæ carbatinæ sive calopodia inter thesauros regni servari solebant, & regibus posteris in auguratione præferri.

13. Premislaus Bohemiæ ex rustico factus Rex arma & vestes rusticanas sibi voluit servari in mnemosynon suæ conditionis.

Ad idem refer, quod Sabellicus habet lib. 3. Enneade decimâ de Archiduce Corinthiorum, qui in suâ inauguratione procedit rustico vestitu, pileo petasatus, calceos sparteos, & pastorale pedum gestans; Pastorem diceres, non Principem.

14. Archiduxi Corinthiorum cum inauguratur rustico vestitu procedit.

Non facilè, inter seculi prioris præstantes viros, modestiâ & animi demissione parem repereris B. Francisco Borgiæ Gandiæ duci, postea verò tertio Societatis Iesu Generali: cujus multa habes in vita lib. 4, cap. primo, Apophthegmata, quibus seipsum deprimebat & humiliabat. Pauca attingam. Quo die hebdomadis sanctioris Christum discipulorum pedes lavantem Ecclesia recolit, ad nostros tirones verba faciens: *Nullum*, inquit, *hodie in mundo mihi locum reperio: Sextum enim jam annum ad Judæ pedes illum mihi fingebam; nunc dum Christum attentè considero iis advolutum lavare, tergere, osculari, nullum mihi, unde expulso, relictum video locum.*

15. B. Borgiæ Apophthegmata ad demissionem sui pertinentia.

Pintiam primum ingressus, abdicatis jam Ognati in Cantabriâ honorum titulis, bonisque omnibus, accurentibus vicatim, visendi gratiâ, tamquam ad novæ rei spectaculum civibus, Bustamantio comiti ait. *Ferum credo, è cavea emissum, belluamque spectatum venerunt. Equidem quâvis bellua immanior essem sine Dei ope, qui me in religiosam familiam suam accivit.*

Oraturus sensit dæmonem turbare cubiculum, quem his dictis abegit. *Nil mirum te à me nec latum quidem unguem discedere aut fugere: pridem enim communi usi mensa ciboque sumus.*

Plura hujusmodi supra referuntur sanctè, acutèque pronuntiata Apophthegmata.

Necnon & ista quæ subdita sunt.

Nimirum, reperii in editione vulgatâ, ait S. Hieronymus.

VERSVS IV, V, VI, VII, & VIII.

Die autem tertio deposuit vestimenta ornatus sui, & circumdata est gloriâ suâ.
Cumque regio fulgeret habitu, & invocasset omnium rectorem & salvatorem Deum, assumpsit duas famulas,
Et super unam quidem innitebatur, quasi præ deliciis & nimiâ teneritudine corpus suum ferre non sustinens.
Altera autem famularum sequebatur dominam, defluentia in humum indumenta sustentans.
Ipsa autem roseo colore vultum perfusa, & gratis ac nitentibus oculis tristem celabat animum, & nimio timore contractum.

Græca. Et factum est in die tertiâ, ut cessavit orans, deposuit vestimenta luctus, πένθους, (Septuaginta, τῆς ἠρεμίας, servitutis) & induta est gloriâ suâ. Et facta splendens cum invocasset omnium inspectorem (ἐπόπτην) & salvatorem, assumpsit duas famulas (ἄβρας) & quidem uni innitebatur quasi delicioſa, deliciis diffluens (τρυφερευομένη) altera sequebatur levans vestimen-

mentum ejus. Et ipsa rubens vigore pulchritudinis suæ, & vultus ejus hilaris quasi amabilis (προσφιλὴς, jucundus) at cor ejus arctatum præ timore.

Iosephus. His precibus sollicitatâ per triduum divinâ miseratione, denuo mutat habitum, & sumpto cultu qui reginam deceat, cum duabus pediſſequis, quarum altera sustinebat innixam leviter, altera à tergo sinuosam & fluentem in terram vestem summis attollebat digitis, ad regem venit, rubore genas suffusa, & majestate mixtam venustatem præferens, nec omnino à metu libera.

COMMENTARIVS.

HI quatuor vel quinque versus sunt Paraphrasis versus primi Capitis quinti. Quæ enim S. Hieronym. paucis complexus est ex Hebræo, hæc ex Græco Septuaginta hîc fusius extenduntur; & sic in unum corpus coagmentari possunt.

Die autem tertio deposuit Esther vestimenta ornatus sui, & induta est regalibus vestimentis, & circumdata est gloriâ suâ, &c. ex cap. hoc per quinque versus.

Hic tertius dies erat decimus quintus mensis Nisan, qui convenit cum Martio nostro, eratque tertius à jejunio ipsius, Mardochæi & Iudæorum, & communi oratione ipsorum inchoatus: die autem decimo tertio ejusdem mensis scripserat litteras Aman ad Iudices provinciarum de occidendis & delendis Iudæis cap. 3, v. 12 & 13.

Deposuit vestimenta ornatus sui. Aliqui putant scriptorum vel Chalcographorum incuriâ irrepsisse mendum, qui posuerint τὸ *ornatus* pro *luctus*, Græce πένθους.

16. Quid significet vestimentum ornatus sui.

Sed non sunt audiendi. Liranus dicit quosdam legisse, *humilitatis suæ*. Nec illi sequendi.

Itaque τὸ *ornatus*, Dionys. explicat, cultus quotidiani, quo in Gynæceo utebatur, vel *ornatus*, quo se ornaverat Deo spiritualiter, orando & jejunando. Plerique omnes accipiunt *ornatum* lugubrem. Denique quilibet vestitus & habitus modestus & honestus vocatur ornatus, ut patet prioris ad Timoth. 2, v. 9, ubi Apostolus vult *mulieres ornare in habitu ornato*, κοσμίῳ, quod alii vertunt honesto, modesto, decoro, nã immoderatus & indecens eas non ornat, sed inhonorat.

Græca variant, quædam enim habent ἱμάτια πένθους vestimenta luctus, de quibus antea cap. 14 vers. 2. *Fletibus & luctui apta indumenta suscepit*, Septuaginta autem hic habent τῆς θεραπείας, quę non malè noster reddit *vestimenta ornatus sui*, non quibus se paraverat ad splendorem, & elegantiam, sed ad fletum & luctum, quem Iosephus vocat vestem lugubrem, vel habitum luctuosum.

17. Quid sit θεραπεία, id est, cultus, &c.

Videtur autem Noster præcipuè attendisse ad notionem vocis θεραπεία; quæ est variæ significationis; nam est non solum medela, sed & obsequium, cultus, veneratio, servitus, &c. sicut θεραπεύειν est mederi, servire, obsequi, colere, &c.

18. Vestimenta cultus vocantur, quibus Deum religiosè colebat.

Vnde meritò vocantur hæc indumenta ornatus vel cultus, quia illa induerat ut Deum coleret, illi obsequeretur, & ministraret, sicut sacerdotes & liturgi vestibus sacrificalibus se vestiunt, ut Deo latriam & debitam venerationem exhibeant: Potest etiam, me judice, non absurdè transferri, vestimenta cultus vel religionis suæ:

19. Qui dicebantur olim Therapeutæ

Vbi nota apud scriptores Ecclesiasticos θεραπεύειν significare vel usurpari pro curare sive corpus, sive animum, & Deum religiosè colere, sive divina curare. Sic Philo lib. de vitâ Contemplat. θεραπευτὰς nominat viros religiosos sive primos Christianos Alexandriæ disciplinâ S. Marci excultos, & S. Dionys. lib. de Ecclesiasticâ Hierarchiâ cap. 6. Monachos sive Ascetas eodem nomine honorat, definiens eos ἐκ τῆς τῷ θεῷ καθαρᾶς ὑπηρεσίας καὶ θεραπείας; id est, *Dei casto servitio & religione.* In quem locum vide Corderium nostrum. Vide etiam Eusebium l. 2, Ecclesiasticæ Histor. cap. 16, & Epiphan. hæresi 29. Quin etiam Plato θεραπείαν sumit pro cultu & religione. Et certè jure suo sibi vindicant nomen Therapeutarum, qui ex vi professionis suæ divina curant; tum quia præcipuum ipsorum munus est, quæ Dei sunt, procurare, eique religiosè ministrare, tum quia pravas animorum suorum affectiones curare & illis medicinam spiritualem facere ipsis incumbit, & aliquando etiam, si aliorum saluti ex vi professionis suæ invigilare debent, vitiis alienis ut spirituales patres, mederi.

Dico itaque Estheram nostram fuisse ex ordine Therapeutarum, cultorum, vel Therapeutridum, cultricum, quandoquidem ut vidimus cap. 14, Deo ministraverit orationibus & jejuniis, non minus quam Anna prophetissa Lucæ 2, v. 37, *jejuniis & obsecrationibus serviens nocte ac die*; ubi Græcè pro τῷ *serviens*, est λατρεύουσα, significatque, λατρεύειν Deum religiosè colere & quidem cultu illi proprio. Cum itaque Esthera ut Therapeutris sedula pius exercitiis Deo serviret; quid mirum si induta fuerit vestimentis θεραπείας, id est, officii, cultus sive ornatus sui: cum videre liceat Ascetas, Monachos, Therapeutas habitum proprium gestantes, & sacerdotes cum altari ministrant, sacrificalibus ornari vestibus? Velim, si melius non occurrat, Lector, novam hanc interpretationem boni consulat.

20. Anna prophetissa erat ex ordine Therapeutridum, sicut Esther.

Addo meæ etiam aliam Sancti elucidationem. vocat, inquit, regina saccum, cinerem, stercus, evulsis crinibus laceratum caput, Ornatum suum; quia non minus illum amabat, aut in illo sibi placebat, quam in regiâ cidari, & lapillis pretiosis, stellatâ & distinctâ veste. Deinde neglectus ornatus & impexus crinis, & feminarum contemptę deliciæ & pigmenta, majorem apud prudentes benevolentiam conciliant, & naturalem augent pulchritudinem. Ajunt etiam passim auctores profani nullum esse meliorem colorem quam qui à pudore elicitur, & ad formam plus conferre despectum ornatum, quàm quæsitum. Optimus ornatus nullus ornatus. Hæc fere Sanctius. Sed magis placet cilicium, quo accincta Esther, dici vestem θεραπείας, id est, cultus: Sic enim Græcam vocem accipit Aristot. pro cultu.

21. Mulier lacrymata maximè ornata.

Et circumdata eſt gloriâ ſuâ, id eſt, ſplendidis & glorioſis veſtibus; dixerat cap. 5, ℣. primo, *induta eſt regalibus veſtimentis*, & infrà hic ℣. 5: *Cumque regio fulgeret habitu*: Gorionides, veſtes pulchritudinis ſuæ & ornamenta gloriæ ſuæ.

Obſerva verò crebrò ſcriptores ſacros veſtes præclaras & decoras vocare veſtem vel ſtolam gloriæ vel gloriam. Sic de Aarone dicitur Eccleſiaſtici cap. 45, ℣. 9. *Circumcinxit eum zonâ gloriæ, & induit eum ſtolam gloriæ*, &c. 22. Quid ſignificet gloria vel veſtis gloriæ.

Dicuntur verò hujuſmodi veſtes gloriæ, vel gloria Metonymicè, quia coram aliis his indutus redditur glorioſus & acceptus. Accipitur enim effectus pro cauſâ, & ſignatum pro ſigno. Ita, inquit Sanctius, hîc, coronæ è floribus contextæ quia lætitiæ ſigna ſunt, lætitia vocantur, ut Iſaiæ cap. 35, verſ. 10. *Lætitia ſempiterna ſuper caput eorum*, id eſt, corona. Et ibidem cap. 51, ℣. 9. *Induere fortitudinem brachium Domini*, id eſt, arma, quibus tuæ fortitudinis exempla & documenta des. 23. Lætitia accipitur pro coronâ. fortitudo pro armis, gloria pro ornamentis, &c.

Rurſum, ut Pſalmodus regius Deum ſimul & viribus & ſpecie præſtantem demonſtret, de eo canit Pſalmo 92 ℣. primo: *Dominus regnavit, decorem indutus eſt, indutus eſt Dominus fortitudinem*, &c. Sic etiam gloria pro ornamentis accipitur, quæ gloriam & pulchritudinem alicujus oſtendunt. Iob cap. 19, ℣. 9 de ſe lamentans ita loquitur: *Spoliavit me gloriâ meâ & abſtulit coronam de capite meo.* Vbi probabile eſt per exegeſin idem repeti, & quam dixerat gloriam, poſtea vocare coronam, quâ deturbatus è ſellâ regiâ & uſque ad ſterquilinium dejectus, carebat. Hæc ex Sanctio.

5. *Cumque regio fulgeret habitu* (qui illam ut reginam decebat & ante gloriam vocaverat) *& invocaſſet omnium rectorem & ſalvatorem Deum.* Græca pro rectorem poſuerunt inſpectorem, qui noverat, quâ mente Eſthera ſe ornaverat. Eſt hæc, ut videtur, nova ſupplicatio, quâ iterum Deum propitium ſibi fieri precatur.

Aſſumpſit duas famulas: Ioſephus pediſſequas nominat, Græca autem ἄβρας. Eſt autem Abra (quæ dictio frequens eſt in libro Iudith, & alibi in textu Latino nuſquam reperitur) ancilla adoleſcentior & domeſtica, mollis & delicioſa, quæ ſimilis dominæ in moribus, & ætate non multum diſtans. 24. Quid Abra?

6. *Et ſuper unam quidem innitebatur, quaſi præ deliciis & nimiâ teneritudine corpus ſuum ferre non ſuſtinens.* Ita ſe gerens quaſi delicate nutrita, gracili & tenello, infirmoque corpore; ſolent enim juvenculæ in hac teneritudine partem ſuæ pulchritudinis collocare.

7. *Altera autem famularum ſequebatur dominam, defluentia in humum indumenta ſuſtentans.* Ne videlicet ſtola vel cyclas auro, gemmiſque intertexta in terram vel pavimentum demiſſa illud verreret, & ſic pretioſa palla fœdaretur, ſordes colligeret, elenchi & uniones deciderent & perirent. Non eſt dubium, quin pompa hæc, & procedendi ad regem apparatus proprius fuerit Perſidis reginarum; qui mos hodieque perſeverat in nobilibus matronis, maximè Reginis, quæ plerumque famulum habent, cujus humeris manu dextrâ incumbunt, deinde comitantem pediſſequam, quæ veſtium à tergo dependentium ſyrma manu colligat & ſuſtentet, ut famuli etiam modo Cardinalium & pontificum togas & pallia in humum defluentia manibus attollunt, vulgóque caudatarii audiunt. 25. Mos nobilium innitendi humeris famulorum & longas veſtes geſtandi.

Novimus etiam uſitatum Regibus quondam fuiſſe humeris vel brachiis famulorum honoratorũ manu dexterâ incumbere, ut conſtat 4 Regum 5, verſ. 18: ubi Rex Syriæ adorans innitebatur ſuper manum Naamani principis militiæ.

Similiter Reginas olim promiſſis uſas pallis conſtat ex libro 2 Regum cap. 13, ℣. 18, ubi de Thamar filiâ Davidis ſcribitur. *Quæ induta erat talari tunicâ: hujuſcemodi enim filiæ regis virgines veſtibus utebantur.*

Gorionides ſic comitatum Eſtheræ deſcribit: Aſſumpſit ſecum duas ancillas ſuas; quarum uni dexterâ manu innitebatur more reginarum eo modo cum pediſſequis incedentium: Altera puella ponè ſequebatur eam, ſublevans veſtimenta ejus, ne aurum iis inſertum in terram defluetet, & ſimul quia moris erat apud Perſas, ut Reginæ eo modo veſtitum ſuum geſtarent. Sic ille.

8. *Ipſa autem roſeo colore vultum perfuſa, & gratis ac nitentibus oculis triſtem celabat animum, & nimio timore contractum.*

Meminerunt tam Septuaginta quam Ioſephus ſuffuſi rubore vultus, qui gratiſſimus eſſe ſoleat. Hic ita extulit: *rubore genas ſuffuſa, & majeſtate mixtam venuſtatem præferens.* Illi verò: ἐρυθριῶσα ἀκμῇ κάλλους ἀνθοῦς. Rubefacta vigore pulchritudinis ſuæ.

Erat hic color gratiæ divinæ & ingenui pudoris, quem ſuffuderat illi auctor naturæ & gratiæ Deus, ut ſpecioſior & gratior oculis Regis appareret.

Porrò gratiam ruboris ſive pudoris comitem inſeparabilem eſſe prolixè expoſui Eccleſiaſtici 32, ℣. 14. ad illa: *Ante grandinem præibit coruſcatio: & ante verecundiam præibit gratia, & pro reverentiâ accedet tibi bona gratia.* 26. Gratia ruboris comes.

Ceterum Græca ruborem hunc effectum fuiſſe volunt vigoris pulchritudinis. Eſt autem ἀκμὴ, quâ voce ſic utuntur, ætatis flos ſive vigor, cum in muliere florida & vegeta eſt pulchritudo, quæ nondum emarcuit vel morbis vel annis. Ex quo colligimus Eſtheram illo tempore fuiſſe in flore ætatis, & ſtabili, florenteſque decoro, quod etiam indicat Ioſephus, dum ait, eam majeſtate mixtam prætuliſſe venuſtatem. 27. Quis vigor formæ.

Dixi autem hunc roſeum colorem fuiſſe effectum virtutis & divinæ gratiæ; cum enim cor ejus nimio terrore eſſet conſtrictum, & quaſi conglaciatum expalleſcere potius, & exalbeſcere genis & facie debuiſſet, ſanguine ad cor confluente.

Nec tamen credendum eſt ruborem totum vultum occupaſſe, ſed ſparſim tantum inſeciſſe, ut de Proſerpinâ canit Claudianus libro primo Raptus.

Niveos infecit purpura vultus
Per liquidas ſuccenſa genas, &c. 28. Vultus Eſtheræ rubore perfuſus.

Eſtheræ quadantenus germanam Laviniam depinxit Virgil. Æneidos 12.

Flagrantes perfuſa genas, cui plurimus ignem
Subjecit rubor, & calefactâ per ora cucurrit.
Indum ſanguineo veluti violaverit oſtro
Siquis ebur, vel miſta rubent ubi lilia multa
Alba roſa: tales virgo dabat ore colores.

Gratiſſima ergo erat hæc facies purpurâ & ebore

ebore mixta, quam splendidiorem reddebant nitentes, hilares & amabiles oculi.

29. Genæ Estheræ similes fragmini mali punici.

Erat vultus Estheræ similis sponsæ, de quo dicitur Cantic. 4, 3. *Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ absque eo quod intrinsecus latet:* quorum sensus hîc videtur: Genæ tuæ, præterquam quod eleganter inter crines latent, rubent, ut fragmen, vel etiam cortex mali granati.

Genas autem pudoris sedem esse docent & sacri & profani auctores, Ambros. de obitu Valentiniani, Plin lib. 11, cap. 37. Fuerunt igitur genæ Estheræ pulchræ ut fragmen mali punici propter ruborem sive pudorem, qui genas quasi obvelat. Convenit verò similitudo allata de malo punico, quam ait Plutarch. 5, Sympos. cap. rectius & celerius in umbra fructum proferre. Vnde est hæc arbor hieroglyphicum pudoris, qui umbram amat, lucem fugit, & faciem, si non manu aut velo, saltem rubore obnubit. Dubium autem non est, quin verecundia miro decore vultum mulieris perfundat, unde & roseus Estheræ color pro hac non incommodè accipi potest.

Ipsa tamen Regina altum premebat corde timorem simul & mœrorem, quem tegere & dissimulare potuisse ne foris pareret gratiæ & virtutibus ejus tribuit meritò hic Carthusianus. Difficile enim admodum est metum & dolorem non prodere vultu,

Difficile est tristi fingere mente jocum.

Quatuor pavoris fontes & causas in Estherâ aperit hic Serarius & alii, quarum duæ priores erant in ipsâ jam tunc, cum accessum ad Assuerum meditaretur; aliæ duæ supervenerunt cum ipsum fuisset intuita.

Prima causa erat, evidens & maximum periculum, quod tum sibi tum Iudæis imminebat, maximè si aditus ad regem ei intercluderetur, vel preces ejus ipse refelleret.

Altera, dubia alea: nesciebat enim quò res casura erat, & an impetratura, quod postulare decreverat. Accesserunt postea, ut dixi, & aliæ.

Tertia igitur erat majestas & splendor Artaxerxis aureo solio residentis, de quo postea.

Quarta, accedens regis ira, quam vultu & oculis indicabat, ut mox dicetur.

Anabasis ex his versibus, sive Anagoge & manuductio ad triumphalem Virginis Matris in cœlestem regiam properantis apparatum & comitatum.

MAnifestum est ex virorum sacrâ doctrinâ præcellentium interpretatione, Schema hic quoddam & figuram exhiberi, sive Ichnographiam, & adumbrationem depingi Virginis Deiparæ ad æthereum thalamum se accingentis, in quo Rex regum stellato sedet solio. Velum hujus picturæ amoveo.

30. Esther typus Virginis Matris cœlos ascendentis.

Esthera non corporis magis quam animi venustate spectabilis, post tridui inediam, luctum, squalorem, preces ad Deum pro populo suo devoto neci fatas, pullas & ferales exuit vestes, quibus se, ut Deo placeret, ornaverat, moxque nativam speciem glorioso, augusto & jucundo cultu assumpto condecorat.

Cumque regio fulgeret habitu, puellas duas familiares & honorarias secum adducit ut reginarum more leviter unius brachiis inniteretur, altera verò sinuosi & gemmis, auróque regentis ornatus syrma colligeret & sustineret. Ipsa verò niveum vultum roseo colore perfusa, oculis gratis ac nitentibus resplendebat. Hæc erat species Reginæ ad Artaxerxis Basilicam tendentis, ut spectavimus.

Dei Mater mulierum pulcherrima vitam hanc (quæ instar tridui est, & complectitur diem ortus, diem quo spiritum de cœlo ducimus, & diem obitus) transegerat confecta luctu & lacrymis, inediâ & carnis maceratione, labore & ærumnis, vacans flagrantissimis ad Deum precibus. Advenerat dies tertia sui ex hoc corporis ergastulo discessus, quo pullas & lugubres deponeret vestes, indumenta ornatus sui & divini amoris igne colliquefacta, in mortem solveretur.

Quod si hæc tridui expositio non arridet, triduum accipe, quo in Mausoleo Gethsemanæo conquievit sanctissimum illius corpusculum, cœlestis sponsi thalamus: quo expleto sepulcralia lintea, ferales fascias, funereas vestes deposuit, tumuloque reliquit, ibique simul sepelivit quidquid mortale in se fuerat, quidquid obscurum, grave, crassum, &, si ita de parente Dei fari liceat, ignobile, & corruptioni obnoxium; die tertio rediviva, ut habet communis sensus Theologorum, de quo videndus Franciscus Suarez tomo 2 in tertiam p. D. Thomæ, disput. 21 sect. 2, & alii. Tum circumdata est gloriâ suâ, nempe immortalitate, absorptâ morte in victoriâ, amicta lumine sicut vestimento, incredibili nitens venustate. Quantum instar inepta! *Mulier amicta sole*, &c. Apocalyp. 12, ℣. primo, Cygneum illum tunc hymnum, dulcissimumque melos occinere potuit Davidis Patris sui, Psalmum nempe 29, & in eo maximè, quæ habentur ℣. 10, & sequentibus, *Numquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam? Audivit Dominus & misertus est mei, Dominus factus est adjutor meus. Convertisti planctum meum in gaudium mihi: conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia: ut cantet tibi gloria mea: & non compungar, Domine Deus meus in æternum confiteber tibi.*

31. Triduum, quo Dei Mater in sepulcro quievit.

Sic illa stolâ immortalitatis induta, glorioso corporis luce circumfusa, regio fulgens habitu, *Regina in vestitu deaurato, circumdata varietate*, duabus comitibus assumptis ad Regis regum & Domini virtutum palatium ascendit.

Sed de gloriâ Assumptionis ejus aliàs: nunc de duabus ejus puellis uberius disserendum.

Geminas hasce comites mysticè interpretatur S. Bonaventura Angelicam & Humanam naturam.

Sic ipse scribit in Speculo B. Mariæ Virginis Lect. 3, quod habetur tomo 6 Operum ejus: *Maria interpretatur Domina. Hoc quoque optimè competit tantæ Imperatrici, quæ revera Domina est cœlestium, terrestrium & infernorum: Domina, inquam, Angelorum, Domina hominum, Domina dæmonum, Domina in cœlo, Domina in mundo, Domina in inferno. Maria est Domina Angelorum signata in Esther reginâ, de quâ legitur, quod super unam famulam suam delitiosè innitebatur, altera autem famularum sequebatur Dominam defluentia in humum vestimenta sustentans. Per Esther reginam intellige Mariam: duæ famulæ sunt Angelica & Humana natura.* Et post pau-

32. Duæ famulæ Mariæ sunt Angelica & humana natura, juxta Bonavent.

ca,

ca. *Anima humana est famula, quæ Dominam suam Mariam sequitur in mundo. Sequitur certè colligens vestimenta Dominæ scilicet virtutes & exempla Mariæ: Intelligentia verò Angelica est famula, super quam Maria Domina innititur in cœlo: Innititur certè tanquam familiarissima, se Angelis sociando, innititur etiam tanquam delicatissima in Angelis delectando; innititur quoque tanquam plenissima se cum suâ plenitudine Angelis communicando: innititur insuper tanquam potentissima Angelis imperando. Omnibus enim Angelis Maria innititur suo imperio.* Hactenus Sanctus Doctor.

33. Mariæ comites sunt vita activa & contemplativa, sive Martha & Magdalena.

Verum alii scriptores sacri (ad quos ego accedo) Virginis Deiparæ comites binas assignant, geminas virtutes assiduas & accubuas ejus sodales, unam videlicet cujus functiones in præclara opera præstando consistunt, alteram, quæ in Dei, rerumque divinarum contemplatione sita est. Vulgo appellant vitam activam & contemplativam.

Dixeris itaque virginis illius socias fuisse Martham & Magdalenam, quæ juxta omnium communem sensum typi fuerunt expressissimi utriusque hujus sanctitatis, de quibus dicitur Lucæ 10: de Maria quidem, quod *sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius*, v. 39 & ỽ. 40: de alterâ, *Martha satagebat circa frequens ministerium.* Utraque hæc famula longè Virgini Matri charissima, & familiarissima, sed Magdalena longè & carior & familiarior, utpote quæ optimam partem elegerat, ỽ. 42.

34. Sunt hæ duæ alæ Aquilæ magnæ.

Hæ sunt duæ alæ aquilæ magnæ, quæ *datæ sunt mulieri ut volaret*, Apocalypsi 12, ỽ. 14, quas ita explicat Richardus ibi, Mulierem porrò hanc sole amictam, stellis coronatam, lunâ calceatam Dei parentem esse Sancti Patres in sensu spirituali intelligunt Ambros. ibi, S. Epiphan. hæresi 78, Augustinus lib. 4, de Symbolo ad Catechumen. Cap. primo, Bernardus Sermone super Signum magnum, & alii. Vide S Ildefonsum Sermone 5 de Assumptione, & Bernard. Sermone 4, de eâdem.

35. Sunt duæ manus tenentes sedile throni Salomonis.

S. Petrus Damiani Sermone primo de Nativitate Virginis vitam ejus activam & contemplativam adumbratam dicit per duas manus tenentes sedile throni Salomonis 3 Regum 10, ỽ. 19. *Vita*, inquit, *activa & contemplativa Virginem perfectiore diligentiâ ambierunt, adeo ut nec actio contemplationem minueret & contemplatio non desereret actionem.* Hæc ille. Addere potuit & duos leones stantes juxta manus singulas harum fuisse symbolum sacrumque characterem. Siquidem utriusque functionibus assiduè Dei parens invigilabat.

36. Item duo leones ibidem.

Breviter ad nostrum institutum persequitur hæc S. Bonaventura suprà lectione 4. *Indefessissima*, ait, *& studiosissima fuit Maria in bonis operibus. Ipsa namque est illa, de qua dicitur Actor. primo: His omnes erant perseverantes in orationibus cum mulieribus & Mariâ matre Jesu.* Et paulò post. *Corde etiam in sanctis meditationibus indefessa fuit & sedula, de qua dicitur Lucæ 2,* (sæpius; 19, 51) *Maria conservabat omnia verba hæc conferens in corde suo. Nec otiosa, & ideo non solum mentem in sanctis meditationibus, non solum linguam in devotis orationibus, sed etiam manus in bonis operibus sedulas habuit: ad quid enim cum Elisabeth mansit tribus mensibus? Respondet Beda, ut mulieri provectæ ætatis Virgo juvencula ministerium sedula impenderet.* Hactenus ille.

Adjicere etiam poterat studium, quo parvulum filium magnum Deum castis viscеribus suis effusum pannis involverit, fascis obligaverit, in præsepio reclinaverit, sola Virgo lactaverit ubere de cœlo pleno, omnia matris & nutricis obsequia præstiterit, in Ægyptum cum eo fugerit, &c.

37. Somnus Mariæ vigilia.

Convenit illi, si Enarratoribus credimus, illud Cantici cap. 5. *Ego dormio, & cor meum vigilat*, & S. Augustini pronunciatum de hominibus in statu Innocentiæ victuris, lib. 5 contra Julianum cap. 9. *Tam felicia erant somnia dormientium, quam vita vigilantium.* Vide Suarez tomo 2, in 3 part. Disputat. 18, sect. 2.

Conformis quoque illi est laus illa à Salomone tributa Mulieri forti Proverb. 31. *Date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera ejus.* Mira sunt, quæ operata est consilio & intellectibus manuum suarum. De his quædam tetigit S. Anselm. homilia in Euangel. Lucæ decimo: *Intravit Jesus in quoddam castellum*, &c. *Vt breviter*, inquit, *illa sex misericordiæ opera percurramus, quæ cum uni ex minimis suis fiunt, Deus sibi facta confitetur: Virgo non quemlibet ex minimis, sed summum Dei filium hospitem, non in domo, sed in utero suscepit: nudum carne vel etiam pannis operuit: esurientem pavit, sitientem lacte potavit: infirmum per infantiam & jacentem non solum visitavit, sed etiam balneando, fovendo, lenitudo, gestando frequentavit, ut merito de ea dicatur, Martha satagebat circa frequens ministerium: Comprehenso & crucifixo quasi in carcere posito assuit, sicut scriptum est; Stabat juxta crucem Jesu Mater ejus.* Hactenus S. Anselmus.

38. Misericordiæ opera Mariæ Christo exhibuit.

39. Sine murmure hæ virtutes conspiraverunt in Mariæ animâ.

Incredibile porrò dictu, quam arcta squoride & connexione hæ duæ virtutes magis sorores quam Martha & Magdalena inter se conspiraverint, & se mutuo exceperint unâ in domo, uno in pectore, unâ in mente, & quidem sine murmure (quod Martha premere non potuit) sine invidiâ & æmulatione, cujus notam incurrit Rachel Genes. 30, ỽ. primo, invidens Liæ sorori suæ quod ipsa infecunda esset hac prole abundante.

Profecto affinis erat Angelis Angelorum domina, in quibus hæc duo studia pulchro conjugio copulantur.

40. Hæ vitæ sunt vitæ Angelorum.

Audi S. Bernard. Sermone 11, in Psalmum 90, *Quæ sunt Angelorum viæ? profectò illæ, quas unigenitus enarravit dicens: Videbitis Angelos ascendentes & descendentes super filium hominis*, Ioan. 1. vers. 51. *Ascensio igitur & descensio viæ illorum. Ascensio propter se: descensio vel potius condescensio propter nos. Suc beati illi spiritus ascendunt per contemplationem Dei, descendunt per compassionem tui, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Ascendunt ad vultum ejus, descendunt ad nutum ejus*, &c.

Meritò itaque Angelorum Domina Angelis innititur, quia ipsorum genio & studiis sociatur.

41. Fuerunt viæ Christi.

Sed parum illi est inniti Angelis, quæ in Cantico cap. 8 *deliciis affluens innititur super dilectum suum*, quem passibus prope æquis sequebatur, qui utriusq; hujus vitæ, practicæ & theoricæ exemplar fuit perfectissimum, ut Euangelica docet historia: ubi nocte pervigilans in oratione Dei, die verba vitæ æternæ disseminans describitur.

Nec

Nec mirum cuiquam, quod asserimus, videri debet cum summa virtutis dignitas & splendor in utriusque hujus gratiæ conjunctione consistat; perfectionis autem post filium suum domina nostra toti mundo exemplar extiterit.

42. Perfectio virtutis in exercitio utriusque hujus vitæ consistit.

Notum est illud S. Prosperi effatum lib. primo de vitâ contemplativâ cap. 12, *Habet activa profectum, contemplativa fastigium, hæc facit hominem sanctum, illa perfectum.*

Figebat scilicet oculos in fontem, ideam & speciem omnis perfectionis, supremum, inquam, Numen, Deum, qui immotus in se manens, & sui contemplatione fruens foras tamen prodire videtur, cum rebus à se conditis sua munera communicat.

43. Esther catena aurea.

Est hic nexus divinissimus, quem S. Nazianzen. vocat auream catenam, χρυσῆν σειρὰν, Oratione 21, item tranquillam actionem, & actuosam tranquillitatem.

44. Aod fuit typus vitæ utriusque.

Fuit hoc vitæ genus adumbratum in Iudice & salvatore populi Dei Aod, Iudic. 3 v. 15, *qui utraque manu pro dextera utebatur*: sunt enim hujus virtutis æmuli ambidextri; quâ de re vide S. Bernard. ad fratres de monte Dei: & plura apud eos qui spirituales tractatus de vitâ & imitatione Virginis ediderunt.

Quis verò vel mente concipiat, vel oratione explicet ipsius pulchritudinem, quæ in vultu ejus radiabat, cum illis comitibus stipata curiam ætheream penetravit?

Estheræ nostræ vultus roseo colore perfundebatur, oculi grati & nitentes emicabant quidem, sed nihilominus metus & mœror pectus ejus fodicabat: Iosephus addit illam majestate mixtam venustatem prætulisse.

45. Venustas Estheræ fluxa, Dei Matris perpetua.

Verum quid ista fuerunt, si cum eximio decore Mariæ componantur? Species Estheræ, & frontis purpura, florentesque genæ, quia hujus mundi sublunaris munera erant, fluxa quoque erant & caduca, spolium temporis, ætate carpebantur, instar fœni defloruerunt, & emarcuerunt: Reginæ porro Angelorum gloria, forma, pulchritudo quia cœlestia erant & divina, in omne ævum perennant, nullaque temporum diuturnitate corrumpuntur.

Ceterum ex splendore & decore incredibili, quo adhuc mortalis effloresceat, colligere licet quadamtenus majestatem & speciem vultus ejus, quo jam in sidereis sedibus refulget.

Stupenda sunt quæ à scriptoribus sacris de dote formæ ejus memorantur, & faciei dignitate. Si testi oculato S. Dionysio Areopagitæ credimus, divinum & sidereum quid in vultu ejus coruscasse dicemus. Sic ille scribit epistolâ ad S. Paulum (licet quidam de fide ejus dubitent) quam citat Christophorus de Castro in Historiâ Deiparæ c. 19 n. 10. *Fateor*, inquit, *coram omnipotentiâ Dei & clementiâ Salvatoris & gloriâ majestatis Virginis matris ejus, quoniam cum à Ioanne ductus fui ad Deiformem præsentiam altissimæ Virginis, & tam me divinus splendor circumfulsit exterius, & plenius radiavit interius; tacta etiam in me omnium odoramentorum superabundavit fragrantia, ut nec corpus infelix, neque spiritus posset totius ac tam æternæ felicitatis insignia sustinere. Defecit cor meum, defecit & spiritus tantæ gloriæ majestatis oppressus. Testor, quis aderat in Virgine, Deum, si tua divina concepta mente me non docuisset, hanc ego verum Deum esse credidissem, &c.* Idem scribit Dionys. Carthusian. in cap. tertium de divinis Nominibus ejusdem S. Dionysii.

46. Pulchritudo Deiparæ ex S. Dionysio Areopagita.

Sicut enim, teste S. Hieronymo in cap. 9 & 21 Matthæi, ex facie Christi splendor quidam divinæ majestatis emicabat, ita etiam omnino credendum est sidereum quiddam, & humanâ specie augustius in vultu ejusdem Matris reluxisse, quod videntis primo aspectu ad sui amorem rapiebat.

47. In facie Christi divinus splendor radiabat; Similiter in facie ejusdem Matris.

Insuper addit idem Carthusian, lib. primo de laudibus Virginis c. 39 cœlestem quamdam claritatem in Dei matris facie coruscasse ex animi ejus pulchritudine abscedentem, qui divinitus temperabatur, ut posset cum hominibus, quorum acies tanto splendore perstringebatur, commodius conversari.

Sunt & Doctores plures, qui ajunt illam formæ nativæ elegantia & dignitate omnibus feminis præviisse, quos producit Blasius Viegas in cap. 12 Apocal. Commentario 1 de B. Virgine sectione 3.

Romani quondam Titum Imperatorem amorem & delicias generis humani nominarunt ob summam ejus humanitatem & comitatem: quid ni & nos Virginem mundi elegantiam & pulchritudinem appellemus? Adstipulatur nobis S. Damascen. Oratione primâ de ejusdem Nativitate, ubi eam *humanæ naturæ* dicit *venustatem.*

48. Maria humanæ naturæ venustas.

Quod si tanta fuit formæ ejus dignitas, gloria, & elegantia, cum hujus mortalis corporis custodiâ adhuc teneretur: quam augustam, radiosam & majestate divinâ circumfusam existimamus jam ejus faciem in corpore glorioso?

Credo equidem (nec vana fides) omnium beatorum corporum, cum rediviva surrexerint, pulchritudinem cum sola Virginis venustate non adæquandam.

Vnde non est dubitandum quin post generalem corporum glorioforum resurrectionē & immortalitatem, beati ex contemplatione vultus virginalis liberalissimâ sint perfundendi voluptate, & in castos illius amores rapiendi. Est enim formæ decus illicium quoddam dilectionis, ita ut nullus magnes tam potens sit ad ferrum sibi maritandum, quam eximia oris dignitas ad alliciendum & cor recreandum.

49. Pulchritudo est amoris magnes.

VERSVS IX, X, & XI.

Ingressa igitur cuncta per ordinem ostia, stetit contra regem, ubi ille residebat super solium regni sui, indutus vestibus regiis, auroque fulgens, & pretiosis lapidibus, eratque terribilis aspectu.

Cumque elevasset faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicasset, regina corruit, & in pallorem colore mutato, lassum super ancillulam reclinavit caput.

Convertitque Deus spiritum regis in mansuetu-

dinem, & festinans ac metuens exilivit de solio, & sustentans eam ulnis suis, donec rediret ad se, his verbis blandiebatur.

Græca: Et ingressa omnes portas stetit coram rege, & ipse sedebat super thronum regni sui, & omnem stolam splendoris (ἐπιφανείας, manifestationis) sui indutus erat, totus in auro & lapidibus pretiosis, & erat timendus valde.

Et cum elevasset vultum suum ardentem gloriâ in vigore iræ aspexit, & cecidit regina & mutavit colorem suum in dissolutione, & inclinavit super caput ancillæ præcedentis.

Et convertit Deus spiritum regis in mansuetudinem, & angustiatus (ἀγωνιάσας) exilivit de solio, & assumpsit eam in ulnas suas, donec rediret, & consolabatur eam verbis pacificis.

Iosephus: Quem ubi conspexit sublimem in solio, insignemque cultu distincto auro & gemmis & unionibus, horror quidam eam repente subiit, & forte torvius ac subirato vultu eam inspexerat; moxque attonita fluentibus membris in fustinentem ad latus totam se rejecit. Rex autem, non dubium quin voluntate Dei mutatus, extimuit, & solicitus ne quid gravius conjugi accederet, è solio se proripuit, blandeque in ulnas exceptam refovebat suavi alloquio, jubens bono animo esset, securam quod invocata venerit, &c.

COMMENTARIVS.

EStheram gravis periculi, quod adibat, metu perculsam gravius etiam perculit regis aureo throno insidentis & trabeâ smaragdis & elenchis radiante amicti splendor, & majestas, multo tamen magis animi ferocia & furor, quem indicabat tum terrificus aspectus, tum scintillantes oculi, quem idcirco in prece suâ ad Deum non regem, sed leonem appellavit, cui inest & naturalis feritas, & igneum quid vibrantes oculi.

Vnde non mirum, si ipsa utpote sexu mulier, id est, mollioris & infirmioris genii & affectionis, & præterea lacrymis, inediâ & corporis maceratione confecta, penè exanimis collapsa fuerit; roseo colore deficiente, metu exalbuerit, lassumque & languescens caput in humeros abræ suæ demiserit, humi utique affligenda, nisi ancilla manum admovisset.

Ceterum ea quæ hîc referuntur videntur repugnare iis, quæ eodem tempore facta narrantur cap. quinto suprà hisce verbis, ℣. primo & secundo: *Esther stetit in atrio domus regiæ, quod erat interius, contra basilicam regis: at ille sedebat super solium suum in consistorio palatii contra ostium domus. Cumque vidisset Esther reginam stantem, placuit oculis ejus, & extendit contra eam virgam auream. Quæ accedens osculata est summitatem virgæ ejus.*

Conciliatur caput quintum, cum his, quæ hîc narrantur.

Sed hæc nullo negotio sibi convenire possunt. Siquidem dicendum est Estheram primo ingressu suo in regium atrium, cum intendisset in vultum regis, quem simul majestas & naturæ sævitia exasperabat, simulque iracundia inflammaverat, metu fere exanimatam concidisse, & membris solutis animo defecisse, repositâ super famulam cervice; postmodum verò mutatâ regis mente tum blando ejus alloquio, multoque magis contactu virgæ aureæ & osculis animatam quasi revixisse, spiritum resumpsisse, & erectam constitisse coram rege, & tunc regis oculis placuisse, ac postremo omnino metu liberam votum desiderumque suum exposuisse.

50. Thronus aureus regis Persarum.

De solio regis Persarum sufficiat attulisse ea quæ scribit Athenæus lib. 12. *Thronus*, inquit, *in quo Rex jus dicere consueverat, erat aureus, circa quem quatuor aureæ columnæ lapillis distinctæ mirum in modum circumponebantur, inter quas purpurea vestis variegata extendebatur.*

De cultu, vestituque regio nihil attinet dicere, cum alibi illum ex Curtio & aliis descripserimus. Erat autem splendidissimus auro, lapillis pretiosis, & unionibus opere Phrygio intertextus, animalium, aviumque figuris per Mæandros multiplices intercurrentibus. Illud potius hîc inquirendum, quæ causa regis vultum instar leonis Estheræ terrificum reddiderit. Mihi duæ occurrunt rationes hujus metuendi aspectus (ut de majestate personæ ejus nihil dicam.) Prima nativa quædam ferocia regum Persicorum, de quâ alibi egi, & pluribus hîc disserit Feuardentius, ut & de aliorum quorumdam principum sævitiâ; & videri possunt Herodot. lib. 6, Iustinus lib. primo, Xenophon lib. 3, Heliodorus lib. 3 Æthiopic. Plutarchus in Artaxerxe, Diodorus lib. 18, Marcellin. lib. 30, Strabo lib. 16, Seneca lib. 3 de irâ, & alii.

51. Naturalis ferocia Regum Persidis.

Altera excandescentia vel furor potius, quem Reginæ non vocatæ ad se ingressus inflammabat, cujus indices scintillantes oculi, & ignea vultus effigies.

52. Causa iræ Artaxerxis contra Estheram, quod non vocata venerat.

Putabat Rex tumidus majestatem suam despici, cum contra suum edictum mulierem videret tantâ libertate & licentiâ ad regiam aulam ingredi; & animo volvebat vel illam ablegare, ut Vasthi repudiaverat, vel statim ab apparitore vel satellite capite multare. Quod Reginam non latebat. Ipsa siquidem cap. 4 ℣. 11 jusserat hæc significari Mardochæo: *Omnes servi regis, & cunctæ quæ sub ditione ejus sunt norunt, provinciæ, quod sive vir, sive mulier, non vocatus, interius atrium regis intraverit, absque ullâ cunctatione statim interficiatur, nisi forte Rex auream virgam ad eum tetenderit pro signo clementiæ, atque ita possit vivere.*

Sed Deus, qui *adjutor est in opportunitatibus, in tribulatione*, hidæorum inediâ & supplicatione placatus, maximéque ipsius humillimâ & ferventissimâ prece ad misericordiam flexus, ut petierat; cor regis immutavit, ut quietum in illam animum, acciperet, mentemque benignam.

Solum

Solum dubium est in textu Septuaginta, qui habent *cum elevasset rex vultum suum ardentem vel igne factum gloriâ*, δόξῃ. Vbi videtur etiam tertia causa assignari, cur regina timuerit, nimirum splendor, & majestas, quæ in facie regis relucebat; unde & ipsa postea dicit ℣. 17: *facies tua plena est gratiarum*: licet verba illa referenda planè videantur ad Regem jam delenitum divinitus, & blandientem.

51. Majestas Artaxerxis.

Quod si textus Septuaginta non sit corruptus, ita ut positum sit δόξῃ, gloriâ, pro ὄργῃ irâ, poterit dici etiam Estheram attonitam & stupefactam fuisse majestate & gloria faciei ejus.

54. Ira Regis maximè exterruit Estheram.

Ceterum defectus & dissolutionis causam in Estherâ & textus noster & uterque Iosephus potissimum ardentibus irâ oculis regis attribuunt. Sic itaque habet Gorionides: *Et accensus est in eo iræ ardor vehementer, quod violasset Regina legem suam, & ad eum non accersita venisset: sustulitque Esther oculos suos, & vidit faciem Regis: & ecce oculi ejus ardentes præ irâ, quæ in ejus corde: Et agnovit mulier indignationem regis, & furorem ejus, exterritaque est mulier admodum, & linqui cœpit animo.*

S. tamen August. loco infrà citando hunc locum proferens sequitur Septuaginta; quorum verba sic vertit. *Rex ille Assyrius* (Persa) *quando considebat in throno regni sui, & omni stolâ illustrationis suæ* (ὑποφαινέως) *indutus erat, totus auro variatus, lapidibusque pretiosis, & erat formidolosus valde, & elevatâ facie suâ inflammatâ in claritate* (δόξῃ, gloriâ) *intuitus est eam tamquam taurus impetu* (αἰχμῇ, vigore) *indignationis suæ, & timuit regina, & conversus est color ejus per dissolutionem, & inclinavit se super caput delicatæ suæ* (ἁβρας) *quæ præcedebat eam.* Ita ipse.

Convertitque Deus spiritum Regis in mansuetudinem. Hæc mutatio dexteræ excelsi, quam etiam Iosephus agnovit, & regina petierat à Deo. Ex leone enim factus est agnus, ex tauro, veluti hinnulus. Ita verò Deus spiritum indignationis & furoris impetum convertit, & refregit, ut suæ magnitudinis oblitus & supercilii, fastusque Persici, expavesceret alieno periculo, & ut habent Septuaginta, (ἀγωνίας) quasi ad agoniam & aporiam redactus solio se subitò proripuerit, ulnis suis deficientem, conjugem refovens, & sustentans, eique abblandiens, donec animam fugientem reciperet.

Allegorica expositio illorum;

Convertit Deus spiritum regis in mansuetudinẽ:

De efficaciâ divinæ gratiæ ad convertendas animas, & spiritus feroces.

S. Augustin. invictus divinæ gratiæ propugnator Tomo 7, lib. primo de gratiâ Christi contra Pelagium & Cœlestium cap. 24, qui ante gratiam ponebant in homine motum liberi arbitrii; his verbis tamquam divinæ scripturæ oraculis illos impugnat ex versione Septuaginta. Postquam enim verba quæ paulo ante ex ipso attulimus, in medium produxisset, sic urget & instat: *Vellem*, inquit, *ergo diceret ista, nobis, utrum Rex ille ad Deum jam cucurrerat & ab eo se regi cupiverat, suamque voluntatem ex ejus voluntate suspendebat, & ei jugiter adhærendo, unus cum illo spiritus factus erat, non nisi de arbitrii libertate? utrum se totum Deo tradiderat, omnemque suam mortificaverat voluntatem, & cor suum in manu Dei posuerat? Puto non desipere, sed insanire hominem, quisquis de illo rege, qualis tunc erat, hæc senserit, & tamen convertit Deus, & transtulit indignationem ejus in lenitatem. Quis autem non viderit multo majus esse indignationem à contrario in lenitatem convertere atque transferre, quam cor neutrâ affectione præoccupatum, sed in utrumque medium in aliquid declinare? Legant ergo & intelligant, intueantur atque fateantur, non lege atque doctrinâ insonante forinsecus, sed internâ atque occultâ mirabili atque ineffabili potestate operari Deum in cordibus hominum, non solum veras revelationes, sed etiam bonas voluntates.* Eodem retulit idem Augustin. illa beati Iobi cap. 12 ℣. 24: *Qui immutat cor principum terræ*: sed ipse legit: *Reconcilians corda Regum populi terræ*, & explicat: *Divinæ enim potestatis est corda regum sibi subjicere & eorum affectus mutare.* Rursus idem S. Doctor tomo 7 libro de gratiâ & libero arbitrio cap. 21 eadem producit. *In libro*, ait, *Hester* (Nota hæretice; S. Augustinum habuisse hæc postrema capita pro Canonicis) *scriptum est, quæ mulier ex populo Israel in terrâ captivitatis facta fuerat uxor alienigenæ Regis Assueri: Ergo in ejus libro scriptum est, quod cum haberet necessitatem interveniendi pro populo suo, quem Rex, ubicumque esset in regno ejus, jusserat trucidari, oravit ad Dominum: cogebat enim eam magna necessitas, ut præter jussum Regis, & præter ordinem suum ad illum auderet intrare. Et videte quid Scriptura dicat* (Iterum nota hæretice) *Et intuitus est eam tamquam taurus impetu indignationis suæ, & timuit regina, & conversus est color ejus per dissolutionem, & inclinavit se super caput delicatæ suæ, quæ præcedebat: & convertit Deus, & transtulit indignationem ejus in lenitatem. Scriptum est enim in Proverbiis Salomonis* cap. 21, ℣. primo. *Sicut impetus aquæ, sic cor regis in manu Dei: quocumque voluerit, declinabit illud.* Ita Augustin.

56. Deus mutat corda principum ex libro Iob.

8. Augustin. habuit postrema capita libri Esther pro Canonicis.

Vbi vides illũ tam in libro Esther quam Proverbiis sequi Septuaginta, & habuisse utraque æque Canonica. Porrò sensus ad nostrum institutũ pertinens ex Græco textu proverbiorũ hic est: Regis indignatio par est flumini rapidissimo & torrentissimo, cujus tamen cursus & impetus divinâ voluntate facillimè cedit, & cohibetur, non hoc tantum, sed etiam illum declinat & convertit Deus in alteram contrariam partem, ita ut simili vi in eam feratur & incumbat. Hæc est efficacia & potentia divinæ gratiæ & voluntatis omni humano fastigio, & fastidio violentiaque major. Cum enim nemo Assueri furori tamquam amni torrentissimo se auderet opponere impune juxta illud Ecclesiastici 4 ℣. 32 *Noli resistere contra faciem potentis, nec concris contra illum fluvii*, nihilominus Reginâ imbecilli & trepidâ ad illum accedente, Deus ejus rapidum & præcipitem lapsum stitit, & in Amanum totam ejus iracundiæ indignationem, quasi torrentis cujusdam exundationem intumescentem retorsit; ut manus Domini cor regis moderata haud dubiè fuerit.

55. Gratia Dei in Artaxerxe conversio ad mansuetudinem præcessit omnem motũ liberi arbitrii.

57. Cor Regis in manu Domini ex libro Proverbiorum, sicut divisiones aquarum.

Nec versio nostra Latina multum discrepat; quæ habet: *Sicut divisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit inclinabit illud.* Sensus autem probatissimus horum ver-

borum hic mihi videtur. Sicut ab Aquilege vel olitore, ducto alveo, vel effossâ dioryge, aqua ex flumine derivatur, & in eam partem magno impetu fertur in quam ipse voluerit: Ita affectio & voluntas Regis instar aquæ fluentis ad nutum Dei moderantis, sponte & liberè movetur in illa studia, opera, consilia, quæ ipse voluerit.

58. Deus tanquam Aquilex supremus aquam, id est, favorem regum transfert, in quos vult, unde hic exorandus.

Insuper Deus tanquam supremus Aquilex favorem, gratiam benevolentiam Regum & Principum velut aquam in tramites & alveos, in hos vel illos subjectos deducit & dirigit.

Vnde qui Regum favorem sibi promereri & conciliare summis votis optat & studet, ante omnia divini Numinis gratiam sibi humili prece obtinere nitatur, in cujus manu regum voluntates positæ sunt.

Habet Estheram religiosissimam feminam propositum sibi exemplar, quæ Assuerum sibi devincire, & clementiam ejus ad se ducere veluti aquas salutares studens ante omnia ad Regem regum ferventissimâ & humillimâ oratione se convertit. Vide Ludovic. Molinum 1. p. q. 14 art. 13, disp. 21.

Igitur cor non solum cujuslibet, sed etiam regum (qui in hoc mundo sæpè à nullo alio præmii spe, aut timore pœnæ coërcentur) quod irâ, aliâve perturbatione, magno impetu fertur, Deus leni flexu arbitrii sui aliò divertit, & in contrarium planè motum v. g. mansuetudinem, benevolentiamque transfert & inflectit, & ordinariè quidem servato jure innatæ libertatis humanæ.

59. Efficacia & facilitas divinæ gratiæ.

Illa gratiæ divinæ potentia est & facilitas, ut rectè ibi exponit Cajetan. Lege Delrium tom. 2 Adagialium ad illum locum Proverb. Quia verò lux, quâ hæc commentamur, Conversioni Doctoris gentium sacra illuxit, in mentem mihi subit, illius metamorphosin admirabilem & Conversionem similem videri quodam modo Assueri Regis mutationi. Sicut enim hic in vigore iræ (ἀτμῇ ut habent Septuaginta) erat, cum Deus spiritum ejus in mansuetudinem convertit, ita & Saulus in vigore furoris erat, minas spirabat & cædem discipulorum Domini, cum è cœlo illius animum Deus inflexit.

60. Conversio S. Pauli similis conversioni Artaxerxis.

Advertit hoc Chrysostom. homil. de ferenda reprehensione, & conversione S. Pauli, *Saulum*, ait, *adhuc ferocientem, adhuc insanientem, adhuc in furoris vigore existentem, adhuc cæde ferventem attraxit Christus, non expectans, ut expleret furorem, ut extingueret flammas affectionum, & fatigatus debacchando mansuesceret, & tunc tandem eum traheret: sed dum viget furor, ipsum cepit, ut ostenderet potentiam suam, vincens persecutorem in mediâ insaniâ. Sic enim medicum maximè admiramur, quando febrem, cum infestior, & flammam morbi, cum vehementior est, extinguere, & penitus abolere potest.* Ita ipse. Eandem efficacissimam gratiam in conversione S. Pauli passim agnoscit S. Augustin. Vnum ejus testimonium sufficiat ex libro primo ad Simplician. quæst. 2. *Quam rabida voluntas, quam furiosa, quam cæca in Saulo! qui tamen unâ desuper voce raptus est, occurrente ubique tali viso, quo mens illa & voluntas refractâ sævitiâ retorqueretur, & corrigeretur ad fidem.*

61. Maximè apparet peritia Medici, cum febrim sanat maximè ardentem: Sic Deus mirandus in S. Pauli conversione.

Sic transformatus est Saulus in Paulum, lupus in agnum, blasphemus in pium, persecutor in prædicatorem, vas damnationis in vas electionis, hostis Christi in Apostolum Spiritus Sancti.

62. Mirabilis etiam S. Petri conversio.

Nec minus miranda apostoli Petri conversio, de quo videndus S. Leo sermone 9 de Passione: Mysticè in eo impletum illud Psalmographi Psalmo 113 ℣. 8: *Qui convertit petram in stagna aquarum, & rupem in fontes aquarum.*

Sed, ut unde digressi sumus, redeamus; maximè ad ea, quæ de Assueri in Estheram benevolentiâ & propensione divinitus procuratâ diximus, pertinet & altera Salomonis gnome ex Proverb. 16 ℣. 7 ubi sic dicit: *Cum placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque ejus convertet ad pacem.* q. d. Cum quispiam Deo per omnia placere studet, & Deus illi in vitæ ratione complacet, frequenter accidere solet, ut vicissim Deus hostes illius eidem conciliet, placet, & ex inimicis amicos reddat: Et ratio est manifesta, quia Deus manu & potentiâ suâ corda hominum moderatur, ut diximus. Sicut enim centrum omnes lineas, licet sibi oppositas in se unit; ita & Deus quoslibet homines etiam sibi maximè adversantes, cùm voluerit, sibi mutuo arctissimo amicitiæ nexu agglutinat.

63. Explicatio versus 7 cap. 16 Proverb.

64. Deus quasi centrum lineas sibi oppositas unit & homines inimicos sibi conciliat.

Exempla, quæ proferam, quorundam principum hoc docebunt, præter illud, quod de Esthera produxi, per quam Deus Assuerum populo Iudæorum mirabili modo benevolum effecit.

Tobiæ 1 ℣. 13 scriptum est: *Et quoniam* (Tobias) *memor fuit Domini in toto corde suo, dedit illi Deus gratiam in conspectu Salmanasar Regis, & dedit illi potestatem, quocumque vellet ire, habens libertatem quæcumque facere voluisset.* De Davide norunt omnes, quoties Deus illi Saulem regem sanguinis innoxii sitientissimum conciliarit.

65. Tobias gratiosus fuit apud Salmanasar, alii apud alios, Deo conciliante.

Plena est hujusmodi scriptura divina:

Effecit suâ gratiâ Deus ut Laban socer, & Esau frater benevolis animis Iacobum amplecterentur; Genes. 31, 32, 33. Sic placavit Nabuchodonosorem tribus ephebis Hebræis, Dario Danielem, Cyrum Iudæis.

Alexander Macedo iratus Iudæis ob denegatum sibi contra Tyrum auxilium, & minatus eis extrema, divino tamen nutu immutatus Iaddum Pontificem vestitum stolâ hyacinthinâ auro distinctâ, tiaram in capite gestantem cum præfixâ aureâ laminâ Dei inscriptâ nomine, benignè excepit, & accedens ad eum nomen illud adoravit, & Pontificem salutavit, Syriæ Regibus & reliquis obstupescentibus, maximè verò Parmenione, cui & facti sui, animique pacati rationem reddidit, ut hanc historiam latius persequitur Iosephus lib. 11 Antiquitat. cap. 8 sive ultimo, & alii.

66. Deus Alexandrum Magnum Iaddo Pontifici placatum reddidit.

Attilam Hunnorum Regem, cognomento flagellum Dei, timebat Romanum Imperium, qui dominatum mundi videbatur ambire, Romam quoque invadere parabat, Aquileia, Ticino, Mediolano, regiis urbibus excisis. Sed ejus ausis Magnus Leo Romanus Pontifex se obiecit.

67. Attilam Hunnorum regem S. Leo ab urbe avertit.

Grande planè miraculum, ut inundantem rapido fluxu, cunctaque obviantia sibi sternentem barbarorum torrentem retrò converteret, & velociore cursu refluere, quam fluxerat, faceret Romanus Papa.

Verum fides adhibenda vetustis Romanæ Ecclesiæ monimentis, ex quibus hæc Cardinal. Baronius tomo 6, Christi anno 452, Leonis 13, & commemorant alii Historici.

Cum Romam ardenti furore Attila raperetur, jamque

jamque copias, ubi Mincius in Padum influit, trajicere pararet, occurrit ei Pontifex Leo, cujus divinâ eloquentiâ perfuasum est Attilæ, ut regrederetur. Qui interrogatus à suis, cur præter consuetudinem inflexus esset, atque tam humiliter Romani Pontificis imperata faceret, respondit, & confessus est, quod verum esset, nimirum se vidisse Leoni loquenti astantem alium quemdam habitu sacerdotali decorum, divinum quid præ se ferentem, minantemque mortem, nisi Leonis jussa capesseret. Subscribit his Paulus Diaconus, qui testatur virum hunc fuisse Petrum Apostolum. Alii tradunt duos viros illi apparuisse, alterum à dextris, à sinistris alterum, quibus visis ita fuit perterritus Attila, ut interrupta verba in ore hærerent, vultus truculentus palleseeret, toto corpore attonaretur, ut nihil illi superesset, quam quod minaci vultu Numen exigeret, ipse quanto citius posset exequeretur, Italiâque excederet. Vide Sanctum Leonem sermone in Octavâ Apostolorum.

Anno verò præcedente, id est, Christi 45, eumdem Attilam ut repressérit victorius insolentem S. Lupus Trecensis Episcopus, idem Cardinal. ex diversis auctoribus recensét hisce fere verbis.

Vbi Attila infesto agmine ad urbem Trecensem advenit, Lupus habitu Pontificali indutus cum multitudine cleri Attilæ fit obvius.

68. S. Lupus divinitus eumdem Attilamque Trecas vastare, placavit.

Qui factâ salutatione interrogat Attilam, quis esset, qui tot superatis regibus, populis subjugatis, urbibus deletis universa sibi subjiceret: Cui Attila: *Ego*, inquit, *sum Rex Hunnorum Attila, flagellum Dei*: Ad hæc Lupus: *Et quis est mortalium, qui Dei flagello resistat? Vem igitur Dei mei flagellum, illoque utere, ut Deus concedit.* Ad hæc verba Barbarus emollitus, Trecensem urbem illæsam transiit. Addunt alii historici Attilam & suos urbem, neminem videntes, quasi cæcitate percussos transivisse.

Quoniam verò diem Ioanni aurei oris Antistiti dicatum hodie celebramus, in animo etiam est breviter referre, quomodo & ipse divinâ virtute Gainam barbarum Scytham, ejusque impetum & tyrannidem infregerit.

Accipe paucula ex Theodoreto lib. 5 Historiæ Ecclesiasticæ. Cum Gainas tyrannidem manifestò patefaceret, atque collecto in Thraciâ exercitu prædas ageret, multa loca vastaret, metu omnes Constantipolitani exhorrescerent, & nemo esset qui vel acie cum eo confligere in animum induceret, vel legationem apud eum obire se tutò posse existimaret, cum barbarum ejus & crudelem animum quisque suspectum haberet: *itum est*, inquit Theodoretus cap. 33. *ad Ioannem invictissimum illum Christi bellatorem, suadetur ei, ut legatus ad Gainam proficiscatur: ille verò nullâ habitâ ratione disceptationis contra Gainam*, (cum Arianis templum peteret) *ante susceptæ, vel simultatis inde ortæ, prompto animo in Thraciam contendit. Quare Gainas cognito legati adventu, & animi ejus alacritate pro pietatis defensione confisorati à, longo intervallo ei lubens procedit obviam, atque prehensam illius dexteram oculis suis apponit, liberosque suos sacra ejus genua complecti cogit. Sic quidem virtus vel infestissimos afficere pudore, & obstupefacere solet.* Ceterum sicut nec Estheræ eximia forma, vel cultus ad omnem elegantiam compositus Assueri animum ad lenitatem flexit, sed (quo verbo S. Augustin. uti gaudet) efficacissima Dei gratia, ita etiam Alexandri Macedonis, Attilæ, Gainæ insolentes spiritus, & ferocia pectora Numinis congrua, efficax, sed occulta virtus permulsit, emollivit, perdomuit. Plura producenda forent, sed Lectoris fastidium aurem mihi vellit, ut premam calamum. Vnum & alterum solum divinæ Gratiæ symbolum suggero.

69. S. Ioannes Chrysostomus Gainam tyrannum conciliat.

70. Aspalathos symbolum Gratiæ Dei, vel Iris potius.

Aspalathos in Ægypto nascitur spina candida magnitudine arboris modicæ, flore roseo, radix unguentis expetitur. Tradunt, in quocumque fruticè curvetur Arcus cœlestis, eandem, quæ in Aspalatho, suavitatem odoris existere, sed in Aspalatho inenarrabilem quamdam. Ita Plinius lib. 12 cap. 24.

Est hic nota Hieroglyphica Gratiæ cœlestis, quâ fit, ut animus humanus, qui nihil ante sapiebat vel fragrabat cœleste, veluti aspalathus multis locis sine odore est, postmodum divinæ Charitatis Iride in illum respiciente & incumbente, incredibilem suavitatem coram Deo & hominibus spiret, ita ut de eo dici possit illud Apostoli. *Christi bonus odor sumus Deo.* 2 Cor. 2, 15.

71. Piscis dictus Luna, ejusdem Gratiæ nota.

Ælianus lib. 15 Hist. Animal. c. 4 ait piscem quemdam esse specie egregium, cui nomen Luna, mole exiguum, pinnis levibus, quas inter natandum expandit, & ad similitudinem Lunæ semicirculum efficit. Hic piscículus plenâ Lunâ etiam impletur, & arbores, quibus appensus fuerit, etiam implet, eâdem verò decrescente, siccatur, marcescit, & perit, & si plantis admotus fuerit, easdem flaccescere & interire facit. Quod si in fontem conjecens, is ad rationem Lunæ vel augebitur, vel evanescet.

Præsente & irradiante mentibus nostris divinæ Gratiæ dono, crescimus, valemus, impinguamur, vivimus; quin & alios illustramus, fecundamus: hac absente & deficiente & ipsi deficimus, decrescimus, interimus, & aliis vicinis etiam noxam adferimus & mortem.

72. Iaspis Hieroglyphicum Gratiæ.

Ceterum, quia Iaspis gemma, sacer character habetur à doctis Gratiæ, meritò dixerim cycladem, vel pallam Reginæ nostræ Iaspidibus totam fuisse intertextam.

Ajunt Virgilii Interpretes non otiosè ab eo dictum de Æneâ Æneidos 4 v. 26, Carthaginis fundante arces, ac tecta novante,

——Ille stellatus Iaspide fulvâ
Ensis erat

(Quod de vaginâ gladii gemmatâ mecum intellexit etiam Iuvenal. Satyrâ quintâ.)

Quandoquidem tunc temporis præcipuè Didonis gratiam ambiebat, cujus amore Carthagine detinebatur. Iaspis enim symbolum gratiæ est, sumptum ab ejus vi, quod hominibus persuasum sit, gemmam eam mortalium gratiam conciliare erga gestantem. Vide Pierium Hieroglyphic. lib. 41 in Iaspide. Verum Esthera longè præstantiore Iaspide stellabat lucebatque, virtute scilicet, & divinâ gratiâ, quâ Regis spiritum agente Deo ad clementiam pertrahebat.

73. Rosa ejusdem character, & etiam oculus.

Quod si hoc minus placet, licebit Estheram mente fingere totam coopertam rosis, vel earum unguento, aut oleo madentem, quo pacto (& certè affirmat scriptor sacer eam roseo colore vultum perfusam) Artaxerxis affectum & benevolentiam sibi conciliaret. Notam verò hieroglyphicam Gratiæ esse rosam copiosè explanat idem Pierius lib. 55 Quidquid sit, gratiæ illius

rosas divinus ille Lucifer germinare faciebat, quem ajunt Poëtæ rosas purpureo colore tingere, & fragrantissimo odore complere. Certè benigno & propitio oculo (quo symbolicè etiam Dei præcipuum munus Gratia & favor in sacris litteris designatur) supremus mundi arbiter illam respexerat, & faciem suam in illam defixerat, ut coram Artaxerxe gratiam inveniret, & quod vovebat, impetraret.

Non opus erat Reginæ sanctissimæ cesto maritali, quo conjugem in sui amorem pelliceret, ut stulti profanique vates fabulantur de Venere Martem sibi hoc Zonæ ornamento, itemque Iunone Iovem, ad sua vota reflectente & revocante. Omni cesto pretiosior & picturatior mentem illius ornaverat gratia, quâ conjugem novo fœdere & amicitiæ indissolubili nexu sibi maritabat, ipso Deo præcipuo Paranympho. 74. Cesto omni efficacior Dei Gratia.

VERSVS XII, XIII, XIV, XV, XVI, XVII, XVIII, XIX.

Quid habes Esther? Ego sum frater tuus, noli metuere.

Non morieris. Non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est:

Accede igitur, & tange sceptrum.

Cumque illa reticeret, tulit auream virgam, & posuit super collum ejus, & osculatus est eam, & ait: Cur mihi non loqueris?

Quæ respondit: Vidi te Domine, quasi Angelum Dei, & conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ.

Valde enim mirabilis es Domine, & facies tua plena est gratiarum.

Cumque loqueretur, rursus corruit, & penè exanimata est.

Rex autem turbabatur, & omnes ministri ejus consolabantur eam.

Græca: Et dixit ei: Quid est Esther? Ego frater tuus, confide, non morieris, quoniam commune præceptum nostrum est. Accede, & tollens (elevans) auream virgam, imposuit super collum (cervicem; Gorionides, manum) ejus, & amplexatus est eam (ἠσπάσατο, osculatus est) & dixit: Loquere mihi. Et dixit ei: vidi te, Domine, quasi Angelum Dei, & turbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ. Quoniam mirabilis es Domine, & facies tua gratiarum plena.

Cum autem ipsa loqueretur, cecidit præ dissolutione suâ. Et Rex turbabatur, & omnis famulatus ejus (παιδεία) consolabatur eam. Iosephus: Iubet Rex bono animo esse, securam quod invocata venerit. legem enim illam latam esse in subditos: ipsi verò, ut regni sociæ licere omnia. Hæc locutus, sceptrum in manus ejus inseruit, & cervicem ejus virgâ permulcens aureâ, à legis metu omnino fecit liberam. Illa hoc pacto resocillata; Domine, inquit, eloqui non possum quid mihi repente acciderit. Vt enim te conspexi tanta majestate verendum, continuò refugiens defecit me animus. Et cum hæc verba ægrè languida & exili voce protulisset, magis etiam solicitus solari eam cœpit prolixius, paratum se quidvis gratificari, pollicens, vel si dimidium regni sibi deposceret, &c. quæ explicuimus cap. quinto suprà.

COMMENTARIVS.

ARtaxerxes & Dei nutu ad clementiam inflexus, & conjugis suæ subitâ exanimatione vel defectione commotus, verbis placidissimis illam alloquitur, & quibuscumque potest, amoris argumentis consolatur

Primum infit. *Ego sum frater tuus.* Quæ est blandientis formula usitata tam in sacris, quam in profanis litteris. Sic enim proci amicas & socias, sponsi sponsas, viri uxores compellare solent abblandiendo, & interdum alii alias, hoc nomine culpam tegendo, quæ in vitioso amore & familiaritate latet. 75. Nomen fratris & sororis usurpatur formulâ blandiendi.

Sic passim in sacro Epithalamio sponsa soror dicitur. Ita Salomon suader suæ Ethicæ studioso, ut Sapientiam sororem vocet; Prov. 7 ℣. 4. *Dic sapientiæ, soror mea es: & prudentiam voca amicam tuam.* Rursus idem Rex sapientissimus de Sapientiâ sermonem habens Sapientiæ 8 ℣. 2 sic ait. *Hanc amavi, & exquisivi à juventute mea, & quæsivi sponsam mihi eam assumere.* Vbi videmus pro eâdem accipi & sororem & sponsam.

Frequens hoc etiam est apud profanos, ut ostendit Iustus Lipsius lib. 2 Variar. Lection. ex Tibullo, Martiale, Propertio.

Meritò autem conjuges se fratris & sororis invicem nomine salutant, cum inter illos non minor esse debeat animorum connexio, quam inter fratrem & sororem generis & sanguinis est cognatio.

Quia verò Artaxerxes non ambigebat, quin consternatio & pavor Estheræ ex eo proveniret, quod contra edictum feciisse videbatur, cum non vocata Regis Basilicam ingressa esset, ubi ipse sublimis aureo solio residebat, metum tollit verbis sequentibus.

Non morieris: non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est.

Duplex ab explanatoribus horum sententia datur. Prima; forte, quia Græcè habetur; *Commune præceptum nostrum est*, & Iosephus reddit: *lex illa lata est in subditos; ipsi verò, ut regni sociæ licere omnia*: sic aliqui explicant. Hæc lex communes & vulgares homines afficit, & qui infra regiam dignitatem sunt: tu verò, quæ regina es, & consors thalami mei, hujus pœnâ non teneris, nec ejus verbis comprehenderis. Et certè *commune præceptum nostrum*, &c. ut habet Græcus, multum animare potuit Reginam, cujus anima penè fugiebat; Prima explicatio horum pro omnibus hæc lex constituta est.

giebat ; significabat enim Rex communem utriusque esse legem non minus illius quam suam, & solum pro subditis latam.

Commune præceptum quid significet.

Vbi vides, Lector, Interpretes illos *τὸ Commune*, accipere duobus modis, vel ut significet homines solum vulgares & ex communi plebe, illâ lege astringi, vel esse commune Regis & Reginæ decretum, sicut & regnum. Ita Serarius, Tirinus, Menochius.

Altera explicatio.

Altera facilior, magis obvia, & simplicior ex Latino. *Pro omnibus Lex constituta est*, id est pro aliis, vel reliquis omnibus non autem pro te. Ita Emmanuel Sa, & alii.

Accede igitur & tange sceptrum. Videtur Assuerus bis versus Estheram auream virgam extendisse.

Primò, post primum animi deliquium hîc. Iterum cap. 5, vers. 2. cum stans & tibi reddita illi placuit.

Dicitur verò hîc ℣. 15. posuisse Rex virgam auream super collum ejus, cum adhuc præ pavore taceret. Sed Gorionides dicit posuisse super manum: Iosephus verò, utrumque conjungit.

Diximus de aureâ virgâ plura cap. 4 & 5, ubi etiam cap. 4 Esther ipsa ℣. 11, dicit illius extensionem fuisse clementiæ signum. Videtur autem is, qui ad Regem accedebat, eam debuisse tangere, quod apparet hîc ex verbis Regis, cum ait: *tange sceptrum.* Et certè cum Esther penè exanimis reticeret; Rex ipse virgâ collum ejus demulsit; quod erat plenum animi placati argumentum, & illam osculatus est; quod erat tenerrimæ familiaritatis.

Notant hîc Serarius & Mariana ex Aristotele Politicorum tertio, sceptri extensionem fuisse jusjurandum; verum hic fuisse symbolum datæ vitæ salutisque; ita ut Esther potuerit usurpare illud Psalmi 22, 4: *Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt.*

Observa præterea Reginam postquam secundâ vice fugientem, deficientemque animam recepit, accessisse propius, & sceptri summitatem osculatam fuisse, ut vidimus suprà cap. 5, 2. quo Feuardentius mysticè denotari docet principes esse honorandos.

Ait tandem Rex Estheræ adhuc elingui & obmutescenti.

Cur mihi non loqueris? illa recepto paululum spiritu respondet. *Vidi te, domine, quasi Angelum Dei*, &c.

Causam animæ linquentis & fugientis, suaque consternationis non conjicit in terribilem aspectum, scintillantesque oculos regis, aut in severissimum ipsius edictum, sed in majestatem, dignitatem, splendorem, gloriam, quam viderat in vultu ipsius, cum vel in solio adhuc resideret, vel ipsam collapsam ulnis sustentaret, collum ejus virgâ aureâ permulceret, & oscularetur.

Quæritur hic primò, quid significet hæc Proverbialis formula: *Vidi te quasi Angelum Dei.*

76. Angelus Dei significat apud Hebræos majestatẽ supra hominem.

Respondent communiter omnes illâ indicari, quid eximium, majestatis & dignitatis plenum, vel specie humanâ augustius: unde Gorionides pro Angelum Dei, reddit, Magnum, pulchrum, terribilem: Videturque esse Hyperbole Hebræa, sicut illa Latina. *Os, humerosque Deo similis.* Et ista

Neque enim tibi vultus
Mortalis, nec vox hominem sonat, O Dea certè;

Cum ergo Esther significare vellet præclaram Artaxerxis formam & majestatem, more patriæ suæ linguæ Angelum Dei vocavit: quin verò etiam Hebræi eximium splendorem vel vultum venerabilem; divinum & Dei solent nominare. Exemplum de hoc habes Genes. 33, ℣. 10. ubi Iacob fratrem Esau alloquens ei dicit: *Sic enim vidi faciem tuam quasi viderim vultum Dei.* Elohim, quod hic putat, in textu Hebraico fuisse Mariana. Hinc sunt illa, cedri Dei, q. d. divinæ, altæ, firmæ: montes Dei, celsi, &c. 77. Idem dicitur vultus Dei.

De priore plura habes in sacris libris, ut 1 Regum 29 ℣. 9, ubi Achis Rex ad Davidem: *Scio quia bonus es tu in oculis meis sicut Angelus Dei*; & 2 Regum 14, ℣. 17. ait Thecuitis ad eumdem Davidem, *sicut est Angelus Dei sic est dominus meus Rex*: Et iterum ℣. 20: *Tu autem Domine mi rex, sapiens es, sicut habet sapientiam Angelus Dei, ut intelligas omnia super terram.*

Nihil ergo vult illâ phrasi Esther indicare nisi Assuerum majestate regiâ fuisse verendum, splendore & gloriâ vultum ejus afflatum: se vidisse illum quasi cœlitem aliquem, heroëm vel Semideum. Vnde non magis assentari regi voluit, quam Iacob Esau supra, vel Achis Davidi, sed usâ est proprietate linguæ suæ etiam apud Persas barbaros. 78. Significatur illâ formulâ splendor & majestas.

Quæritur 2, An Adagium illud Persis etiam usitatum? Dico saltem fuisse illis notum, sicut & Achis suprà Regi Philisthæo; idque ex frequenti commercio & consuetudine cum Hebræis; forte etiam usurpatum, sicut & aliis gentibus, propter frequentem Angelorum mentionem. De Persis hîc notarunt Serarius & Tirinus ex Cedreno, in admirabili illâ Cosdroe regis Persarum ab Heraclio devicti sphærâ Angelos fuisse, qui Regem circumstabant. Vnde credibile est Angelos Persis ethnicis non fuisse ignotos. 79. An Persæ etiam utcentur illâ formulâ: vidi te quasi Angelum.

Quidquid sit tum ex hac formulâ loquendi, quam usurpavit Esthera, tum ex aliis, de quibus dicitur Capite sequente, constat instituta, moresque Iudæorum non fuisse ignota Artaxerxi.

Quæritur tertiò, an verba illa, *Vidi te quasi Angelum Dei*, pertineant ad vultum regis terribilem, vel potius blandum & amabilem, cum Estheram labentem ulnis excepit, & adblanditus est?

Dico præcipuè spectare ad faciem terrore & majestate plenam, addit enim Esthera: *& conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ.* Dicit enim hîc & rectè Sanctius, illam esse naturæ Angelicæ præstantiam, ut inferior hominum natura obstupescat, & quasi torpeat coram Angelo, etsi benevolum se, benignum & amabilem exhibeat; ut patet Danielis 10, ℣. 8, qui viso Angelo omnibus viribus destitutus fuit, ut hic Esthera conspectâ specie Artaxerxis. 80. Loquitur Esther de vultu regis terrore pleno.

Quæ sequuntur postea: *Valde mirabilis es domine, & facies tua plena est gratiarum*, magis videntur habere locum in Artaxerxe placato, quam iracundo; quamvis nihil obstet, quin referri possint ad vultum ejus sive majestate & splendore illustratũ, sive venustate, & suavitate jucundum.

Cumque loqueretur, rursus corruit. Hoc alterum in Reginâ animi deliquium & regem valde conturbavit, & ipsi Estheræ jam sibi restitutæ

mol-

molles aditus aperuit ad impetrandum quod ipsa postulavit. Ita enim naturâ comparatum est, ut amicis, & maximè iis, quos tenero amore complectimur, afflictis & prostratis benignius afficiamur, & quælibet petentibus concedamus.

Ceterum post verba illa: *Rex autem turbabatur, & omnes ministri ejus consolabantur eam*; connectenda sunt illa quæ habentur cap. 5, ℣. 2: *Cumque vidisset Esther Reginam stantem* (postquam ex virium defectu sibi reddita est, & Rex rursus in throno se composuit) *placuit oculis ejus, & extendit contra eam virgam auream, quam tenebat manu*, &c.

Allegorica expositio illorum:

Non morieris: non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est:

De immunitate Dei matris ab originalis peccati maculâ.

81. Esther typus Deiparæ.

COnstat apud omnes Estheram, uti & alias legis priscę religiosas mulieres, typum gessisse cœlorum Reginę: Vnicũ tantum testem adducam Petrum Canisium, qui in opere suo mariali sic de hac scribit. *Hæc illustris illa Esther, deliciæ Regis æterni abscondita & custodita incredibilisque pulchritudinis femina, præ aliis omnibus electa regina, & summo Regi summe grata, quæ toti populo ad depellendum triste mortis decretum, singularem gratiam impetrat atque conservat.*

Cum itaq; Esthera quasi præluserit Dei Matri typico schemate, non video quin pariter ea, quæ hic ab Artaxerxe dicuntur, possint in sensu Allegorico sive mystico huic applicari, ut plerique Theologi suis in tractatibus, Scripturæ Interpretes, Mariani Encomiastæ fecerunt, quorum aliquos hîc recensere operæ pretium duxi.

82. Auctores hæc verba applicant Immaculatæ ejus Conceptioni, ut Barradas, Spinellus, Morales &c.

Sebastian. Barradius tomo primo Concordiæ Euangelicæ lib. 6. cap. 3, verba hæc mysticè interpretans infit.

Deus matri suæ futuræ ait. Non morieris, peccati Originalis mortem effuges: quod si lex obstat, non pro te sed pro ceteris hæc lex constituta est. Similem mihi te esse volo. Originis peccatum longè à meâ, longè à tuâ quoque conceptione aberit. Sceptrum tetigit Esther: Crucem tetigit Virgo, quæ præservationis causa fuit. Hæc ipse paucis multa complexus.

Fusius in Opere suo de Laudibus Virginis, sive in Throno Dei Anton. Spinellus c. 7, n. 16.

Hæc, inquit, *à Deo Virgini dicta pie cogitare possumus. Lex enim Originalis peccati pro aliis fuit, & nõ pro ipsâ, quã videns casuram in illud, nisi juvaretur, festinus cucurrit gratiâ suâ, sustentans eam ne caderet* (*Artaxerxes festinans exilivit de solio sustentans Reginam ulnis suis*) *sceptrumque tangendum porrexit, quia ex vi crucis & Passionis Christi præservata est. Ideo Bonaventura* in 3, *Sentent. dist.* 3, *art.* 2. *quæst.* 2 *citat sententiam quorumdam dicentium, alios post casum erectos, Virginem verò quasi in ipso casu sustentatam, ne caderet, & propterea vellè Psalmo* 45: *Fluminis impetus lætificat civitatem Dei, sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. Deus in medio ejus non commovebitur. Cujus ratio statim subjicitur: Adjuvabit eam Deus mane diluculo. Mane quidem adjutus fuit S. Ioan. Baptista & Ieremias in utero sanctificati. Sed Sanctissima Virgo mane & diluculo, in ipsâ scilicet conceptione, quam impetus fluminis divinæ gratiæ lætificavit. Et eodem Psalmo infrà dicitur. Posuit prodigia super terram, auferens bella usque ad finem terræ; quia ex Richardo Victorino lib.* 2 *de Emmanuele cap.* 29. *In Virgine nullum fuit internecinum bellum, sed summa pax. Item Deus arma dæmonis contrivit, ne Virgini nocere possent.* Hactenus Spinellus.

Petrus Morales in Caput primum Matthæi libro tertio tractatu 2 Mat. n. 44. *Exceptio*, inquit, *à peccati originalis regulâ per præservationem à Deo in Virgine facta, mirè adumbrata fuit in Reginâ Esther Virginis nostræ figurâ, cui Assuerus dixit: Noli metuere, non morieris: Non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est. Quod factũ fuisse ostenditur in eodem loco, antequam in terram caderet Esther, sed ipsa jam jam casura, & tunc festinus rex sustentavit eam in ulnis suis, & posuit virgam auream super collũ ejus, & osculatus est eam: in quo mirè describitur Virginis nostræ præservatio à Deo facta, antequam originale peccatum contraheret.* Ita Morales:

Verum circa auctorum, quos produxi, sententias quædam sunt observanda.

Primùm, illos supponere Dei Matrem obnoxiam fuisse necessitati contrahendi peccatum originis, & ideo etiam legem pro illâ fuisse constitutam.

81. Auctores quidam tenent Deiparam obnoxiam fuisse contrahendi Originale peccatum necessitati.

Alterum, supponere etiam in typo Estheram non cecidisse: quod est contra scripturam: siquidem dicitur bis corruisse, scilicet ℣. 10, ubi sic habes. *Cumque elevasset faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicasset* (Artaxerxes) *regina corruit.* Iterum vers. 18. *Cumque loqueretur, rursus corruit, & pene exanimata est.* Vnde nisi intelligant Estheram sustentatam à rege ulnis suis ne caderet in terram, quod significat Morales, non sunt audiendi. Nullum autem erat periculum reginæ humi decidendi, cum super humeros ancillæ caput reclinaret, & altera quæ sequebatur, facile illam sustentate posset, ne in solum delaberetur.

Esther corruit sed non necessariò in terram.

Et certè Septuaginta expressè habent Reginam cecidisse, antequam Rex accurreret, ut illam exciperet brachiis suis; *cecidit*, inquiunt, *regina, & inclinavit super caput ancillæ præcedentis*; & Iosephus, *Attonita*, ait, *fluentibus membris in sustinentem ad latus totam se rejecit.*

84. Non omnia necessariò quadrare debent rei figuratæ, quæ dicuntur de figurâ.

Tertium itaque est observandum, non esse opus, ut omnia, quæ de prototypo dicuntur, per singula aptè quadrent Antitypo, vel quæ de umbrâ vel figurâ asseruntur, eadem rei adumbratæ vel figuratæ conveniant. Nec est necesse, ut quia Esthera defectu virium vel deliquio animæ cecidit corporaliter, similiter Dei parens spiritualiter ceciderit in peccatum.

85. In parabolis non omnia applicantur rebus figuratis.

Itaque servanda est hic regula, quam tradunt Sancti Patres in explicatione Parabolarum Christi, in quibus non omnia applicari debent rebus significatis, sicut nec in Apologis vel Fabulis. Narrantur enim in illis quædam interdum Parerga, & interseruntur ad ornatum quasi Emblemata, ut rectè Origenes & Chrysost. in 13 Caput S. Matthæi: Præ oculis enim solum habendus est scopus, & quæ ad eum pertinent, aptanda; omissis reliquis. Ita in Estherâ nostrâ diligenter investigandum in quibus ipsa Dei parentem prætulerit, de ceteris minus curandum.

Postre-

Postremum observandum est, ut insinuavi, auctores citatos ex verbis Artaxerxis ad Virginem mysticè relatis solum colligere ipsam exemptam fuisse ab Originali noxâ, in quam tamen lapsura erat, nisi gratia Dei excepisset, & casuram prævenisset; non verò immunem fuisse à debito vel necessitate in illam incidendi. Certum est tamen, si verba illa ut sonant, exponantur, plus inferri, scilicet Virginem non fuisse comprehensam decreto à Deo lato de incurrendo Originis peccato, nec habuisse debitum in illud decidendi.

86. Ex verbis thematis colligitur Deiparam non comprehensam decreto contrahendi peccatū Originis.

Sic enim arguo ex verbis propositis. *Non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est.* Sive enim ita interpretêris: Decretum editum est, te exceptâ pro ceteris omnibus, sive edictum nostrum commune est, ut habent Septuaginta, id est, pro vulgo. pro hominibus vulgaribus, quod Iosephus explicat, pro subditis, Esthera regina non comprehendebatur verbis legis. Ergo nec ipsius Antitypus, sive Dei Mater tenebatur decreto lato contra genus Adami de contrahendo Originis delicto. Vnde nec astricta fuit necessitate illud contrahendi; quod auctores illi non concederent.

Quamvis autem in quæstione & controversiâ Theologicâ, non ducatur firmum argumentum ex Allegorico accommodatitio sensu; dico tamen ex verbis Artaxerxis, quibus securam reddidit reginam à metu mortis, quia non pro ipsâ lex constituta erat, sed pro aliis omnibus, qui non vocati ad ejus Basilicam intrarent, colligi, quatenus Esthera typum Virginis prætulit, hanc non comprehensam pacto, quod Deus iniit cum Adamo, nec subjectam legi de primigeniâ maculâ, & naturæ labe adsciscendâ. Quocirca exempta non solum fuit à communi ignominiâ, sed etiam ab omni necessitate illam subeundi; quam sententiam hoc tempore magni nominis Doctores tenent, & omnium manibus libri teruntur, qui à Virgine omne debitum peccatum Originis incurrendi tollunt.

Ioan. Perlinus ita sensit.

Video hujus argumenti vim cepisse Ioannem Perlinum, qui in suâ Scholasticâ Apologiâ seu Theologicâ controversiâ pro Magnæ Matris ab Originali debito immunitate: ex his verbis, ipsum, quod nos, astruit. Sic ergo argumentatur cap. 2 distinctionis sextæ num. 2. *Esther symbolum & imago Virginis fuit: ergo quemadmodum illa, quamquam non vocata, ingressa ad Regem mortis pœnam haudquaquam perpessa est, quod lege ceteris omnibus imposita minimè teneretur, ipso latore sic legem suam explicante; ita Virgo sanctissima Originem culpam animæ nostræ mortem, cum primum concipiebatur, experta non est, quod ad eam statuta de communi peccato lex non pertineret. Hæc verò nihil ad eam spectante, impossibile quidem est, aut in Adamo peccasse, aut ullum peccati debitum contraxisse.* Sic Perlinus, & quidem optimè, si verba illa Artaxerxis, ut dixi, ad Magnam Virginem referre velimus.

87. Ejusdem sententiæ est Ioan. de Salas. Personæ potentes & eminentes juxta Aristotelem non subjiciuntur legibus communibus.

Ejusdem argumenti robur etiam percepit Ioan. de Salas 1. 2. q 81, tract. 13, disput. 11, sect. 5. num. 69, ubi inter alia hæc subdit, ut ibidem etiam citat Perlinus. *Id*, inquit, *quod Esther cap. 15, ad beatam Virginem accommodari solet: Non pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est* (favet propositio) *Vt etiam Aristoteles 3 Politic. cap. 9, scribens; Personas eminentes legibus communibus non debere subjici: fieret enim illis injuria, si pariter atque alii censeantur, cum sint usque adeo superiores secundum virtutem & civilem potentiam. Putandum est enim talem virum tanquam Deum in hominibus esse: ex quo manifestum est positionem legum necessariam esse circa æquales genere & potentiâ, sed in illos tales non est lex, ipsi enim lex sunt. Etenim ridiculus esset, qui illos legibus subjicere conaretur.* Hæc Aristotel.

88. Augusta beneficio principis gaudet eisdem privilegiis, quibus ipse princeps.

Sed objicit ibi consequenter Salas: *Oppositæ tamen*, ait, *sententiæ accommodari potest lex, Princeps ff. de Legibus, ubi dicitur, Principe legibus subjectum non esse; Augustam tamen legibus subjectam esse, sed beneficio principis eadem habere privilegia, quæ princeps habet.* Ita Salas.

Lex de Augustâ nihil ad propositum nostrum.

Est hæc quidem conveniens objectio juxta legem illam ff. sed nihil ad rhombum. ut dici solet, nec contra nos. Non enim lex illa affirmat legibus illis teneri Augustam, quas ipse princeps non pro illâ, sed pro ceteris tantum subditis à se latas ait, ut Artaxerxes hic Esthere expresse dicit.

89. Christus frater Virginis, ideo & ipsa purissima.

Insuper Perlinus ejusdem Virginis ab omni nævo peccati libertatem probat ex blandissimis Regis verbis ad Esther suprà vers. 12: *Ego sum frater tuus*: quæ sunt quasi ratio, cur pura omnis maculæ asseratur.

90. Christus os & caro Virginis.

Christus enim futurus erat os & caro Virginis; quibus nominibus fratres in scripturis vocantur, ut patet Genes. 37, ℣. 27, 2 Reg. 19, ℣. 12 & alibi. Decebat autem ut cujus caro & ossa Dei caro, & ossa futura erant, nihil cum Originis culpa commune haberet.

91. Tetigit Virgo sceptrum, id est, redemptionem fuit Christi passione, id quæ excellentissimo modo.

Pergit Perlin. *Hoc verò donum gratiæ in Virgine nequaquam derogat beneficio redemptionis Christi: nam ibidem dicitur vers. 14 ab Artaxerxe Reginæ: Accede & tange sceptrum* Diximus autem suprà virgam auream Assueri symbolum fuisse Crucis Christi & ejus passionis, quæ tota aurea fuit, charitatis auro contecta & consecrata.

Idem etiam subtiliter ducens ad suum propositum, verba illa Esther 5, ℣. 2, *Ipsa autem accedens osculata est summitatem virgæ ejus*, sic edisserit: *Supremus redemptionis gradus, summus passionis atque Crucis fructus, immunitas à peccato maxima est, quam Virgo consecuta est, cum ab omni etiam debito libera concepta fuit.*

Conatur deinde respondere iis, quæ nos ante objecimus. nimirum quod habetur cap. 15, suprà ℣. 10: *Regina corruit, & lassum super ancillulam reclinavit caput*; ubi lapsus ille videtur fuisse symbolum peccati; quod licet ipse neget, & bene refutet locum Petri Morales, quem superius produximus, non omnino tamen nobis ejus responsio satisfacit, unde Lectorem ad ea, quæ ante hac de re diximus, remittimus; ubi ostendimus non opus esse ut in mysticis typis & figuris omnia rebus significatis & figuratis aptè conveniant, quod tamen ipse studet facere, & qui idem tentavit, producit Ambros. Catharinum Disputatione pro immaculatâ Conceptione Divæ Virginis lib. 3 & Alphonsum Salmeronem in Cap. 5 ad Romanos Disputat. 52 in fine, ubi collationem Parallelam Estheræ & Virginis instituit. Quod si Lectori volupe fuerit totius historiæ de Estheræ ad Regem accessu seriem ad Virginem relatam legere, Perlinum suprà consulat, qui etiam toto opere suo probat Dei Matrem ab omni debito primigeniam macu-

lam contrahendi fuisse solutam.

Nolo ego hîc Oceanum illum vastissimum exiguâ cymbâ meâ ingredi, ne forte suborta procella, aut ventus aliquis Typhonicus eam non satis firmam in brevia & Syrtes abripiat, carbasa laceret, malum disjiciat.

Sunt navarchi alii, qui magnis & solidè compactis navibus Marianum hoc mare transmiserunt, ut, quem sæpius jam nominavi, Perlinus, Ferdinandus Quirinus de Salazar in Defensione pro Immaculatâ Deiparæ Virginis Conceptione, & plures alii.

Mihi in animo est eorum sententiam, qui immunem à debito contrahendi Originalis peccati Virginem constituunt, nec probare nec improbare; suum cuique sentire liberum relinquo. Sufficit mihi hic dixisse illam peccatum Originis non contraxisse.

Manuductio Anagogica à blanditiis Artaxerxis, quibus Esthera delinita fuit, ad cœlestes voluptates, quibus anima beata ab æterno & supremo Rege permulcetur.

AMoris & teneræ benevolentiæ signa & argumenta, quæ rex barbarus conjugi suæ exhibuit, hæc fuerunt; quod ad deficientis lapsum festinus & trepidus exilierit de solio, eam sustentarit ulnis suis, donec ad se rediret; alloquio blandiore illam compellarit, se fratrem illius dictitans, metum legis & pœnæ illius sustulerit cunctantem osculari virgam auream jusserit, ipse eâdem tacentis cervicem permulserit, amplexatus eam sit, &c.

Sed quantula sunt hæc, si conferantur, non dico, cum perennibus & indeficientibus beatarum animarum deliciis, & familiaritatis demonstrationibus, quibus eas excipit maximus cœli dominator, sed etiam cum liquidis gaudiis, gratiis, blanditiis, quæ in justorum mentes pleno cornu hîc impluit divina bonitas, ita ut corda mortalia ipsorum ea non capiant, amore summi boni suaviter colliquescant, magnitudine lætitiæ pectora quasi disrumpantur, animus ex corpore quodammodo exiliat.

Purpureus Hebrææ lyræ fidicen non falsò nec exaggeratè de se pronuntiavit, cum adhuc vagus & exul per Idumææ desertum Saulis furorem exiens erraret; Psalmo 62. ℣. 2: *Deus Deus meus, ad te de luce vigilo. Sitivit in te anima mea, quam multipliciter* (quam multis modis, quam vehementer) *tibi caro mea?*

Rursus Psalmo 83, ℣. 3. *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum.*

91. Si tanta lætitia in valle lacrymarum, quanta futura in paradiso deliciarum.

Si tanta lætitiarum & dulcedinum affluentia in valle flentium & lacrymarum, quanta exundantia in paradiso voluptatis & deliciarum?

Non me tenco, quin aliqua delibem ex Antistitis Hipponensis Soliloquiis. Sic ipse inter alia cap. 21, *Si tanta facis nobis in carcere, quid ages in palatio? Si tanta solatia in hac dis lacrymarum, quanta conferes in die nuptiarum? Si tanta delectabilia continet carcer, quanta, quæso, continet patria? Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ præparasti diligentibus te. Secundum enim magnam multitudinem magnificentiæ tuæ est etiam multitudo magna dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te. Sicut magnus es tu, ita magna sunt donaria tua: quoniam tu ipse es præmium & donum omnium legitimorum pugnatorum tuorum. Nam ex his minimis* (quæ ipse præstas in terrâ) *tua magna & ex his visibilibus tua invisibilia comprehendimus.* Hæc & plura piissimus Augustinus.

92. Gaudia beatorum sunt manna absconditum: & Manhu, sine fastidio, quo gustato desipit omnis caro.

Solatia spiritualia, quæ Deus suis hîc amicis impertit, plerumque manifesta & nota; quæ illis in cœlo reservavit, occulta & incognita, invisa oculis, inaudita auribus, abscondita & incogitata mentibus. Vnde & Apocalyps. 2, ℣. 17, dicuntur *Manna absconditum*: Quo gustato, semper mente ingeminabunt illud antiquum Hebræorum acroama Ϛωμαϛιν: Man hu! Quid hoc? Exodi 16: ℣. 15. Nec umquam illos capiet cibi tam delicioси fastidium, ut quondam ignobile illud vulgus Numer. 11, ℣. 5 & 6, quod conquerebatur: *Quis nobis dabit carnes ad vescendum? Recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique & cepe & allia. Anima nostra arida est; nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi Man.*

O viles animas, & cœlestium deliciarum inanes! quibus divinum illud Manna absconditum est, quod si gustassent, desiperet illis omnis caro, omnis terrena voluptas in nauteam & nauseam verteretur.

Si Estheram tantus stupor incessit, viso splendore & majestate Artaxerxis, ut corruerit, & penè exanimaretur, ac verè profiteretur: *Vidi te, Domine, quasi Angelum Dei, & conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ: Valde enim mirabilis es, Domine, & facies tua plena est gratiarum.*

94. Reginæ Sabæ stupor Salomone audito.

Si Regina Saba 3 Regum 10, vers. 5, & 2 Paralipom. 9, vers. 4 & sequent. audito Salomone tantâ admiratione attonita fuit, & perculsa, ut præ stupore non esset ultra in eâ spiritus, & exclamaret: *Verus est sermo, quem audieram in terrâ meâ de virtutibus & sapientiâ tuâ. Non credebam narrantibus, donec ipsa venissem, & vidissent oculi mei; & probassem vix medietatem sapientiæ tuæ mihi fuisse narratam: vicisti famam virtutibus tuis: Beati viri tui, & beati servi tui, qui assistunt coram te omni tempore, & audiunt sapientiam tuam.*

Quo sensu afficientur felices animæ, quo sacro horrore corripientur præ magnitudine divinæ majestatis, cum semotâ omni caligine & nebulâ oculis mentis suæ videbunt Regem gloriæ in decore suo: in sede majestatis suæ?

Sed quid dicimus animam sanctam custodiâ terreni corporis solutam ad cœlestis claritatis lucem, ad insolitam illam gloriam, & incredibiles delicias obstupescere, cùm & ipsi beati genii & spiritus ætherei in admirationem rapiantur conspectâ pulchritudine, splendore, & deliciarum copiâ, quibus exuberans anima felix ad æterni Regis curiam ascendit?

95. Mirantur Angeli cœlestes animæ beatæ delicias.

Canticor. 8, ℣. 5. Accinunt stupefacti Angeli; *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto* (Septuaginta habent, dealbata) *deliciis affluens, innixa super dilectum suum?*

Sermo autem illis cœlestibus virtutibus, si Ambrosio credimus, est de animâ è terris ascendente. Sic ipse scribit sermone 14 in Psalm. 118. *Quæ est hæc* (dicunt virtutes illæ, quæ portas cœli custodiunt) *quæ ascendit candida innitens super fratrem suum?*

Ea, inquam, anima meritis ascendu albentibus, ex isto vitæ hujus, ut habent plerique, deserto, ad illum florentem semper locum jucunditatis æternæ. Sic ille.

69. Summa æternæ felicitatis finis Deo.

Sicut autem præcipuum amoris & benevolentiæ argumentum quod Artaxerxes Estherę exhibuit, fuit, quod illam labentem ulnis sustentaret, & amplecteretur; ita caput & summa cælestium dulcedinum & deliciarum, quibus anima beata affluit, hæc est, quod dilecto suo innitatur, ejus suavissimis amplexibus excipiatur, quod ipsum fons & origo est omnis honoris, glorię, voluptatis & felicitatis æternæ. Quin verò parum illi, vel prodessent vel placerent omnia gaudia, & exuberantes jucunditates, si dilecti sui non frueretur blanditiis.

Sicut enim sponsam vel nihil vel parum admodum capiunt aut delectant baccata monilia, illusæ auro vestes, torques gemmati, omnisque muliebris mundus, si qui illi maximè cordi est, & cui annulo nuptiali est subarrata, sponsus denegetur nec optato ejus consortio potiatur: ita & corporeâ compage liberam mentem nihil juvant, quæ vel animo concipi possunt solatia & suavitates, quantumvis etiam pleno flumine exundent, nisi Deo suo, dilecto suo, qui illi omne & summum bonum est, innitatur, quo sustentante numquam deficit, numquam fatigatur, numquam corruit, sed omnium bonorum copiâ cumulatur, unde & canit: *Mihi autem adhærere Deo bonum est*, &c. & illud ex Cantico cap. 2, 16. *Dilectus meus mihi, & ego illi.*

Extat insigne de affluentiâ harum, earumque dulcedine vaticinium Isaiæ Prophetæ cap. 66, vers. 10 & sequentibus; ubi agens de futurâ sanctorum in cælis felicitate sic loquitur, ut intellexit S. Augustin. lib. 20, de Civitate Dei, Cap. 21, Sanct. Hieronym. ibi, & alii.

97. Vaticinium Isaiæ de Sanctorum æterna felicitate.

Lætamini, inquit, *cum Ierusalem, & exultate in eâ, omnes qui diligitis eam, gaudete cum eâ gaudio universi qui lugetis super eam, ut sugatis* (quia sugetis) *& replebimini* (& replebimini) *ab uberibus consolationis ejus: ut mulgeatis, & deliciis affluatis* (quia mulgebitis & delicus affluetis) *ab omnimodâ gloriâ ejus. Quia hæc dicit Dominus: Ecce ego declinabo super eam quasi fluvium pacis, & quasi torrentem gloriam Gentium, quam sugetis: ad ubera portabimini, & super genua blandientur vobis. Quemodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, & in Ierusalem consolabimini. Videbitis & gaudebit cor vestrum, & ossa vestra quasi herba germinabunt, & cognoscetur manus Domini* (divina providentia, potentia, & benignitas) *servis ejus*, &c.

97. Explicatio loci Isaiæ.

98. Pax omne bonum significat, hæc verò quod ex uberibus matrum sugunt infantes omnis est suavitas.

Vbi observandum vatem sacrum hanc deliciarum abundantiam exprimere per flumen pacis; propter earum exuberantiam, quâ replebuntur, perfundentur, inebriabuntur, & quasi obruentur (Pax autem Hebræis significat Amaltheum & copiæ cornu omnium bonorum) Voluptatum verò istarum suavitatem significare per succum dulcissimi lactis, quem infantes quietissimè & dulcissimè ducunt & emulgent ex maternis uberibus, dum ab illis pendent, quos & matres dissuaviantur, arrident, blandiuntur, sinu excipiunt, ulnis gestant, super genua collocant, consolantur.

Vix potuit blandius, & aptius adumbrari pax, requies jucunditas cælestium solatiorum, quam schemate puelli, quem mater gremio exceptum portat, & lactat. Hic enim, etiam si parenti per arduum confragosi montis jugum incedendum, non laborat, non lassatur, arborum & viridantium herbarum aspectu reficitur, aviculârum cantu demulcetur; si lubet, in humeris matris dormit; si velit, lacte uberum pascitur, ridet, recreatur, balbutit, molestiarum nihil percipit, &c.

Denique, ut Lector sciat, Prophetam sermonem instituere de futurâ beatitudine, addit, sanctorum ossa tunc instar herbæ germinatura, quod fiet in generali resurrectione, cùm corpora emortua & arida appetente vere novæ vitæ efflorescent, revirescent, & de sepulcris suis, in quibus per hiemem mortis latuerant, pullulabunt. Vide Ecclesiastici cap. 49, ℣. 12.

99. Ossa Sanctorum in resurrectione germinabunt.

Solum hic addo S. Augustini supra Paraphrasin horũ Isaiæ verborũ. *In bonorum promissione*, inquit, *se declinare dicit in flumen pacis: quod profectò abundantiam pacis illius debemus accipere, quâ major esse non possit. Hæc utique in fine rigabimur. Hoc flumen se in eos declinare dicit, quibus tantam beatitudinem polliceretur ut intelligamus in illius felicitatis regione quæ in cælis est, omnia fatiari. Sed quia & terrenis corporibus pax incorruptionis atque immortalitatis vim influet, ideo declinare se dicit hoc flumen, ut de supernis quodammodo etiam inferiora perfundat, & homines æquales Angelis reddat. Hierusalem quoque intelligamus, æternam in cælis, ubi post labores æruminarum, curarumque mortalium consolabimur, tamquam parvuli ejus in humeris, genibusque portati. Rudes enim nos & noves blandissimis adjuteriis insolita nobis illa beatitudo suscipiet: ibi videbimus & gaudebit cor nostrum. Nec expressit quid videbimus. Sed quid nisi Deum, ut impleatur in nobis promissum Evangelicum, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Hîc *credidisti, ibi videbitis.* Hæc & plura ibi S. Augustin.

100. S. August. Paraphrasis vaticinii Isaiæ.

Tunc fiet sermo qui scriptus est Psalmo 15, ℣. 10, *Adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo* (ubi retecta fuerit facies tua) Vbi enim Deus se præsentem offert suâ in claritate, ibi omnis hilaritatis & gaudii satietas. Laxatis cœli cataractis infundetur & inundabit sancta anima infinitis deliciis.

Eleganter S. Anselm. in Prosologio cap. 25. *Gaudium*, ait, *quale, aut quantum est, ubi tale aut tantum* bonum *est? Cor humanum, cor indigens, cor expertum ærumnæ, imo obrutum ærumnis, quantum gauderes, si his omnibus abundares?*

101. Immensitas gaudiorum cœlestium.

Dulcis Iesu, ducat me spiritus tuus, ubi lætitia est sine tristitiâ, gaudium sine molestiâ, pax sine discordiâ, felicitas sine miseriâ, satietas sine nauseâ, æternitas sine termino. Amen.

Monitum Oeconomicum & familiare, quo instituuntur mariti exemplo Persarum Regis, indulgenter, & benignè erga uxores suas se gerere.

VIdimus, quanta lenitate & placabilitate verborum, quantis benevolentiæ argumentis egerit cum conjuge suâ terrore perculsâ, & deficiente Artaxerxes. Æmulentur privati suo tempore Regis normam, eique, cum opus, se conforment.

Notum est ex hoc libro cap. primo ℣. 22. *esse viros principes ac majores in domibus suis*, id est, ut ibi declaratum, virum caput esse mulieris, uxorem esse sub potestate mariti. Hoc naturæ auctor instituit, hoc ex ratione hausimus; idipsum copiosè & eruditè ex sacræ & profanæ litteraturæ scriptoribus ostendit egregius Inreconsultus Andreas Tiraquellus totâ lege primâ Connubiali.

102. Særi ac ferocis mariti jugum uxori est intolerabile.

Jugum est vitiatâ naturâ per primigeniam noxam grave, sed justum & æquitati consonum. Quod si tamen ad hoc accesserit difficile, iracundum, intractabile mariti ingenium, si implacabilis sit, assidue minas jactet, fulmina verborum vibret, contumeliarum tonitrua jaculetur, fiet jugum illud non solum grave, sed intolerabile.

Instillat viris Sapiens Ecclesiastici 4, vers. 35: *Noli esse sicut leo in domo tuâ, evertens domesticos tuos, & opprimens subjectos tibi.*

103. Leo prius in viros sævit quam in mulieres

Quamvis verò acerbo suo imperio & belluino Leonem vir referat, meminerit tamen illius quod Plinius narrat lib. 8, cap. 16, *leonem, ubi sævit, in viros prius, quam in feminas fremere*; veluti natura cum docuerit mulieres mitius, quam viros esse tractandas: Ubi & exemplum adfert feminæ leones mitigantis cum se feminam esse diceret.

Mitius autem cum uxoribus agendum, non tamen solutè & enerviter multa suadent;

104. Veneri junctus Mercurius docet rationem cum uxore agendum.

Plutarchus in Præceptis Connubialibus, statim initio. *Veteres*, inquit, *Mercurium juxta Venerem collocabant, quod voluptas nuptialis ratione, aptoque sermone maximè indigere videatur.*

105. Caduceum Mercurii indicat illum animos pace conjungere.

Addo ego Mercurium ob flexanimam Suadam legatum pacis habitum, quod indicat sceptrum vel virga, quam manu gestat, dicta Caduceum, quod animorum dissensiones cadere faciat, & dissidia componat. Vt enim olim per feciales bella indicebantur, ita per Caduceatores finiebantur.

106. Hoc Dracones pugnantes diremit, qui nodo Herculeo ob id tibi copulantur.

Fabulantur poëtæ Mercurium duos dracones inter se pugnantes reperisse, quos interpositâ virgâ dicto citius diremit. Nihil enim facilius irâ tumefactos spiritus placat, quam mollis & suavis oratio.

Hinc Ægyptii formarunt Caduccum in speciem duorum draconum maris & feminæ virgam amplectentium, qui parte mediâ sui voluminis, nodo (quem Herculeum vocant, estque amicitiæ symbolum) tibi alligantur, primisque partibus reflexi, in modum circuli, oscula jungunt.

107. Maritus Caducifer.

Sit ergo maritus caducifer, & pacis conciliator, & lenitate suâ potius quam severitate uxorem regat.

108. Maritus præest uxori ut anima corpori, illud fovens.

Rursus Plutarchus suprà cap. 34. *Præesse*, ait, *maritum uxori par est, non ut dominum pecoribus, sed ut animam corpori, conspiratione quadam naturali per benevolentiam cum ipso conjunctam. Quemadmodum igitur procurare corpus convenit non ipsius serviendo voluptatibus atque cupiditatibus; ita uxori præesse demulcendo, gratificandoque oportet.*

Adstipulatur Nazianzenus in Admonitorio Heroico cujus hîc sensum do. *Lenis domiter numquam feræ robur viribus usus infregit, cum iratus ore cruento ringit, quin verò manibus demulcens, & blando sermone.*

109. Maritus tabernaculū in quo tabulæ legis. virga Aaronis & urna mannâ plena.

Meminerit maritus similem se esse debere Tabernaculo fœderis in quo conjuncta tabulis legis erat virga Aaronis, & urna mannâ referta. Legem ferat uxori, & imperet, simulque ex severitate & lenitate componat temperamentum, ut neque multâ asperitate exulceretur, neque nimiâ benignitate solvatur.

Duo illi fulgentissimi in corpore Ecclesiæ oculi Petrus & Paulus idem maritis inculcant.

Hic quidem ad Colossens. tertio ℣. 19. *Viri diligite uxores vestras, & nolite amari esse ad illas*: quod tamen fit, dum ex pectore amarulento & exulcerato erumpunt minæ, & verba acerbo tincta veneno, amaritudinis felle intoxicata.

110. Junoni victima offerebatur fellevacens quod in dicat à conjugio abesse fel debere.

Dixi alibi ex eodem Plutarcho suprà priscos gentiles Junoni γαμηλίῳ (pronubæ) facientes, victimam, felle carentem obtulisse, quo symbolo indicabant, fel & amaritiem iracundiamque â conjugio procul ablegandam.

Item, serpentem priusquam cum Muræna congrediatur, omne virus evomere, quod ejusdem tessera & signum est, omnem scilicet acerbitatem à nuptiis removendam.

111. Vipera virus evomit congressura cum Muræna; symbolum est amaritudinem in conjugio deponendam.

Ita Ælianus lib. 9 Histor. animal. cap. 66, & alii. Quo argumento utitur etiam S. Basil. Homiliâ 7 Hexameron. *Audiat*, inquit, *vir accommodatam, seque decentem admonitionem: Vipera virus ob nuptiarum venerationem evomit: tu duritiam animi, tu feritatem, tu crudelitatem ob nuptiis reverentiam non deponis?*

Fecundius & facundius alter Apostolus illud ipsum commendat viris, Epist. 3. vers. 3. *Viri similiter cohabitantes secundum scientiam, quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorem, tamquam & coheredibus gratiæ vitæ: ut non impediantur orationes vestræ.*

112. Explicatur locus S. Paul.

Explano dilucidius: Mariti cohabitantes sint, vel cohabitent uxoribus suis, nec divortium faciant thori vel tecti, multo minus ad alias divertant; & quia rector & director est vir suæ familiæ; juxta scientiam & prudentiam œconomicam, uxorem & domesticos gubernet; prudentia verò hæc docet, ut vir conjugem suam, quam novit corpore & animo se infirmiorem, non exacerbet vilipendendo, sexus vitia & imperfectiones exprobrando, sed potius ut egregiam œconomam domus suæ bene præsidentem honoret, coram domesticis & externis, debitis titulis compellet, benignè & comiter cum illâ agat, ut rectè ibi Oecumenius, ne pusillo animo reddatur, & sola dum est, gemitibus & lacrymis se dedat.

Sciat, ut alibi dixi, uxoris errata aut tollenda placabilitate & mansuetudine, aut patientiâ toleranda. Præclarè S. Chrysost. homil. 26 in primam ad Corinth. *Considera*, ait, *mulierem debile vas esse. Tu autem vir, propterea princeps factus, & capitis loco datus, ut subditæ feras imbecillitatem.* Quo loco plura subjicit in hanc sententiam.

Vt verò S. Petrus persuadeat maritis, ut uxores suas honorificè & benevolè tractent, ut sorores venerentur & diligant, dicit illas, licet naturâ inferiores & infirmiores, esse viris coheredes gratiæ vitæ, id est, vocatas ad obtinendam gratiam hîc quidem vivificantem, & postea vitam æternam conferentem.

Addit & alium stimulum, quo urgeantur viri, ut uxores suas non asperè & rigidè, sed placidè & clementer excipiant; ut nimirum orationes mutuæ & earum fructus non impediantur, infringan-

gantur, elidantur. Sermo enim durus mariti provocat uxoris iram, quæ irritata in illum convitia regerit. Quæ autem oratio ad Deum fundi poterit, aut quis illius fructus, ubi tanta fuerit perturbatio mentium, tanta animorum voluntatumque dissensio?

113. Exempla virorum erga uxores benevolorum.

Maritis facem præfert Assuerus, qui quamvis truculento esset ingenio, plurima tamen placabilitatis, mulcedinis & benevolentiæ argumenta erga Estheram thalami consortem demonstravit, ut tum ex hoc capite, tum ex præcedentibus constat.

Præluxerunt & alii viri virtute & sanctitate conspicui, quorum exemplis tabularia sacra referta sunt; Abraham quo honore prosecutus sit Sarai, dominam suam, constat ex Genesi; similiter dicendum de amore Isaaci erga Rebeccam, Elcanæ erga Annam; Tobiæ senioris erga suam etiam Annam, Junioris erga Saram: deinde idem docent Sanctorum facta memoriâ dignissima, in quibus commendatur comitas morum Iuliani erga Basilissam, Adriani erga suam Natalitiam, Patricii præfervidi ad iram erga Monicam, Elzearii Comitis erga Dalphinam, & aliorum.

Etiam atque etiam animo vir retractet se quidem esse Cajum, uxorem verò Cajam, id est, quod ut ille herus & dominus, sic & illa hera & domina sit.

114. Vt vir in rebus majoribus domi imperat, ita uxor in minoribus.

Lex antiqua Romuli fuit, cujus meminit Dionys. Halicarnassæus lib. 2 Histor. *Mulier viro legitimè conjuncta, fortunarum & sacrorum socia illi esto: utque domus ille dominus, ita hæc domina.*

Aristoteles 8 Ethicor. cap. decimo scribit viro cum uxore id jus intercedere, quod est in Aristocratiâ, id est, optimatûm regimine. Nam pro dignitate vir in iis rebus imperat quæ dignæ sunt viro: quæ autem feminam decent, eas illi tribuit.

Idem lib. 1 Polit. cap. primo illud in barbaris reprehendit quod apud eos uxor & mancipium eodem gradu habeantur; quales fuerunt Numidæ, Thraces.

115. Vir uxori moderateur imperet, pater.

Livius lib. 34 inducit L. Valerium sic super legis Oppiæ abrogatione perorantem. *Vos* (Quirites) *in manu & tutela, non in servitio debetis uxores habere, & malle patres aut viros, quam dominos dici.* Et paulo post, Quo plus potestis, eo moderatius imperio uti debetis. S. Ambros. lib. 5 Hexameron cap. 7: *Non es*, inquit, *dominus, sed maritus: non ancillam sortitus es, sed uxorem; gubernatorem te Deus voluit esse sexus inferioris, non præpotentem.* Sic ille.

116. Mulier habenda à viro benignè, non tamen solutè.

Ceterum cum vir à virtute nomen habeat, vel virtus à viro, mulier verò à mollitie dicta mulier quasi molier, quis non videat molliter, benignè, patienter, non tamen solutè ne solvatur & ipsa, esse tractandam?

Vide Tiraquell. maximè lege 8 Connubiali, & quæ dixi in Ecclesiasticum cap. 26. v. 2.

CAPVT SEXTVMDECIMVM.

ARGVMENTVM.

Continetur hoc capite Rescriptum Assueri sive Artaxerxis, quod quidem in Hebraico volumine non legitur, ut notat S. Hieronym. habetur tamen apud Septuaginta cap. 8. Summa etiam illius comprehenditur tam in Hebræo quam Latino suprà cap. 8, maximè v. 13 his verbis. Summaque epistolæ hæc fuit, &c. *Satis autem constat dictatum fuisse exemplar à Mardochæo, ut ibidem constat v. 8 & 9. Sicut prius edictum fuerat conceptum & editum ab Amano.*

Est autem Rescriptum hoc revocatorium prioris decreti quod Aman per provincias miserat; quo jubebantur Iudæi passim per Persidem interfici. Hic autem contra mandatur ducibus & principibus regni, ut adminiculo sint Iudæis in suorum hostium occisione.

In principio autem pluribus conqueritur Rex de aulicorum fraudibus & calumniis, qui abusi benignitate principum non solum ingrati illis sunt, sed etiam ipsos opprimere, & eorum amicos è medio tollere conantur. Hoc autem adducit, ut omnem inconstantiam à se amoliatur, & diversitatem Rescriptorum in accusatorum dolos se, aliosque innocentes circumvenientium conjiciat.

Deinde profert hujus nequitiæ exemplum Amanum, qui immemor beneficiorum à se receptorum Mardochæum & Estheram cum omni populo Iudæorum occidere tentavit, ut illis sublatis & ipsi insidiaretur, & regnum Persicum ad Macedones transferret.

Præterea Iudæos hîc innoxios & inculpatos declarat, ideoque contra ipsos prius latam Constitutionem irritat, illius auctorem meritas dedisse pœnas cum totâ stirpe suâ pronuntians, Iudæis uti suis legibus permittit.

Postremò in fastos referendum mandat diem decimum tertium mensis duodecimi tamquam festum toto Persico imperio celebrandum: hujus verò celebritatis violatoribus ferrum, ignem, extremamque vastitatem interminatur.

Sequuntur verba S. Hieronymi.

TEXTVS.

Exemplar epistolæ regis Artaxerxis, quam pro Iudæis ad totas regni sui provincias misit: quod & ipsum in Hebraico volumine non habetur.

REx magnus Artaxerxes ab India usque Æthiopiam, centum viginti septem provinciarũ ducibus ac principibus, qui nostræ jussioni obediunt, salutem dicit. 2 Multi bonitate principum, & honore qui in eos collatus est, abusi sunt in superbiam: 3 & non solum subjectos regibus nituntur opprimere, sed datam sibi gloriam non ferentes, in ipsos, qui dederunt, moliuntur insidias. 4 Nec contenti sunt gratias non agere beneficiis, & humanitatis in se jura violare, sed Dei quoque cuncta cernentis arbitrantur se posse fugere sententiam. 5 Et in tantum vesaniæ proruperunt, ut eos, qui credita sibi officia diligenter observant, & ita cuncta agunt ut omnium laude digni sint, mendaciorum cuniculis conentur subvertere, 6 dum aures principum simplices, & ex sua natura alios æstimantes, callida fraude decipiunt. 7 Quæ res & ex veteribus probatur historiis, & ex his quæ geruntur quotidie, quo modo malis quorumdam suggestionibus regum studia depraventur. 8 Vnde providendum est paci omnium provinciarum. 9 Nec putare debetis, si diversa jubeamus, ex animi nostri venire levitate; sed pro qualitate & necessitate temporum, ut reipublicæ poscit utilitas, ferre sententiam. 10 Et ut manifestius, quod dicimus, intelligatis, Aman filius Amadathi, & animo & gente Macedo, alienusque à Persarum sanguine, & pietatem nostram sua crudelitate commaculans, peregrinus à nobis susceptus est: 11 & tantam in se expertus humanitatem, ut pater noster vocaretur, & adoraretur ab omnibus post regem secundus: 12 qui in tantum arrogantiæ tumorem sublatus est, ut regno privare nos niteretur & spiritu. 13 Nam Mardochæum, cujus fide & beneficiis vivimus, & consortem regni nostri Esther, cum omni gente sua, novis quibusdam atque inauditis machinis expetivit in mortem: 14 hoc cogitans, ut illis interfectis, insidiaretur nostræ solitudini, & regnum Persarum transferret in Macedonas. 15 Nos autem, à pessimo mortalium Iudæos neci destinatos, in nulla penitus culpa reperimus, sed econtrariò justis utentes legibus, 26 & filios altissimi & maximi, semperque viventis Dei, cujus beneficio & patribus nostris & nobis regnum est traditum, & usque hodie custoditur. 17 Vnde eas litteras, quas sub nomine nostro ille direxerat, sciatis esse irritas. 18 Pro quo scelere ante portas hujus urbis, id est, Susan, & ipse qui machinatus est, & omnis cognatio ejus pendet in patibulis: non nobis, sed Deo reddente ei quod meruit. 19 Hoc autem edictum, quod nunc mittimus, in cunctis urbibus proponatur, ut liceat Iudæis uti legibus suis. 20 Quibus debetis esse adminiculo, ut eos, qui se ad necem eorum paraverant, possint interficere tertiadecima die mensis duodecimi, qui vocatur Adar. 21 hanc enim diem, Deus omnipotens, mœroris & luctus, eis vertit in gaudium. 22 Vnde & vos, inter ceteros festos dies, hanc habetote diem, & celebrate eam cum omni lætitia, ut & in posterum cognoscatur, 23 omnes, qui fideliter Persis obediunt, dignam pro fide recipere mercedem: qui autem insidiantur regno eorum, perire pro scelere. 24 Omnis autem provincia & civitas, quæ noluerit solemnitatis hujus esse particeps, gladio & igne pereat, & sic deleatur, ut non solum hominibus, sed etiam bestiis invia sit in sempiternum, pro exemplo contemptus, & inobedientiæ.

VERSVS I.

Rex magnus Artaxerxes ab Indiâ usque Æthiopiam centum viginti septem provinciarum ducibus ac principibus, qui nostræ jussioni obediunt, salutem dicit.

Græcè: Rex magnus Artaxerxes ab Indiâ usque ad Æthiopiam centum viginti septem

septem σατράπας (aliàs σατραπείας, satrapiis, provinciis) satrapis, regionum principibus, & his qui nostra φρονοῦσι, curant (sapiunt) valere Iosephus: Accitis igitur scribis regiis, jussit eos pro Iudæis scribere ad magistratus omnium gentium, quæ sitæ sunt Indiam inter & Æthiopiam sub centum & viginti septem Satrapis, quarum litterarum exemplum hoc fuit. Rex magnus Artaxerxes magistratibus nostris fidelibus salutem.

COMMENTARIVS.

NIhil hic magnopere explicandum occurrit, cum hoc exordium vel præloquium idem sit, paucis verbis mutatis cum primis verbis epistolæ regiæ, quæ habetur cap. 13, & missa fuerat ad provinciarum præsides, ut Iudæi occiderentur.

Plura verò ibidem memoravi de longâ serie & indice titulorum Persarum, Parthorum, & aliorum barbarorum Regum, quibus indigetabantur, & se jactabant, magnà vanitate.

Porro qui hîc vocantur duces & principes, & similiter cap. 13, iidem dicuntur cap. 8 ℣. 9, principes, procuratores ac judices.

Rursus, quod hîc habetur, qui nostræ jussioni obediunt, & cap. 13 suprà, qui imperio subjecti sunt, ex Græco reddi etiam hic potest, ut rectè Serarius, qui nostra sentiunt, vel qui nobis addicti sunt, & ut postea hîc ℣. 23, qui bene in Persas animati sunt, vel ipsis sunt benevoli. Iosephus fideles non malè nominavit, ut hodieque principes nostri magistratus sibi subjectos fideles suos dicunt.

VERSVS II, III, IV, V, & VI.

Multi bonitate principum, & honore qui in eos collatus est, abusi sunt in superbiam:

Et non solum subjectos regibus nituntur opprimere, sed datam sibi gloriam non ferentes, in ipsos qui dederunt moliuntur insidias.

Nec contenti sunt gratias non agere beneficiis, & humanitatis in se jura violare, sed Dei quoque cuncta cernentis arbitrantur se posse fugere sententiam.

Et in tantum vesaniæ proruperunt, ut eos qui credita sibi officia diligenter observant, & ita cuncta agunt, ut omnium laude digni sint, mendaciorum cuniculis conentur subvertere.

Dum aures principum simplices, & ex suâ naturâ alios æstimantes, callidâ fraude decipiunt.

Græcè: Multi plurima eorum qui benefaciunt (benefactorum) bonitate frequentius honorati, magis superbierunt (μεῖζον ἐφρόνησαν, majora sapuerunt) & non solum subjectos nobis quærunt affligere (vexare, κακοποιεῖν) & satietatem (τὸ κόρον) non potentes ferre, etiam in suos benefactores aggrediuntur machinari:

& gratitudinem non solum ex hominibus auferentes, sed & insolitorum bonorum (quæ numquam experti fuerunt) pompis (elationibus) elevati, ejus qui omnia cernit, semper Dei inimicam malignis vitaturos arbitrantur se sententiam. Sæpè autem & multos eorum, qui in potestatibus sunt constituti, qui persuasi sunt suscipere amicorum negotia, blanditia participes sanguinum innocentum eos reddens (alii reddunt; solatium participes sanguine innocentum constituens, ἀθῴων παραμυθίαν μετέχους αἱμάτων ἀθῴων καθίστασα) circumdedit calamitatibus incurabilibus; fallaci malignitatis deceptione decipientibus imperantium simplicem probitatem (vel, ut alii, pravitatis mendacio fraude decipientium imperantium benevolentiam. Græcè, ψευδεῖ (aliàs ψεύδει, mendacio) ἀβασανίστῳ ἀβασανιστοῦντες εὐγνωμοσύνην)

Iosephus sic refert: Multi elati magnitudine honoris, & beneficiorum, quæ ex nimiâ conferentium bonitate percipiunt, non solum erga inferiores exercent superbiam; verum etiam contra ipsos auctores beneficii non verentur insolescere, quantum in se est, tollentes omnem omnino gratitudinem, quæ usquam est inter homines: & corrupti inopinatâ felicitate, abutuntur eâ contra illos, per quos eam adepti sunt, nec Deum quidem timentes, cujus numen se putant posse fallere. Ex his quidam propter amicitiam præpositi eum potestate administrandis publicis negotiis, privatis indulgent odiis, & decipientes eos, quos penes summum est imperium, falsis criminibus ac calumniis efficiunt ut indignentur innoxiis, atque ita miseros adducunt in salutis periculum.

COM-

COMMENTARIVS.

REscriptum hoc præclarum est prudentiâ Mardochæi eximiâ conceptum, & floribus Græcæ facundiæ jam tum Persis familiaris conspersum, ut patet viris eruditis illud legentibus. Continet autem monita plura Regibus & principibus maximè utilia, imo necessaria ad sapienter & quietè Rempub. administrandam, & cavendum sibi ab improbis consiliariis & præsidibus adsciscendis in curiam, qui ab humili loco in fastigium honorum sublati insolescunt, & invidiâ, æmulatione, artibus malis innoxios circumvenientes imperii statum pessundant, existimantque se felices non fore, nisi proborum ruinâ & extremo exitio. Proponuntur etiam salutaria documenta hujusmodi beatulis, quos reges ad primas dignitates evexerunt, quibus discant fortunam suam & felicitatem reverenter habere, & dum illa ridet & blanditur, ab omni insolentiâ sibi temperare.

Textus Latinus clarus est, & vix explicationis eget. Ponitur enim primis aliquot versibus Thesis sive propositio generalis, quibus multorum aulicorum nequitiæ & sycophantiæ describuntur: postea vero versu 10 descenditur ad Hypothesin, quâ hujusmodi sycophanta & nefarius palatinus depingitur Amanus.

Solum superiunt aliquot voces textus Græci
v. 2. elucidandæ. Primum in Græco occurrit ν. 2 *μᾶζον ἐφρόνησαν*, quod noster reddidit, abusi sunt in superbiam, propriè hic accipitur pro cogitatione & spiritus conditione sua majores conceperunt, non servantes illud Apostoli ad Roman. 12 ν. 3, *sapere ad sobrietatem*, ubi Græcè est *φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν*; scilicet, amplius voluerunt sapere quam oporteret, quod est superbire, & evanescere in suis cogitationibus.

v. 3. 2. versu 3, *πάντα χόρον μὴ δυναμένους φέρειν*, quod Latinus habet, *gloriam datam sibi non ferentes*, sic explicari potest, non ferentes modestè & moderatè gloriam sibi concessam, vel omnium bonorum opulentiam & copiam qua usque ad satietatem abundabant: quales fuerunt Sodomitæ, quos inter alia vitia perdidit *saturitas panis & abundantia* Ezechiel 16 ν. 49. Proverbium est:
v. 3. *Satietas ferociam parit.* 3: ibidem, *μηχανᾶσθαι*, machinari, noster habet, *moliuntur insidias*; rectè; unde in Græco intellige, machinari insidias, perniciem, malum quodpiam, vel quid simile ibidem, *πᾶν τῶν ἀπειραγάθων κόμπος ὑπερφίνης*. sic rectè transferas, insolitorum, vel, quæ numquam experti fuerant, bonorum arrogantiâ & fastu elati, est enim *κόμπος*, insolentia, arrogantia, quâ quis putat se aliquem magnum, cum nihil sit. Serarius usus alio exemplari pro insolitorum bonorum, legit infinitorum; forte legerat
v. 4. *ἀπειραγάθων*, pro *ἀπειραγάθων*. ν. 4: Græca sunt *ἐμφαλώπτερα* significantiora: sic habent: ejus qui omnia cernit semper, Dei credunt se posse effugere judicium, quod omnem nequitiam vel omnes improbos detestatur, hoc enim est *μισε-*
v. 5 & 6. *πόνηρος δίκη*. ν. 5 & 6; quæ habentur Græca sic etiam cum Serario exponi possunt: *παραμυθία*, id est, sermo fallax & calumnia eorum amicorum, quibus creditum est negotia administrare sæpe multos eorum, qui in potestatibus constituti sunt, participes constituit sanguinis innocentum, ita ut sensus sit; cum putarentur amici, iisque rerum administratio crederetur, Principes, calumniando, adduxerunt ad innocentum cædem, & ad innoxium sanguinem effundendum; eosdemq; Principes incurabilibus calamitatibus induerunt, dum eorum ipsorum, qui dominantur, sinceram simplicemque mentem improbitatis malitiæque suæ mendaci fraude, vafra, fallâque ratiocinatione ipsi circumveniunt.

Solum in tribus est difficultas: primò quidem; quod Serarius *παραμυθίαν* explicet calumniam vel sermonem fallacem, cum significet exhortationem, consolationem, sermocinationem, blandimenta, delinimenta, &c. 2, quod vocem *φίλων*, amicorum, conjungit cum *πεπιστευμένων*, quibus negotia commissa sunt. cum planè videatur copulanda cum *πράγματα*, negotia, cui proximè adhæret.

Tertiò, quod ejus explicatio tertium quemdam sensum sive sententiam efficit diversam à vulgatâ nostra lectione Latinâ, & Iosephi narratione, quam mutuatum ipsum esse ex Septuaginta versione non est dubium, ut sæpe supra a nobis dictum est.

Meo judicio cum Latinâ versione Græca magis congruet si per constitutos in potestatibus, accipiamus probos palatinos, ut iidem sint cum illis qui in nostro textu dicuntur, *illi qui credita sibi officia diligenter observant, & ita cuncta agunt ut omnium laude digni sint.*

Quidquid tandem sit, & Interpres Latinus, & etiam Iosephus videntur paulo aliter legisse Græca, quam modo habentur. Nos interim exemplaria Latina sequamur.

MONITVM POLITICVM.

In Principibus ut nulli credere, ita & omnibus, vitiosum est.

HEsiodeum illud niveo signandum lapillo: *Πίστις δ' οὔτε ἔμπας, οὔτε ἀπιστίη ἔλσεν ἄνδρας: Credulitas homines, & diffidentia perdit.*

Hoc est; nimis facilè alicui credere, & nimis difficilem esse ad fidem adhibendam dicenti, utrumque culpâ non caret, & pernicioſum est: unde hæc duo temperanda sunt; habetque hic locum istud Sapientis: *Ne quid nimis.* 1. Nimis esse facilem ad credendū, & Nimis difficilem, utrumque in vitio est.

Accedit his Seneca Epistolâ tertiâ. *Quidam*, inquit, *quæ tantum amicis committenda sunt, obvias narrant, & in qualibet aures, quidquid illos urit, exonerant*: (fidunt scilicet omnibus & credunt omnes fideles) *quidam rursus etiam carissimorum conscientiam reformidant, & si possent, ne sibi quidem credituri, interius premunt omne secretum. Neutrum faciendū est: utrumque enim vitium est, & omnibus credere & nulli: sed alterum honestius dixerim vitium* (omnibus credere) *alterum tutius* (nulli credere.)

Vtroque vitio Princeps careat. Habeat probatos amicos, quibus æquè ac sibi fidat, ut rectè idem monet Seneca ibidem: *Diu cogita*, inquit, *an tibi in amicitiam aliquis recipiendus sit: cum placuerit fieri, toto illum pectore admitte. Tam audac-* 2. Amicis intimis fidendum.

Ter

ther cum illo loquere, quam secum. Tu quidem ita vive, ut nihil committas (alias confciſcas) *niſi quod committere etiam inimico poſſis: ſed quia interveniunt quædam, quæ conſuetudo fecit arcana, cum amico omnes curas, omnes cogitationes tuas miſce: fidelem ſi putaveris, facies.* Sic ille. Ita Plutarch. in præceptis connubialibus. *ſit, ut ſi fidas, fides tibi redhibeatur.*

Peccavit contra hæc Artaxerxes. Siquidem Eſtheræ & Mardochæo, non autem Amano fidere principio debuerat. Sed bene poſtea errorem ſuum agnovit, & correxit.

[5] Verum de cooptandis amicis, quos quis deligat, antequam diligat, judicet antequam amet, modo non agimus: nec item de conſiliariis ex numero amicorum delibandis & legendis; cum ſcriptum ſit Eccleſiaſtici 6 ℣. 6. *Multi pacifici ſint tibi: & conſiliarius ſit tibi unus de mille.* De hoc enim argumento ibidem tractavimus.

Quod præ manibus habemus, hoc eſt, ut Magnatibus inſtillemus civilem prudentiam, de quâ pluſcula tractavimus ad caput tertium hîc ℣. 11, Paræneſi ad Principes.

Maximè lubricum & pernicioſum ſciant levis credulitatis vitium in culmine dignitatis conſtitutis, & clavum Reipubl. tenentibus, dum quibuslibet detractoribus & ſuſurronibus quidlibet de quolibet deferentibus ſine ratione re non bene exploratâ aures, fidemque præbent, qui odio vel invidiâ ſæpe torqueantur, multa ſuſpicentur, fingant, fallant & fallantur. Rarus princeps cujus hac moroſâ prurigine & ſcabie aures non verminent. Percurre ſacros & profanos annales. Videbis magnos principes & duces hac credendi facilitate laboraſſe.

3. Levitas in credenda maximè reprehenſibilis in Principibus.

Ioſue Imperator potentiâ & ſanctitate commendatus ſimul cum principibus Iſraelis inductus eſt in fraudem à Gabaonitis, Ioſue 9. Cur? *quia os Domini non interrogaverunt*; quod faciendum fuerat in tali caſu.

4. Sic taxatur Ioſue, Abſalom, Hanon & alii.

Abſalomus cum ſuis relicto conſilio Achitophelis ſibi utili deceptus eſt, & pernicem ſibi comparavit inſiſtens ſententiæ Chuſai, 2 Reg. 17. Ibidem cap. 10. Hanon rex filiorum Ammon dum principibus ſuis leviter credit, Davidis legatos injuriâ affecit.

Refert liber primus Machabæorum dolos & nequitias Alcimi cap. ſeptimo, quibus ſcribas & Aſſidæos cepit, nimis credulos & fraudi obvios, & ex eis ſexaginta occidit.

Facilitas illa ad credendum levitatis animi & inconſtantiæ arguitur: unde aptè dixit Rex ſapientiſſimus Proverb. 14 ℣. 15: *Innocens credit omni verbo* (ſimplex, ſtultus, imperitus, rerum inexpertus, ita ut vitium ſonet, omnibus dictis nullo delectu credit) contrà verò, *aſtutus* (vir prudens & catus; ſic enim in meliorem partem ſæpè accipitur) *conſiderat greſſus ſuos*; Al. qui vertunt, illius, pro *ſuos*, ut ſenſus ſit, prudens iterum atque iterum animo volvit, quo tendat orationis & ſermonis, quem audivit, curſus, quem finem ſortiatur; vel ſi retineamus lectionem vulgatam; *aſtutus conſiderat greſſus ſuos*, id eſt, motus, & propenſiones animi ſui perpendit, & judicium ſuum ſuſpendit, nec prius in aliquam partem aſſenſum inclinat, quam rectæ rationi conſentaneum ſenſum ſuum eſſe perſpexerit.

5. Vir prudens in multis aliorum dictis ſuſpendit judicium ſuum.

Sapienter itaque Seneca lib. 2 de irâ, monens non facilè credendum delatoribus, qui alios culpant, *Nihil*, inquit, *niſi quod in oculos incurrat, manifeſtumque ſit, credamus, & quoties ſuſpicio noſtra vana apparuerit, objurgemus credulitatem: hæc caſtigatio conſuetudinem efficiet non facile credendi.*

6. Ratio ſuggeritur non facile credendi.

Nec abſonè à noſtro propoſito locum Salomonis reddiderunt Septuaginta hoc modo: *Simplex* (id eſt, parvulus & rudis) *credit omni verbo* (etiam fraudulenta & ſibi perniciem allaturo) *aſtutus vadit in pœnitentiam*; nimiam credulitatem fugit, quia eam comitari ſolet pœnitentia; conſiderat mala ex conſilio pravo eventura. S. Ambroſ. lib. 3 officior. cap. 10, accepit primum Salomonis hemiſtichium in partem meliorem; ſimplicem videlicet, pro cândido, bono, ſicut hîc in edicto Artaxerxis ℣. 6. aures principum vocantur *ſimplices, & ex ſuâ natura à alios æſtimantes*; & ex mente Salomonis excuſat Ioſue ſupra, & pari modo etiam à culpa levitatis purgaſſet forte Artaxerxem. Reddam ejus verba, quia inſtituto noſtro ſerviunt. Sic itaque habet. *Quia Ioſue*, inquit, *adhuc erat ignarus locorum atque incolarum inſcius, non cognovit fraudes eorum* (Gabaonitarum) *neque Deum interrogavit; ſed citò credidit. Adeo ſimilia erat illis temporibus fides, ut fallere aliquem poſſe non crederetur. Quis hoc reprehendat in ſanctis, qui ceteros de ſuo affectu æſtimant? Et quia ipſis amica eſt veritas, mentiri neminem putant, fallere quod ſit, ignorant: libenter credunt quod ipſi ſunt, nec poſſunt ſuſpectum habere quod non ſunt. Hunc Salomon ait: Innocens credit omni verbo. Non vituperanda facilitas, ſed laudanda bonitas. Hoc eſt innocentem eſſe, ignorare quod noceat: etſi circumſcribitur ab aliquo, de omnibus tamen bene judicat, qui fidem eſſe in omnibus arbitratur.* Hæc ille.

7. Simplex accipitur pro candido & bono ſæpè.

8. S. Ambroſius excuſat Ioſue à levitate credendi.

Sed ex textu Hebræo & Græco alius ſenſus Salomonis colligitur, nimirum taxari hic levitatem & facilitatem ad cuilibet credendum.

Commendanda ergo in principe moderata aſtutia & prudentia, quâ quæ illi à conſiliariis ſuggerantur, maturè diſcutiat.

9. Simplicitas non ſemper culpanda.

Clemens Alexandrinus in initio 4 Stromatũ ait ἀπιστῶν ἀρέσεις τοῖς τῶν φρενῶν. *Non credere* (falſâ ſuggerentibus, vel non temerè) *his ſunt actus mentis, vel prudentiæ.*

10. Actus prudentiæ non temere credere.

Moralis fertur hic Apologus de vulpe & capro. Vulpes & caper ſitibundi in puteum deſcenderant, ex quo cum frigida ſitim ſedaſſent, circumſpicienti capro exitum vulpes ait. Bono animo eſto, ô caper, venit enim mihi in mentem, quo pacto uterque reduces ſimus. Siquidem eriges te rectum primoribus pedibus ad parietem admotis, cornuaque, adducto ad pectus mento reclinabis, & ego per terga, cornuaque tua tranſiliens, & extra puteum evadens, te iſthinc poſtea educam. Cujus verſutiſſimæ & vaferrimæ conſilio fidem habente capro rudi & imperito, ipſa è puteo exſiliit, ac deinde in margine putei geſtiens & riſu ſatura, amaro ſermone hirco illudebat, ut nimium ſimplici. Ceterum cum ab hirco ut fœdifraga & perfida incuſaretur, reſpondit: Enimverò, hirce, ſi tantum tibi ſenſus eſſet in mente, quantum eſt ſetarum in mento, non prius in puteum deſcendiſſes, quam de viâ regreſſus aliquid explorati habuiſſes. Affabulatio eſt illud Eccleſiaſtici cap. 19 ℣. 4. Qui credit citò, levis corde eſt, & minorabitur.

11. Fabula de vulpe & capro nimis credulo oſtendit decipi temere aliorum dictis fidem dantes.

Quæ res & ex veteribus probatur historiis, & ex his quæ geruntur quotidie, quo modo malis quorundam suggestionibus regum studia depraventur.

Vnde providendum est paci omnium provinciarum.

Nec putare debetis, si diversa jubeamus, ex animi nostri venire levitate, sed pro qualitate & necessitate temporum, ut Reipublicæ poscit utilitas, ferre sententiam.

Græcè: Animadvertere autem licet non tantum ex veteribus, ut tradidimus, historiis, exquirentes vos, quæcumque ad pedes impiè sunt consummata eorum qui indignâ dominatione premunt pestiferâ corruptelâ. Et attendere ad ea quæ post hæc: quomodo regnum tranquillum omnibus hominibus cum pace præbebimus. Vtentes mutationibus, & quæ ad conspectum veniunt, dijudicantes semper cum æquiore occursu.

Iosephus sic: Id quod non ex priscis exemplis, aut famâ auditis nobis potest esse perspicuum, sed ex facinore quod sub nostris admissum est oculis: ut post hæc non oporteat mentem adhibere qualibuscumque criminibus, vel potius calumniis, sed de cognitis causis judicare: & si quidem peccatum sit, severè animadvertere, sin contra, absolvere, & rebus non verbis credere.

COMMENTARIVS.

TExtus Latinus perspicuus est, nec luce interpretis eget, Græcus corruptus videtur, & Oedipo eget, quem ego Davus non capio. Clarius sua expressit Iosephus, nec tamen convenit cum Latino. Vnde Lector perspiciat quam turpiter hallucinentur quidam interpretes & scriptores, qui dicunt hoc caput, & alia posteriora ex Iosepho desumpta esse. Artaxerxes tria verbis prolatis significat.

Primum, non esse novum Reges ab aulicis fraudium fabris, calumniarum architectis & sycophantis in transversum duci, cum omnes omnium temporum historiæ exempla hujus rei prodiderint, ut plura ante protulimus.

Alterum; quandoquidem verò sè regnante per fraudulentorum hominum nequitiam salus Reipub. læsa, & quies populi turbata fuerit, sibi tamquam patriæ patri providendum, ut imperium nihil detrimenti patiatur.

Postremum, in quo totius rei cardo versatur, operosè se purgat & excusat ab inconstantiâ & animi levitate, quam notam apud plures incurrisse poterat, dum prius suum abolet decretum & contrarium condit. Dicit enim hanc mutationem non debere tribui animi mobilitati; quandoquidem veritate patefactâ, & calumniarum tegnis perruptis, alius rerum esse cæperit status, pro cujus mutatione etiam leges variari solent.

Institvtvm Civile.

Non adscribendum inconstantiæ vel mentis instabilitati, si Princeps subreptitium, & per iniquitatem eblanditum edictum retractet, & mentem mutet.

NIhil ægrius patiuntur Principes quam notam sibi levitatis, & mutari animi inuri; putant enim plurimum auctoritatis detractum, si vel verbo vel facto se errasse insinuent.

Sed hæc umbra sole meridiano radiante discutienda est. Scimus Reges homines esse, & ideo existimare debere nihil humani à se alienum esse. Ait M. Tullius: *Cujuslibet hominis est errare, nullius, nisi perversæ mentis, in errore persistere*: & ante ipsum pronuntiavit Salomon, *Non est homo qui non peccet.* 3 Reg. 8. 12. Turpius est in errore persistere, quam errare.

Sciant multo fœdius esse non resipiscere & errorem cognitum non revocare: Heroicum esse in malis inceptis resistere, & gradum figere.

Inconsultò ingressus es domum doli vel Labyrinthi Cretici, vel Ægyptii fauces & angustias: Téne pudebit vel pigebit ab Estherâ, alterâ Ariadnâ, vel Mardochæo glomum accipere, quo inextricabiles & inde prensas fraudes exeas, & errabunda regas tenui vestigia filo?

Nauclerus, architectus, artifex aut opifex quilibet, si errorem suum deprehenderit, se & illum reprehendit statim, nec veretur maculam sibi hac animi mutatione inspergi. 13. Quilibet prudens errorem retractat.

——— Optimus ille est
Qui minimis urgetur.

Quis regum non aliquando cæcutiat, hæreat, aut labatur, præsertim cum calumniatorum & sycophantarum caligine omnia circumfunduntur? Detecta veritas alia remedia, alias leges postulat. Mutato rerum statu mutari & refigi decreta consequens est.

Medici certè pro qualitate morborum, temporum, locorum, ætatis, remedia diversa præscribunt.

Nota sunt illa Ovidii de Remedio Amoris: 14. Medici pro qualitate morborum remedia mutant.

Temporibus medicina valet: data tempore prosunt,
Et data non apto tempore vena nocent.

Item.

Nam quoniam variant animi, variabimus artes:
Mille mali species, mille salutis erunt.

Hujus rei historiam refert S. Augustin. Epistola 5 ad Marcellinum de insigni suæ ætatis medico Vindiciano, quam inserui Comment. in Ecclesiastici 38 v. 12, ubi & plura alia huc pertinentia Lector reperiet. Proponant sibi Principes verba illa edicti Artaxerxæi, quæ explicamus, quibus amolitur à se omnem suspicionem levitatis in sui edicti revocatione.

Nec

Nec putare debetis, si diversa jubeamus, ex animi nostri venire levitate: sed pro qualitate & necessitate temporum, ut Reipubl. posci utilitas, ferre sententiam.

Idem fecerunt ejus decessores, qui edicta sua malè condita abrogarunt, ut Nabuchodonosor, Daniel. 3, ℣. 96 & sequent.

Darius item Medus cap. 6. ibidem suum decretum correxit ℣. 26 & sequentibus.

Nullum dedecus est vel ignominia ad meliorem mentem redire, & detractâ larvâ fraudum, testimonium dare veritati.

15. Non erubescendum in benefactis, sed potius, si in errore persistatur.

Monet Sirachides Ecclesiastici 4, ℣. 24 & 25, *Pro animâ tuâ*) pro animæ tuæ salute, ne animam tuam peccato lædas, & contra conscientiam facias) *ne confundaris dicere verum.* ubi Græca τὸ, *dicere verum*, omittunt. Significat autem non erubescendum in iis, quæ recta ratio docet facienda vel dicenda, figenda vel refigenda.

Sequitur: *Est enim confusio* (pudor) *adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam & gratiam.*

Confusio & pudor regibus est, & quidem vitiosus, turpis, noxius, cum iniquas leges à se latas non castigant, abolent, penitus tollunt, ad quod tamen faciendum Deus & ratio eos obstringit & alligat: contrà honestus, præclarus, utilis ille pudor est, quo ab injustis edictis edendis retrahuntur.

Pertinet huc egregium documentum S. Augustini Epist. 48 ad Vincentium hæreticum Rogatianum sub finem.

Quid igitur, inquit, *adhuc dubitas tenere quod sentis, nisi quia id quod nunc sentis, vel aliquando non sensisse, vel aliud defendisse confunderis, & dum erubescis corrigere errorem, non erubescis permanere in errore, quod utique potius erubescendum fuit? Hoc est illud quod scriptura non tacuit: Est confusio adducens peccatum; & est confusio adducens gratiam & gloriam. Confusio adducit peccatum, cum erubescit quisque pravum mutare sententiam, ne aut inconstans putetur, vel deversus à seipso judice teneatur. Ita descendunt in infernum viventes, id est, suam perditionem sentientes,* &c.

Et paulo post: *Confusio autem adducit gratiam & gloriam, dum erubescit quisque de propria iniquitate, & pœnitendo in melius commutatur, quod te facere illâ perniciosâ confusione superatum, ne tibi ab hominibus nescientibus quid loquantur, objiciatur illa Apostolica sententia: Si enim quæ destruxi illa iterum ædifico, prævaricatorem meipsum constituo. Quæ si dici posset, etiam in eos qui veritatem correcti prædicant, quam perversè oppugnabant, in ipsum Paulum primitus diceretur, in quo Ecclesiæ Christi magnificabant Deum audientes quod evangelizaret fidem quam aliquando vastabat.* Ita S. Pater aptè ad argumentum nostrum.

Excutiendus est ergo Principi inutilis & noxius pudor. Rectè enim inculcat idem Sirachides suprà cap. 41, *Non est bonum omnem reverentiam* (pudorem) *observare.* Vnde & cap. 42. ℣. 2 dicit *non erubescendum de lege Altissimi, & testamento, & de judicio justificare impium*: q. d. Non sic pudore afficiaris, uti Legem Dei, quæ est ejus testamentum, quâ suam testatur voluntatem, parum cures, appetentior laudis humanæ, quam gratiæ divinæ. Deinde, vide, ne sic pudor te superet, ut de (in) judicio justifices impium, id est, declares justum eum, qui iniquam causam defendit, & sis patronus injustitiæ.

Est hæc verecundia, ut S. Bernardus epist. 185 *expers rationis, inimica salutis, totius ignara honoris & honestatis.* Vide plura apud illum. De hac vitiosâ verecundiâ extat libellus Plutarchi, ubi multis exemplis probat eam non modo animæ perniciosam, sed etiam corpori: quam quidam fugientes in mortem incurrerunt. Inter cetera hæc eleganter. *Persæpe fugimus ignominiæ fugientes in ignem ruimus. Zeno cum incidisset in adolescentem juxta mœnia furtim ambulantem, audissetque quod fugeret amicum, à quo postulabatur ad ferendum falsum testimonium. Quid vis, inquit, ignave? Ille ausus est te malo, injuriaque afficere, nec erubescit; & tu illi pro justitiâ non audes obsistere?* Eleganter dictum, quod servavit Artaxerxes, dum affectus ab Amano gravissimâ injuriâ, fraude cognitâ, viribus totis illi restitit, & in crucem egit sceleratum.

16. Fugimus famam ignominiæ, & in ignem ruimus.

17. Zenonis egregium Apophthegma, quo vitiosum reprehendit pudorem.

VERSVS X, XI, XII, XIII & XIV.

Et ut manifestius, quod dicimus, intelligatis, Aman filius Amadathi, & animo & gente Macedo, alienusque à Persarum sanguine, & pietatem nostram suâ crudelitate commaculans, peregrinus à nobis susceptus est:

Et tantam in se expertus humanitatem, ut pater noster vocaretur, & adoraretur ab omnibus post regem secundus,

Qui in tantum arrogantiæ tumorem sublatus est, ut regno privare nos niteretur & spiritu.

Nam Mardochæum, cujus fide & beneficiis vivimus, & consortem regni nostri Esther cum omni gente suâ novis quibusdam atque inauditis machinis expetivit in mortem:

Hoc cogitans ut illis interfectis insidiaretur nostræ solitudini, & regnum Persarum transferret in Macedonas:

Græcè: Etenim Aman Amadathi Macedo revera, alienus à Persarum sanguine, & multum distans à nostrâ benignitate, peregrinus à nobis susceptus, consecutus est, quam habemus erga omnem gentem (φιλανθρωπίας) humanitatem, in tantum, ut appellaretur noster pater, & adoratus ab omnibus, secundam regii throni personam gereret. Non ferens autem superbiam studuit principatu privare nos & spiritu. Et nostrum servatorem ac per omnia benefactorem Mardochæum & inculpatam regni consortem Esther cum universâ ipsorum gente multiplicibus artificiorũ deceptionibus (μηχάνων δολιότησι) expetens ad perditionem. Per hos enim

modos nos desertos nactus putavit Persarum imperium in Macedonas transferre.

Iosephus: Namque Aman filius Amadathis genere Amalecita, & externi, non Persici sanguinis, hospitii jure primum receptus: deinde per nostram bonitatem in tanto honore habitus, ut patris appellatione eum dignaremur, & adorari juberemus, atque secundum post nos locum obtinere; felicitatem suam ferre non potuit, neque sobriâ mente magnitudinem honoris metiri, sed regno meo struxit insidias, & eo, cui vitam & imperium debeo, benefactore ac servatore Mardochæo privare me voluit, simulque vitæ ac regni sociâ Esthere, malis artibus petitis ad interitum. Sic enim orbato mihi hominibus amicissimis, imperium postremo voluit adimere.

COMMENTARIVS.

A Thesi ad Hypothesin descendit Artaxerxes, & quæ in genere dixerat de quorundam aulicorum improbitate, superbiâ, crudelitate, ingratitudine, hæc omnia ad Amanum superbissimum, ingratissimum, crudelissimum transfert; ex quo postea demonstrat illum merito dedisse pœnas, & decretum fraude extortum jure rescissum. Verba autem Latini textus clara sunt, quædam solum Græca enodanda.

Primò, de genere Amani nihil hîc dicendum occurrit; nam ipsius stirpem examinavimus suprà cap. 3 ℣. primo.

Cur autem contra textum Septuaginta qui habent illum verè, vel in veritate Macedonem, appellarit Iosephus illum Amalecitam, nihil est quod dicamus nisi hoc factum ab eo, ut magis vilem & odiosum Iudæis redderet, nimirum ex inimicâ gente oriundum.

Dicitur verò non solum gente, sed etiam animo Macedo, id est, ingenio, morum similitudine, studiis, forte quia, ut postea dicitur, regnum ad illos transferre cogitabat, rebellis erat, & rebellibus favebat, ut eunuchis contra Assuerum insurgentibus.

Pietatem nostram suâ crudelitate commaculans. Significantius hoc est in Latino quam in Græco. Indicat enim Amanum voluisse Persarum Regi humanissimo & clementissimo maculam & notam aspergere crudelitatis, dum sævit in nationem innocuam.

Peregrinus à nobis susceptus: Optimè translatum à nostro, sicut & à Iosepho, hospitii à nobis jure receptus: est enim Græcè ξενωθεὶς ἡμῖν, à nobis hospitio susceptus. Vnde nescio, quo modo Serarius hic transtulerit, à nobis alienatus, factus nobis velut peregrinus & alienus. Licet enim ξενῶσθαι significet peregrinari, vel peregrè agere, significat etiam suscipi hospitio. Latinus autem utrumque significatum expressit.

Vt pater noster vocaretur. Nomen patris ad dignitatem pertinet, innuitque Amani consiliis regem per omnia acquievisse, unde & eumdem honorem illi, quem sibi tribui volebat. Similem potestatem & gloriam concessit Pharao Iosepho Genes. 41 ℣. 43 & 44 Nomen Patris proprium est principibus, ut constat, ex sacris & profanis litteris. Sic passim in scripturâ honoris causâ Abraham Pater dicitur. Ita & Æneas apud Virgilium. Quin etiam diis & vero Deo tribui solet; imo potius in Deo est Patris nomen quam Domini; cum sit plus in Deo filium generare quam mundum creare. Ovidius lib. 2 de Tristibus de Augusto canit.

18. Nomen Patris dignissimum.

Tu quoque cum Patriæ Rector dicare, Paterque,
Viere more Dei nomen habentis idem.

Vt regno privare nos niteretur & spiritu. De hac Amani nequitia diximus cap. 2 sub finem & cap. duodecimo.

Mardochæum, cujus fide & beneficio vivimus, Græca vocant soterem sive servatorem & benefactorem: Iosephus quæ Latine & Græcè habentur, simul expressit.

Insidiaretur nostræ solitudini, id est, nobis solis & desertis, destitutis tam caris & fidis amicis & præsidiariis, ut habent Græca & Iosephus.

Regnum Persarum transferret ad Macedones. Iosephus tantum posuit, adimere, nec ullam posuit speciatim gentem, sed insistendum textui nostro & Septuaginta, qui & Macedonem vocant, & voluisse illum ad Macedones regnum transferre affirmant.

19. Amanus cogitavit regnum Persarum ad Macedonas transferre.

Quæres hic primò; An verè cogitarit Amanus imperium ad Macedonas transferre, an verò solum hoc Rex suspicaretur? Dicendum hoc omnino tentasse Aman, qui hîc Macedo animo & gente fuisse dicitur, & per eunuchos regis vitæ fuit insidiatus. Fortè etiam, ut conjicit Tirinus, antequam Amanus in crucem ageretur, inquiri jusserat Rex, num aliqua monimenta, schedas sive chartas haberet domi, ex quibus fraudes ejus deprehenderentur. Adde hujus decreti, ut suprà diximus, non tam regem auctorem fuisse, quam Mardochæum & Estheram, quos constat fuisse veritatis amantissimos, & ab omni mendacio remotissimos.

Quæres 2, quis mortalium suspicari vel timere potuerit Persicam Monarchiam ad Macedonas transferri potuisse ab aliquo sub prioribus Persarum regibus, ex quibus fuit verosimiliter hic Artaxerxes; quandoquidem gloria Macedonum, ipsorumque vires solum increbrescere & invalescere ceperint sub tempora Philippi Macedonis & Darii Codomanni ultimi Persarum monarchæ?

Probabile est cogitasse Amanum transferre regnum Persarum ad Macedones, etiam si Artaxerxem fuisse unum ex prioribus Persarum regibus teneamus.

Respond. quamvis hujus solutio potissimum pendeat ex opinione saltem probabili, quisnam fuerit Persarum Rex, cui juncta connubio fuerit Esther (quâ de re in Præludiis nostris egimus,) an Darius Hystaspis, an Artaxerxes Longimanus, an Mnemon, an Darius, Ochus, &c. si tamen consideremus, quæ hic commentatur Tirinus, qui ponit Artaxerxem nostrum, Hystaspiden, sub quo ostendit etiam Macedonas fuisse Persis metuendos; facilè videbimus non esse absurdum vel à veritate alienũ, si affirmemus Amanũ cogitasse ad Macedonas Imperiũ Persicum derivare.

Animad-

Animadversio Oeconomica sive familiaris.

Cautio & delectus adhibendus in peregrinis & externis in domum, & familiaritatem admittendis.

OMni tempore sacrosancta & inviolata fuere hospitii jura, & tesseræ hospitales. Erat apud profanos olim Iupiter ξένιος sive hospitalis, quasi hospitii præses & vindex, & ab antiquis magna religione colebatur. De eo Ovidius 10 Metamorphoseos

30. Iupiter Hospitalis apud veteres hospitii Præses & vindex.

Ante fores horum stabat Iovis hospitis ara.

Et Dido apud Virgilium lib primo Æneidos:

Iupiter (hospitibus, nam te dare jura loquuntur)
Hunc lætum Tyriisque diem, Troâque profectis
Esse velis, nostrosque hujus meminisse minores.

31. Hospitalis tessera facti.

Hunc propitium fieri hospitibus orabant, & si hospitium violaretur, ut vindicem invocabant; violator vero tesseram hospitalem confregisse dicebatur. Erat quoque apud Athenienses posita lex ἐυξενίας, quâ jubebatur quosvis hospites Græcos, maximè verò Thessalos humanissimè excipi quod ipsi Theseo, Pirithoóque hospitibus agrum assignassent. Tam grande verò piaculum censebatur fidem hospitii aliquo scelere contaminare, & contra omnia humanitatis jura, ut etiam immanes feræ & serpentes illud supplicio sanxerint, & vindicarint.

32. Lex ἐυξενίας, quâ jubebatur hospites humaniter excipi.

Vnum attingere satis est ex Pierio, qui 16 libro Hieroglyphicon ex Plutarcho sic prodidit.

33. Aspis hospitii violatorem catulum suum morte multat.

Aspis ab Ægyptio patriâ superstitione familiariter enutrita ad ipsam hospitis mensam assiduè ventitabat: quæ cum catulos enixa esset, unus hospitis filium enecat: regressa mater cognito flagitio, filium vel catulum suum morte multat, & sibi voluntarium indicit exilium.

Longè immanior qualibet ferâ, aspide, chelydro, crocodilo homo ambitiosus, & perfidus, qui nihil pensi ducit hospitii sacrosancta fœdera pessumdare, & per se, & sceleratos socios in hospites involare, benefactoribus manus funestas inferre, vel parricidium intentare.

34. Aman hospitii jura infregit.

Hujusmodi Amanus, qui, ut hîc Artaxerxes suo Rescripto fatetur & promulgat, peregrinus & alienus à Persarum sanguine, ab illo susceptus, & maximam expertus humanitatem, in tantum arrogantiæ sublatus est, ut ipsum regno & spiritu privare niteretur, insuper Estheram regni & thalami consortem, & Mardochæum fidissimum regis Soterem, cum totâ gente Iudæorum ad mortem deposceret.

Probè noverat piscator callidus Amanus commodissimum esse rebus suis turbatâ in aquâ piscari.

35. Aman purpureo reti, & hamo aureo piscatus est, in aquâ turbidâ, ut sibi provideret.

Vt enim qui pisces captant, maximè anguillas, auctore Aristotele lib. 8 de historiâ Animal. c. 2. & docet ipsa quotidiana experientia, illimes & limpidas undas perticis, contis, palmulis pultant & turbant; sic Amanus vaferrimus & planè barbarus, quietum Reipub. Persicæ statum conspiratione in Mardochæum excitatâ commovit, innocentes mendaciorum cuniculis subvertens, ut patet cap. 3 ℣. 8 & 9. Insidias tendebat genti pacatæ purpureo reti, fretus nempe dignitate, quam in aulâ secundus à rege obtinebat, jaciebat contra Iudæos hamum aureum, dum regiæ gazæ arcariis spondet appendere decem talentorum millia.

Sic peregrinus & alienigena sacra hospitii fœdera profanavit, Rege prope, & amicissimis prætidiariis ejus è medio sublatis.

Sed non solus Amanus perfidus hospes fuit. Vidit omnis ætas hujusmodi hominum vel potius bestiarum portenta.

36. Decepta Dido Æneam suscipiens.

Infelix Dido, si Maroni credimus, dum advenam Æneam in regnum, aulam, thorum recepit, quantam cladem sibi peperit!

Præclarum est, quod hoc in genere recenset Livius lib. 25, & post eum Valerius lib. 5 cap. primo, cujus hæc paucula describo, unde discas, quantæ religionis fuerit priscis hospitalitatis cura, & quanti sceleris, ejusdem temeratio.

37. Quinctius Crispinus Romanus quam sancta sint hospitii jura insigni suâ humanitate in hostem ostendit.

Quinctius Crispinus Badium Campanum & hospitio benignissimè domi suæ receperat, & adversâ valetudine correptum attentissimâ curâ recreaverat; à quo post illam nefariam Campanorum defectionem in acie ad pugnam revocatus, cum & viribus corporis, & animis virtute aliquanto esset superior, monere ingratum, quam vincere maluit. Nam quid agis, inquit, demens? aut quo te prava cupiditas transversum rapit? Parum habes publicâ impietate furere, nisi etiam privatâ lapsus fueris? Vnus tibi Romanorum, videlicet, Quinctius placet, in quo scelestè exerceas arma, cujus penatibus & honoris vicissitudinem, & salutem tuam debes? At me fœdus amicitiæ, dique hospitales sancta nostro sanguini, vestris petitoribus vilia pignora, hostili certamine congredi tecum vetant: quin etiam si in concursu exercituum fortuito umbonis mei impulsu prostratum agnovissem applicatum jam cervicibus tuis mucronem revocassem. Tuum ergo crimen erit hospitem occidere voluisse: meum non erit hospes occisus. Proinde aliam, quâ occidas, dexteram quære, quoniam mea servare te didicit. Dedit utrique cœleste numen debitum exitum: siquidem in eo prælio Badius obtruncatus est: Quinctius insigni pugna clarus evasit. Ita Valerius.

38 Sext. Tarquinius hospitii temerator & Zopyrus & Iugurtha.

Lucretia, dum Sextum Tarquinium fecura doli in larem hospitalem recipit conjugalis honoris, pudoris & vitæ damnum incurrit; ut auctor Livius libro primo, qui ibidem etiam refert eumdem callidè occultato consilio Gabios admissum Romanis prodidisse, ut circa eadem tempora Zopyrus, simili artificio Dario Babylona tradiderat; Herodotus lib. 3. Micipsa, ut Sallustius in Iugurthino, dum Iugurtham in familiam recipit, & liberis suis æqualem reddit, heredes suos perdidit, dum ille per scelus filiis Micipsæ occisis, regnum invadit.

29. Herodes & Ascalonita fraude regnum Iudææ invasit.

Herodes alienigena & Ascalonita, ut pluribus locis commemorat Iosephus, adscitus in familiam Hircani, deletâ ejus stirpe, & omnibus Asamonæis regnum Iudaicum sibi usurpavit. Fortè huc respexit Servator noster, dum Lucæ 13 ℣. 32 ejus filium Herodem Tetrarcham mali corvi malum ovum, vulpem vocat. *Dicite*, inquit, *vulpi illi.* Didicerat enim à parente astutissima vulpe vulpinari. Nota est indoles & malitia vulpina, quæ innatâ sibi fraude irrepens vel irrumpens in cortem, haram, caulam pullorum gallinaceorum, netrendium, bidentum sanguinem exsugit, & ova exsorbet gallinarum.

30. Herodes Tetrarcha cur dictus vulpes à Christo.

Spectat huc insignis Gnome nostri Sirachidæ Ecclesiastici 11 ℣. 31. *Non omnem hominem induces in domum tuam: multæ enim sunt insidiæ dolosi,*

vel, ut Græcè τῷ διαβόλῳ, diaboli, sive calumniatoris. Vbi non censendus est suadere ne peregrinos etiam ignotos in domum introducamus, ut reficiantur vel hospitentur, nisi primo eorum fidei vel probitatis periculum fecerimus: novimus enim contrarium præstitisse viros sanctissimos, quorum ostium & mensa viatoribus patuit & peregrinis; sed ne advenas & alienigenas quoslibet sine delectu in familiaritatem hospitii ad sacra mensæ & arcanorum admittamus, nisi prius ipsorum indolem, & fidem exploraverimus, ut ibidem explicuimus: *Multæ enim sunt insidiæ dolosi* vel diaboli, qualis fuit Iudas, de quo dicit is qui illum in cute agnoverat, Christus Ioannis 6 ℣ 71: *Nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis unus diabolus est? Dicebat autem Iudam Simonis Iscariotem; hic enim erat traditurus eum, cum esset unus ex duodecim.* Ita ibi.

31. Non admittendi ad familiaritatem advenæ, nisi fidei illorum fecerimus periculum.

Cur Iudas diabolus à Christo vocatus.

Retuli suprà apud Sirachiden symbola quædam Pythagoræ, ut ὁμορόφιος χελιδόνας μὴ ἔχειν: id est, *Non habeto sub eodem tecto hirundines*, volucres fœdas, garrulas, molestas, ingratas, fugaces. Item γαμψώνυχα μὴ τρέφειν, id est, *noli nutrire, quæ animalia sunt aduncis vel curvis unguibus, sive rapacia, &c.* Vide quæ subnectit ibidem Sirachides versibus sequentibus; inter quos ultimus est 36, qui aptè admodum argumento nostro quadrat. Est autem hujusmodi: *Admitte ad te alienigenam, & subvertet te in turbine, & abalienabit te à tuis propriis.*

32. Symbola Pythagoræ huc spectantia. Non habeas hirundines, vel aves aduncis unguibus.

Est autem amica Ironia: quia dissuadet hospitii familiaritatem incundam cum advenâ & extraneo, cujus fidei nullum factum sit periculum.

Exemplum nullum clarius Amano Macedone & Amalecitâ alienigenâ, qui admissus ab Artaxerxe ad summam dignitatem, pene illum subvertit in turbine, regnum ipsius perturbans, & solio illum dejicere adnitens.

Sed parum est perfidis & fraudulentis hospitibus, si corpora amicorum perdant, pacem domus & regni conturbent bonis caducis & fluxis exuant. Luctuosa multa occurrunt omni seculo ipsorum flagitia, quibus domos, familias, urbes, imperia erroribus ut parum acidi fermenti corruperunt, ut exiguâ scintilla incenderunt hæresi, libidine, pestiferis moribus. Sic Eusebius Nicodemiensis Arii facula cum aulam Magni Constantini corripuisset, Constantium filium & ejus aulam Arianismo adussit. Nova vis?

33. Hæretici hospites familias & regna perfidiâ inficerunt.

Quanta incendia Lutherus & Calvinus in Germaniâ & Galliâ excitarunt! Testantur earum busta & cineres acerbè.

Ornithologus Aldrovandus hunc texit Apologum. Invenit gallina serpentis ova, quibus exultans incubat, calefacit foru: quam hirundo conspiciens: Quid agis, inquit, ô demens? quod malum foves? serpentes excludis, qui cum adoleverint, in te primum malitiam suam demonstrabunt. Affabulatio clara est. Nutrivit & sustulit non procul à suo exitio Artaxerxes Amanum, Hircanus Herodem, alii alios.

34. Fabula huc pertinens de gallinâ ova serpentis fovente.

Nec hinc abludit quod dixit sagacissimus senex Tiberius Cæsar de Cajo Caligulâ, ut testatur Tranquillus in Caligulâ Capite 11. *qui aliquoties prædicabat exitio suo, omnisumque Cajum vivere, & se nutricem* (serpentis id genus aquatici) *populo Romano, Phaethontem orbi terrarum educare.* Eventus docuit.

35. Caligula nutrix Romano populo, Phaëthon orbi.

Nihil autem in hoc genere magis periculo obnoxium quam cum virgines præstanti formâ adolescentes hospitio excipiunt (ex candore suo juvenes metientes) qui tamen ipsarum pudicitiæ insidiantur.

Scripsi in Commentar. Ecclesiastici cap. 10 ℣. 8 lamentabilem de hoc Tragœdiam ex Plutarcho, de filiabus Schedasi vim passis & miserè trucidatis. Memorabilis etiam est historia de Margaretulâ virgine Lovaniensi ab hospitibus violatâ & ingulatâ, quam Doctor Ioan. Molanus refert in Natalibus Sanctorum Belgii 2 Septembris, estque ejus memoria Lovanii.

36. Filiæ Schedasi ab hospitibus violatæ, item Margaretula.

VERSUS XV, XVI, XVII, & XVIII.

Nos autem, à pessimo mortalium Iudæos neci destinatos, in nullâ penitus culpâ reperimus, sed econtrario justis utentes legibus,

& filios Altissimi, & maximi, sempersque viventis Dei, cujus beneficio & patribus nostris, & nobis regnum est traditum, & usque hodie custoditur.

Vnde eas litteras, quas sub nomine nostro ille direxerat, sciatis esse irritas.

Pro quo scelere ante portas hujus urbis, id est, Susan, & ipse, qui machinatus est, & omnis cognatio ejus pendet in patibulis: non nobis, sed Deo reddente ei quod meruit.

Græcè: Nos autem traditos à ter exitiali illo ad perditionẽ, Iudæos invenimus non esse maleficos, sed justissimis gubernari legibus (πολιτευομένους civiliter degentes) filios autem Altissimi Maximi, viventis Dei, qui dirigit (κατευθύνοντος, qui secundat) nobisque & progenitoribus nostris regnum in optimâ dispositione.

Rectè ergo facite non utentes his, quæ ab Aman Amadathi missæ fuerunt, litteris. Propterea quod, ipse qui operatus est, ante Susorum portas cruci affixus est cum omni familiâ, dignum omnium dominatore Deo velociter reddente ei judicium.

Iosephus: Ego verò quoniam à sceleste homine destinatos neci Iudæos, non malos esse compertum habeo, sed optimis institutis vivere, ac Deum colere eum, qui & majoribus meis, & mihi largitus est, & servat hoc imperium, non solum absolvo eos à pœnâ, quæ prioribus continetur litteris, per Amanem ad vos transmissis, quibus mentem adhibere non debetis: verum etiam volo ut eos omni honore prosequamini: Nam eum qui his perniciem molitus est cum totâ familiâ pro portis Susorum in cruces suffixi, omnipotente Deo justissimas pœnas à sceleste exigente.

COM-

COMMENTARIVS.

REscindit edictum subreptitium ab Amano conscriptum & regio nomine missum in provincias, ostenditque falsa esse & conficta, quæ trisurcifer ille de Iudæis illi persuaserat, quos inculpatos reperit, & optimis institutos legibus.

Porro pro *ἐν δικαίοις ἀγομένους νόμοις*, ut observavit Serarius, efficacius est apud Septuaginta, *δικαιοτάτοις πολιτευομένους νόμοις*, quod reddi potest, palam Rempub. suam justissimis moderantes legibus, & optimam politiam & administrationem servantes. Vsus est hac voce S. Paulus aliquoties. ut Actor. 23 ℣. 1, ubi sic infit: *Ego in omni conscientiâ bonâ conversatus sum ante Deum*, Græcè *πεπολίτευμαι τῷ Θεῷ*, quod quidam transferunt, *munere meo perfunctus sum*, (ut magistratus faciunt) Deo.

37. Quid sit πολιτεύεσθαι.

Rursus idem ad Philippenses 3 ℣. 20. *Nostra conversatio* (*πολίτευμα*) *in cœlis est*, significat autem *πολίτευμα*, teste Budæo, regimen politicum sive civile Reipub. vel civitatis; q. d. vitæ nostræ ratio, institutum, nostra Respub. in cœlis est; gerimus nos ut municipes & cives cœlorum, legibus regimur civitatis cœlestis, non terrenis aut externis. Vnde Tertullian. libro de coronâ militis legit: *Noster municipatus in cœlis est*; q. d. sumus *cives Sanctorum, & domestici Dei.*

38. Quid sit, nostra conversatio in cœlis est.

Vocat deinde *Iudæos filios Altissimi, Maximi, semperque viventis Dei.* Vbi ipsos honore altissimo, maximo, perpetuò cumulat, & se ejusdem Dei notitiâ præditum declarat, cujus etiam magnificam professionem & encomium publico Rescripto promulgat, & edicit. Vbi

39. Cognitionem veri Dei accepit Artaxerxes primum à suis majoribus, quâ deinde Esther & Mardochæus magis illustrarunt.

Nota, verisimile esse Artaxerxem hanc Dei cognitionem, obscuram saltem à suis majoribus & decessoribus regibus Persarum, Medorum, Chaldæorum hausisse, qui, ut dicemus, aliquo modo Deum agnoverunt; clariorem verò illius notitiam accepisse ab Esthera conjuge, & Mardochæo.

Nota 2, hanc ejusdem semper viventis Dei notitiam assecutum inprimis Cyrum, & ejusdem professionem edidisse constat lib. primi Esdræ primo ℣. 2; & 2 Paralipom. cap. 36 ℣. 23. quam ipse à Iudæis acceperat, qui illi Isaiæ vaticinium cap. 45 initio proposuerant, ubi imperium gentium Dominus illi pollicetur. Idem agnoverat Nabuchodonosor Danielis tertio, & apertius cap. 4. Similiter Darius Medus eâdem scientiâ imbutus fuit, Daniel. 6. ℣. 26 & sequent. Rursus Darius Hystaspides Persarum Rex 1 Esdræ c. 6. Sunt tamen quidam, qui dicunt, non esse necessarium fateri Regem assecutum Dei notitiam, cum satis constet, non ipsum, sed Mardochæum hujus decreti fuisse scriptorem: sed, quod dixi, verius est.

Nota 3 ex his verbis Artaxerxis, quibus fatetur Dei viventis beneficio & patribus suis & sibi regnum esse traditum, & usque ad sua tempora custoditum, manifestè colligi, ut ante in Præludiis ostendi, nec aliquem regem ante Cyrum, nec ipsum Cyrum, aut statim post eum fuisse hunc Artaxerxem Esthera maritum.

Omnis cognatio ejus pendet in patibulis. Severæ admodum fuere leges Regum Persicorum, quibus non soli malefactores, sed etiam ipsorum filii, uxores, vernaculi, cognati, domesticique communiter plectebantur. Vnde sic scribit Ammian. Marcellin. lib. 23: *Leges apud Persas impendio formidatæ, per quas ob noxam unius, omnis propinquitas perit.* Exempla hujus severitatis extant apud Herodotum lib. 3 & Iustinum lib. 10, quæ alibi protuli. Habes & Daniel. 6 ℣. 24 simile edictum Darii Medi. *Iubente*, ait, *rege, adducti sunt viri illi, qui accusaverant Danielem; & in lacum leonum missi sunt, ipsi & filii, & uxores eorum.* Verisimile autem est illos audendi sceleris parentibus & maritis fuisse auctores consilio, auxilio; alioquin barbarum est innoxiam familiam ob crimen patrisfamilias, neci dare. Dei enim solius est, qui vitæ, mortisque habet imperium, ob parentum peccata filios innocentes punire.

40. Apud Persas ob crimen patrisfamilias omnes domestici puniebantur.

Supererat circa eadem verba difficultas, quomodo hîc dicatur, *omnis cognatio Amani pendere in patibulis*, cum tamen cap. 9 ℣. 14 dicantur decem filii Aman suspensi esse, Esthere id impetrante à Rege, qui ante fuerant occisi initio communis cædis hostium Iudæorum. tertiâdecimâ die mensis duodecimi Adar:

Sed ajo nos illi difficultati satisfeciisse cap. 9, ℣. 13 & 14.

Postremò sciendum verba illa: *Non nobis* (solum scilicet) à Septuaginta & Iosepho abesse, cum tamen utrique expresserint, Deum omnipotentem justissimas pœnas ab eo exegisse.

Parecbatica Ethologia, sive Excursus moralis:

Mulieres viris suis sæpenumero facem præluxisse ad Dei cognitionem, & viam ad salutem aperuisse.

HVjus libri expositores docent Estheram mulierem, ut ex textu sacro intelligimus, rarâ sanctitate & prudentiâ præditam, quam ipse Rex hic ℣. 16 in Græco, inculpatam, & irreprehensibilem vocat suo Rescripto, unius veri & vivi Dei notitiam Assuero instillasse, ita ut profiteretur illum esse Deum *Altissimum, Maximum, semperque viventem*; quæ Encomia & Epitheta sunt veri Dei.

Incredibile dictu est, quantum mulier suâ blandiloquentiâ polleat ad viri cor flectendum, ver-tendumque in partem meliorem, vel etiam deteriorem.

Exemplo est virago nostra, quæ ubi semel eximiis corporis & animi sui dotibus animum Assueri possedit, quidlibet ab illo impetravit, maximè Deo ausus illius secundante, ita ut ipsa ponerit meritò appellari Verticordia, cujus in labris Pitho sive Suada sessitaret.

41. Esther Verticordia.

De mulierum efficaciâ, quas mellitos laqueos jure dixerim, ad viros errorum toxico inficiendos, & ad malum pertrahendos multa scribuntur in divinis litteris, & de hac in Ecclesiastici Comment. egi. Sufficiat hîc pauca notasse ex S. Hieronymo Epistolâ ad Ctesiphontem adversus Pelagianos, ubi ostendit per mulieres hæreses introdu-

ductas & confirmatas. *Simon*, inquit, *Magus hæresim condidit, Helenæ meretricis*, (quam Minervam vocabat, sed S. Augustin. appellat Selenen, initio libri de hæresibus) *adjutus auxilio. Nicolaus Antiochenus* (Diaconus unus ex septem primis) *omnium immunditiarum repertor choros duxit feminæos. Marcion Romam præmisit mulierem, quæ decipiendos sibi animos præpararet. Apelles Philomenen suarum comitem habuit doctrinarum. Montanus immundi spiritus prædicator multas ecclesias per Priscam & Maximillam nobiles & opulentas feminas, primum auro corrupit, deinde hæresi polluit. Demittam vetera, ad vicinora transcendam. Arius, ut orbem deciperet, sororem principis* (Constantiam Constantini Magni sororem (de quâ Rufinus lib. 10 histor. cap. 12) *ante decepit. Donatus per Africam, ut infelices quosque fœtentibus polluerent aquis, Lucillæ opibus adjutus est. In Hispaniâ Agape Elpidium, mulier, virum, cæcum cæca duxit in foveam, successoremque sui Priscillianum habuit Zoroastris Magi studiosissimum, & ex mago episcopum, cui junctâ Galla, non gente sed nomine, germanam huc illucque currentem alterius & vicinæ hæreseos reliquit hæredem.* Ita S. Hieron.

42. Hæretici per mulieres hæreses suas per orbem sparserunt, quas numerat S. Hieronym.

Verum de his modo non ago, sed de illis, quæ castâ suâ conversatione, sanctâ & prudente sermonis mulcedine, compositis moribus, viris suis duces fuerunt ad veritatis lucem hauriendam, ad salutem amplectendam.

De illis non frustra scripsit Doctor gentium, prioris ad Corinth. 7 ℣. 14. *Sanctificatus est vir infidelis per mulierem fidelem*: id est, per denominationem saltem extrinsecam dicitur sanctus, quia fideli, & sanctæ uxori conjunctus, & spes est illum operâ, & sanctâ conversatione conjugis, verbo, exemplo, meritis, precibus aliquando sanctificandum, ut Sancti Patres exponunt.

43. Sanctificatur vir infidelis per mulierem fidelem.

Accedit & gravissimum S. Petri testimonium prioris Epist. 3 ℣. primo. *Similiter & mulieres subditæ sint viris suis, ut & si qui non credunt verbo* (Euangelio Christi) *per mulierum conversationem sine verbo lucrifiant* (id est, sine multis sermonibus, vitâ & exemplo sanctarum conjugum mariti ipsi accedant fidei, & hoc modo lucrum & gaudium uxoribus, Ecclesiæ, ipsi Deo afferant) *considerantes in timore castam conversationem vestram* (id est, cum viderint mariti vos magnâ cum observantiâ sibi obsequentes & pudice matronalem fidem servantes).

44. Exemplum & conversatio mulierum plus prodest ad maritorum salutem, quam longa disputatio.

Dici potest maritum cum mulierem fidelem sibi cohabitare patitur sine fidei injuriâ, orationes ejus & pia religionis Christianæ exercitia non impedit, benevole cum eâ agit, semitam sibi sternere ad salutem.

Profectò vix fieri potest, ut vir mulierem sortem, strenuam, prudentem, pudicam, bene moratam & Christianam nactus, quæ illi sit familiare oraculum, consilium domesticum; ejus sermonibus non convertatur, & fidei Orthodoxæ manus præbeat. Volvi aliquando illud aureum sacrarum litterarum tabularium S. Chrysostom. homilia 60 in Ioannem, in quâ, cum multa in laudem mulierum, quæ se domi continent, tamquam in quodam Philosophiæ gymnasio, egregiè disseruisset, hæc subjicit, de ipsarum efficacitate & virtute ad maritos in omnem partem permovendos. *Nihil*, inquit, *potentius muliere bonâ & prudente ad instituendum & informandum virum quodcumque voluerit: neque tam leniter amicos, neque Magistros, neque principes patietur, ut conjugem admonentem atque consulentem. habet enim voluptatem quamdam admonitio uxoria, cum plurimum amet, cui consulit* (vel, cum plurimum ametur, quæ consulit). *Multos possum afferre viros asperos & immites per uxorem mites factos & mansuetos: ipsa enim mensa, lecto, filiorum communicatione, dicendis, tacendis, ingressu, exitu, & aliis pluribus cum marito communicans, & ut corpus capiti conjuncta, si prudens erit & diligens, omnes vincet, & conjugis superabit diligentiam.* (vel in curando conjuge omnes superabit) Hæc Chrysostom. Ubi postea etiam mulierem instituit, quibus moribus ornata esse debeat, ut viro suadeat, ut eum capiat.

45. Efficacia uxoris ad convertendum maritum egregiè declarat Chrysostom.

Dictum est Iureconsultorum, & extat apud Baldum L. Eum qui in fide. C. de Episcopis & Clericis: *Bona mulier facit bonum virum.* Cui consentit Euripides apud Stobæum Sermone 65.

46. Bona mulier bonum facit virum.

Οἰκοφθόρον γὰρ ἄνδρα κωλύει γυνὴ
Ἐσθλὴ φυλάξασ' ἐν δόμοις, ἢ σώζει δόμους.
Domiperdam enim virum prohibet uxor
Bona, si conjuncta, & servat domum.

Quantum momenti & roboris insignes pietate feminæ præbuerint traducendis ad veram fidem, vel in eâ confirmandis maritis testantur Ecclesiastici passim Annales, & Divorum præclaræ historiæ, ex quibus pauca delibo.

S. Augustinus hæc de S. Monicâ bimatre suâ lib. 9 Confession. c. 9. *Monica*, inquit, *ubi plenis annis nubilis facta est, tradita viro servivit veluti domino, & satagit enim lucrari tibi* (Christo) *loquens te illi moribus suis, quibus eam pulchram faciebas, & reverenter amabilem atque mirabilem viro.* Deinde post multa relata de ejus prudentiâ in viro fervido irâ tolerando, & mulcendo, hæc tandem subdit. *Denique etiam virum suum* (Patritium) *jam in extremâ vitâ temporali ejus, lucrata est tibi, nec in eo jam fidelis planxit, quod in nondum fideli toleraverat.*

47. S. Monica suis moribus virum suum Patritium Christo lucrata est.

Fuerunt & plures principes feminæ, quæ viros suos reges ad veram religionem converterunt; ut Theodolinda Longobardorum regina, quæ priorem suum maritum Antharit, vel Eutharin (nomina sunt barbara, quæ diversè à diversis scribuntur) multo mitiorem fecisse dicitur, & ad veram pietatem longè priorem. Sed & Agilulphum maritum posteriorem, præ feroci ingenio, dexterè monendo, & veritatis lucem animo admovendo, eò traxit, ut omnibus Longobardis auctor fuerit, à malorum dæmonum cultu, detestandoque Arianâ hæresi sese vindicandi.

48. Theodolinda duos maritos ad pietatem traduxit, ita & S. Crothildis Clodoveum Iugundis S. Hermenigildi.

Ita Crothildis Clodoveum Francorum regem, Iugundis S. Hermenigildum Gothorum Principem ab impietate ad Orthodoxam fidem transtulêre.

Sed libet de his heroinis audire Cardinal. Baronium, tomo 8, anno Christi 591 Gregorii Magni secundo, Mauritii Imperat. 6, philosophantem. Magnum à Deo per Theodelindam Reginam consecutos esse beneficium Regem ipsum Agilulphum, & sub eo positos Longobardos Paulus Diaconus lib. 4 cap. 2 affirmat: nimirum eum ex Arianâ perfidiâ conversum esse ad fidem Catholicam, & qui erant Longobardi Genti-

Gentiles, sive Ariani, eosdem redditos esse Christianos atque Catholicos. Magnum Dei consilium, dum *quæ sunt infirma mundi eligit, ut confundat fortia:* cum scilicet robustissimas easdemque indomitas gentes, sive Christiano, sive Catholico nomini infensissimas Francos, Gothos, & Longobardos, avitis abdicatis erroribus, per feminas ipse Deus converterit ad verum religionis cultum: Franci enim per Crothildem, Gothi in Hispaniâ per Ingundem, quæ (ut superiori tomo diximus) virum suum convertit Hermenegildum, ex quo omnium facta est accessio ad fidem Catholicam: & in Italiâ Longobardi per Theodolindam, decus & ornamentum Bavariæ principum, fidem Christianam, eamdemque Catholicam perceperunt. Hactenus Baronius.

50. Zelus Brunechildis ad Barbaros convertendos.

Brunechildis etiam magno studio Childebertum Francorum regem virum suum eò impulit, ut Tassilonem Bavariæ Regem eâ lege constitueret ut à Sclavorum gente bello infectandâ non prius desisteret, quam ad Christi fidem amplectendam subegisset.

51. Placidia regem Ataulphum conjugem permovit ne Romam everteret, &c.

Ataulphus Gothorum Rex in animo habebat Romam à se captam funditus subvertere, urbemque alio loco statuere, mutatoque nomine Gothiam pro Româ indigetare, ac Cæsaris, Augustorumque memoriâ prorsus oblitteratâ, Ataulphi appellationem in posteros transmittere. Verum Placidæ, (aliàs Placidiæ) conjugis suasu, adeò est immutatus, ut brevi non hostis, sed amicus urbis, non everssor, sed instaurator sit vocatus. Ita plures historici, inter quos Paulus Orosius lib. 7 Historiarum cap. 29. Paulus Diaconus de gestis Romanor. lib. 13.

Rectè proinde à Salomone pronuntiatum est Proverb. 14, ℣. primo. *Sapiens mulier ædificat domum suam*; quod tunc præcipuè præstat cum virum domus suæ caput ad omne honestum instituit, & virtutibus auget.

49. Sic etiam Domitia Flavium Clementé, Natalia Adrianum, Cæcilia Valerianum, aliæ alios ad hdem petraxerunt.

Sed antiqui Annales plures referunt maritos præstantes ab uxoribus suis ad veram religionem traductos; inter quos censetur Flavius Clemens Consul Romanus Domitiani Imperatoris patruelis & ab eodem martyrio affectus, à Domitiâ uxore Christiana sacra edoctus.

In eumdem ordinem redigendus S. Adrianus operâ Nataliæ, Valerianus Cæciliæ, Marius Marthæ, Vitalianus Gorgoniæ (de quâ in ejus funere habitâ Oratione, quæ est numero 11 meminit Nazianzenus frater) conversi.

VERSVS XIX, XX, XXI, XXII, XXIII & XXIV.

Hoc autem edictum, quod nunc mittimus, in cunctis urbibus proponatur, ut liceat Iudæis uti legibus suis.

Quibus debetis esse adminiculo, ut eos, qui se ad necem eorum paraverant, possint interficere tertiâ decimâ die mensis duodecimi, qui vocatur Adar.

Hanc enim diem, Deus omnipotens, mœroris & luctus, eis vertit in gaudium.

Vnde & vos inter ceteros festos dies, hanc habetote diem, & celebrate eam cum omni lætitiâ, ut & in posterum cognoscatur,

Omnes, qui fideliter Persis obediunt, dignam pro fide recipere mercedem: qui autem insidiantur regno eorum, perire pro scelere.

Omnis autem provincia & civitas, quæ noluerit solennitatis hujus esse particeps, gladio & igne pereat, & sic deleatur, ut non solum hominibus, sed etiam bestiis invia sit in sempiternum, pro exemplo contemptus & inobedientiæ.

Græcè: Exemplar autem (ἀντίγραφον, contrascriptum) Epistolæ hujus proponentes in omni loco, cum libertate sinatis Iudæos uti suis legibus, & adjuvetis eos ut illos, qui in tempus afflictionis impositi erant ipsis, ulciscantur decima tertiâ duodecimi mensis Adar eâdem die. Hanc enim omnia gubernans Deus pro perditione electi generis fecit eis gaudium.

Et vos ergo in insignibus vestris festivitatibus illustrem diem cum omni lætitiâ ducite: ut & nunc & post hæc salus sit nobis & qui benevoli sunt Persis; his verò qui nobis insidiantur, memoriale perditionis.

Omnis autem civitas vel regio omnino, quæ juxta hæc non fecerit, hastâ & igni consumetur, cum irâ; & non solum hominibus invia, sed & bestiis & volatilibus in omne tempus odiosissima constituetur.

Iosephus: Iubeoque, ut transcriptis in plurima exempla & per totam nostram ditionem vulgatis hisce litteris, Iudæos sinatis suis legibus in pace vivere: eisque sitis auxilio, ut possint pœnas sumere de illis qui adversis eorum temporibus injurias eis facere ausi sunt: idque decimatertiâ die mensis duodecimi, qui est Adar; quandoquidem Deus eam diem pro internecinâ salutarem eis esse voluit: quæ quidê felix sit iis qui nobis benè cupiunt, & monimentum ultionis de insidiarum machinatoribus. Notum sanè volo esse omnibus & urbibus & gentibus, quod quæcumq; aliquid ex his quæ nunc mandamus per inobedientiam facere neglexerit, ferro & igni vastabitur.

Atque hæ litteræ proponantur per universam nostram ditionem, & accingant se utique in præscriptam diem, ut se de inimicis suis vindicent.

COMMENTARIVS.

VErba edicti clarissima sunt, nec lucernæ lumine egent. Ceterum mirandum est, Iudæos singulari Dei beneficio feliciores, liberiores, securiores fuisse sub multis Persarum Regibus, Cyro, Dario, Artaxerxe, quam imperantibus gentis suæ regibus quibusdam idololatris, Achabo, Manasse, aliis: cum illi permiserint eos uti justissimis suis legibus, hi verò vetuerint.

Nota verò ℣. 21, superaddere Græca, eâdem die, quod continet Emphasin: q.d. illa dies, quæ illis futura fuerat funestissima, & luctuosissima, quâ destinati erant omnes ab Amano ad interitum, Deo sortes mutante, gratâ vice salutaris & jucundissima illis illucescet.

Porrò difficultas est ℣. 22, ad quos verba illa edicti dirigantur: *Unde & vos inter ceteros festos dies hanc habetote diem.* Dionys. enim & Feuardentius putant hoc præcipi Iudæis, quibus severè etiam supplicium, & extrema vastitas indicatur, si diem illam annuo cultu non prosequantur.

Edictum hoc ad solos Persas dirigebatur, sed pro Iudæis.

Sed, certum est, ut hîc rectè sentiunt Sanctius & Serarius, spectare illa ad Persas. Est enim edictum hoc missum ad omnes magistratus, Præsides, Duces, Satrapas Persarum, ut illud pro incolumitate & salute Iudæorum promulgarent. Nec verbum ullum legere est in toto edicto, quod ostendat quidquam præcipi Iudæis, sed bene pro illis.

Deinde, quid opus erat tam severo edicto cogere Iudæos ad diem Sortium vel Phurim celebrandum annuâ festivitate, cum Esther, & Mardochæus cap. 9 per litteras semel iterumque hoc Iudæis mandassent, & ℣. 23 illam solemnitatem suscepissent sponte & libenter, eamque ultrò deposcerent?

Præterea nulla erat provincia Iudæis propria, in quâ separati à Persis degerent, ut illa ipsis regio decreto non parentibus ferro & igne deleri deberet. Teste enim ipso Amano cap. 3. vers. 8. Hebræa gens erat populus per omnes regni Persici provincias dispersus, & à se mutuo separatus.

Tandem Persis, ut suprà cap. 9 docuimus, & hîc dicitur ℣. 22, celebres quidam erant & festi dies, quorum in numerum hunc etiam voluit Artaxerxes referri. Naturæ enim lumine notum erat etiam Gentibus tempora quædam divino Numini sacranda, quibus coleretur, & gratiæ pro beneficiis acceptis agerentur.

Additur verò & ratio festivitatis instituendæ, ut nimirum illa dies quotannis recurrens Persis (ut & Iudæis) esset monimentum, quo excimerentur ad fidele Regum obsequium, & deterrerentur ab iniquis contra eosdem machinationibus, cum viderent fideles quidem maximo honore, gloriâ & mercede affici, iniquos verò infami supplicio & morte multari.

Petes fortsitan, quæ causa fuerit, cur decreti hujus de festivitate Sortium celebrandâ violatoribus tam gravia & vix audita proponantur pœnarum exempla, ita ut per Auxesin exaggeratè intendetur provincia & civitas, quæ non paruerit, ita delenda, ut ne memoria quidem illius superst & bestiis etiam feris sit inhabitabilis?

Dico has minas meritò intentatas. Plurimi enim erant etiam occulti, Iudaici nominis hostes, qui acerbè ferebant Mardochæum regiæ dignitati proximum, Reginam dominari Iudææ, Iudæos verò honorari, & exultare: plurimi etiam vel amicitiâ, sanguine, affinitate, negotiorum societate illis, qui occidi jubebantur, conjuncti; plurimi, qui cupiebant gentem Iudaicam servituti mancipatam, vilem & sordidam pristino in statu obsolescere, miseriis confici, non verò extolli in sublimem dignitatis ordinem, & ex ærumnis suis emergere. Incredibile dictu est, quantum cordolium illis fuerit, quantus mœror & angor animos illorum intus strangularit, & penè enecarit, cũ viderent sordidam gentem tripudiare gaudio, omnibus incessere lætitiis, & in suorum Persarum funere triumphare, cum ipsi etiam cogerentur volentes nolentes in familiari luctu suorum, in cæde & sanguine amicorum, quibus fuerat parentandum, contractam faciem serenare, simulare hilaritatem, vultum ad risum fingere, frontem amœnare. Pluribus hoc exemplis demonstrat Sanctius esse durissimum, quem Lector consulat.

Datur ratio, cur tam acerbum supplicium statuatur violatoribus festi Sortium.

Postremo verba illa: *Omnis provincia & civitas, quæ noluerit solemnitatis hujus esse particeps, ferro*, vel (ut Græcè, δόρατι, id est hastâ, aut lanceâ) *& igne pereat*; satis ostendunt severitatem legum Chaldaicarum & Persicarum, quibus populis extrema vastitas non parentibus denuntiabatur; ut plura loca scripturæ docent; Danielis 3. vers. 96 edicit Nabuchodonosor: *A me ergo positum est hoc decretum, ut omnis populus, tribus & lingua, quæcumque locuta fuerit blasphemiam contra Deum Sidrach, Misach, & Abdenago, disperent, & domus ejus vastetur.* Iterum ibidem cap. 2, ℣. 5. dicit Rex Chaldæis: *Nisi indicaveritis mihi somnium, peribitis vos, & domus vestræ publicabuntur.*

52. Severitas legum Chaldaicarum & Persicarum.

Ita Darius Persarum Rex præcipit lib. primo Esdræ cap. 6, ℣. 11. *A me ergo positum est decretum: ut omnis homo, qui hanc mutaverit jussionem* (pro Iudæis latam) *tollatur lignum de domo ipsius, & erigatur, & configatur in eo: domus autem ejus publicetur.* Vbi aliqui ex Chaldæo verunt Domus eorum redigatur in sterquilinium, aut in latrinas & foricas communes. Eodem modo reddi poterunt verba suprà ex Daniele duobus locis allata, cum eadem ubique sit vox Chaldæa. Erat autem supplicium illud gravissimum & ignominiosissimum, cum simul dominus, & ejus domus deleretur, vel in communes vel sordidos usus verteretur.

Sic olim domus & urbes eorum, qui enormi scelere erant contaminati, subruebantur, & postea sulphure & sale aspergebantur, quibus terræ sterilitas & salsugo inducitur. Ita Abimelech Iudicum 9, ℣. 45, Sichimam urbem à se captam destruxit, ut sal in eâ dispergeret. Rursus Deut. 29, ℣. 23, dicitur Deus afflixisse quosdam & eorum terram ob peccata, *sulphure, & salis ardore combureus, ita ut ultra non seratur, nec virens quidpiam germinet in exemplum subversionis Sodomæ & Gomorrhæ*, &c.

53. Vrbes sale & sulphure conspersæ ob scelera à Deo & hominibus.

Ita imprecatur Baldad impii tabernaculo, Iob 18, ℣. 15.

18, ℣. 15. *Aspergatur in tabernaculo ejus sulphur:* tamquam loco impuro & odioso; q. d. fulgure exuratur, quod fœtorem sulphuris redolet, ut testatur Plinius lib. 35, cap. 15. *Fulmina*, inquit, *& fulgura sulphuris odorem habent, ac lux ipsa eorum sulphurea est*; nisi quis dicere malit Baldad accolam maris mortui, qui illius halitus exhalationesque tetras quotidie experiebatur, allusisse ad incendium Sodomæ & Gomorrhæ, & aliarum urbium.

Documentum Salutare & Pium:

Meritò diem anniversarium redemptionis nostræ per Christum festivè à populo Christiano celebrari.

Dionysius Carthusianus hujus pii moniti nobis auctor, qui hoc loco sic breviter ratiocinatur.

Si, inquit, *Judæi tam solenniter coluerunt liberationem suam temporalem, quam festivè debemus redemptionem nostram æternam per Christum peragere?* Sic ille.

54. Si ob regni incolumitatem & liberationem festum indictum Persis, cur non indicatur Christianis ob suam per Christum libertatem?

Verum, bonâ veniâ Dionysii, dico, dies Sortium à Judæis susceptos in solemnem ritum, c. 9, vers. 23 jussu Mardochæi. Hoc verò edicto agi de Persis, quibus præcipit Rex, ut hunc diem, quo regnum machinationibus Amani liberatum est, & Judæi vindictam de hostibus sumpserunt, & luctu in gaudium conversa, in fastos referant, & annuis celebritatibus annumerent, sitque illis perpetuum monimentum, fidei regibus suis servandæ & ab illis remunerandæ, perduellionis verò fugiendæ & plectendæ, ut ante probavi.

55. Gentes falsis diis instituerant festa.

Hujusmodi verò plures festivos & lætos dies etiam gentes divini numinis cognitione orbatas colisse, quibus falsis diis suis pro salute & incolumitate regni gratias agerent, victimas immolarent, coronarent templa & aras obirent, testantur omnes profani Annales.

Ut autem de cetetis taceam, Persæ id viderunt, & hoc modo dies plures observarunt.

56. Festum μαγοφονίας, apud Persas.

Auctor est Herodotus in Thaliâ, sive libro 3, diem, quo septem nobiles conjurati magos interemerunt, maximè solennem publicè Persas coluisse, & in eo ingens celebrasse festum, vocantes id μαγοφονίαν, id est Magorum cædem, quo die nulli Magorum fas erat prodire in lucem, sed cuncti se intra domum continebant. Sic ibi.

57. Festum Vitiorum interitus apud eosdem.

Habebant & festum, quod vocabant Vitiorum interitum, in quo serpentes, animalia venenata & fera occidebant, & Magis, qui apud eos sapientiæ & religionis laude præstabant, offerebant, de quo Agathias lib. 2. Vide Brissonium lib. 2 de regio Persarum principatu.

58. Diabolus apud gentes adumbravit festa Expiationis, & sanctioris Hebdomadæ dies.

Videtur callidus & Tartareus Vertumnus & Simius hoc ritu adumbrare voluisse antiquæ legis festivitatem dictam Expiationis, institutam ad totius anni contractas maculas expiandas, & solennitatem Christianam Sanctioris Hebdomadæ, maximè Paraskeues, quâ Christus nostri generis assertor innocentissimo suo sanguine peccata nostra expiavit, & populus ejus annis singulis scelerum conscripta nomina lacrymis delere conatur.

59. Festum Redemptionis nostræ per Christum semper in Ecclesiâ celebre.

Sed ad argumentum nobis propositum veniamus. Dicimus itaque Soteria nostra, sive dies, quibus annua memoria recolitur nostræ liberationis, quâ Christus nos ab æterno interitu ereptos in sempiternam salutem asseruit, jure optimo à Christianâ Ecclesiâ summâ gratulatione, benevolis animis, profusis gaudiis celebrari, & semper à primordiis fidei nostræ in honore fuisse.

Aurei oris Antistes hoc ostendit duabus homiliis, quas peroravit, de Cruce & latrone.

58. Ut tempore S. Chrysostomi.

Sic primam exorditur; *Hodiernâ die noster Dominus pependit in Cruce, & nos festivitatem ejus nimiâ lætitiâ celebremus, ut discamus Crucem totius spiritalis gratulationis esse substantiam. Etenim ante ipsum, vocabulum crucis pœna fuit, sed nunc ad gloriam nuncupatur. Antea condemnationis ferebat horrorem, nunc salutis indicium est. Crux enim nobis totius beatitudinis causa est.*

Et post multa, Crucis præconia, hæc subjicit: *Hac de causâ hodie gratulamur, quia crucis beneficia memoravimus. Sic & Paulus præcepit propter crucem festivitatem celebrari*, 1 ad Corinth. 5. *Pascha nostrum immolatus est Christus, diem itaque festum celebremus, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis sinceritatis & veritatis. Et sic adjunxit causam, quia Pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus. Vides crucis intuitu perceptam lætitiam? In cruce enim immolatus est Christus: & ubi immolatio, amputatio peccatorum, ubi amputatio peccatorum, reconciliatio Domini: ubi reconciliatio Domini, ubi festivitas, & omnis gratulatio.* Hæc S. Chrysost. & plura.

59. Festa olim celebrabantur epulis, & aliis lætitiæ argumentis.

Nota verò Chrysostom. legisse apud Apostolum *festum celebremus*, quia Græcè est ἑορτάζωμεν, festivitatem agamus, & ita etiam habet Syrus & legit S. Ambrosius. Addit etiam: *Pascha nostrum pro nobis immolatus est Christus*, Græcè ὑπὲρ ἡμῶν, pro nobis, quo Latina carent. Noster verò ℣. 8 legit: *Itaque epulemur*; & rectè: siquidem moris semper fuit omni in loco, & ubique gentium festa instaurare insigni apparatu lautiorum epularum, quæ sunt hilaritatis tesseræ & argumenta, ut alibi diximus.

Hæc itaque causâ gaudiorum, epularum, festivitatis; quia Agnus noster Paschalis pro nobis in Cruce immolatus est Christus, cujus cum pretioso cruore postes animi nostri tinguntur, à Diaboli & peccati servili jugo eximur, libertate filiorum donamur, cumulamur donis gratiæ, & æternam vitam adipiscimur. Ceterum Soteria nostra, & festivitatem Redemptionis nostræ per Christum spirituali jucunditate & exultatione colenda significat ipsa Dei Ecclesia, quæ in quadam Collectâ feriâ secundâ Majoris Hebdomadis, sic precatur. *Adjuva nos Deus salutaris noster: & ad beneficia recolenda, quibus nos instaurare dignatus es, tribue venire gaudentes.*

60. Cum gaudio celebranda Soteria nostra.

Non tantum verò spiritu nos hilarescere vult ipso die victoriæ, Christique triumphi, *Quo resurgens conditor nos morte victâ liberat*, sed etiam totius hebdomadæ Sanctioris decursu.

61. Dominica Palmarum quid significet, quâ palmæ & Olivarum rami præferuntur?

Hujus rei symbolo, illam septimanam aggreditur lætâ, festivâque Processione, in quâ victori Christo præfert palmarum ramos, termites olivarum, & insignem instituit φυλλοβολίαν sive

ramorum & foliorum jactum, repræsentans solemnem illam pompam, & triumphalem apparatum, quo cives Hierosolymitæ Regem & Deum suum exceperunt celeberrimo plausu & inauditâ lætitiâ, *O fama filio David* illi accinentes.

Hunc autem honorem ramos palmarum præferendi, flores & folia spargendi fuisse signum maximę & etiam divinę venerationis probat Nicolaus Caussinus ad Clementis Alexandrini Hieroglyphicas Observationes. Vnde & Philo Iudæus libro de Legatione ad Cajum, scribit Agrippam fuisse φυλλοβολούμενον καὶ ἀνθοβολούμενον, id est, consperſum foliorum & florum imbre & jactu. Quod & factum Christo non est dubitandum Victori mortis, Regi, Deo. Sic advertit vetus Poëta:

61. Christus, ut olim Agrippa, consperſus frondibus & floribus in suo Hierosolymitano ingreſſu.

Perque viam ut Regi velamina murice tincta,
Arboreaſque ſolo frondes, & olenta ſerta,
Sub pedibus ſtravere, Deum omnes voce fatentes.

61. Agnus Paschalis quatuor diebus ante Pascha seligebatur, & cum plausu inducebatur.

Constat ex libro Exodi c. 12, ℣. 3 decimâ die mensis primi, qui dicebatur Iudæis quidem Nisan, nobis verò Martius est, à Domino præceptum fuisse, ut agnum decimâ quartâ die immolandum quisque sibi ex loco vicino adduceret, seligeret, compararet, de qua re consulendi illius loci Interpretes.

64. Typum hujus implevit Christus.

Quia verò agniculus ille typus erat Agni Dei immaculati & incontaminati Christi, voluit & ipse (ut impleret omnia) decimâ die ejusdem mensis ingredi Hierosolymam ex Bethphage propinquo oppidulo sacerdotum, vel viculo profectus, quarto die post pro nobis immolandus. Vide Toletum in 12 Ioannis.

Ajunt verò quidam (quod mihi quidem vero simillimum videtur) agnum hunc Paschalem hilari celeusmate festivo Pæane, & læto clamore ex pascuis vel ovilibus in urbem, domosque singulorum adductum & deportatum; forte etiam floribus coronatum, quibusdibet viridantes palmarum & olivarum termites & ramos concutientibus, & varia gaudiorum signa edentibus, cum subiret animis suæ libertatis imago, in quam asserti fuerant Ægypto spoliatâ, Pharaone submerso.

65. Triumphus Christi die Palmarum.

Sic & Christus verus Agnus decimo illo die raro triumpho, & celebri pompâ Hierosolymam induci voluit, quasi νικητήρια ageret, & victoriæ suæ diem celebraret; solus enim ipse triumphum canere potuit ante victoriam, cum de vincendo hoste, & tropæo constituendo dubitare non posset. Hoc & gestati manibus palmarum rami adumbrant, quæ omni tempore apud omnes gentes monimenta & sacra symbola victoriæ & triumphi fuerunt, propter rationes quas protuli Ecclesiastici cap. 24, ℣. 18.

66. Agnus Paschalis coronatus, ut olim victima.

Nec ab hoc instituto abhorrent coronæ, quibus agniculos coronatos diximus postea sacrificandos, ritu veteri, quo victimæ cedendæ floreis sertis velabantur, ut indicatur Actor. 14, ℣. 12: *Sacerdos quoque Iovis tauros & coronas* (id est tauros coronatos) *afferens, cum populis volebat ſacrificare:* & Ovidius Metamorphos. 15.

Victima labe carens, & præſtantiſſima formâ
Siſtitur ante aras, vittis præſignis & auro,

Id est, aureis vittis.

Regnum & victoriam Christi illæ coronæ & diademata portendebant.

Itaque cum Assertor salutis nostræ redemptionis humani generis opus lætissimo triumpho, & glorioso apparatu, plaudente Hierosolymâ aggressus fuerit, & omnium bonorum præsentium & futurorum cumulum nobis artulerit, festivis gaudiis Soteria nostra celebremus, & immortales gratias triumphatori peccati, mortis, inferni persolvamus, obsecundantes monitis Sirachidæ nostri, Ecclesiastici 29, ℣. 20. *Gratiam fidejuſſoris ne obliviſcaris: dedit enim pro te animam ſuam.*

Vadem se dedit, & nomina tua mala pio cruore deterſit, lytrumque obtulit, non argentum vel aurum, sed dilectam animam suam, quam tradidit in manus inimicorum suorum.

Hic finis Commentariorum noſtrorum in librum Eſther.

Fortè studiosus Lector in his aliqua requirat: Nempe, an & quos ex Assuero Esthera sustulerit liberos. An marito supervixerit? Quando & ubi ipsa Estera mortua? Quando & ubi è vita discesserit Mardochæus?

Verum nihil nobis, ne per conjecturam quidem occurrit quod respondeamus. Hæc solum reperimus in Benjamini Itinerario pag. 78. *Inter ruinas Elam maximæ quondam urbis, Suſan Habitata adhuc ſpectatur, Aſſueri regis palatium maximum, pulcherrimo opere:* de quo dictum cap. primo. Et infrà pag. 86. *Ab hoc monte*, inquit, *deſcenſum itinera ſinunt ad Hamdam magnam, & mediæ regionis principem urbem, atque in illâ urbe è regione unius è ſynagogis* (Iudæorum) *Mardochæi & Eſther ſepulcra ſunt.* Hæc ibi. Sepulcra Mardochæi, & Estheræ.

De sensu mystico non est quod separatim hîc agamus, cum plurima Allegoricè sparsim admiscuerimus, & de Ecclesiâ vel nobilissimo ejus membro Dei Matre interpretati fuerimus.

LIBER

LIBER ESTHER

Secundum Septuaginta, editionis Sixtinæ,

in quo laciniæ,

Quæ in translatione vulgatâ Latinâ sub finem libri ponuntur,

suis locis intextæ sunt,

Additis NOBILII NOTIS.

CAPVT PRIMVM.

Habentur hæc vers. 2. Cap. 11 in Latino.

ANno secundo regnante Artaxerse magno, prima die mensis Nisan vidit somnium Mardochæus filius Iairi, filii Semeia, filii Cisæi, de tribu Benjamin, homo Iudæus, qui habitabat in urbe Susis, homo magnus, ministrans in aulâ regis. Erat autem ex captivitate, quam captivam duxerat Nabuchodonosor Rex Babylonis è Hierusalem cum Iechonia rege Iudææ. Et hoc ejus somnium. Et ecce voces & tumultus, tonitrua & terræmotus, conturbatio super terram. Et ecce duo dracones magni parati processerunt utrique ad colluctandum. Et facta est vox eorum magna, & voce eorum parata est omnis gens ad bellum ut impugnarent justorum gentem. Et ecce dies tenebrarum & caliginis, tribulatio & angustia, afflictio & turbatio magna super terram. Et turbata est universa gens justa timentes sua mala, & parati erant perire, & clamaverunt ad Deum. A clamore autem eorum factum est, tamquam à parvo fonte, flumen magnum, aqua multa. Et lumen & sol exortus est, & humiles exaltati sunt, & devoraverunt inclytos. Et excitatus Mardochæus, qui viderat somnium hoc, & quid Deus deliberaverat facere, habuit illud in corde, & in omni verbo volebat illud cognoscere usque ad noctem.

Hæc ponuntur cap. 12 in Latino.

Et quievit Mardochæus in aula cum Gablatha & Tharra duobus eunuchis regis, qui custodiebant aulam; & audivit eorum sermocinationes, & curas eorum perscrutatus est, & didicit quia parant manus inferre Artaxersi regi, & indicavit regi de his. Et examinavit Rex utrosque eunuchos, & confessi strangulati sunt. Et scripsit Rex verba hæc in commentario. Et Mardochæus scripsit de verbis his. Et præcepit Rex Mardochæo ministrare in aulâ, & dedit ei munera pro his. Et erat Aman Amadathi Bugæus inclytus coràm rege, & quæsivit nocere Mardochæo & populo ejus propter duos eunuchos regis.

Et factum est post verba hæc in diebus Artaxersis.

Hæc habentur Cap. primo in Latino.

Hic Artaxerses, ab Indicâ centum viginti septem regiones obtinuit. In istis diebus, quando sedit Artaxerses rex in throno in Susis civitate, in anno tertio regnante ipso, convivium fecit amicis & reliquis gentibus, & Persarum & Medorum inclytis, & principibus Satraparum. Et post hæc postquam ostendit eis divitias regni sui, & gloriam lætitiæ [a] opulentiæ suæ in diebus centum octoginta. quando autem impleti sunt dies nuptiarum, fecit rex convivium gentibus inventis in civitate per dies sex in atrio domus regis ornato byssinis & carpasinis extentis super funibus byssinis & purpureis super cubos aureos & argenteos, super columnas parias & lapideas: lecti aurei & argentei super pavimentum smaragdini lapidis, & pinnini & parii lapidis, & strata pellucida varie ornata floribus. [b] In circuitu rosæ sparsæ: pocula aurea & argentea, & gemmatus calix propositus è talentis triginta millibus: vinum multum & suave quod ipse rex bibebat. Potus autem hic non secundum propositam legem fiebat. Sic enim voluit rex & præcepit œconomis facere voluntatem ipsius & hominum.

Et Astin regina fecit convivium mulieribus in regiis, ubi Rex Artaxerses. In die autem septimâ exhilaratus rex dixit ad Aman, & Basan & Tharra, & Barnizi & Zatholtha, & Abaraza, & Tharaba septem eunuchos ministros regis Artaxersis, ut introducerent reginam ad ipsum ad faciendum eam regnare, & circumponendum ei diadema, & ostendendam eam principibus, & gentibus pulchritudinem ejus, quoniam pulchra erat.

Et non exaudivit eum Astin regina, ut veniret cum eunuchis. Et tristatus est rex & iratus est, & dixit amicis suis: secundum hæc locuta est Astin! facite igitur de hoc legem & judicium. Et accessit ad eum Arcesæus & Sarsathæus, & Malisear principes Persarum & Medorum, qui prope regem, qui primi assidentes regi, & annuntiaverunt ei, secundum leges, quomodo oportet facere Astin reginæ; quia non fecit ea quæ à rege sunt constituta per eunuchos. Et dixit Muchæus ad regem & principes: Non regem solum injuriâ affecit Astin regina, sed etiam omnes principes & duces regis. Etenim narravit eis verba reginæ, & quomodo contradixit regi. Sicut igitur contradixit regi Artaxersi: sic hodie reliquæ dominæ principum Persarum & Medorum, audientes quæ regi dicta sunt ab eâ, audebunt similiter vilipendere viros suos. Si igitur videtur regi, statuat edictum regium, & scribatur secundum leges Medorum & Persarum, & non aliter utatur, neque ingrediatur ultra regina ad eum, & regnum illius det rex mulieri meliori eâ. Et audiatur lex quæ à rege, quamcumque fece-

rit in regno suo. Et ita omnes mulieres deferent honorem viris suis à mendico usque ad divitem. Et placuit verbum regi & principibus. Et fecit rex sicut locutus est Muchæus, & misit in omne regnum per regionem juxta sermonem eorum, ut esset timor eis in domibus suis.

NOBILIUS.

[a] *Opulentiæ. Abest à multis.* [b] *In circuitu vesæ sparsæ. Hæc & nonnulla alia quæ sequuntur absunt à Complutensi.*

CAPVT SECVNDVM.

Respondet Cap. 2 nostræ editionis Latinæ.

ET post verba hæc cessavit rex à furore: & [a] non ultra recordatus est ipsius Astin, in memoriâ habens qualia locuta erat, & quomodo condemnaverat eam. Et dixerunt ministri regis: Quærantur regi puellæ incorruptæ, pulchræ specie: & constituet Rex præfectos in omnibus regionibus regni sui: & deligant puellas virgines pulchras specie in Susan civitatem, in Gynæceum, & tradantur eunucho regis custodi mulierum, & detur unguentum abstergens & reliquus cultus. Et mulier quæ placuerit regi, regnabit pro Astin. Et placuit regi res & fecit sic. Et homo erat in Susis civitate & nomen ejus Mardochæus filius Iairi, filii Semeiæ, filii Cisæi, de tribu Benjamin, qui fuerat ductus captivus è Hierusalem, quam captivaverat Nabuchodonosor rex Babylonis. Et erat huic puella nutrita filia Aminadas fratris patris ipsius, & nomen ei Esther. In transmigrando autem parentes ejus, erudivit sibi eam in mulierem. Et erat puella pulchra specie. Et quando auditum est edictum regis, congregatæ sunt multæ puellæ in Susan civitatem, sub manum Gai. Et ducta est Esther ad Gai custodem mulierum, & placuit ei puella, & invenit gratiam in conspectu ejus. Et festinavit dare ei unguentum & partem, & septem puellas assignatas ei è domo regiâ. Et usus est illâ bene & ancillis ejus in Gynæceo. Et non indicavit Esther genus suum, neq; patriam. Mardochæus enim mandaverat ei non annuntiare. Per singulos autem dies deambulabat Mardochæus per atrium Gynæcei, speculans quid Esther accideret. Hoc autem erat tempus puellæ intrandi ad regem cum impleverit menses duodecim. Sic enim implentur dies cultus, menses sex unctis in [b] oleo myrrhino, & menses sex in aromatibus, & in unguentis mulierum: & tunc [c] ingreditur ad regem, & cuicumque dixerit, [d] tradet eam, ut simul ingrediatur ad se de Gynæceo usque ad regias, vespere ingreditur, & [e] versus diem recurrit in Gynæcum secundum, ubi Gai eunuchus regis, custos mulierum: & non ultra ingreditur ad regem, nisi vocata fuerit nomine. Dum autem impleretur tempus Esther filiæ Aminadab fratris patris Mardochæi intrandi ad regem, nihil prævaricata est eorum quæ mandavit eunuchus custos mulierum. Erat enim Esther inveniens gratiam apud omnes aspicientes eam. Et intravit Esther ad Artaxersem regem duodecimo mense, qui est Adar, septimo anno regni ejus. Et amavit rex Esther, & invenit gratiam præ omnibus virginibus, & imposuit ei diadema muliebre. Et fecit rex convivium omnibus amicis suis & virtutibus per dies septem: & exaltavit nuptias Esther & remissionem fecit iis qui sub regno ipsius. Mardochæus autem serviebat in aulâ. Esther autem non indicavit patriam suam. Sic enim mandaverat Mardochæus, timere Deum & facere præcepta ejus, sicut erat cum eo. Et Esther non mutavit educationem suam.

Et tristati sunt duo eunuchi regis, *principes custodum corporis*, quoniam provectus fuerat Mardochæus: Et quærebant occidere Artaxersem regem. Et manifestum fuit Mardochæo verbum, & significavit Esther, & ipsa patefecit regi insidias. Rex autem examinavit duos illos eunuchos & suspendit eos. Et præcepit Rex [f] seponere in commentario in regiâ bibliothecâ pro benevolentiâ Mardochæi in encomio. Ἀρχιτρικλίνους τοῦ βασιλέως.

NOBILIUS.

[a] *Absunt illa à Complut. vulgata autem habet, Recordatus est, &c.*

[b] *Oleo myrrhino. Idem ordo in vulgatâ, licet præposterus in aliis.*

[c] *Ingreditur. Plerique* ἐισπορεύονται, *ingrediuntur*

[d] *tradet. Alii* παραδώσουσιν, *tradere, ut tradat.*

[e] *Versus diem. Vulgata, mane. Complut.* πρὸς ἑσπέραν, *ad vesperam.*

[f] *Seponere. Complut.* καταχωρίσαι, *describere.*

CAPVT TERTIVM.

POst hæc autem glorificavit Rex Artaxersis Aman Amadathi Bugæum & exaltavit eum, & prior sedebat omnibus amicis suis, & omnes qui in aulâ, adorabant eum. Ita enim præcepit rex facere. Mardochæus autē non adorabat eum. Et locuti sunt, qui in aulâ regis, Mardochæo: Mardochæe, quid non observas ea quę à rege dicuntur? Per singulos dies loquebantur ei, & non obediebat eis. Et indicarunt Aman Mardochæum verbis regis repugnantem: & indicarat eis Mardochæus, quia Iudæus est. Et cognoscens Aman, quia non adorat eum Mardochæus, indignatus est valde, & decrevit delere omnes, qui sub Artaxersis regno, Iudæos, & fecit decretum in anno duodecimo Artaxersis, & misit sortes, diem ex die, & mensem ex mense, ut perderet in unâ die genus Mardochæi. Et cecidit sors in quartam & decimam mensis, qui est Adar. Et locutus est ad regem Artaxersem dicens: Est gens disseminata in gentibus in omni regno tuo: leges autem eorum diversæ præter omnes gentes; legibus autem regis sunt inobedientes, & non confert regi permittere eos. Si videtur regi, decernat perdere eos: & ego describam in gazophylacio regis argenti talenta decem millia. Et tollens rex annulum, dedit in manus Aman ad obsignandum [a] super iis quæ scripta contra Iudæos. Et dixit Rex ad Aman: Argentum quidem habe: gente autem utere sicut vis. Et vocati sunt scribę regis mense primo tertiadecimâ die: & scripserunt, sicut præcepit Aman, ducibus & principibus per omnem regionem ab Indicâ usque ad Æthiopiam, centum viginti septem provinciis, & principibus gentium secundum eorum linguâ, per Artaxersem regem; Et missum est per [b] tabellarios in Artaxersis regnum, delere genus Iudæorum in die unâ mensis duodecimi, qui est Adar, & diripere substantias eorum. Respondet nostro.

Epi-

ἀντίγραφον. Habentur hæc c. 13 in Vulgatâ Latina.

Epistolæ autem exemplar est hoc.

Rex Magnus Artaxerses iis qui ab Indiâ usque ad Æthiopiam centum viginti septem provinciarum principibus & locorum præfectis subjectis hæc scribit. Multis cum imperarem gentibus, & universum obtinuissem orbem, volui confidentiâ potestatis non elatus, sed mitius, & cum mansuetudine semper gubernans, subditorum tranquillas perpetuo reddere vitas, & [c] regnum placidum & pervium usque ad fines præbens, renovare etiam optatam omnibus hominibus pacem. Percunctante autem me consiliarios, quomodo perducatur hoc ad finem; is, qui moderatione apud nos [d] præcellit, & in benevolentiâ immutabilis & stabili fide probatus, & secundum à rege adeptus honorem Aman, indicavit nobis in omnibus, quæ per orbem tribubus admistum esse odiosum populum quemdam, legibus oppositum adversus omnes gentes, & regum prætermittentes assiduè constitutiones, ut non componatur is, qui à nobis dirigitur sine vitio, concors principatus. Cum igitur accepernmus hanc ipsam gentem solam ex adverso omni semper homini positam, commutantem institutionem legum, peregrinam, & dissentientem nostris rebus pessima consummare mala, & ad id, ut regnum bonum statum non consequatur: præcipimus igitur eos qui significantur vobis in scriptis ab Aman præposito super negotia, & [e] secundo patre nostro, omnes cum uxoribus & filiis [f] perdere radicitus, ipsis inimicorum gladiis, sine ullâ misericordiâ & clementiâ, die quartâ decimâ duodecimi mensis Adar præsentis anni, ut qui olim & nunc inimici, in die unâ violentè ad infernum descendentes, in posterum tempus bene constitutas & tranquillas præbeant nobis perfectiones.

ἀντίγραφα. Hæc habentur in fine Cap. 3 nostræ editionis. ἐκυδαΐζοντο.

Exemplaria autem Epistolarum edita sunt per regionem, & imperatum fuit omnibus gentibus, paratos esse in diem istum. Vrgebatur autem negotium & in Susan. Rex autem & Aman *epulabantur*, turbabatur autem civitas.

NOBILIUS.

[a] *Super iis quæ scripta, καθὼ τῶν γεγραμμένων. Nonnulli καθὼ τὰ γεγραμμένα, secundum quod scriptum erat, Aliquot etiam πάντα τὰ γεγραμμένα. Omnia quæ scripta.*

[b] *Tabellarios*, βιβλιοφόρων, *vel* βιβλιαφόρων. *Vulgata, Cursores. Alii* βιβλιογράφων, *scriptores litterarum.*

[c] *Regnum placidum. Plerique* ἥμερον, *quietum, pro* ἤμερον, *placidum.*

[d] *Præcellit* διενήνοχας, *longe melius quam quod in aliis,* ἀληθεύοντας.

[e] *Secundo patre nostro. Complut. secundo à nobis; In vulgatâ videtur utrumque conjungi, & secundus à rege, & quem patris loco colimus.*

[f] *Perdere,* ἀπολέσαι, *alii* ἀπολέσθαι, *perdi.*

CAPVT QVARTVM.

Respondet Latinæ editioni Cap. quarti.

MArdochæus autem cognoscens quod consummatum fuerat, discidit vestimenta sua, & indutus est sacco, & conspersit se cinere: & exiliens per plateam civitatis, clamabat voce magna: Tollitur gens, quæ nihil injuste egit. Et venit usque ad portam regis, & stetit. Non enim erat ei licitum ingredi in aulam saccum habenti & cinerem. Et in omni regione, ubi editæ fuerant litteræ, clamor & planctus & luctus magnus Iudæis: saccum & cinerem straverunt sibi. Et intraverunt ancillæ & eunuchi reginæ, & annuntiarunt ei. Et turbata est audiens factum. Et misit ad induendum stolâ Mardochæum, & auferendum ejus saccum. Ille autem persuasus non est. Esther autem advocavit [a] Achrathæum eunuchum suum, qui assistebat ei, & misit ut disceret ipsa à Mardochæo rem ipsam exquisitè. Mardochæus autem indicavit ei factum, & promissionem, quam promiserat Amân regi in gazam talentorum decem millium, ut perderet Iudæos. Et exemplar in Susis editum de ipsis perdendis dedit ei ad ostendendum ipsi Esther.

Habentur hæc in Latinâ, initio Cap decimi quinti.

Et dixit ei, ut [b] mandaret illi, ingredienti deprecari regem, & orare eum pro populo, memor dierum humiliationis tuæ, quomodo nutrita es in manu meâ, quoniam Aman secundus à rege locutus est contra nos ad mortem. Invoca Dominum, & loquere regi pro nobis, libera nos à morte.

Redit ad Caput quartum nostræ editionis.

Ingressus autem Achrathæus locutus est ei omnia verba hæc. dixit autem Esther ad Achrathæum. Vade ad Mardochæum & dic, quia gentes omnes regni sciunt, quia omnis homo, vel mulier qui ingredietur ad regem in aulam interiorem, non vocatus, non est ei salus: tantum, cui extenderit rex auream virgam, hic salvabitur. Et ego non sum vocata ingredi ad regem: sunt ipsi dies triginta. Et annuntiavit Achrathæus Mardochæo omnia verba Esther. Et dixit Mardochæus ad Achrathæũ: Vade, & dic ei: Esther, ne dixeris tibi, quia salvaberis sola in regno præter omnes Iudæos, quoniam nisi audieris in tempore hoc: aliunde auxilium & protectio erit Iudæis: tu autem & domus patris tui peribitis. Et quis novit, si ad tempus hoc facta es regina? Et misit Esther eum qui venit ad se, ad Mardochæum, dicens: Vadens convoca Iudæos, qui in Susis, & jejunate super me, & non comedatis neque bibatis per dies tres nõcte & die: & ego verò & ancillæ meæ abstinebimus à cibo, & tunc ingrediar ad Regem præter legem, etiam si perire me oporteat. Et pergens Mardochæus fecit quæcumque mandarat ei Esther.

Hæc leguntur cap. 13 nostræ editionis v. 8. & sequentibus.

Et deprecatus est Dominum, memor omnium operum Domini, & dixit: Domine, Domine, rex omnipotens, quia in potestate tua sunt omnia, & non est qui dissentiat à te, cum tu volueris salvare Israel: quoniam tu fecisti cœlum & terram, & omne quod suspicitur in sub cœlesti, & Dominus es omnium, & non est qui resistat tibi Domino. Tu omnia cognoscis: Tu nosti, Domine, quia non in contumeliâ, neque in superbiâ, neque in cupiditate gloriæ feci hoc, ut non adorarem superbum Aman: quoniam bene affectus eram osculari *vestigia* pedum ejus ad salutem Israel: sed feci hoc, ut non ponerem gloriam hominis super gloriam Dei: & non adorabo quemquam præter te Dominum meum, & non faciam hæc in superbiâ. Et nunc Domine Deus Rex, Deus Abraham parce populo tuo, quoniam insituentur nos ad perditionem, & concupierunt perdere eam, quæ à principio, hereditã-

ἴχνη.

tatem tuam. Ne despicias partem tuam, quam tibi redemisti è terrâ Ægypti.

Exaudi deprecationem meâ, & propitiare sorti tuæ, & verte luctum nostrum in delectationem, ut viventes hymnis celebremus nomen tuum, & ne deleas os laudantium te Domine. Et omnis Israel vociferatus est ex fortitudine suâ: quoniam mors sua in oculis ipsorum.

Habentur hæc apud nos c 14.

Et Esther regina confugit ad Dominum in agone mortis comprehensa: & autereus vestimenta gloriæ suæ, induit vestimenta angustiæ & luctus: & pro superbis suavitatibus, cinere & fimo implevit caput suum; & corpus suum humiliavit valde, & omnem locum [c] ornatus exultationis suæ replevit *laceratis* capillis suis, & deprecata est Dominum Deum Israel, & dixit: Domine mi, rex noster tu es solus, adjuva me solam, & non habentem adjutorem nisi te: quoniam periculum meum in manu meâ. Ego audiebam à nativitate meâ in tribu patriæ meæ, quia tu Domine assumpsisti Israel ex omnibus gentibus, & patres nostros ex omnibus majoribus eorum in hereditatem æternam, & fecisti eis quæcumque locutus es. Et nunc peccavimus coram te: & tradidisti nos in manus inimicorum nostrorum, eo quod glorificavimus deos eorum. Justus es Domine. Et nunc non satis habuerunt in amaritudine servitutis nostræ: sed posuerunt [d] manus suas super manus idolorum suorum ad tollendam determinationem oris tui, & delendam hereditatem tuam, & obturandum os laudantium te, & extinguendam gloriam domus tuæ, & altaris tui, & aperiendum os gentium ad virtutes vanorum & admirationi habendum regem carneum in seculum. Ne tradas Domine sceptrum tuum iis, qui non sunt: & non irrideant in ruinâ nostrâ: sed verte consilium eorum super eos: & in eum qui cœpit super nos, *exempla statue*: Memento Domine, ostende te in tempore tribulationis nostræ, & da mihi fiduciam rex deorum, & omni principatui imperans. Da sermonem *bene compositum in* os meum coram leone, & transfer cor illius in odium impugnantis nos, in consummationem ejus, & consentientium ei. Nos autem libera in manu tuâ, & adjuva me solam, & non habentem nisi te, Domine; omnium scientiam habes, & nosti quia odi gloriam iniquorum, & abominor cubile incircumcisorum & omnis alieni. Tu nosti necessitatem meam; quia abominor signum superbiæ meæ, quod est super caput meum in diebus ostentationis meæ: abominor illud sicut pannum [e] menstruorum: & non porto illud in diebus silentii mei. Et non comedit serva tua mensam Aman: & non glorificavi convivium Regis, neque bibi vinum libaminum: & non est lætata serva tua à die translationis meæ usque nunc, nisi in te, Domine Deus Abraham. Deus fortis super omnes, exaudi voces *desperatorum*, & erue nos de manu malignantium, & libera me à timore meo.

ἐφανίσω.

ἐνώπιον.

ἀπηλπισμένων.

NOBILIUS.

[a] *Achrathæum. Complut.* Ἀθραχ, *& vulgata Athach.*

[b] *Ut mandaret illi. Hæc paululum immutata videntur habuisse S. Hieronym. postea quæ sunt in extremo hujus capitis.*

[c] *Ornatus, abest à multis.*

[d] *Posuerunt. Hæc lectio videtur etiam convenire cum vulgatâ. Alii pro* ἔθηκαν *habent* ἔθηκας; *posuisti.*

[e] *Menstruorum. S. Augustin. ad Ecdiciam videtur habuisse menstruatæ, ut vulgata.*

CAPUT QUINTUM.

Habentur hæc cap. 15 v. 4 & sequentibus.

ET factum est in die tertiâ ut cessavit orans exuit vestimenta [a] servitutis, & circumdata est gloriâ suâ, & facta splendens, invocans omnium inspectorem Deum & salvatorem, assumpsit duas famulas, & uni quidem innitebatur, tamquam deliciis diffluens, altera autem subsequebatur allevans vestem ejus. Et ipsa rubens vigore pulchritudinis suæ: & facies ejus hilaris, tamquam jucunda: cor autem ejus arctatum præ timore. Et ingressa omnes januas stetit in conspectu regis, & ipse sedebat super thronum regni sui & omnem stolam splendoris sui induerat, totus in auro & lapidibus pretiosis, & erat terribilis valde. Et elevans faciem suam inflammatam gloriâ, in vigore furoris aspexit. Et cecidit regina & mutavit colorem suum in dissolutione, & procubuit super caput ancillæ præeuntis. Et immutavit Deus spiritum regis ad mansuetudinem; & factus in agoniâ prosiliit è throno suo, & assumpsit eam super ulnas suas, donec restituta est. Et consolabatur eam verbis pacificis & dixit ei: Quid est Esther? Ego frater tuus: Confide: Non morieris: quoniam commune præceptum nostrum est: accede. Et elevans auream virgam imposuit super cervicem ejus, & amplexus est eam: & dixit, loquere mihi. Et dixit ad eum: Vidi te Domine tamquam angelum Dei, & turbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ: quoniam mirabilis es, & facies tua gratiarum plena. Dum autem ipsa loqueretur, cecidit præ dissolutione. Et rex turbatus est: & omne famulitium ejus consolabatur eam.

Hæc leguntur cap quinto Latinæ editionis v. 3 & deinceps.

Et dixit rex: Quid vis Esther? & quod est tuum postulatum? usque ad dimidium regni mei, [b] & erit tibi. Dixit autem Esther: Dies mea insignis hodie est. Si igitur videtur regi; veniat & ipse & Aman ad convivium quod faciam hodie. Et dixit rex. Vocate citò Aman, ut faciamus verbum Esther. Et adveniunt utrique ad convivium, quod dixit Esther. In potatione autem dixit rex ad Esther. Quid est regina Esther? & erunt quæcumque postulaveris? Et dixit; petitio mea, & [c] postulatum: si inveni gratiam in conspectu regis: veniat rex & Aman adhuc cras ad convivium quod faciam eis, & cras faciam ea. Et exiit Aman à rege alacer [d] lætus. In videndo autem Aman Mardochæum Iudæum in aulâ, indignatus est valde. Et ingressus in propria, vocavit amicos, & Zosaram uxorem suam, & demonstravit eis divitias suas & gloriam, quam rex illi circumposuerat, & quomodo fecerat eum tenere primum locum & præesse regno. Et dixit Aman: Non vocavit regina cum rege quemquam ad convivium nisi me: etiam in crastinum vocatus sum. Et hæc mihi non, quamdiu videro Mardochæum Iudæum in aulâ. Et dixit ad eum Zosara uxor ejus & amici: Cædatur tibi lignum cubitorum quinquaginta: manè autem dic regi, & suspendatur Mardochæus super lignum. Tu autem intra

intra ad convivium cum rege & lætare. Et placuit verbum ipsi Aman, & paratum fuit lignum.

NOBILIVS.

a *Servitutis. Complut. τῦ viv͂us, luctus. vulgata, ornatus.*
b *Et erit. τὸ Et, abest à Complut. sed non ab Hebræo neque à collatis codicibus.*
c *Postulatum. In aliis additur μȣ̃, meum.*
d *Lætus. Complut. Et lætus.*

CAPVT SEXTVM.

Respondet cap. 6 nostro. χάμμαν τὸν μὴ μαν͂αι.

DOminus autem amovit somnum à rege nocte illâ, & dixit ministro suo afferre *litteras memoriales* dierum ad legendum ei. Invenit autem litteras scriptas de Mardochæo quomodo annuntiarat regi de duobus eunuchis regis, dum illi custodias agerent, & quærerent inferre manum Artaxersi. Dixit autem rex: Quam gloriam vel gratiam fecimus Mardochæo? Et dixerunt ministri regis. Non fecisti ei quidquam. Dum autem percunctaretur rex de benevolentiâ Mardochæi, ecce Aman in aulâ. Dixit autem rex: Quis in aulâ? Aman autem intraverat ad dicendum regi, ut suspenderet Mardochæum in ligno, quod paraverat. Et dixerunt ministri regis. Ecce Aman stat in aulâ. Et dixit rex: vocate eum. Dixit autem rex ad Aman: Quid faciam homini, quem ego volo glorificare? Dixit autem in seipso Aman: Quem vult rex glorificare nisi me? Dixit autem ad regem: Hominem quem vult Rex glorificare, afferunt pueri regis stolam byssinam, quâ rex circumdatur, & equum, super quem rex inscendit, & det uni amicorum regi honoratorum, & induat stolâ hominem, quem rex diligit, & ascendere faciat eum super equum, & prædicet per plateam civitatis, dicens: Sic erit omni homini quem rex glorificat. Dixit autem Rex ad Aman: Probè locutus es. Sic facito Mardochæo Iudæo servienti in aulâ: & non decidat à te verbum ex iis quæ locutus es. Sumpsit autem Aman stolam & equum & stolâ induit Mardochæum, & imposuit super equum, & transivit per plateam civitatis, & prædicabat dicens: Sic erit omni homini, quem rex vult glorificare. Rediit autem Mardochæus in aulam. Aman autem reversus est in propria tristans demisso capite. Et narravit Aman quæ sibi acciderant Zosaræ uxori suæ, & amicis. Et dixerunt ad eum amici & uxor. Si de genere Iudæorum Mardochæus, cœpisti humiliari coram eo: cadens cades, & non poteris eum ulcisci: quoniam Deus vivens cum eo. Adhuc ipsis loquentibus, adveniunt eunuchi urgentes Aman ad convivium, quod paraverat Esther.

CAPVT SEPTIMVM.

Convenit cum nostro textu ejusdem Capitis.

INtravit autem rex & Aman ut biberent cum reginâ. Dixit autem rex ad Esther secundâ die in potatione: Quid est Esther regina? & quæ est petitio tua, & quod postulatum tuum? Et esto tibi usque ad dimidium regni mei. Et respondens dixit: Si inveni gratiam in conspectu regis, detur anima petitioni meæ, & populus meus postulationi meæ. Venditi enim sumus & ego & populus meus in perditionem, & servitutem: nos & filii nostri in *pueros & ancillas*: & non audivi: non enim dignus *criminator* aulâ regis. Dixit autem rex. Quis iste qui ausus est facere rem hanc? Dixit autem Esther: Homo inimicus Aman malignus iste. Aman autem turbatus est ex rege & reginâ. Rex autem surrexit à symposio in hortum. Aman autem deprecabatur reginam: viderat enim se in malis esse. Revertit autem rex de horto. Aman autem procubuerat super lectum orans reginam. Dixit autem rex: ut etiam uxori vim afferat in domo mea? Aman autem audiens confusus est facie. Dixit autem [a] Bagathan unus eunuchorum ad regem: Ecce & lignum paravit Aman Mardochæo, qui locutus est pro rege & erectum est in propriis Aman lignum cubitorum quinquaginta. Dixit autem rex Crucifigatur in eo. Et suspensus est Aman super lignum quod paratum fuerat Mardochæo. Et tunc rex cessavit à furore.

ναιδικ τοῦ ναιδικου. διωγμὸν.

NOBILIVS.

a *Bagathan, &c. Complut. χαβουνα, & vulgata Harbona. Verum post ista verba in Complut. & multis aliis sequuntur nonnulla, quæ quoniam à vetustioribus & Hebræo & vulgatâ absunt, nihil causæ esse duximus cur referrentur.*

CAPVT OCTAVVM.

Respondet nostro.

ET in eâdem die rex Artaxerses largitus est Esther quæcumque fuerant Aman calumniatori. Et Mardochæus accersitus est à rege. Indicavit enim Esther quia sibi propinquus erat. Sumpsit autem rex annulum quem abstulerat ab Aman, & dedit eum Mardochæo. Et Esther constituit Mardochæum super omnia, quæ fuerant Aman: & adjicens locuta est ad regem, & procidit ad pedes ejus, & postulavit auferre malum ipsius Aman, & quæcumque fecerat Iudæis. Extendit autem rex ad Esther virgam auream. Surrexit autem Esther ad astandum regi. Et dixit Esther; si videtur tibi & inveni gratiam, mittatur ut revertantur litteræ missæ ab Aman scriptæ ut perderentur Iudæi, qui sunt in regno tuo.

Quomodo enim potero videre afflictionem populi mei, & quomodo potero salvari in perditione patriæ meæ? Et dixit rex ad Esther: Si omnem substantiam Aman dedi, & gratificatus sum tibi, & ipsum suspendi super lignum, quoniam manus intulerat Iudæis; quid adhuc quæris? Scribite etiam vos ex nomine meo, sicut videtur vobis, & obsignate annulo meo. Quæcumque enim scribuntur rege præcipiente, & obsignata fuerint annulo meo, non est eis contradicere. Vocati autem sunt scribæ in [a] primo mense, qui est Nisan, tertiâ & vigesimâ ejusdem anni, & scriptum est Iudæis, quæcumque mandavit Oeconomus & principibus Satraparum ab Indiâ usque ad Æthiopiam centum viginti septem Satrapis per provinciam & provinciam secundum eorum linguam. Scriptum est autem per regem, & obsignatum annulo ejus. Et miserunt litteras per tabellarios, quomodo præcepit eis uti legibus suis in omni civitate & auxiliari eis, & uti inimicis ipsorum & adversariis

ipsorum sicut volunt, in die unâ in omni regno Artaxersis tertiâ decimâ die duodecimi mensis, qui est Adar. Quarum est exemplar epistolæ, quæ scripta sunt.

Habentur cap. 16 nostræ editionis.

Rex magnus Artaxersis ab Indiâ usque Æthiopiam centum viginti septem [b] provinciis, regionum principibus, & iis qui nostra curant, valere. Multi plurimâ benefacientium bonitate frequentius honorati majora sapuerunt, & non solum subjectos nobis quærunt malis afficere, & satietatem non valentes ferre, etiam in suos ipsorum benefactores aggrediuntur machinari; & gratitudinem non solum ex hominibus auferentes, sed etiam insolitorum bonorum pompis elati, illius inspicientis omnia semper Dei inimicam malignis sententiam existimant se vitaturos. Sæpe autem & multos eorum, qui in potestatibus sunt constituti, qui persuasi sunt suscipere amicorum negotia [c] blanditia participes sanguinum innocentum eos reddens, circumdedit calamitatibus incurabilibus, fallaci malignitatis deceptione decipientibus imperantium simplicem probitatem. Contemplari autem licet (non tam ex veteribus, ut tradidimus, historiis) exquirentes vos quæcumque ad pedes impiè sunt consummata eorum qui indignâ dominatione premunt, pestifera corruptela, & attendere ad ea quæ posthæc; quomodo regnum tranquillum omnibus hominibus cum pace præbebimus utentes mutationibus, & quæ ad conspectum veniunt, dijudicantes semper cum æquiore occursu. Etenim Aman Amadathi Macedo revera alienus à Persarum sanguine, & multum distans à nostrâ benignitate, peregrinus à nobis susceptus, consecutus est, quam habemus erga omnem gentem, humanitatem, eo usque ut appellaretur noster pater, & adoratus ab omnibus secundam regalis throni personam gereret. Non ferens autem superbiam studuit principatu privare nos & spiritu, & nostrum salvatorem, ac per omnia benefactorem Mardochæum, & inculpatam regni consortem Esther cum universâ horum gente multiplicibus artificiorum deceptionibus petens ad perditionem. Per hos enim modos putavit nactus nos desolatos, Persarum imperium ad Macedonas transferre. Nos autem traditos à ter exitiali illo ad perditionem Iudæos invenimus non esse maleficos, sed justissimis gubernari legibus, esse autem filios Altissimi, maximi, viventis Dei, qui direxit & nobis & majoribus nostris regnum in pulcherrimâ dispositione. Rectè igitur facietis, non utentes missis ab Aman Amadathi litteris, eo quod ipse qui hæc molitus est, apud Susarum portas crucifixus est cum totâ familiâ, dignum eo, qui omnia tenet, Deo velociter reddente ei judicium. Exemplar autem hujus epistolæ edentes in omni loco cum libertate permittatis Iudæos uti suis legibus & adminiculo sitis eis, ut illos, qui in se, in tempore tribulationis insurrexerant, ulciscantur die decimâ tertiâ duodecimi mensis Adar, eâdem die. Hanc enim omnium dominator Deus pro perditione electi generis fecit eis lætitiam. Et vos igitur in inclytis vestris festivitatibus insignem diem cum omni lætitiâ agite, ut & nunc, & post hæc salus sit nobis, & iis qui bene noti sunt Persis, iis autem qui nobis insidiantur, memoriale perditionis. Omnis autem civitas vel provincia omnino, quæ secundum hæc non fecerit, hastâ & igni consumetur cum irâ [d] non solum hominibus invia, sed etiam bestiis & volatilibus in omne tempus odiosissima reddetur.

Exemplaria autem proponantur *visibiliter* in omni regno, paratique sint omnes Iudæi in hanc diem, debellare suos adversarios.

Hæc habentur cap. 9 v. 13. ἐξδικήσεσθαι.

NOBILIUS.

[a] *Primo. Vulgata: tertii mensis qui vocatur Sibam.*
[b] *provinciis*, σατραπείαις, *alii Satrapiis*, σατράπαις.
[c] *blanditia*, κολακείαν, *quod alii solatium vertunt.*
[d] *Non solum. Complut. Et non solum.*

CAPUT NONUM.

IGitur ipsi quidem equites exiverunt festinantes ea quæ à rege dicta erant, perficere. Propositum est autem, edictum etiam in Susis. Mardochæus autem processit ornatus regali stolâ, & coronam habens auream, & diadema byssinum purpureum. Videntes autem qui in Susis gavisi sunt. Iudæis autem facta est lux & lætitia per civitatem & provinciam ubicumque propositum fuerat edictum, gaudium & lætitia Iudæis, epulatio & lætitia. Et multi ex gentibus circumcidebantur & Iudaizabant propter timorem Iudæorum.

Hæc leguntur cap. 8. v. 14 & deinceps in nostrâ vulgatâ.

In duodecimo enim mense tertiâ decimâ mensis, qui est Adar, aderant litteræ scriptæ à rege. In eâdem die perierunt, qui adversabantur Iudæis. Nullus enim contra stetit, timens eos. Principes enim satraparum & tyranni & regii scribæ honorabant Iudæos. Timor enim Mardochæi incubuerat eis. Advenerat enim edictum regis, ut nominatus esset in omni regno. Et in Susis civitate interfecerûnt Iudæi viros quingentos & Pharsannes, & Delphon & Phasga & Pharadatha & Bareu & Sarbara, & Marmasima & Rusæum & Arsæum, & Saburæum decem filios Aman [a] Amadathi Bugæi inimici Iudæorum & [b] diripuerunt in eadem die. Et datus est numerus regi eorum qui perierunt in Susis. Dixit autem rex ad Esther: Peremerunt Iudæi in Susis civitate viros quingentos; in adjacente autem quomodo putas, usi sunt? Quid igitur postulas amplius, & erit tibi? Et dixit Esther regi: Detur Iudæis, ut utantur similiter cras, ut decem filios Aman suspendant. Et permisit rex sic fieri, & permisit Iudæis civitatis, corpora filiorum Aman suspendere. Et congregati sunt Iudæi in Susis quarta decimâ Adar, & occiderunt viros trecentos, & nihil diripuerunt. Ceteri autem ex Iudæis, qui in regno congregati sunt & seipsos adjuvabant, & requieverunt ab hostibus. Peremerunt enim ex eis [c] quindecim millia die tertiâ decimâ Adar, & nihil diripuerunt. Et requieverunt decimâ quartâ ejusdem mensis, & egerunt diem illum requietis cum gaudio & lætitiâ. Iudæi autem qui in Susis civitate congregati sunt etiam quartâ decimâ & requieverunt. Egerunt autem & quintam decimam cum gaudio & lætitiâ. Propter hoc igitur Iudæi qui dissleminati sunt in omni regione, quæ *extra muros*, agunt quartam decimam Adar diem bonum cum lætitiâ, mittentes partes unusquisque [d] proximo. Scripsit autem Mardochæus verba hæc in libro, & misit Iudæis, quicumque erant in regno Artaxersis, iis qui prope, & iis qui longè,

Hæc habentur cap. 9 nostræ Latinæ.

τῇ ἴδιᾳ.

ut

ut statuerent dies hos bonos, & celebrarent quartam decimam & quintam decimam Adar (in his enim diebus requierunt Iudæi ab inimicis suis) & mensem, in quo facta est eis conversio, qui erat Adar, ex luctu in gaudium, & ex dolore in bonam diem, celebrarent totum, bonos dies nuptiarum & lætitiæ, mittentes partes amicis
πλουσίῳ. & *mendicis*. Et susceperunt Iudæi, sicut scripsit eis Mardochæus; quomodo Aman Amadathi Macedo impugnabat eos, sicut posuerat decretum, & sortem delendi eos, & intravit ad regem dicens, suspenderet Mardochæum: quæcumque verò aggressus est inducere super Iudæos mala, super ipsum evenerunt, & suspensus est ipse &
Φρυρὰ filii ejus. Propter hoc vocati sunt dies illi [a] Phruræ propter sortes, quoniam linguâ eorum vocantur Phruræ per verba epistolæ hujus: quæcumque passi sunt propter hæc, & quæcumque evenerunt ipsis [f] & statuit: Et susceperunt Iudæi super se & super semen suum, & super appositos ad ipsos nec sanè aliter utentur. [g] dies autem si memoriale perfectum per progeniem & progeniem, & civitatem & patriam & regionem. Dies autem hi ipsorum Phruræ celebrabuntur in omne tempus & memoria eorum non deficiet à generationibus. Et scripsit Esther regina filia Aminadab, & Mardochæus Iudæus quæcumque fecerunt, & firmamentum epistolæ ipsorum Phruræ. Et Mardochæus & Esther regina statuerunt
κατὰ τῆς ἑαυτῶν. sibi per se, & tunc statuentes per *sanitatem suam* ipsorum & consilium ipsorum. Et Esther verba statuit in seculum, & scriptum est in memoriale.

NOBILIVS.

a *Amadathi & decem filios, ubi, &, redundat.*
b *diripuerunt, Complut. Et non diripuerunt. Et sic habet vulgata, & etiam paulo post noster hic, & his Græci codices.*
c *quindecim millia. Complut. Septuaginta quinque millia, ut & vulgata.*
d *proximo. In plerisque libris hæc adduntur: Qui vero habitant in metropolibus eximm decimam quintam Adar lætitiam (Complut. in lætitia) bonam agunt, mittentes partes proximis; quæ non sunt in Hebræo, neque in vulgatâ.*
e *Phruræ. Complut. Φυρὶμ, ut vulgata Phurim.*
f *Et statuit. Hebræus habet, & statuerunt, & conjungit cum sequentibus.*
g *dies autem hæc usque ad alterum. dies autem absunt à Complut. In Hebræo autem & vulgatâ multo plura interjiciuntur & explicatiora.*
h *sanitatem. Complut.* κατὰ τὴν ὑγείαν αὐτῶν, *secundum jejunium ipsorum.*

CAPVT DECIMVM.

SCripsit autem rex ad regnum terræ & maris. Hæc leguntur initio Cap. decimi in nostris. Et fortitudinem ejus & magnificentiam ejus, & divitias & gloriam regni ejus, ecce scripta sunt in libro regum Persarum & Medorum in memoriam. Mardochæus autem secundus erat à rege Artaxerse, & magnus erat in regno, & glorificatus à Iudæis & amatus narrabat educationem omni genti suæ.

Et dixit Mardochæus. A Deo facta sunt ista. Hæc habentur cap. 10 à v. 4 & deinceps. Recordatus enim sum somnii quod videram de verbis his. Neque enim præterit de iis verbum. Parvus fons [a] qui factus est flumen & erat lux & sol & aqua multa; Esther est flumen, quam matrimonio junxit Rex & fecit Reginam. Duo verò dracones ego sum & Aman; Gentes autem quæ convenerant ad perdendum nomen Iudæorum. Gens autem mea hic est Israel qui clamantes ad Deum & salvati. Et salvavit Dominus populum suum, & eruit Dominus nos ex omnibus malis his. Et fecit Deus signa & prodigia magna quæ non sunt facta in gentibus. Propter hoc fecit sortes duas, unam populo Dei, & unam omnibus gentibus. Et venerunt duæ sortes hæ ad horam & tempus, & ad diem judicii coram Deo & omnibus gentibus. Et recordatus est Deus populi sui, & justificavit hereditatem suam. Et erunt eis dies hi in mense Adar die quartâ decimâ & quintâ decimâ mensis cum synagogâ & gaudio & lætitiâ coram Deo per progeniem in seculum in populo ejus Israel.

Anno quarto regnante Ptolomæo & Cleopatrâ attulit Dositheus (qui dicebat se esse sacerdotem & Levitam) & Ptolemæus filius ejus propositam epistolam ipsorum Phruræ: quam dixerunt esse & interpretatum esse Lysimachum Ptolomæi qui in Ierusalem. Ponuntur hæc initio Cap undecimi nostri textus.

NOBILIVS.

a *Qui: abest istud ἥ à Complut. Auctor tamen vulgatæ videtur habuisse ἥ Qui.*

BREVIS CHRONOLOGIA

Sive ratio temporum Hiſtoriæ Eſther.

ANno ſecundo Aſſueri ſive Artaxerxis regis Perſarum, quicumque tandem ille fuerit, primâ die menſis Niſan ſive Martii contigit ſomnium Mardochæi. A quo initium hujus hiſtoriæ ſumunt Septuaginta; ponitur verò in noſtrâ editione Latinâ vulgatâ, capite undecimo, ℣. 2, quod ibidem explicatum eſt.

Anno tertio ejuſdem, nobiliſſimum illud epulum inſtructum fuit, quod refertur cap. primo editionis Latinæ, ab initio, in Græcâ verò ponitur quidem cap. primo, ſed poſt inſidias paratas & detectas, quas duo eunuchi regi ſtruxerant.

Anno quarto ejus cum reliquis virginibus inducta eſt etiam Eſther in regium Gynæceum, ut habemus in textu Hebræo, Græco, Latino, (licet nota anni non exprimatur, quæ tamen ex rebus geſtis facilè colligitur) cap. 2. Manſiſſe autem Eſtheram in Parthenone per triennium conſtat ex ℣. 26 ejuſdem capitis.

In annum ſeptimum Aſſueri cadunt ſolennes cum Eſtherâ nuptiæ. Sic enim habent omnes textus cap. ſecundo ℣. 26. *Ducta eſt itaq;* (Eſther) *ad cubiculum regis Aſſueri menſe decimo, qui vocatur Tebeth* (Græcè, menſe duodecimo, qui eſt Adar) *ſeptimo anno regni ejus, &c.*

Ad annum octavum, nonum vel etiam decimum pertinent inſidiæ, quas Bagathan & Thares eunuchi Regi intenderunt, & à Mardochæo patefactæ ſunt, quæ in Hebræo recenſentur cap. ſecundo ℣. 21; in Græco verò & Latino bis narrantur, ſemel videlicet in Græco cap. primo ſtatim poſt commemoratum ſomnium Mardochæi, iterum ſuo loco cap. ſecundo, ubi eas narrant Hebræus & Latinus, quas hic iterum ex Græco refert cap. duodecimo. Certum autem eſt illas eveniſſe poſt nuptias cum Eſthera initas, ut manifeſtum eſt ex iis quæ habentur cap. ſecundo ℣. 22 ubi ſuo ordine memorantur; Cur autem Græca bis repetant eaſdem inſidias & juxta illa etiam Latina, rationem apud nullum Interpretem reperi, & conjicere ex me non poſſum. Solum ajunt quidam primo loco inſidias relatas eſſe primo Capite per Prolepſin vel Anticipationem, quæ poſtea cap. ſecundo ſuo loco ponuntur. Nec movere nos debent ea quæ habentur in Græco cap. primo, antequam Convivium Aſſueri recenſeatur. *Et factum eſt poſt verba hæc in diebus Artaxerſis, &c.* ubi mox mentio fit magnificentiſſimi epuli habiti anno Aſſueri tertio: quia illa *(poſt verba hæc)* non pertinent ad ea quæ dicta ſunt de inſidiis per Anticipationem, ſed ad ſomnium Mardochæi, quod ſuo ordine commemoratum fuit.

Ad annum undecimum regni Aſſueri omnino videntur ſpectare, quæ leguntur cap. tertio de exaltatione Aman, & ejus capitaliſſimo in Mardochæum & Iudæos odio, conſilioque totam Hebræorum gentem penitus exſcindendi, quod manifeſtè liquet ex iis, quæ mox dicemus.

Anno Aſſueri duodecimo, ut habemus Eſther cap. 3 ℣. 7 miſit Aman ſortem de tempore, quo Iudæi eſſent perdendi. Sic enim habemus, *Menſe primo (cujus vocabulum eſt Niſan) anno duodecimo regni Aſſueri, miſſa eſt ſors in urnam, quæ Hebraice dicitur phur coram Aman, quo die & quo menſe gens Iudæorum deberet interfici, & exivit menſis duodecimus qui vocatur Adar.*

Hoc verò anno Aſſueri contigerunt omnia fere, quæ referuntur in ſequentibus libri Eſther Capitibus, excepto, quod interfectio exercita à Iudæis in hoſtes ſuos, quæ memorantur cap. 9 ℣. primo & deinceps, facta videatur ejuſdem anno decimo tertio.

Cæterum nulla alia nota temporis in hac hiſtoriâ ſupereſt, niſi Cap. undecimo ℣. primo, ubi ſcribitur Epiſtolam Phurim, id eſt, hiſtoriam Eſther tuliſſe Ieruſalem Doſitheum ſacerdotem & Ptolomæum ejus filium anno quarto, regnantibus Ptolomæo & Cleopatrâ. Putant verò plerique omnes hunc Ptolomæum fuiſſe Philometorem Ægypti regem; de quo vide Tomiellum anno mundi 3876, & Salian. tomo 5, anno Mundi 3602.

PARAL-

PARALLELISMVS
MARDOCHÆI ET CHRISTI, ESTHERÆ ET VIRGINIS MATRIS;
SIVE
VITÆ EORVM MVTVO COMPARATÆ;

Ex tomo quinto Iacobi Saliani anno mundi 3602, Numero 14 & sequentibus.

QVamvis sparsim in Commentariis nostris per varias Allegorias ad invicem amplè & copiosè hasce personas contulerim, existimavi tamen Lectori gratum fore, si ea quæ Salianus Noster fasceatim de his in unum congessit, hìc describam, cum sciam ipsius Annales non omnibus ad manum esse.

Mardochæus typus Christi. Itaque Mardochæus Christi Domini typus fuit.

In voluntariis pœnis & oratione. 1 Mardochæus voluntariis se pœnis afflixit pro salute populi sui, proque eo in magnâ angustiâ animi sui, ferventissimâ oratione supplicavit Deo, & exauditus est. Christus Dominus sponte ac volens *vulneratus est propter iniquitates nostras*, Isaiæ 53, ℣. 5. *attritus est propter scelera nostra*, & Deo supplicans usque ad agoniam & sudorem sanguineum pro peccatis populi sui, *exauditus est pro suâ reverentiâ*, ad Hebr. cap. 5 vers. 7.

Negans adorationem Amano. 2 Mardochæus superbissimum Aman adorare noluit, ne honorem Dei sui transferret ad hominem, & ne quemquam adoraret excepto Deo suo. Christus superbissimo dæmoni dicenti, *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me*, respondit: *Vade Satana: Scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*, Matth. 4, ℣. 9 & 10.

Patefaciens insidias eunuchorum. 3 Eunuchi duo occultè sentiebant cum Aman, & conspirarant in perniciem Regis; at Mardochæus patefecit insidias, & uterque in crucem acti sunt, Amane incolumi, & in nequitiâ perseverante, ut propterea Rex diceret: *Vt insidiaretur nostræ solitudini, & regnum Persarum transferret in Macedones.* Cum Dæmone conspirant in perniciem hominis Caro & mundus, quorum fraudes, & proditorias artes Christus Dominus patefacit doctrinâ suâ Euangelicâ; unde amor utriusque inordinatus mortificatur, & in crucem agitur. At dæmon obdurescit in malitiâ, satagens si quo modo possit regnum Christi in se transferre.

Ab invito Amane honoratus. 4 Mardochæus ab infensissimo inimico atque invitissimo honoratus est. Hostes Christi invitissimi dæmones Christum Dominum laudabant atque honorabant dicentes: Marci 8, 24, & Lucæ 4, 34. *Scio te quis sis Sanctus Dei: Quid nobis & tibi Iesu Nazarene? venisti perdere nos.*

Et ab eodem cum populo suo victus & afflictus. 5 Improbissimus Aman toti imperio Persarum secundum regem dominabatur, adeo ut honores regi debiti illi deferrentur. Cum autem Mardochæum cruci destinasset totumque populum ejus morti addixisset: ipse vice versâ omni potestate privatus, & supremo supplicio affectus est, & populus ejus hostis Iudæorum, à Iudæis victus & profligatus est. Sceleratissimus Dæmon toti mundo dominabatur, adeo ut honor & cultus debitus Deo ipsi in idolis deferretur. Verum cum ejus artibus rerus Mardochæus cruci addictus est, Princeps hujus mundi ejectus est foras, ejus populus impius & infidelis, qui populum Christianum perdere satagebat, profligata Idololatriâ victus atque prostratus est.

Exaltatus à rege. 6 Mardochæus à paratâ sibi cruce divinitus ereptus, secundus à rege factus est, Amane cum suis invitissimo, donec inimici Iudæorum perierunt. Dominus autem regnavit à ligno, ubi invitis Iudæis publicum à Prorege testimonium accepit non solum innocentiæ, sed Regis Iudæorum. Et audivit à Patre: *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*; Psal. 109 ℣. 1.

Glorificat populum suum. 7 In causâ fuit Mardochæus, ut Iudæi, qui antea impii, superstitiosi & rebelles audiebant, mox à rege, ipso dicerentur filii Altissimi, & maximi, semperque viventis Dei: Christus dedit potestatem *filios Dei fieri his qui credunt in nomine ejus*, Ioan. 1. ℣. 12.

Exspoliat Aman, & de eo triumphat. 8 Mardochæus accipit annulum regis, quo spoliatus fuit Amán, ut antiquatis prioribus litteris, quæ adversus Iudæos erant, novas pro eis scriberet, & regio sigillo obsignaret: sicque publicè de Amanis malitiâ triumpharet. Christus Dominus *delevit, quod adversum nos erat, chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci, & expolians principatus & potestates traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso*; ad Colossi. Cap. 2, 14.

Fulget in ornatu regio. 9 Mardochæus *de Palatio, & de conspectu regis egrediens, fulgebat vestibus regiis, coronam auream portans in capite, & amictus serico pallio atque purpureo*, Esther 8, 15. Christus in monte *resplenduit facies sicut sol, & vestimenta ejus facta sunt alba sicut nix. Et accepit à Deo Patre honorem & gloriam, voce delapsa ad eum à magnificâ gloriâ: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite*, 2 Petri primo 17.

Instituit convivium in memoriam beneficii. 10 Iussit Mardochæus celebrari memoriam accepti beneficii conviviis & epulis ad ultimam usque posteritatem. Instituit Christus Dominus convivium solenne illudque celebrari voluit in suam commemorationem, & mortem ejus an-

Esther Virginis typus.

nuntiari, donec veniat in fine seculi. Esther quoque Virginis speculum & figura clarissima fuit, ut ex sequentibus liquebit.

Quod ignota.

1 Vixit Esther occulta & incognita in domo Mardochæi pueriles annos, donec traderetur conjugio. B. Virgo transegit in templo domini pueritiæ annos ab anno tertio occulta atque ignota, usque dum Iosepho sociaretur conjugio.

Et humilis etiam regina.

2 Esther humilis vixit sub curâ Mardochæi & Regina facta, humilis perseveravit. Humilis vixit B. Virgo etiam facta regina Mundi & mater Dei, non secus ac cum in templo sub curâ, ut creditur, Zachariæ sacerdotis, & cognati parvula educaretur. Vnde & dicebat: *Respexit humilitatem ancillæ suæ.*

Præparata in publicam salutem.

3 Esther divinitus præparata est ad avertendam maximam à Iudæis calamitatem & ad conjugio regio supplantandum & perdendum Aman. Electa est divinitus Beatissima Virgo, ut esset consolatrix afflictorum, & patrona populi Christiani, ut Satanam conjugio falleret, & ejus contereret caput.

Substituta Vasthi.

4 Esther humilis & obediens Mardochæo patrueli quasi patri; Vasthi propter ipsius superbiam atque inobedientiam substituta est. Maria mater viventium perfectissimum obedientiæ atque humilitatis speculum & exemplum substituta est in locum Evæ, inobedientiæ atque superbiæ antesignanæ, quæ & ipsa mater viventium, aut potius morientium fuit.

Omnium pulcherrima.

5 Esther præ omnibus Regi Assuero placuit, inventa quippe est omnium pulcherrima. Maria virgo invenit gratiam apud Deum, & sola inventa est, non habens maculam neque rugam, neque aliud quidquam hujusmodi, sed sancta & immaculata.

Assimilata in nuptiis.

6 In nuptiis Estheris conviviũ permagnificum fecit Assuerus, & populo tributa laxavit, & dona largitus est, juxta magnificentiam principalem. In Incarnatione Domini celebratæ sunt nuptiæ in utero virginis, & facta est sponsa Spiritus Sancti, & assumpta est Parabola adversus Regem Babylonis, dicendo. *Quomodo cessavit exactor, quievit tributum?* Isaiæ 14 ℣. 4. Sed & toti mundo pax data est, quam solus totius mundi princeps dare potuit. Et multi propter has nuptias repleti sunt Spiritu Sancto, & variis Dei donis, ut Ioannes Baptista, Elisabeth, Zacharias, Ioseph, Simeon, Anna prophetis, & ipsa Virgo in primis.

In gratiâ apud Regem.

7 Tanta fuit Estheris apud Regem gratia, ut non contentus posuisse diadema regni super caput ejus, etiam ultro semel, iterum, tertio excitaret eam ad petendum, dicens. *Quid vis Esther regina? quæ est petitio tua? Etiam si dimidiam partem regni petieris, dabitur tibi.* Petuit & impetravit, neque umquam in ullâ re passa est repulsam. Tanta est Mariæ apud Deum gratia, ut non contentus eam constituisse cœli terræque reginam, ultro etiam petat, numquid pro aliquibus impetrare velit veniam, virtutes, gratiam, gloriam; imo etiam sanitatem, vitam, divitias, pacem, progeniem, scientiam, omnia; nec umquam patitur repulsam; Nullum ut majus donum mortalibus, secundum filium suum unigenitum dedisse videatur, quam illam: quam cum nobis dedit advocatam & matrem, omnia simul nobis quodammodo largitus est; sese quippe obligavit ad perpetuo reservandum omnium beneficiorum thesauros.

Mansuefecit Assuerum.

8 Esther Assuerum in omnes tanta severitate & majestate terribilem, ut qui ad eum non vocatus accederet, absque ulla cunctatione, statim interficeretur, non solum flexit ad veniam, sed etiam ita mansuefecit, ut de throno suo exiliens reginæ blandiretur dicens. *Quid habes Esther? Ego sum frater tuus: noli metuere:* quin & tulit sceptrum, & posuit in manu ejus, & virgam super collum ejus, & osculatus est eam. Tanta erat olim Dei severitas, ut cum se in monte ostenderet inter fulgura & tonitrua, inter flammas atque caliginem, diceret etiam: *Omnis qui tetigerit montem, morte morietur.* Exod. 19 ℣. 12. Vnde *perterriti & pavore concussi, steterunt procul, dicentes Moysi; Loquere tu nobis, & audiemus: Non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.* Ibidem c. 20, 19. Denique dixerunt filii Israel ad Moysen: *Ecce consumpti sumus, omnes perivimus. Quicumque accedit ad Tabernaculum Domini, moritur. Num usque ad internecionem cunctli delendi sumus?* Numer. 17 ℣. 12 & 13. At nova Esther cum eduxit de solio suo, & totius majestatis pene oblitum ita mansuefecit, ut infantulus in ejus luderet sinu, cum amplexaretur, & blandiretur, è collo ejus penderet, eam oscularetur ultrò, & illa vicissim diceret: *Osculetur me osculo oris sui.* Vicissim lactaret, indueret, sopiret, adoraret.

Revocavit mortis sententiam.

9 Esther mortis sententiam contra Iudæos revocavit, & eadem etiam iteratam in eorum inimicos convertit. Virgo beatissima genus humanum morti æternæ damnatum conciliavit Deo per filium suum, & facta *Castrorum acies ordinata* contra fidei hostes, dat fidelibus insperatas victorias, etiam iteratas.

Illi gloriatur Synagoga.

10 Gloriosa facta Estheræ Synagoga & ejus beneficium misera quotannis celebrat. Gloriosissima & felicissima facta est Ecclesia Dei tantâ Dominâ & patronâ, cujus qui beneficia quotidiana considerat in omne hominum genus, habet unde propter ipsam & per ipsam Deo gratias agat sempiternas.

Si quis collationes has parallelas velit extendere & amplificare, vel etiam plures contexere, plures habet scriptores, qui Encomia Magnæ Matris & Virginis stilo suo descripserunt, & ad manum sunt nostra Commentaria, unde copiosè haurire poterit. Siquidem Deo & ejus parenti hic potissimum labor noster desudavit, cui finem imponimus luce ejus in Templo præsentationi sacrâ, orantes cum universâ Ecclesiâ, ut ejus intercessione in Templo gloriæ præsentari mereamur: Per Dominum nostrum Iesum Christum, cui cum Patre & Spiritu Sancto honor sit & gloria in secula sempiterna, Amen.

INDICVLVS

Documentorum Allegoricorum, Moralium, Politicorum, Symbolicorum, & aliorum, quæ his in librum Esther Commentariis continentur.

Ex cap. primo v. 1, 2. EXcursus moralis: Castitas exordium & caput regni Christi.

Allegoria prima: Virgo Mater ob eximiam puritatem merito Susan.

Allegoria secunda: Virgo mater Christianis arx & præsidium contra fœdæ libidinis insultus.

v. 3, 4. Parechasis vel digressio prima: Principes gloriam ex magnificis conviviis captant.

Parechasis vel digressio altera: Principes ut regni sui potentiam ostentent, celebre aliquod monimentum posti se relinquere curant.

Parechasis tertia: Persarum Regum magnificentia in palatiis, foliis, &c.

Parechasis quarta: Immundi opificio Deus gloriam, majestatemque suam ostendit.

v. 5. Animadversio prima: Horti Regum Persicorum.

Animadversio secunda: Studium Regum in hortis colendis.

Monitum Morale: Non rejiciendi à conviviis Principum pauperes.

v. 6. Digressiuncula de lectulis discubitoriis.

Anagoge & Manuductio ad palatium cœleste.

v. 7, 8. Digressio prima: An celebrare vel frequentare convivia licitum?

Digressio secunda: Quis conviviorum finis?

Digressio tertia: Quæ in conviviis reprehensioni obnoxia, quæ commendatione digna?

Digressio quarta: Christus verbo & exemplo frugalitatem in mensâ servandam docuit, & salutares epulis permiscere sermones.

Digressio quinta; quomodo priscorum Persarum parsimonia in luxum & ebrietatem degeneraverit.

Digressio sexta: Vini modicè potí commoda, immoderatè verò hausti damna.

Digressio septima: Barbarus mos incessitur ad æquales hausius convivas compellendi, vel poculis certandi.

Allegoria de convivio Eucharistico.

Anagoge ad convivium cœleste.

Dissertatio Prima:

v. 9. An apud Persas ad convivia virorum etiam feminæ admittebantur?

Dissertatio secunda: Laudabile institutum multarum gentium apud quas sejunctæ à viris feminæ convivantur.

10, 11. Dissertatio prima. Persicorum Regum vinolentia.

Dissertatio secunda. Noxia & indecora Principibus ebrietas.

Dissertatio tertia: Ebrietas lumen mentis obnubilat, & quod in homine hominis est, extinguit.

Dissertatio quarta: Periculosa & reprehensione digna Assueri ostentatio, quâ Reginæ conjugis formam omnibus exponit.

Quæstio: Recténe an secus fecit Vasthi, dum venit, 12. Assuero eam ad convivium vocanti, venire?

Parechasis prima: Mulierum corona & purpura pudor.

Parechasis altera: fastus pulchritudinem mulierum comitatur, & quo pacto hic comprimendus.

Animadversio prima politica: Principum sæpe gravis, & implacabilis ira; & quare. 13, 14, 15.

Animadversio Politica altera: Principes gravibus & dubiis in rebus sapientum concilium jure advocent.

Animadversio politica tertia: Cujusmodi Principum requirantur Consiliarii.

Documentum Ethicum: Exemplum noxium à magnis principibus præbitum multorum imitatione vulgatur. 16, 17, 18.

Monitum morale: familiare aulæ malum regiorum Senatorum assentatio, & ab eo cavendum. 19.

Quæstio: Quale imperium mariti in uxorem, & subjectio uxoris sub marito. 20

Quæstio: An repudium uxorum olim apud Hebræos, & etiam Gentiles licitum, & matrimonium solverit. 21, 22.

Capitis primi Corollarium morale.

Convivia splendida & læta funesto & lugubri sæpe exitu terminantur.

Exempla & monita iræ frenandæ Principibus proposita. Ex cap. 2, v. 1.

Documentum Ethicum; Rerum fluxarum amor æternorum bonorum amore pellendus. v. 2, 3, 4.

Exegesis Allegorica: Innumera Virginum multitudo, quæ illucescente Evangelio, ad Christum Regem in sacros Parthenones adductæ fuerunt.

Ethologia prima: Quanti referat recta liberorum, maximè verò virginum, institutio. v. 5, 6, 7.

Ethologia altera; Egregii tutoris in Mardochæo forma præscribitur.

Allegorica Parechasis: Esther à Mardochæo adoptata in filiam Prototypus adoptionis Ecclesiæ.

Dissertatiuncula prima: Quetuplex in scripturâ sacrâ notio Eunuchorum, & eorum munus? 8, 9.

Dissertatio altera: Cur mulierum ornatus Latinè Mundus?

Ethologia prima: Virgines diligenti custodiâ servandæ. 10, 11.

Ethologia altera: filiarum salutis maxima cura agenda parentibus.

Dissertatio prima: Quæ finis diuturnæ, & multiplicis unctionis in Persarum feminis? 12, 13, 14.

Dissertatio secunda: Quis unguentorum usus commendandus, quis verò reprehendendus?

Disser-

Dissertatio tertia: Monita & exempla, quæ molliorem vitam sectantes ab unguentorum & diapasmatum usu deterreant.

Dissertatio quarta: Vanum & noxium mulierum studium, quæ dum se curiosè & operosè exornant, temporis & salutis jacturam faciunt.

Dissertatio quinta, vel spiritualis Anagoge: Quo studio, quanto tempore anima Christiana purganda & excolenda, antequam ad Regis Regum thalamum assumatur?

15,16. *Quæstio de mensibus Hebræorum.*

Argumentum moratum: Paucarum virtus non quærere, vel respuere muliebrem cultum.

17. 18. *Quæstio prima: An Esther ante initas cum Assuero nuptias libidini ejus se permisit?*

Quæstio secunda: An licitum conjugium Esther Hebrææ & fidelis cum Assuero infideli Persa?

Digressio Ethica: De antiquitate & celebritate convivierum nuptialium, & eorum abusu.

Allegoria prima: De amore & misericordiâ quâ Deus prosecutus est virginem Deiparam.

Allegoria secunda: De regiâ Dei Matris dignitate.

Anagoge ad gloriosam ejus in cœlo coronationem.

19. 20. *Additio Ethica: Rara sed præclara virtus humilitas honorata, quæ in Estherâ regina conspicua fuit.*

Allegoria: Quanto S. Maria gradu & dignitate Estherâ sit lemior, tanto etiam humilitas ejus & rarior & præclarior.

Ex Cap. 3 §. 1, 2. *Quæstio prima: An Persarum Reges divinis honoribus culti?*

Quæstio secunda: Plurésne alii Reges eosdem honores affectarunt?

Quæstio tertia: Quæ causa Mardochæo fuit, ut adorare Amanum constantissimè recusarit?

Parechasis moralis prima: Homines viles, indigni, ad Reipub. honores evecti graves in eâ motus excitant.

Parechasis moralis altera: Aulicorum quorundam, principumque rara animi magnitudo & constantia.

3, 4. *Ethicum documentum: Delatio, frequens aulæ malum, ut pestis bonis fugienda.*

5, 6. *Dissertatio: Quæ causa odii Amano in Mardochæum?*

Ethologia: Ambitio violenta, furiosa, crudelis, &c.

7. *Dissertatio: Quotuplex sors, quæ licita, quæ illicita?*

Primum documentum morale: Vrna, in quam sortem conjecit Aman similis Vrnæ fortunæ, sive contractus sortium, quam vulgus Lotteriam vocat.

Alterum documentum Ethicum: Ambitio improvida, cæca, temeraria.

8, 9. *Monitum morale: Ambitio prodiga, malorum extrema.*

10, 11. *Dissertatio de annulo signatorio.*

Paræneſis ad viros principes: Contra nimiam quorundam principum lenitatem in judicando, fidem delatoribus adhibendo, &c.

12, 13. *Dissertatio de urso, qui apud Danielem symbolum fuit Regum Persarum, nostrique Assueri.*

14, 15. *Documentum Morale: In hoc seculo improbi agunt dies geniales, justi verò luctui & lacrymis indulgent.*

Ex Cap. quarto, 1, 2 *Vestimentorum scissio tessera luctus.*

Pœnitentiæ & mœroris olim argumentum gestatio sacci cilicini.

Frequens in Ecclesiâ Christianâ sacci cilicini usus, & quo fine assumptus.

Ritus capus cinere conspergendi, vel in cinere jacendi, symbolum luctus, humiliationis, pœnitentiæ.

Clamor & ejulatus vehementis & amaræ ægritudinis signum.

Ærumnosi, sordidati, pannosi aulis Regum arcentur.

Documentum Anagogicum: Calamitosis, afflictis, lugentibus patet aula regni cœlestis.

Documentum alterum Anagogicum: Corporis saccus exuendus, & caro macerauda, ut spiritus ad cœlos admittatur.

Documentum moratum. Religiosi viri, & qui pietatem profitentur, ab aulis principum removentur.

Ethologia prima: Vsus & virtus publicæ deprecationis & pœnitentiæ. §. 3

Ethologia altera. Quantum ponderis orationi addant, ex corde simul & oculis effusæ lacrymæ.

Digressiuncula Moralis: Viri justi & pii in hac vitâ non desinunt lacrymari, donec Dei misericordiam obtineant. §. 4

Documentum primum morale: Reges & Reipub. moderatores non ita se abdant, ut populo ad illos accessus sint inexorabiles. 5 & seq.

Documentum morale alterum: Inter homines plerumque familiaritas contemptum parit; cum Deo vero amicitia continua venerationem conciliat.

Virgo Mater electa, & cœli terræque Regina constituta, ut mortalibus salutare esset præsidium. 12, 13, 14.

Prima digressio: Prolixitas jejunii olim variè à pœnitentibus & viris sanctis usurpata. 15, 16, 16

Secunda digressio: Jejunium scutum fortissimum ad divini furoris tela peccatis nostris intentata avertenda.

Corollarium moratum: Licere Matronis conjugatis convenienter ordini suo pretioso cultu se exornare. Ex Cap. quinto §. primo.

Allegoria prima: Christus virga aurea, quam Deus Pater per Incarnationem ad nos extendit. §. 2

Allegoria altera: Virgo Deipara virga aurea, quam Deus pro signo clementiæ erga homines protendit.

Dissertatio prima: Cur Esther petitionem suam distulerit in tempus secundi convivii. §. 3 & sequent.

Dissertatio altera: Ratæ Regum Persidis liberalitas.

Allegoria: Ea est vis precum Magnæ Matris, ut a Rege cœlorum quivis impetrare valeant.

Documentum Morale: Voluptas ambitiosi nulla sincera & pura, sed fallax & brevis est. §. 9 & sequens.

Quæstio: Verum Crux Christi ob majorem illi paratam infamiam latronum cruciibus altior fuerit. §. 14.

Primum Monitum politicum: Vigilantia virtus Reipublicæ Moderatoribus digna. Ex Cap. 6 §. 1 & 2.

Monitum politicum alterum: Studium veterum Annalium principe dignum & commendabile.

Propositum civile & Christianum: Reipub. salus continetur bonorum præmiis & improborum supplicis. 3. 4. 5.

Lex Christiana pro freno pœnas sempiternas, pro calcari gloriam statuit æviternam.

Ethologia prima: Semper fuit laudabile fidelium ministrorum operam honoribus & præmiis compensare.

Ethologia altera: Benè à nobis factorum gratia in Dei mente nullâ oblivione deletur.

Dissertatio de veste Persarum regiâ, eque item & diademate. 6, 7 & sequent.

Monitum morale: Mos & voluptas Domini Altissimi est humiles exaltare, & superbos humiliare.

Allegorica Exegesis ultima: Sic honorabitur, quemcumque voluerit Rex honorare. *Dei amici & hic in terris, & etiam in cœlis summis honoribus afficiuntur.*

Institutum Ethicum: Ambitiosorum vita illætabilis; 11, 12.

lis; & Superborum intestina & cæca crux.

Anagoge: Mardochæum typus triumphalis Christi Resurrectionis.

13, 14. *Documentum morale*: Divina vindicta interdum non diu differtur, sed subitò impiorum cervicibus ingruit.

Ex Cap. septimo ℣. 1, 2, 3, 4. *Symbolica digressio*: Esthere convivium Amano exhibuit Labyrinthi simulacrum. Item: Incerti hominum exitus mundum hunc imaginem Labyrinthi præferre demonstrant.

5. 6. *Esthologicus excursus*: Incredibilis pudor & horror impii ad tribunal Christi Iudicis protracti.

7. *Excursus de hortorũ honestate, utilitate, amœnitate.*

Parecbasis altera: Hortorum secessus viris magnis in votis, ut animum a curis abstractum cœlo figant.

Excursus Allegoricus: S. Maria se rebus in desperatis invocantibus præsens auxilium.

8, 9. *Digressiuncula*: Zelotypia Persarum, & nimius amor erga uxores.

Documentum morale: fallacia humanæ felicitatis.

10. *Sylloge & summarium capitalium decretorum & pœnarum apud Persas usitatarum.*

Esthologia prima: Malum consilium consulteri est pessimum.

Esthologia altera: Infida Regum amicitia, & vitæ aulicæ periculum.

Esthologia tertia.

Infelices quorundam aulicorum exitus.

Esthologia quarta: ærumnæ, pericula, supplicia hominum ambitiosorum.

Ex Cap. 8. ℣. 1, 2. *Monitum politicum*: Aula purganda hominibus scelleratis; pii verò palatini in eam adlegendi.

Anagoge & ascensus à beneficentiâ Assueri erga Mardochæum ad cumulum bonorum, quibus Deus amicos suos in cœlis beat.

℣. 3 & sequent. *Excursus Allegoricus*: de efficaciâ gratiæ & lacrymarum Dei Matris apud Deum pro genere humano.

℣. 7. 8. *Allegoria prima*: Quomodo Christus ejecto diabolo mundi acceperit imperium, & ipsum Crucis suæ affixeris inaspellabiliter.

Allegoria altera: De sacrosanctâ & inviolatâ divinarum litterarum auctoritate.

℣. 9 & seq. *Quæstio*: Quâ auctoritate, quóve jure potuerunt Iudæi hostes suos, eorumque liberos & uxores, inter quos multis innocentes, interficere?

Allegoria. Veredarii sunt Apostoli, novæ Assueri litteræ sunt Euangelia, & reliqua novi Testamenti Hagiographa & Canonica.

13, 14. *Digressio*: An principibus & magistratibus conveniat splendido cultu uti.

Excursus Allegoricus: De ornatu animæ sanctæ, & Dei gratia collustratæ.

℣. 16. 17. *Excursus moralis*: Lux symbolum salutis & lætitiæ.

Alter excursus moralis: Timor mali multis causa salutis.

Ex cap. 9. ℣. 1, 2, 3, 4. *Digressio*: Quomodo Deus frequenter populi sui hostes timore ingenti perculerit, ita ut in prælio ei resistere non potuerint.

℣ 5 & seq. *Esthologicum Documentum*: Monentur Magistratus, & duces militum, cum bonum publicum exigit, non amore prædæ, sed zelo justitiæ reos punire.

℣. 12 & sequent. *Excursus sive Parecbasis Historica*: Solenne & in mores receptum ubique gentium reorum capita & cadavera, rotæ, furcæ vel patibulo suffixa loco publico ad exemplum & terrorem aliorum proponere.

Exegesis Allegoricæ: Constans & ardens Dei Matris zelus in vindictâ vel citâ vel horrendâ sumendâ de Antidicomarianis juratisque suis hostibus.

Digressio moralis: Hilaritas epularum, & cetera lætitiæ argumenta proprium & solenne dierum festivorum condimentum.

Excursus primus: An Ecclesia auctoritate sua possit festa in populo Christiano instituere. ℣. 10 & sequent.

Excursus secundus: Dies sacri religiosis & sanctis functionibus honorandi.

Excursus tertius: Munuscula diebus festivis egenis eroganda, & convivia paranda.

Excursus quartus: Religiosè Christi Domini, & Sanctorum celebritatibus pridianum præmittitur jejunium.

Excursus quintus: An festa instituta à majoribus, vota nuncupata à parentibus posteros, & filios obligent.

Digressio prima: Documenta suggesta principibus in vectigalibus populo imponendis servanda. Ex Cap. 10 ℣. 1, 2, 3.

Digressio secunda: Elogium Mardochæi, & quorundam aliorum præclarorum virorum, qui Patriæ Patres merito dicuntur.

Digressio prima Symbolica: Draco Deorum, Heroum, Regum, Principum, militum apud priscos Hieroglyphicus Character. Ex Cap. 11 ℣. 5 & sequent.

Digressio altera Allegorica: Draco in sacris litteris & in Ecclesia Christi symbolum & tessera Cacodæmonis.

Allegoria prima: Sanctissima Dei Mater fons parvus, qui crevit in fluvium, & in aquas plurimas redundavit. Ex Cap. decimo, ℣. 6.

Allegoria altera: Dei Mater fons parvus, qui in lucem, solemque conversus est.

Parecbasis sive excursus moralis: Magnarum rerum exigua plerumque principia. Ex Cap. 11. ℣. 10.

Monitum civile: fides Palatinorum præcipua tutela Regum, regnorumque. Ex Cap. 12.

Excursus primus: Ostentatio Regum Persarum, & aliorum barbarorum Principum in texendo censu inanium titulorum. Ex Cap. 13 ℣. primo.

Excursus secundus: Splendidorum titulorum usurpatio vanitatis arguitur.

Documentum primum civile: Modestia & clementia commendatur in Regibus & principibus. ℣. 2.

Documentum civile alterum: Princeps ad hoc collimet, ut populus pace & quiete fruatur.

Monitum politicum: Consiliarii quidam in Senatum regium à Principibus advocandi, sed cavendum ab improbis & fraudulentis. ℣. 3 & sequent.

Excursus Moralis: Virtus orationis amaro animo & spiritu contribulato effusa. ℣. 8. & sequent.

Excursus primus: Ritus deosculandi pedes aut vestigia virorum sanctorum & sacerdotum, maximè verò Romani Pontificis. ℣. 12, 13, 14.

Excursus alter, sive salutare Alexipharmacum ævi nostri Pseudopoliticis curandis propinatum: Nihil simulatè agere.

Digressiuncula: An licitum adversaries, cum ab illis injuriâ gravi afficimur, ad supremum Dei Iudicis tribunal provocare? ℣. 15, 16, 17.

Excursus de ritu vellendi & lacerandi capillos tempore luctus. Ex Cap. 14 ℣. 1 & 2.

Excursiuncula exhortatoria, quâ monentur parentes liberorum animis religionis, virtutumque sensus inspergere. ℣. 3, 4, 5.

Corollarium Ethicum: Arma muliebria validissima ad cor viri expugnandũ forma & composita verba. ℣. 11 & sequent.

§. 15 & sequent. *Documentum primum morale : Esthera raro exemplo matronis præluxit, dum non cupiditate gloriæ, sed solâ necessitate ordinis sui se exornat.*

Documentum alterum spirituale : Sola lætitia vel delectatio de Deo, rebusque divinis digna est, quæ ab homine fideli expetatur.

Ex Cap. 15 v. 1, 2, 3. *Monitum moratum : Justum & decorum est ad fastigium honorum provectis pristinæ fortunæ & conditionis meminisse.*

§. 4. & sequent. *Anagoge & Manuductio ad triumphalem Virginis Matris ad cœlestem Regiam properantis apparatum & comitatum.*

§. 9. 10. 11. *Allegorica expositio de efficaciâ divinæ gratiæ ad convertendas animas & spiritus feroces.*

§. 12 & sequent. *Allegoria de immunitate Dei Matris ab Originalis peccati Maculâ.*

Anagoge & Manuductio ad cœlestes voluptates quibus beata anima ab æterno Rege permulcetur.

Monitum Oeconomicum quo mariti instituuntur benignè & indulgenter uxores suas tractare.

Monitum politicum : In principibus, ut nulli credere, ita & omnibus, vitiosum est. Ex Cap. 16 §. 2 & seq.

Institutum civile : Non adscribendum inconstantiæ, si princeps subreptitium, & per iniquitatem eblanditum edictum retractet, & mentem mutet. §. 7 & seq.

Animadversio œconomica : Cautio & delectus habendus in peregrinis & externis in domum & familiaritatem admittendis. §. 10 & sequent.

Excursus Moralis : Mulieres viris suis sæpè facem præluxerunt ad Dei cognitionem, & viam ad salutem aperuerunt. §. 15 & sequent.

Documentum salutare : Meritò dies anniversarius Redemtionis nostræ per Christum festivè à populo Christiano celebratur. §. 19 & sequent.

Brevis Chronologia sive ratio temporum Historiæ Esther.

Parallelismus Mardochæi & Christi, Esthera & Virginis Matris : sive vitæ eorum mutuò comparatæ ex Saliani tomo quinto Annalium.

INDEX

INDEX
ARGVMENTORVM
SERVIENTIVM EXPOSITIONI EVANGELIORVM ET EPISTOLARVM, QVÆ DOMINICIS ET FESTIS IN ECCLESIA LEGVNTVR, IN GRATIAM CONCIONATORVM.

DOMINICA I ADVENTVS.

Pro Epistola, *ad Roman.* 13.

NOn in Comessationibus & Ebrietatibus. Suggeruntur hîc multa cap. primo ℣. 8 documenta contra ebrietatem. Vide præcipuè Digressionem sextam. Vini modicè poti commoda, immoderatè verò hausti damna.

Item Degressionem septimam: Barbarus Mos incessitur ad æquales haustus convivas compellendi, &c.

Rursus habes ibidem ad ℣. 10 & 11 Dissertationes tres: Primam. Persicorum Regum vinolentia: Alteram: Noxia & indecora Principibus ebrietas: Tertiam: Ebrietas lumen mentis obnubilat, & quod in homine hominis est, extinguit.

Pro Euangelio, *Lucæ* 21.

Proponitur in eo extremum Dei Iudicium: Habes eò pertinentem Excursum Ethologicum ex cap. 7, ℣. 5 & 6. Incredibilis pudor & horror impii ad tribunal Christi protracti.

DOMINICA II ADVENTVS.

Pro Euangelio, *Matthæi* 11.

Dicitur in eo Ioannes misisse discipulos suos ad Christum, utique ab illo instruendos, ubi præscribitur forma boni magistri. Vide pro hoc cap. 2, hîc ℣. 5, 6, 7 Ethologiam secundam: Egregii Tutoris forma in Mardochæo præscribitur.

Dicitur in eodem Euangelio: *Qui mollibus vestiuntur in domibus Regum sunt.* Vide inter alia ex cap. 2, ℣. 15 & 16. Argumentum moratum; quod paucarum virtus sit non quærere vel respuere vestium cultum, &c.

Item; quoniam S. Ioannes non vestiebatur mollibus, sed aspero cilicio, videnda cap. 4, ℣. 1, Sectio secunda hac inscriptione: Pœnitentiæ & mœroris argumentum gestatio sacci cilicini.

Rursus sectio tertia ibidem: frequens in Ecclesiâ Dei usus sacci cilicini, & quare assumptus.

Iterum sectio 6 ibidem: Ærumnosi, sordidati, pannosi aulis Regum arcentur: quibus tamen patet aula cœlestis ut ibidem in sequentibus.

DOMINICA III ADVENTVS.

Pro Euangelio, *Ioannis primo.*

In hoc Euangelio celebris & eximia est modestia & humilitas S. Ioannis Baptistæ; pro quâ vide cap. 2, ℣. 19 & 20. Additionem Ethicam. Rara sed præclara virtus humilitas honorata: quâ excelluit tum Esther Regina, tum Christi Præcursor Ioannes.

DOMINICA IV ADVENTVS.

Pro Euangelio, *Lucæ* 3.

Adfertur in Euangelio pro S. Ioanne Prophetia Isaiæ. Vox clamantis in deserto, &c. Consule ex cap. 7, vers. 7, Parecbasin. Hortorum secessus viris magnis in votis, ut animum à curis terrenis abstractum cœlo Deoque defigant.

Festum Nativitatis Christi.

Huic Festivitati convenit ex cap. quinto vers. 2. Allegoria prima: Christus virga aurea, quam Deus Pater per Incarnationem & Nativitatem ejus ad nos extendit.

Pro Euangelio, *Lucæ* 2.

Dicitur Lucæ 2 in Euangelio, quod nocte mediâ legitur, quod Claritas Dei circumfulserit Pastores. Symbolum lætitiæ est claritas; pro qua re habes ex cap. 10, ℣. 16 & 17, Excursum moralem. Lux symbolum salutis & lætitiæ.

In eodem Euangelio dicuntur Pastores conspecto Angelo timuisse timore magno. Pertinent huc quædam ex textus cap. 15, vers. 16 expositione, ubi in Angelo demonstratur signum timoris, majestatis, splendoris, &c.

FESTVM S. STEPHANI.

Pro Epistolâ, *Actor.* 6.

Mira in eâ cernitur B. Stephani constantia. Dicitur ibi: *Non poterant resistere sapientiæ & Spiritui qui loquebatur.* Habes cap. 3. vers. 1 & 2, Parecbasin moratam secundam: Aulicorum quorumdam, principumque rara animi magnitudo & constantia.

INDEX ARGVMENTORVM PRO EVANGEL.

FESTVM S. IOANNIS APOSTOLI ET EVANGELISTÆ.

Pro Epistolâ, *Ecclesiastici 15.*

Inter alia in Epistolâ legitur. *In medio Ecclesiæ aperuit os ejus, & adimplebit illum spiritu sapientiæ & intellectus.* Habes cap. 1, ℣. 1, & 2 Excursum moralem: Castitas exordium & caput regni Christi. Vbi etiam ostenditur Sapientia comes castitatis, & plusçula tanguntur de nostro Euangelistâ, cui utraque virtus familiaris.

Rursus habes Cap. 8, ℣. 9. Allegoriam: Veteda-rii sunt Apostoli, novæ litteræ sunt Euangelia, &c. Vbi multa de laude Euangelii, cujus fluenta ex Dominici pectoris fonte Ioannes potavit.

FESTVM SANCTORVM INNOCENTIVM.

Pro Euangelio, *Matthæi 2.*

Herodes ut Regnum sibi firmaret impellente ambitione in Bethlehemiticos pueros debacchatur & sævit.

Suggeritur pro hoc ex cap. 3, ℣. 5 & 6. Ethologia: Ambitio violenta, furiata, crudelis; ut apparuit in Aman.

Rursus eodem Cap. ℣. 12 & 13 habetur dissertatio de Vrio qui ob suam crudelitatem symbolum fuit Regum Perfidis: fuit & Herodes ursus ob suam truculentiam.

DOMINICA INFRA OCTAV. NATIVITATIS CHRISTI.

Pro Epistolâ, *ad Galatas 4.*

Leguntur in eâ verba Apostoli, ubi inter cetera dicitur *Quanto tempore heres parvulus est, sub tutoribus est.* Potest servire ex Cap. 2, ℣. 5, 6, 7 Ethologia: Egregii Tutoris forma in Mardochæo præscribitur.

Rursus ibidem dicit Apostolus; *Vt adoptionem filiorum reciperemus*, &c. Item: *Misit Deus Spiritum filii sui, clamantem, Abba, Pater.*

Serviet illis Allegorica Parecbasis ibidem loci: Esther à Mardochæo adoptata in filiam Prototypus adoptionis Ecclesiæ.

Pro Euangelio, *Lucæ 2.*

Meminit S. Lucas Euangelista Annæ Prophetissæ, *quæ non discedebat de templo, jejuniis & obsecrationibus serviens nocte ac die.*

Ministrabit illis argumentum, primo quidem ex cap. 9, ℣. 20 & sequent. Excursus quartus: Religiosè Christi & Sanctorum festis præmittitur jejunium. Vbi ostenditur Deus soli per jejunium, & adfertur exemplum de nostrâ Annâ, quæ dicitur serviisse jejuniis (ubi Græcè est λατρέυουσα) Deo scilicet.

Rursus convenit illis, quod habemus cap. 15, ℣. 4 & sequent. in explicatione textus de Estherâ, quæ dicitur deposuisse vestimenta ornatus sive cultus sui, quibus nempe Deo servierat jejuniis & orationibus, ubi comparatur ipsa cum Annâ, quæ etiam iisdem exercitiis piis Deum coluerat. Videat & conferat Lector.

Circumcisio Domini.

Hoc festo, quo exordium Anni consecratur, solent pauperibus munuscula distribui ex pio & prisco ritu. Vide pro hoc Excursum tertium cap. 9, vers. 20; qui est: Munuscula & convivia diebus festivis pauperibus paranda: & Apophoreta distribuenda.

Pro Euangelio, *Lucæ 2.*

Vocatum est nomen ejus Iesus, &c. Verus hic titulus & plenus, non fallax & inanis.

Multa habentur de variis & stultis Regum & principum titulis cap. 13, ℣. 1, duobus Excursibus, quibus vanitatis illi redarguuntur.

FEST. EPIPHANIÆ DOMINI.

Pro Euangelio, *Matth. 2.*

Dicitur ibi: *Audiens Herodes Rex* (non Iudæus, sed alienigena, Ascalonita) *turbatus est, & omnis Hierosolyma cum eo.* Vide cap. 3. ℣. 1 & 2 primam Parecbasin moralem: Homines viles & indigni (ut Herodes, Aman, Macedo) ad honores Reipubl. evecti graves sæpe motus in eâ excitant.

Item ex cap. 6, ℣. 11 & 12 habes huc pertinens Institutum Ethicum: Ambitiosorum vita illætabilis & cæca crux. Apparuit hoc in Amano, & in Herode. Hic turbatur & furit; ille Mardochæum & Iudæos perfundare cogitat.

DOMINICA INFRA OCTAV. EPIPHANIÆ.

Pro Euangelio, *Lucæ 2.*

Ascendit Christus ad Festum Paschæ cum parentibus. Agendum de cultu dierum festorum, pro quo multa habes cap. 9, ℣. 20. Est Excursus moralis primus. An Ecclesia auctoritate suâ possit festa instituere, &c. Item secundus Excursus Dies sacri functionibus religiosis honorandi.

Rursus, docet nos sedulitas B. Virginis & S. Iosephi liberorum animis pietatis semina inspergere. Habes cap. 14, ℣. 3 & 4, huc pertinentem excursum exhortatorium quo monentur parentes liberorum animis virtutum satus inspergere.

DOMINICA II POST EPIPHANIAM.

Pro Euangelio, *Ioan. 2.*

Erat Mater Iesu ibi. In nuptiis scilicet. Refer huc ex cap. 1, ℣. 9, Dissertationes duas. Vnam: An in conviviis Persarum Feminæ adessent. Item & alteram. Laudabile esse feminas à viris separatas convivari.

Nuptiæ factæ sunt, &c. Cum Nuptiæ contractum contineant inter virum & mulierem, cujus ille sit caput agi hic poterit de Mariti in uxorem imperio. Pro quo facit ex cap. 1, ℣. 20 Quæstio. Quale imperium mariti in uxorem & subjectio uxoris sub marito.

Rursus vide cap. 2, ℣. 18, ubi agitur de convivio permagnifico in nuptiis Esther, Digressionem Ethicam: De antiquitate & celebritate conviviorum nuptialium & eorumdem abusu.

Præterea in Nuptiis impetrat Dei Mater à filio suo vinum. Serviet huic propositio ex c. 5. ℣. 3 & sequent. Allegoria: Ea est vis precum Magnæ Matris, ut à Rege cælorum quidvis impetrare valeant.

Insuper habes cap. 15, ℣. 12, Monitum Oeconomicum, quo monentur mariti uxores suas benignè tractare.

DOMINICA III POST EPIPH.

Pro Epistola, *ad Roman.* 12.

Multis prohibetur vindictam sumere de inimicis. Tractari ibi poterit ex cap. 13, ℣. 15 & 16 Digressiuncula: An licitum adversarios cum ab illis injuriâ afficimur ad Dei Iudicis tribunal provocare.

Pro Euangelio, *Matth.* 8.

In quo hæc Christus dicit: *Multi venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham, Isaac & Iacob in regno cælorum*, Vide cap. 1, ℣. 7 & 8 Anagogen & Manuductionem ad convivium cœleste.

DOMINICA IV POST EPIPH.

Pro Euangelio.

Clamant ad Christum discipuli: *Salva nos, perimus.* Confugiendum ad Dominum instante periculo: Lege explicationem textus cap. 14, vers. 11 & sequent. Vbi docet S. Chrysostom. exemplo Estheræ confugere ad Deum.

DOMINICA V POST EPIPH.

Pro Euangelio, *Matthæi* 13.

Cum dormirent homines venit inimicus & superseminavit zizania in medio tritici. Vide pro hoc ex Cap. 6, vers. 1 & 2 Monitum Politicum primum: Vigilantia virtus Reipub. moderatoribus digna.

DOMINICA VI POST EPIPH.

Pro Euangelio, *Matthæi* 13.

Granum sinapis fit arbor. Agitur ibi de incremento doctrinæ Euangelicæ. Vide cap. 11, ℣. 10 Excursum moralem: Magnarum rerum exigua plerumque principia.

DOMINICA SEPTVAGESIMÆ.

Ex Epistolâ, 1 *ad Corinth.* 9.

Castigo corpus meum & in servitutem redigo. Multa hîc occurrunt de corporis maceratione & castigatione per jejunia, cilicia, &c. Vide ex cap. 4, vers. 1 & 2. Sectionem secundam: Pœnitentiæ & mœroris olim argumentum gestatio sacci cilicini. Item tertiam: frequens in Ecclesiâ Christianâ sacci cilicini usus, & quo fine assumptus.

Rursus ex vers. 15 & sequentib. ibidem consule primam digressionem: Prolixitas jejunii olim variè à pœnitentibus & viris sanctis usurpata.

Et secundam: jejunium scutum fortissimum ad divini furoris tela peccatis nostris intentata avertenda.

Pro Euangelio, *Matthæi* 20.

Voca operarios, & redde illis mercedem, &c. Lege c. 6, ℣. 3, 4, 5, Ethologiam primam. Semper fuit laudabile fidelium ministrorum operam præmiis & mercede compensare.

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

Pro Epistolâ, 2 *ad Corinth.* 11.

Inter alia dicit Apostolus. *Ter Dominum rogavi ut auferretur à me.* Serviet proposito, simulque variis Epistolæ sententiis cap. 4, ℣. 4, Digressiuncula Moralis: Viri justi & Pii in hac vitâ lugere non desinunt, donec Dei misericordiam exorent.

Pro Euangelio, *Lucæ* 8.

Semen cecidit in terram bonam, & ortum fecit fructum centuplum. Vide cap. 11, vers. 10. Excursum moralem: Magnarum rerum exigua plerumque principia.

DOMINICA QVINQVAGES.

Pro Epistolâ, 1 *ad Corinth.* 13.

Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, &c.

Plurima hic passim habentur contra superbiam, quæ occurrunt in locis communibus & moralibus documentis.

Vide inter alia cap. 3, ℣. 5 & 6 Ethologiam: Ambitio violenta, furiata, crudelis.

Rursus ibidem ℣. 7, alterum Ethicum Documentum: Ambitio improvida, cæca, temeraria.

Item ℣. 8 & 9: Ambitio prodiga, malorum extrema. Deinde cap. 6, vers. 6 & sequent. Monitum morale. Mos & voluptas Dei Altissimi est humiles exaltare, & superbos humiliare. Omitto alia.

Pro Euangelio, *Lucæ* 18.

Apostoli non intelligebant quę dicebantur à Christo de suâ Passione; ita erant obcæcati similes cæco, qui sedebat secus viam.

Servire instituto poterit ex cap. 1, ℣. 3 & 4. Quarta Parecbasis: In mundi opificio Deus gloriam suam & majestatem ostendit: Sed homines mente cæci hoc non agnoscunt; unde orare debent, ut ex creaturis creatorem videant.

DIES CINERVM.

Pro Epistolâ, *Ioelis* 2.

Vbi dicitur: *Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.* Olim hæc vestium laceratio erat symbolum interni doloris & pœnitentiæ. Argumentum hoc amplificatur cap. 4, ℣. 1 & 2. Sectione prima. Vestimentorum scissio tessera luctus.

Ceremonia caput cinere aspergendi.

Pro hoc ritu lege cap. 4, ℣. 1 & 2 Sectionem 4, Ritus cinere caput aspergendi vel in cinere jacendi symbolum luctus, humiliationis, pœnitentiæ.

DOMINICA I QVADRAGES.

Pro Euangelio, *Matthæi* 4.

Cum jejunasset Iesus quadraginta diebus & quadraginta noctibus, &c. Convenit ex cap. 4, vers. 15. & sequent. prima Digressio. Prolixitas jejunii olim variè à pœnitentibus & viris sanctis usurpata.

Etiam servit digressio altera: Jejunium scutum fortissimum ad divini furoris tela peccatis nostris intentata avertenda.

Accedens tentator, &c. Applica huc quædam ex Digressione Allegoricâ cap. 11, ℣. 5. Draco in sacris litteris symbolum Cacodæmonis.

Hæc omnia tibi dabo si cadens adoraveris me. Multa his servient ex cap. 3, ℣. 1 & 2, videlicet

Quæstio prima. An Persarum Reges divinis honoribus culti?

Item secunda: Pluréne Reges eosdem affectarunt?

Rursùs tertia. Quæ causa Mardochæo fuit, ut Aman adorare recusarit?

DOMINICA II QVADRAGES.

Pro Euangelio, *Matth.* 17.

Transfiguratur Christus ante discipulos, &c.

Convenit propositum civile & Christianum c. 6, ℣. 3, 4, 5. Reipub. salus duobus continetur, bonorum præmiis, improborum suppliciis.

Item lex Christiana pro fræno pœnas sempiternas, pro calcari statuit gloriam æternam; quæ in Transfiguratione adumbratur.

DOMINICA III QVADRAGES.

Pro Euangelio, *Lucæ* 11.

Cum fortis armatus custodit atrium suum, &c. De victoriâ Christi reportata de Diabolo. Ex cap. 8, ℣. 7 & 8 accipe Allegoriam primam. Quomodo Christus ejecto diabolo mundi acceperit imperium, & hostem suum Cruci suæ invisibiliter affixerit.

Convenit etiam cum ejectione dæmonii muti.

Quia verò à Concionatoribus ibi agi solet de pudore noxio, quo diabolus ora obstruit pœnitentium, ne peccata sua confiteantur, servient, quæ habentur hîc in explicatione textus cap. 14, ℣. 6, & sequent. de humili confessione peccatorum.

DOMINICA IV QVADRAGES.

Pro Euangelio, *Ioannis* 6.

Vnde ememus panes ut manducent hi?

Occurrit cap. primo ℣. 13, 14, 15. Animadversio politica 2. Principes gravibus in causis concilium Sapientum advocent.

Rursùs Animadversio tertia: Cujusmodi Consiliarii requirantur.

DOMINICA PASSIONIS.

Pro Euangelio, *Ioan.* 8.

In Euangelio ostenditur mira Christi patientia & mansuetudo in ferendis contumeliis.

Pertinet huc ex cap. 13, ℣. 2. Documentum primum civile. Modestia & clementia commendatur Regibus & principibus.

DOMINICA PALMARVM.

Pro Euangelio diei quo describitur Christi triumphalis ingressus in Ierusalem, *Matthæi* 21.

Convenit huic diei triumphali, quem quatuor post diebus secuta est ignominiosa & acerba Passio & Crux; ex cap. 7, ℣. 8 & 9, Documentum morale, fallacia humanæ felicitatis.

Quia verò & hodie & totâ Majore hebdomade Christi Passio recolitur, multa ex variis locis Commentarii hujus peti possunt, & subservient illa, quæ infra habentur, Festo inventionis S. Crucis. Insuper vide Indicem Rerum v. Crux.

Habes denique ex cap. 16, ℣. 19 Documentum salutare. Meritò dies anniversarius Redemptionis nostræ festivè à Christianis celebratur.

DOMINICA RESVRRECT.

Typus Christi Resurgentis fuit Mardochæus, de quo habes c. 6, ℣. 11 & 12, Anagogen: Mardochæus typus triumphalis Christi Resurrectionis.

Pro Epistolâ, 1 *ad Corinth.* 5.

Epulemur non in fermento veteri, &c. *sed in azymis sinceritatis & veritatis.*

Græcè pro *Epulemur*, est, Festum agamus.

Convenit cum his ex cap. 9, vers. 12. Digressio morata. Hilaritas epularum & cetera lætitiæ argumenta proprium festorum condimentum.

Pro Euangelio, *Marci* 16.

Maria Magdalene & Maria Iacobi & Salome emerunt aromata ut venientes ungerent Iesum.

Vide c. 16, ℣. 15, Excursum moralem. Mulieres sæpe viris præluxerunt ad Dei cognitionem, & salutem, &c.

Rursùs. *Vt venientes ungerent Iesum.*

Multa hîc cap. 2 habentur de usu unguentorum apud Persas & alias gentes. ℣. 12, 13, 14. Vide ibi Dissertationem primam. Quis finis diuturnæ & multiplicis unctionis apud Persicas feminas.

Vide & secundam Dissertationem: Quis usus unguentorum commendandus, quis reprehendendus?

FERIA II PASCHÆ.

Pro Euangelio, *Lucæ* 24.

Videmus in Euangelio duos discipulos, qui primo quidem cum Christo agebant tamquam cum peregrino, postea familiaribus ejus colloquiis ad ejusdem reverentiam fuisse commotos.

Spectare huc potest ex cap. 4. ℣. 5. Documentum morale secundum: Inter homines plerumque familiaritas contemptum parit; cum Deo verò amicitia continua venerationem conciliat.

FERIA III PASCHÆ.

Pro Euangelio, *Lucæ* 24.

In eo discipuli increduli de Christi resurrectione instruuntur, ut & apud S. Marcum & S. Ioannem.

Convenit illud ex c. 16, ℣. 2 & sequen. Monitum politicum: In Principibus ut nulli credere, ita & omnibus vitiosum est.

DOMINICA IN ALBIS.

In Euangelio, *Ioannis* 20.

Dicit Christus discipulis: *Pax vobis.* Vide pro hoc cap. 13, ℣. 2 Documentum civile secundum: Princeps ad hoc collimet ut populus pace fruatur.

DOMINICA II POST PASCH.

Pro Euangelio, *Ioan.* 10.

Ego sum Pastor bonus, &c. Multa de Pastore habentur in explicatione textus cap. 4, ℣. 5 & sequent. de Regibus qui fuere Pastores, & similitudine inter sceptrum regium, & virgam pastoralem.

Quia verò Pastoris boni est pecus tondere & non deglubere, servire eidem poterit ex cap. 10 versibus primis

primis Digreſſio prima. Documenta ſuggeſta Principibus in vectigalibus imponendis.

DOMINICA III POST PASCH.

Pro Euangelio, *Ioan.* 16.

Plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit, &c.

Convenit ex cap. 3, ℣. 14 & 15. Documentum morale: In hoc ſeculo improbi agunt dies geniales; juſti verò luctui & lacrymis indulgent.

Iterum; Modicum eſt omnis voluptas hujus mundi. Vide ex cap. 5, ℣. 9 & ſequent. Documentum morale. Voluptas ambitioſi nulla ſincera & pura, ſed levis, fallax, brevis.

DOMINICA IV POST PASCH.

Pro Euangelio, *Ioan.* 16.

Expedit vobis ut ego vadam. Si enim non abiero Paracletus non veniet ad vos, &c. Conſule cap. 2, ℣. 2. 3. 4. Documentum Ethicum: Amor rerum fluxarum amore cœleſtium pellendus. Optimè quadrat.

DOMINICA V POST PASCHA.

Pro Euangelio, *Ioan.* 16.

Petite & accipietis, &c.

Quædam huc referenda ex textus expoſitione cap. 13 ℣. 8 & ſequent. ubi explicatur oratio Mardochæi.

Rurſus ex textus cap. 14, ℣. 3, explicatione, ubi agitur de loco orationis, & ſpiritu humilitatis, &c.

FESTVM ASCENSIONIS DOM.

Servire huic feſto forte poterit ex cap. 4, verſ. 1 & 2 documentum ſecundum Anagogicum. Corporis ſaccus exuendus, & caro maceranda ut ſpiritus ad cœlum admittatur. Chriſtus poſt Paſſionem intravit cœlos.

DOMINICA INFRA OCTAV. ASCENSIONIS.

Ex Epiſtolâ, 1 *Petri* 4.

Hoſpitales invicem ſine murmuratione.

Multa hoc libro occurrunt de Hoſpitalitate & liberalitate. Vide Indicem rerum.

Conveniet ex cap. 9, ℣. 20, Excurſus tertius.

Munuſcula diebus feſtis egenis eroganda & convivia paranda.

FESTVM PENTECOSTES.

Pro Euangelio, *Ioan.* 14.

Pacem relinquo vobis: pacem meam do vobis.

Convenit ex cap. 13, ℣. 2, documentum civile ſecundum: Princeps ad hoc collimet ut populus pace fruatur.

FERIA SECVNDA PENTECOS.

Pro Euangelio, *Ioan.* 3.

Sic Deus dilexit Mundum ut filium ſuum unigenitum daret.

Spectat huc ex cap. quinto ℣. 2, Allegoria prima: Chriſtus virga aurea, quam Deus Pater per Incarnationem ad nos extendit.

DOMINICA SS. TRINITATIS.

Pro Euangelio, *Matth.* 28.

Docete omnes gentes, &c.

Confer huc ex cap. 8, ℣. 9 & ſequent. Allegoriam. Veredarii ſunt Apoſtoli, Aſſueri novæ litteræ ſunt Euangelia, &c.

FESTVM CORPORIS CHRISTI.

Pro Euangelio, *Ioan.* 6.

Caro mea verè eſt cibus, &c.

Adſcribatur huic feſto ex cap. 1, ℣. 7 & 8 Allegoria de convivio Euchariſtico.

Eadem etiam referri poteſt ad Dominicam ſequentem.

DOMINICA II POST PENTEC.

Pro Euangelio, *Luca* 14.

Homo quidam fecit cenam magnam, &c.

Pertinet huc ex cap. primo magnum Aſſueri convivium.

Eodem ſpectat ex eodem cap. 3 & 4 Parecbaſis vel digreſſio ſecunda: Principes gloriam ex magnificis conviviis captant.

Compelle intrare, &c.

Vide cap. 10, ℣. 17, Excurſum Moralem: Timor mali multis cauſa ſalutis.

Rurſus eodem pertinet ex eodem 14, ℣. 15, Documentum ſpirituale: Sola lætitia de Deo, rebuſque divinis digna eſt, quæ ab homine Chriſtiano expetatur.

Contra eos, qui ex honoribus, divitiis, voluptatibus carnis gaudia quærunt, hoc eſt villam emunt, vel juga boum, vel uxorem ducunt.

DOMINICA III POST PENTEC.

Ex Epiſtolâ, 1 *Petri* 5.

Sobrii eſtote & vigilate, quia adverſarius veſter diabolus, &c.

Plurima pro illis peti poſſunt ex Commentar. de quibus vide Indicem rerum. v. Sobrietas, vigilantia, diabolus.

Pro Euangelio, *Luca* 15.

Hic peccatores recipit & manducat cum eis:

Vide ex cap. 3, ℣. 3 & 4 Documentum morale: Delatio ut peſtis fugienda.

Erant appropinquantes ad Ieſum Publicani & peccatores ut audirent eum, &c.

Serviet ex cap. 4, ℣. 5. Documentum primum morale: Reges & Reipubl. moderatores non ita ſe abdant, ut ad illos acceſſus populo ſint inexorabiles.

DOMINICA IV POST PENTEC.

Pro Epiſtolâ, 1 *Petri* 3.

Petrus præter opinionem ſuam capit multitudinem piſcium copioſam.

Duc huc ex cap. 7, ℣. 1 & ſequent. Digreſſionem Symbolicam: Incerti hominum exitus mundum hunc imaginem præferte Labyrinthi demonſtrant.

DO-

DOMINICA V POST PENTEC.

Pro Epistolâ, 1 *Petri* 3.

Omnes unanimes in oratione estote.

Consule ex cap. 4, ℣. 3, Ethologiam primam: Vsus & virtus publicæ deprecationis.

Pro Euangelio, *Matth.* 5.

Agitur ibi de iræ pœna. *Omnis qui iratcitur fratri suo*, &c.

Serviet ex cap. primo vers. 13 & sequent. Animadversio prima Politica. Principum sæpe gravis ira, & quare.

Rursus ex cap. secundo ℣. 1, Exempla & monita riæ frenandæ proposita.

DOMINICA VI POST PENTEC.

Pro Euangelio, *Marci* 8.

Misereor super turbam, &c.

Accipe ex cap. 1. vers. 5, Monitum morale. Non sunt pauperes à conviviis Principum rejiciendi.

Rursus: *Misereor super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me*, &c.

Quadrat ex cap. 6, ℣. 3 & sequent. Ethologia 2. Bene à nobis factorum gratia in Dei mente nullâ oblivione deletur.

DOMINICA VIII POST PENT.

Pro Euangelio, *Lucæ* 16.

Quid hoc audio de te, &c. Vbi Dominus non statim credit villicum diffamantibus, sed examinat.

Accipe ex cap. 3. ℣. 10 & 11 Parænetim contra nimiam quorumdam principum levitatem in fidem delatoribus adhibendo.

Rursus, quia ibidem dicitur: *Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis*, &c.

Convenire poterunt ea quæ habentur ex cap. 8, vers. 13 & 14 in Excursu Allegorico de ornatu animæ sanctæ & Dei gratiâ collustratæ; in quo fit mentio misericordiæ quæ significatur per hyacinthum.

DOMINICA IX POST PENT.

Pro Euangelio, *Lucæ* 19.

Videns Iesus civitatem flevit super eam, &c.

Serviet ex cap. 4, ℣. 4, Digressiuncula moralis: Viri justi & pii in hac vitâ non desinunt lacrymari, donec Dei misericordiam obtineant.

Item vide huc spectans ex cap. 7, vers. 8 & 9 Documentum morale. Fallacia humanæ felicitatis.

DOMINICA X POST PENTEC.

Pro Euangelio, *Lucæ* 18.

Duo homines ascenderunt in templum ut orarent.

Videndus textus cap. 4, ℣. 16, ubi agitur de loco Orationis apud Iudæos.

Item textus cap. 14, ℣. 6, ubi sermo est de humili Confessione, qualis fuit illa Publicani.

Rursus legendus ex cap. 13, ℣. 8 Excursus moralis: Virtus orationis amaro animo, & spiritu contribulato effusæ; qualis fuit etiam publicani.

DOMINICA XI POST PENT.

Pro Euangelio, *Marci* 7.

Iesus suspiciens in cœlum ingemuit, & dixit Ephetha, &c.

Vide ex cap. 4, ℣. 1 & 2 sectionem quintam. Clamor & ejulatus vehementis & amaræ ægritudinis signum.

DOMINICA XIV POST PENT.

Pro Euangelio, *Matth.* 6.

Considerate lilia agri, &c.

Ex floribus potest quis mente ascendere ad hortos cœlestis Paradisi. Vide ex cap. 1, ℣. 5, Parechasin primam, de hortis Regum Persicorum.

Rursus 2: Studium Regum in hortis colendis.

Dico vobis quia nec Salomon in omni gloriâ suâ, &c.

Accipe ex cap. 5, v. primo Corollarium Moratum: Licere matronis conjugatis convenienter ordini suo cultu pretioso se exornare.

Item convenit ex cap. 8, ℣. 13 & 14 Digressio. An principibus & magistratibus conveniat splendido cultu uti.

DOMINICA XV POST PENT.

Pro Euangelio, *Lucæ* 7.

Dicit Dominus viduæ: *Noli flere.*

Vide cap. 4, ℣. 3, Ethologiam secundam: Quantum ponderis Orationi addant ex corde simul & oculis effusæ lacrymæ.

DOMINICA XVI POST PENT.

Pro Euangelio, *Lucæ* 14.

Cum intraret Iesus in domum cujusdam Principis Pharisæorum Sabbatho manducare panem.

Plurima hîc occurrunt huc spectantia ex cap. primo ℣. 7 & 8, scilicet quatuor digressiones.

Prima: An celebrare vel frequentare convivia licitum?

Item Altera: Quis conviviorum finis?

Et tertia: Quæ in conviviis reprehensioni obnoxia, quæ commendatione digna?

Maximè verò quarta: Christus verbo & exemplo frugalitatem in mensâ servandam docuit, & salutares epulis permiscere sermones.

Christus in eodem Euangelio Parabolâ suâ avocat ab ambitione & superbiâ, & humilitatem commendat.

Vide cap. 7, ℣. 10, Ethologiam quartam: Æruminæ, pericula, supplicia ambitiosorum.

DOMINICA XVIII POST PENT.

Pro Euangelio, *Matth.* 9.

Dicunt Iesu quidam de Scribis: *hic blasphemat.*

Vide ex cap. 3, ℣. 3 & 4, Ethicum documentum: Delatio ut pestis bonis fugienda.

DOMINICA XIX POST PENT.

Pro Euangelio, *Matth.* 22.

Simile est regnum cœlorum homini regi qui fecit nuptias filio suo, &c.

Ser-

Servire poterit ex cap. 1, ℣. 7 & 8, Anagoge & manuductio ad convivium cœleste.

Agitur ibidem de veste nuptiali. Vide pro hac ex cap. 8, vers. 13 & 19. Excursum Allegoricum, de ornatu animæ sanctæ & Dei gratiâ collustratæ.

DOMINICA XX POST PENT.

Pro Epistolâ, *ad Ephesios* 5.

Nolite inebriari vino, in quo est luxuria:

Multa his commentariis habentur contra ebrietatem; pro quo vide Indicem rerum, & cap. primo varias Digressiones vers. 7 & 8. Item vers. 10 & 11, præcipuè dissertationem tertiam: Ebrietas lumen mentis obnubilat, & quod in homine hominis est, extinguit.

Pro Euangelio, *Ioan.* 4.

Regulus compulsus filii infirmitate ad Christum confugiens sibi & filio salutem consequitur.

Referri huc potest ex cap. 8, ℣. 17, Excursus moralis. Timor mali multis causa salutis.

DOMINICA XXI POST PENT.

Pro Epistolâ, *ad Ephes.* 6.

Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus principes & potestates, &c.

Vide cap. 11, vers. 5, Digressionem Allegoricam: Draco in sacris litteris symbolum cacodæmonis.

DOMINICA XXII POST PENT.

Pro Euangelio, *Matth.* 22.

Pharisæi consilium inierunt ut caperent Iesum in sermone: sed ipsi capti sunt.

Convenit ex cap. 7, ℣. 10, Ethologia prima: Malum consilium consultori pessimum.

Item dicit ibidem Christus Pharisæis: *Quid me tentatis Hypocritæ?* &c.

Vide cap. 13, vers. 12, Excursum secundum: Alexipharmacum Politicis propinatum: Nihil agere simulatè.

℣. Rursus: dicit ibi Christus: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*, &c.

Petenda ex cap. 10, ℣. 1 & sequent. Digressio prima. Documenta suggesta principibus in vectigalibus imponendis.

DOMINICA XXIII POST PENTECOSTEN.

Pro Epistolâ, *ad Philippenses* 3.

Nostra conversatio in cœlis est.

Confer ex cap. 8, ℣. 13 & 14, Excursum Allegoricum: De ornatu animæ sanctæ & Dei gratiâ collustratæ.

Explicatur etiam in Commentariis alibi locus Apostoli. Vide Indicem rerum v. Politia.

Pro Euangelio, *Matth.* 9.

Iubet Christus è domo Principis ejici turbam tumultuantem.

Vide cap. 8, ℣. 1 & 2, Monitum Politicum: Aula purganda hominibus sceleratis: pii vero palatini in eam adlegendi.

PRO DOMINICA VLTIMA POST PENTECOSTEN.

Pro Euangelio, *Matth.* 24.

Dicit ibi Christus: *Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret usque in Occidentem: ita erit & adventus Filii hominis.*

Loquitur Christus de adventu suo ad judicium, qui instar fulguris subitus erit & inexpectatus.

Serviet ex cap. 6, vers. 13 & 14, Documentum morale: Divina vindicta interdum non diu differtur, sed subito impiorum cervicibus ingruit.

In extremo judicio nullus Christo resistere poterit. Perlege ex cap. 9, vers. primo Digressionem. Quomodo Deus frequenter populi sui hostes timore perculerit, ut in prœlio ei resistere non potuerint.

PROPRIVM SANCTORVM.

PRO FESTO S. ANDREÆ.

Pro Epistolâ, *ad Roman.* 10.

Dicitur ibi *fides esse ex auditu, auditus autem per verbum Christi*, Dignitas significatur sacræ scripturæ.

Serviet ex cap. 8, vers. 7 & 8, Allegoria 2 de sacrosanctâ & inviolatâ divinarum litterarum auctoritate.

Rursus in eadem Epistolâ dicitur. *Numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum*, &c.

Vide ex cap. 8, ℣. 9, Allegoriam: Veredarii sunt Apostoli, novæ litteræ sunt Euangelia.

Pro Euangelio, *Matthæi* 4.

Dicitur Apostolis piscatoribus: *Faciam vos fieri piscatores hominum.*

Est cap. 7, vers. 1 & 2 Symbolica Digressio. Incerti hominum exitus mundum hunc imaginem Labyrinthi præferre demonstrant.

PRO FESTO S. NICOLAI.

Pro Epistolâ, *ad Hebræos* 13.

Beneficentiæ & communionis nolite oblivisci.

Licet commendetur hospitalitas, ut pat. cap. primo in convivio Assueri ad quod vulgus quoque vocatum, cautio tamen adhibenda, pro quo vide cap. 16, vers. 10. Animadversionem Oeconomicam: Cautio & delectus adhibendus in externis & peregrinis in domum & familiaritatem admittendis.

Pro Euangelio, *Matth.* 25.

Euge serve bone & fidelis, &c. *Intra in gaudium Domini tui.*

Vide cap. 8, ℣. 1 & 2 Anagogen à beneficentiâ Assueri ad cumulum bonorum, quibus Deus suos in cœlis amicos beat.

B. VIRGINIS CONCEPTIO.

Propria huic festo est ex cap. 15, ℣. 12, & sequent. Allegoria de immunitate Dei Matris à peccati Originalis maculâ.

Pro Epistolâ, *Proverb.* 8.

Qui me invenerit, inveniet vitam & hauriet salutem à Domino.

Perlegenda ex cap. 4, ℣. 12, & sequentib. Allegoria. Virgo Mater electa, & cœli terræque regina constituta, ut mortalibus salutare esset præsidium.

PRO FESTO S. THOMÆ APOSTOLI.

Pro Epistolâ, *ad Ephes.* 2.

Iam non estis hospites & advenæ, sed estis cives sanctorum & domestici Dei, &c. Vel

Nimis honorati sunt amici tui Deus, &c. qui versiculus accinitur Apostolis.

Convenit ex cap. 6, ℣. 6, 7, Allegorica Exegesis istius: *Sic honorabitur quemcumque voluerit Rex honorare.* Dei amici & hîc in terris & in cœlis summis honoribus afficiuntur.

CONVERSIO S. PAVLI.

Pro Epistolâ, *Actor.* 9.

Huic vel maximè congruit ex cap. 15, ℣. 9 & 10, Allegoria de efficaciâ divinæ gratiæ ad convertendos spiritus feroces.

Eodem pertinet ex cap. 16, vers. 7, & sequentib. Institutum civile: Non adscribendum inconstantiæ, si Princeps edictum subreptitium retractet, & mentem mutet. Sic quoque non tribuendum levitati animi, quod Saulus, quem impugnaverat Christum, postea prædicaret.

FESTVM PVRIFICATIONIS B. MARIÆ

Pro Euangelio, *Luc.* 2.

Vide cap. 1, vers. 2. Allegoriam primam. Virgo Mater ob eximiam puritatem meritò Susan, sive Lilium.

Rursus lege ex cap. 2, vers. 19 & 20, Allegoriam: Quanto S. Maria gradu & dignitate Esthera sublimior, tanto etiam humilitas ejus & rarior & præclarior.

FESTVM S. MATTHIÆ.

Pro Epistolâ, *Actor. primo.*

Iudas suspensus crepuit medius. Hæc pœna avaritiæ. In hujus detestationem lege ex cap. 9, vers. 5, Documentum Ethologicum, quo monentur duces & Magistratus non amore prædæ sed zelo justitiæ reos punire.

Sors cecidit super Matthiam.

Huc propriè spectat ex cap. 3, vers. 7, Dissertatio. Quotuplex sors, quæ licita, quæ illicita?

Item documentum Morale. Vrna, in quam sortes jecit Aman, similis urnæ fortunæ, quæ Loteria vocatur.

ANNVNTIATIO S. MARIÆ.

Pro Euangelio, *Lucæ primo.*

Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus.

Vide cap. primo ℣. 12, Parecbasin primam: Mulierum corona & purpura pudor.

Ave gratiâ plena, &c.

Convenit ex cap. 2, vers. 17, Allegoria prima de amore & misericordiâ quâ Deus prosecutus est Deiparam.

Rursus, ex cap. 5, vers. 2, perlegenda Allegoria secunda.

Virgo Deipara virga aurea quam Deus pro signo clementiæ erga homines extendit.

Invenisti gratiam apud Deum. Lege cap. 8, vers. 3, Allegoriam de efficaciâ gratiæ Dei Matris.

Item vide ex cap. 11, ℣. 6, Allegoriam primam. Dei Mater fons parvus qui crevit in fluvium.

PRO FESTO SS. PHILIPPI ET IACOBI.

Pro Euangelio, *Ioan.* 14.

In domo Patris mei mansiones multæ sunt.

Servire poterit ex cap. primo vers. 6, Anagoge & manuductio ad palatium cœleste.

INVENTIO S. CRVCIS.

Convenit huic festo ex cap. 5, ℣. 14, Quæstio.

An Crux Christi ob majorem ei parandam infamiam latronum crucibus altior fuerit.

Item, applicari poterit ex cap. 9, vers. 12, Excursus Historicus. Solenne ubique gentium reorum capita patibulo affixa proponere ad aliorum exemplum & terrorem.

NATIVITAS S. IOAN. BAPTIS.

Vide pro hac ex cap. 10, ℣. 1 & 2, Digressionem secundam. Elogium Mardochæi & aliorum præclarorum virorum, qui Patres patriæ meritò dicuntur.

FESTVM APOSTOLORVM PETRI PAVLI.

Pro Epistolâ, *Actor.* 12.

Oratio autem fiebat sine intermissione ad Deum pro eo.

Convenit ex cap. 4, ℣. 3. Ethologia prima: Vsus & virtus publicæ deprecationis.

Pro Euangelio, *Matth.* 16.

Quem dicunt homines esse filium hominis?

Christus Deus se filium hominis appellat.

Vide pro hoc ex cap. 13, ℣. 1, Excursum secundum: splendidorum titulorum nuncupatio vanitatis arguitur.

VISITATIO B. VIRG. MARIÆ.

Pro Euangelio, *Lucæ primo.*

Exurgens Maria abiit in montana cum festinatione.

Lege ex cap. 2, ℣. 10 & 11, Ethologiam primam. Virgines diligenti custodia servandæ.

Licet

Licet Dei Matrem filius quem utero gestabat, custodiret, tamen ut exemplum virginibus daret, cum festinatione abiit in domum Zachariæ, quia semper absconditum amabat.

Salutavit Elisabeth.

Vide cap. 15. ℣. 1 & 2: Monitum moratum: Iustum est ad fastigium honoris provectis pristinæ conditionis non obliviſci.

FESTVM S. MARIÆ MAGDAL.

Pro Euangelio, *Luca 7.*

Mulier quæ erat in civitate peccatrix, &c.

Legenda ex cap. primo ℣. 12. Parecbasis secunda. Fastus pulchritudinem mulierum comitatur. Ita Vasthi etiam ab Assuero vocata venire renuit. Hunc fastum compressit Magdalis, quæ etiam non vocata in convivium irruit.

Rursus: Magdalis *unxit pedes Iesu.*

Legendæ ex cap. secundo ℣. 12 & sequent. quatuor dissertationes huc spectantes.

Prima: Quis finis diuturnæ unctionis in feminis?

Secunda: Quis unguentorum usus commendandus, quis verò reprehendendus?

Tertia: Monita & exempla quæ molliorem vitam sectantes ab unguentorum usu deterreant.

Quarta: Vanum & noxium mulierum studium, quæ dum se curiosè ornant, tempus & salutem perdunt.

Lacrymis ejus pedes lavit.

Convenit ex cap. 4, vers. 3, Ethologia secunda: Quantum ponderis orationi addant ex corde simul & oculis effusæ lacrymæ.

Eosdem *pedes osculata est.*

Habes cap. 13, vers. 12 & sequent. Excursum primum: Ritus deosculandi pedes virorum sanctorum, sacerdotum, maximè verò Romani Pontificis.

Eosdem *capillis suis tersit.*

Vide cap. 14, ℣. 1 & 2, Excursum de ritu vellendi & lacerandi capillos tempore luctus.

PRO FESTO S. IACOBI APOST.

Pro Euangelio, *Matth. 20.*

Nescitis quid petatis.

Serviet ex cap. 3, ℣. 7, Documentum Ethicum: Ambitio improvida cæca, temeraria.

Item ex ℣. 8. Ambitio profusa, prodiga, malorum extrema.

PRO FESTO S. LAVRENTII.

Pro Euangelio, *Ioan. 12.*

Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.

Quadrat in hanc sententiam ex cap. 6, ℣. 3 & sequent. Ethologia 2. Bene à nobis factorum gratia in Dei mente nulla oblivione deletur.

ASSVMPTIO B. MARIÆ VIRG.

Multa sunt quæ huic festo conveniunt.

Primo ex c. 2. ℣. 19 & sequent. Vide Anagogen ad gloriosam ejus in cœlo coronationem.

Deinde, quia, ut Ecclesia fatetur, Dei genitrix hinc translata est, ut pro nobis fiducialius intercedat, vide ex c. 7. ℣. 7, Excursum Allegoricum:

S. Maria se invocantibus, rebus in desperatis, præsens auxilium.

Rursus Vide ex cap. 15, ℣. 4. Anagogen ad triumphalem Virginis ad cœlum properantis comitatum.

Item vide ex cap. 11, ℣. 6. Allegoriam secundam: Dei mater fons parvus qui in solem conversus est.

Præterea serviet ex cap. 9, ℣. 12. Exegesis Allegorica. Constans Dei Matris zelus in vindictâ citâ vel horrendâ de suis hostibus sumendâ.

FESTVM S. BARTHOLOMÆI.

Pro Euangelio, *Luca 6.*

Exiit Iesus in montem orare, &c.

Vide ex cap. 7, ℣. 7, Parecbasin. Hortorum secessus viris magnis in votis, ut animum cœlo, Deoque defigant.

DECOLLATIO S. IOAN. BAPT.

Pro Euangelio, *Marci 6.*

Egregiè huic quadrat ex cap. primo finali Corollarium. Convivia læta lugubri sæpè exitu terminari.

Rursus ex cap. 4, ℣. 1 & 2 petendum documentum moratum: Religiosi viri ab aulis principum removentur. In quo tamen docemus causâ exigente eis licere illas adire, ut fecit S. Ioannes, quo Herodem admoneret.

Præterea poterit convenire ex cap. 7, ℣. 10 Ethologia 2: Infida Regum amicitia & aulicæ vitæ periculum. Forte & tertia: Infelices quorumdam aulicorum exitus.

NATIVITAS DEIPARÆ.

Serviet huic festo ex cap. primo ℣. 3 & 4, Parecbasis secunda: Principes ut regni sui potentiam ostentent, celebre aliquod monimentum post se relinquunt: Ita & Deus in Virgine fecit.

Videnda etiam ex c. 2, ℣. 19 & 20 Allegoria 2 de regia Dei Matris dignitate. *Regali ex progenie Maria exorta refulget.*

FESTVM S. MATTHÆI.

Pro Euangelio, *Matth. 9.*

Convenit ex cap. 2, ℣. 2 & 3, Documentum Ethicum: Amor rerum fluxarum amore cœlestium pellendus. Sic S. Matthæus à Christo vocatus ad præmia æterna Telonium suum sprevit.

FESTVM S. MICHAELIS.

Pro Euangelio, *Matth. 18.*

Væ mundo à scandalis.

Consule Dissertationem ex c. 1, ℣. 10 & 11. Periculosa, & reprehensione digna ostentatio Assueri, qui formam Vasthi omnibus ostendit.

Angeli eorum semper vident faciem Patris.

Pertinent huc quædam ex cap. 8, ℣. 1, ubi dicitur Mardochæus ingressus ante faciem Regis. Vide.

Pro Epistolâ, *Apocalyps. primo.*

A septem spiritibus qui in conspectu throni ejus sunt.

Quædam huc spectant ex textu cap. primi ℣. 15, ubi agitur de septem Regis consiliariis, &c.

Festum Omnium Sanctorum.

Huic festo propria est ex cap. 15, ℣. 12 & sequent. Anagoge & Manuductio ad cœlestes voluptates, quibus beata anima ab æterno Rege demulcetur.

Eodem transfer ex cap. 8, ℣. 1 & 2 Anagogen à beneficentia Assueri erga Mardochæum ad cumulum bonorum quibus Deus amicos suos in cœlis beat.

Item ex eodem cap. ℣. 13 & 14, Excursum Allegoricum de ornatu animæ sanctæ & Dei gratiâ collustratæ.

Rursus hîc habebit locum ex cap. 2, ℣. 12 & sequentib. spiritualis Anagoge. Quo studio, quanto tempore anima Christiana purganda & excolenda antequam ad Regis Regum thalamum assumatur.

Deinde explicari hoc die poterit ex cap. 4. vers. 1 & 2, documentum Anagogicum: Calamitosis, afflictis, lugentibus patet aula regni cœlestis.

Præterea ex eodem loco documentum alterum Anagogicum: Corporis saccus exuendus, & caro maceranda, ut spiritus ad cœlos admittatur.

COMMEMORATIO ANIMAR.

Huic festo tria postrema documenta etiam optimè conveniunt, ut consideranti patebit, quæ jam citavimus.

FESTVM PRÆSENTATIONIS D. VIRGINIS.

Non incongrua erit pro hoc festo ex cap. 2, ℣. 5 & sequentib. Ethologia prima: Quanti referat recta liberorum, maximè virginum institutio.

Item altera Ethologia ex eodem capite vers. 10 & 11. Filiarum cura maxima agenda parentibus.

Hoc demonstrarunt Ioachim & Anna, pii Magnæ Virginis parentes, qui filiam suam Deo in templo obtulerunt.

FESTVM S. CATHARINÆ VIRGINIS MARTYRIS.

Maximè huic festo convenit Excursus primus moralis ad capitis primi ℣. 2.

Castitas exordium & caput regni Christi.

Rursus Exegesis Allegorica ad cap. 2, vers. 2 & sequentes.

Innumera Virginum multitudo, quæ illucescente Euangelio ad Christum Regem adductæ fuerunt.

Ad majorem Dei, Deiparæque gloriam.

INDEX RERVM

Memorabilium totius operis.

Prior numerus caput Scripturæ sive Libri Esther, posterior numerum marginalem cujusque capitis demonstrat.

A.

Abdia dispensatoris domus Achabi Regis laus. Cap. 8, n. 15.
Acies Romanorum triplici ordine constabat, quorum Triarii postremi. 2, 44.
Achitophel perfidia sua convivium Davidis amarum fecit. C. 1, n. 79.
Abra quid significet in scriptura? 15, 24.
Ablavii, qui fortuna Pila dictus est, infelix exitus. 7, 100.
Abenner Rex in eadem Josaphat filii nihil infausum admisit. 4, 27.
Achates Regis Pyrrhi admirabilis. Cap. 1, n. 70.
Abrahami commendatur à recta filiorum educatione. 14, 33.
Adonibezec punitur pœna, qua alios affecerat. 7, 73.
Adam hortum Paradisiacum coluit. 7, 25.

Adoptio.

Adoptio confertur cum Assumptione Davidis in generum Saulis. 1, 69.
Adoptio quid sit, & quare inducta. 2, 62.
Adoptionis exempla ex Scriptura, & Romana historia. 2, n. 66, 67.
Adoptionis divina & humana similitudo duplex. 2, 70.
Adoptantis ejusdem dissimilitudo triplex. 2, 71.
Adoptionis divina dignitas. 2, 68.
Advena non admittendi ad familiaritatem nisi post probationem. 16, 31.

Adulatores.

Adulatoris vulnera mollia instar olei. C. 1, n. 252, 253.
Adulatores Harpyiæ, Corvi, meretrices, Ægyptii canes. 1, n. 245. & sequent.
Adulatores colaphis cædebat Ladislaus rex Poloniæ. 1, 251.
Adrians color symbolum eorum quorum conversatio est in cœlis. 8, 121.
Æsopus rogatus quo iret, sapienter respondit se nescire. 2, 3.
Æthiopes animorum condita corpora vitro includebant. 6, 100.
Affricæ arma non habent quibus se tueantur, nisi gemmas. 13, 58.
Agar ancilla insolens. 15, 1.
Agape quare sublata à Sanctis Patribus. 9, n. 90.
Agesilaus ob vilitatem vestitus fuit contemptus. 8, 108.
Agesilaus populo familiaris, dissimilis Regibus Persidis. 4, 102.
Agathoclis Regis Siciliæ modestia. 15, 9.
Agonia comprehendi quid sit. 14, 4.
Alcibiades arguitur vanitatis à Socrate. 13, 11.
Ad principes accedendum velut ad ignem, quid hos velit. 2, 96.
Adulterio Davidis natum puerum cur Deus mori voluerit. 1, 233.
Albi equi olim regibus in deliciis. 6, 79.
Albi cutaneo dies solennis Carthagine, quo cives honorabantur. 6, 68.
Alphabeticus Index ornamentorum muliebrium. 2, 133.
Alpes locus plerumque periculosus & præceps. 2, 112.

Alexander Magnus.

Alexander Magnus telo sanctus se mortalem agnoscit. 13, 12.
Alexander pocul. Herculanis necatus. 1, 117.
Alexander militem somno frigore languidum in sua sede hortatur. 6, 75.
Alexander credi se Deum & adorari voluit. 3, 16.
Alexandri & Trajani in lapsos mulier humanitas. 4, 111.
Alexandri Magni, & Severi, Minutii Rufi in amicos liberalitas. 6, 48.
Alexandri mors ignobilis, qui & insepultus jacuit. 5, 59.
Alexandri corpus gratum spiritus odorem. Cur? 2, 110.
Alexander potandi certamen primus instituit. 1, 112.
Alexander servis audivis plures esse mundos. 5, 58.
Alexander Severus animam purgavit hominibus inutilibus. 8, 11.

Aman.

Aman idem est quod iniquitas vel conturbans. 3, n. 17.
Aman, ut vesica inflatus adversitatis aculeo frangitur. 5, 47.
Amans typus fuit Christi, & quare. 6, 112.
Aman ex urna fortuna vel Sortium suum eduxit patibulum. 3, 87.
Amans capti sunt ut aves, vel pisces ab aucupe, &c. 6, 124.
Aman hospitii jura infregit. 16, 24.
Cogitavit regnum Persarum ad Macedones transferre. 16, 19.
Incessit per Labyrinthum, quo ires nescias. 2, 4.
Amani gaudium tres tantum menses & paucos dies tenuit. 5, 61.
Fuit servus & captivus. 3, 5.
Piscatus est purpureo reti, & hamo aureo in aquâ turbidâ. 16, 25.
Aman fuit Macedo, sed origine Amalecita. C. 2, n. 2 & 3.
Cur fuerit factus ejus operta, varia adferuntur rationes. 7, 50.
Fuit paulatim ad summa provectus. C. 4, n. 6, 7, 8.
Amano quæ causa odii fuerint in Mardochæum. 3, 63.
Aman cur vocatus Bugæus. 3, 4.
Alphonsi Aragonum Regis studium in historiis legendis. 6, 26.
Amarantus symbolum beatitudinis. 1, 67.

Ambitio.

Ambitionis molestia. 2, 110.
Ambitio non senescit, sed est ultima hominis infirmitas. 3, n. 102. 103.
Ambitio profusa Jasonis & Menelai. 3, 101.
Ambitiosi Core, Dathan, Abiron terra absorpti quare? 7, 115.
Ambitiosi similes Cardiaco morbo laborantibus. 5, n. 55.
Ambitiosi colapeos similis melli, quod Ismathæi ho virgâ gustavit. 5, 58.
Ambitio initium omnis nequitiæ. 3, 78.
Ambitio immensa, vana, ignis, ventus, sint mensura. 3, 71, 72. 73, 74.
Ambitio Abimelechi. 3, 64.
Ambitio, ut similis Democriti, & quare? 3, 95.
Ambitio & avaritia malorum elementa. 3, 95.
Ambitio periculosus scopulus. 3, 104.
Ambitio Absalomi, C. Cæsaris, Herodis, Athaliæ, &c. 3, n. 70. 75, 76, 77.
Ambitiosi similes mari & Euripo. 5, 57.
Ambitiosus per tyrannidem regnum invadens cur Rhamno par. 3, 65.
Ambitiosi similes Canariensibus Tyrnæ se devorantibus. 2, 114.
Ambitiosus similis asino Tauro, rana Æsopica, vesica inflata. 3, n. 92. 93, 94.
Ambitionis miserias expertus in se describit S. Augustinus. 2, 111.
Ambitio cæca Empedoclis, & Calani Brachmanæ. 3, n. 96, 97.
Ambitio Iulii Cæsaris multorum malorum causa. 2, 117.
Ambitiosus similis cervo, uno oculo privato, de qua fabula. 2, 118.
Ambitio similis cepis, & quare. 3, 105.
Ambitio cæca in Nabuchodonosore, Absalone, Antiocho. 31, n. 89. 90, 91.
Amalthea cornu quale? 2, 178.
Amiantus symbolum Divinitatis. 1, 66.
Amygdalus, ejusque virga Hieroglyphicum vigilantiæ. 6, 20.
Amicus suavissimum convivii condimentum. 1, 80.
Amicus rationis fidendum. 16, 2.
Amicus fidelis munitum palatium. 12, 2.
Agnus Paschalis inducebatur cum plausu, & coronatus. 16, 63.

Amor.

Amor mundi Dei amore pellendus. 2, 10.
Amor Dei in beatis significatur per annulum. 8, 26.

INDEX RERVM MEMORABILIVM.

Amor cur dicitur Græcè ἔρως. 1, 199.
Amoris duo contraria ἔρως & ἀνέρως. 2, 15. 6, 56.
Amor est Cicuta. 2, 16.
Amor Dei amori carnis palmam extorquet. 12, n. 1.
Amor auliconum magis regum tuetur, quam arma. 8, 30.
Amantes amasiarum effigiem in annulis cur ferunt? C. 1, n. 37.
Amphitheatrum Titi. 2, 159.
Angari apud Persas erant veredarii celerrimi. 8, 82.
Angariare quare significat cogere? 3, 122.
Angari cursores Persarum à Cyro instituti, ut Postæ. 15, 80.
Angeli vultum terrefacti. 15, 78.
Angelus Dei formulâ loquendi indicans gloriam. 15, 76.
Angelus Dei apud Hebræos signat majestatem suprà homines. 15, 76.
Angelus gressus Anachoretæ numerat. 6, 65.
Anima sicca sapiens, ebria tota hebes. 1, 178.
Annibal suadet Antiocho ut lagenas plenas serpentibus in hostes jaciaret. 11, 38.
Annibalis vigilia. 6, 15.
Annibal vidit serpentem se sequentem in signum vastandæ Italiæ. 11, 23.
Anna amaro animo orans impetrat Samuelem. 13, 54.
Anchora circa quam Delphin se complicat monet Principem pacis studere. 13, 27.
Antipathia animantium & piscium. 5, 48.
S. Antonius non movetur favore aulæ vel Cæsarum litteris. 4, 45.
S. Antonius festis solennioribus indulebatur Paulo tenuiùs. 9, 54.

ANNULUS.

Annulus significat dignitatem beatorum. 8, 34.
Annulus duplex, unius sigillaris, alter honorarius. 8, 2.
Annulus a Rege alteri datus symbolum amicitiæ, &c. 3, 108.
Annulus sigillaris in Scriptura dicitur signum, signaculum. 3, 113.
Annulus Connubialis. 8, 33.
Annuli sigillaris usus antiquissimus. 3, 106.
Ab annulari digito usque ad cor pertingit nervus. 8, 32.
Annulus Alexandri Magni, Pyrrhi, Romanorum. C. 3, n. 110. 111, 112.
Annuli sigillaris usus varius. 3, 114.
Annulus symbolum maximi amoris. 8, 31.
Annulus amici nomine insculptus amoris symbolum. 8, 28.
Annulus cordis corona digito annulari inseritur. 8, 29.
Aod typus vitæ activæ & contemplativæ. 15, 44.
Apes pugnantes jactu pulveris compescuntur. 4, 18.
Aphrasius rebellis eremo ob confessum fidei in publicum prosilit. 4, 49.
Apophoreta quid sint? C. 2. 160.
Apophthegma egregium filii recusantis regnum à Patre oblatum. 15, 3.
Apostoli cœli, soles, nubes, columbæ, &c. quare? 8, n. 98, 100.
Apostoli viri domus eburnea. C. 4. n. 4
Apparatus quo Esthera placuit Deo. 14, 1.
Apparatus quo Esther placuit Assuero. 14, 2.
Anna Prophetissa erat ex ordine Therapeutridum, Deum colentium. 15, 20.
Aquæ haustus symbolum lacrymarum & pœnitentiæ. 4, n. 53, 54, 55.
Aquilam inter & Scarabæum odium esse Fabula docet. 5, 52.
Aquila in calceis symbolum est humilitatis in potestate. 2, 195.
Aquila cochleam elisam dejiciens quid significat? 6, 91.
Arca fœderis Dei Matris typus hostes punit, suos tuetur. 9, 41.
Arca fœderis S. Mariæ typus, sed tamen magno discrimine. 7, 38, 39.
Arca fœderis ultimum perfugium Israëlis in rebus desperatis. 7, 36, 37.
Ariobazanis filius regnum Patris suscipere venit. 15, 4.
Arsenius & Cassiodorus aulam fugiunt. 4, 47, 48.
Ars pastoritia præludium ad regnum. 4, 90.
Aromelo serpenti lætalis, ut & Crux diabolo. 8, 66.
Aspalathus & Iris in eum incidens symbolum gratiæ Dei. 15, 70.
Aspis catulum suum hospitis violatorem morte multat. 16, 23.
Artabani Oratio, quâ ostendit Deo gratum esse superbos humiliare. 6, 93.
Astare ante Dominum vel faciem ejus quid sit? 8, 1.
Asceticæ vitæ principes Elias & Joan. Baptista. 4, 5.
Asceticæ vitæ quid sit. 4, 6.

Assuerus qui & Artaxerxes.

Assuerus leges tulit duas convivales. C. 1, 74.
Assueri & Artaxerxis nomen communis Regibus Persarum quid significat? C. 1, n. 23
Assueri convivium umbra cœlestis. C. 1. n. 137.
Assueri typicè est Christus, veredarii Apostoli. 8, 89, 95.
Artaxerxes Regia majestas. 15, 53.
Artaxerxes cognitionem veri Dei ab Esthere & aliis accepit. 16, 39.
Artaxerxis in Themistoclem liberalitas. 2, 162.
Artaxerxis ira qua causa fuerit contra Esther. 15, 52.
Athenarici apophthegma de avaritia. 9, 18.
Athenienses caput pericles corona oleagina cinxerunt. 6, 34.
Aures Dei patent audiendis clamoribus justorum. 4, 28.
Auro nihil peritius per ignem, nec Christi divinitati per passionem. 5, 21.
Aurum symbolum Christi divinitatis. C. 5, n. 11, 13, & sequent.
Augusti Imperatoris clementia. 13, 24.
Augusta beneficio Principis iisdem cum Principe privilegiis gaudet. 15, 88.
S. Augustin. amorum sæcula Dei amore vicit. 2, 14.
S. Augustin. & Bernardus medicastrem secuti in vestitu. 8, 110.
S. Augustin. mensa frugalis, hospitalis, eruditionis plena. 1, 97.
Augustus Cæsar doctis sermonibus utebatur sub mensam. 1, 102.

AVARITIA.

Avaritia Pygmalionis & Regis Thracum. 9, 14.
Avaritia laqueus diaboli, mellis copia. 9, 20.
Avaritia urbs Herminea, in qua mortuis in ore nummus non erat, & quare? 9, 21.
Avaritia miranda Cautini Episcopi Arvernensis. 9, n. 19.
Avaros infestatur S. Ambrosius & eum in Iezabele depingit. 9, 17.
Avaritia turpissima in Principibus. C. 1, n. 66.

Aula, aulici.

Aula pericula. 7, 85.
Aula viam segetem virtutis ministrat. 3, 48.
Aula Davidis, familia, ut constat ex Psalmo centesimo. 8, 4.
Aula duo Palatini lætæ vitæ S. Antonii, valedicunt. 4, 46.
Aulam adeuntibus monachis & religiosis quæ cavenda. 4, 50.
Aulici cum Rege luscо, lusci, cum claudo claudi sunt. 1, 240.
Auliconum felicitas personata. 7, 102.
Aulici fidelissimi Augusti fuerunt Agrippa & Mecænas. 8, n. 8, 9, 10.
Aulicos vanè sibi de honore placere Thomas Morus elegantèr docuit. 5, 46.
Aulici nunc multum, nunc parum possunt, ut calculi vel O in Cifera. 7, 94.
Aulici cur fures. 7, 88.
Aulici præclari sunt præsidia & luminaria aulæ. 10, 19.
Aditus duo à Philippo secundo reprehensi tota vita percussi fuerunt. 7, 11.
Aulici probi similes auro igne probato. 8, 6.
Aulicis improbis ut fœviis, arguine, &c. male parcendum. 8, 5.
Aulicos paucos fideles, ut fuere Daniel, Chusai. 12, 6.

B

Barbara gentes in luctu capita tonsorum deglabrabant. 14, n. 14.
S. Basilius fax in sæculi nocte. 10, 60.
Basilius Imperator Leonem filium ad Historiæ lectionem hortatur. 6, 25.

Beatitudo, beati.

Beatitudo cur dicatur à S. Petro hereditas incontaminata, & immarcescibilis. C. 1, n. 65.
Beatitudo est summum gloriæ. 8, 36.
Beatorum debitæ quales. C. 1, n. 145.
Beatorum multitudo quanta. 1, 14.
Beatis omnibus summum bonum communicatur. 1, 142.
Beatorum voluptas ex visione Dei quanta. 1, 140.
S. Benedicti conversatio in cœlis fuit, qui etiam via ad cœlum lucida ascendit. 8, 122.
Benedictus Papa XI matrem ad se venientem cultius ornatum nolunt agnoscere. 15, 11.
Bene de Republ. meriti semper & ubique honorati. 6, 54.
Benjamini Diaconi nobilis Confessio veri Dei coram Gorosme Rege Persæ. C. 12, n. 12.
Beliserius pila fortunæ quare? 7, 59.
Bessus amicus infidelis & alii. 12, 7.
Bestiarum, avium, piscium cura in cæteris & pullis educandis. 14, 27.
Bethsabea petitio ob imprudentiam à Salomone repellitur. 5, 35.
S. Bonifacius auctis literis curat sibi scribi S. Petri Epistolas. 8, 76.

Boni-

INDEX RERVM MEMORABILIVM.

Bonifacius Comes calumniis appetitus Africam prodidit barbaris. 3, 62.

Bogoris Bulgarorum Princeps visâ Iudicii imagine ad fidem Catholicam convertitur. 7, 19.

Bibliotheca Regis Persarum, libri, ejus Historicus. 6.21.

Bibones insignes non minus laudantur quam bellatores. 1, 122.

Bibones Patres Ambros. & Augustin. incessunt. 1, 123.

Boves & mali hic patiuntur, sed hi pejores sunt, illi verò meliores. 2, 33.

Botro allato è terrâ Chanaan invitantur ad eam Hebræi. 6, 39.

Brunechildis zelus ad barbaros convertendos. 16, 50.

Bucephalus regis ornatus phaleris prater Alexandrum nullum admittebat sessorem. 2, 194.

Burgundionum miranda ad fidem conversio. 8, 141.

Byssus quid sit, quomodo differat à Bombyce, &c. 8, 123.

Est Castitatis symbolum.

C.

CAdaverum Mercurii docet suaviloquentiam animos conjungere. 15, 105.

C. Caligula Natrix Romani populi, orbis Phaëton. 16, 35.

Calices potorii olim ex gemmis. 1, 69.

Calumnia virtis sanctis causa doloris, ut Danieli, &c. 3, 61.

Calces Romanorum aurei & gemmati. 2, 202.

Calvarium locus symbolum. 14, 11.

Campus martius est hic mundus Deo, pila autem sunt homines. 7, 58.

Cadisthenes quia Aristoteli non paruit, ab Alexandro occisus. 7, 91.

Candidianus Comitis frenus, ne hæresi Nestorii pateret. 4, 87.

Canutus Anglia Rex vanitatem assentatorum sapienter repressit. 13, n. 13.

Canutus capiti Christi suam coronam imposuit. 14, 88.

Cameronis scelesti terribilis mors. 6, 127.

Calumniatorum fautor Saul Rex. 3, 57.

Cambyses judici iniquo pellem detrahi jussit. 7, 64

Cambysa temulentia & crudelitas. C. 1, n. 170.

Canis symbolum fidelitatis. 12, 9.

Canis Roma cruci affixus. 9, 25.

Canis à canibus ante mali exceptus in aulam ultrà non rediit.

Canis Dario fidelior quam illius aulici. 12, 8.

Capillum tendere olim luctus signum, nunc verò illum promittere ejus est symbolum in viris, in mulieribus autem illum neglegere. 14, 10.

Caput operiendi ritus varia causa. 6, 106.

Capra pedibus ferrum eruit, quo immolanda; quid signat? 7, 80.

Card. Baronii pulchra oratio, qua humiliter Cardinalatum recusavit. 6, 90.

Caroli Magni cœna modicis constabat sercula. C. 1, n. 98.

Carolus Crassus fortuna ludibrium. 7, 60.

Carolo Quinto exequiæ exhibitæ ante mortem, & pia ejus exercitia. 4, 21, 22.

Casimirus 2. Polonia Rex in convivio moritur. C. 1, n. 274.

Carmi Regis Macedonum tropæum Leo evertit, sed Crucem demere non potuit, nec potest. 8, 64.

Catadupi ad Nili fontem obsurdescunt. 8, 23.

S. Catharina Sensus à S. Paulo reprehensi, mirè confunditur. 7, 15.

Castitas.

Castitas fastigium perfectionis Christiana. C. 1. n. 13.

Castitas Alphabetum & fundamentum Christiana perfectionis. 1, n. 11.

Castitatis comes Sapientia. 1. 12.

Castitatis periculum ex consortio mulierum in conviviis. 1, 160.

Casti sunt lilia, & quare? C. 1, n. 14.

Cete & balenæ ad nola fonitum diffugiunt. 5, 51.

Christiani veteres osculabantur pedes sacerdotum. 13, 69.

Christiani Reges etiam pedes Episcoporum osculabantur. 13, 71.

Christiani in terra sancta jejunio indicto Saracenos prælio sternunt. 4, 144.

Christianorum primorum qualis vita. 4, 2.

Christus cultum missum in Baptismo Clodovei, 2, 111.

Christus.

Christus concha margarifera, Virginum sponsus. 2.21.

Christi vox Ego sum Judæos prostravit, quid facit, Ite maledicti. 7, 12.

Christus ut aurum se attenuavit in Incarnatione. 5, 9.

Christus affixus Crucis simul in ea diabolum fixit. 8, 48.

Christus Agni Paschalis typum implevit. 16, 64.

In Cruce spoliavit dæmones & in triumphum adduxit. 8, 49.

In suo Jerusalem ingressu floribus conspersus, ut Agrippa. 16, 62.

Est passer & turtur. 2, 19.

Passio ejus & Crux virga aurea, quam Pater ad nos extendit. 5, 8.

Reverentia duplice Matrem suam exaudit, ut ipsum Pater. 5, 35, 36.

Christus in Cruce benedictus, diabolus in eadem maledictus. 8, 52.

Christi typus Elias & Eliseus cum mortuos excitarunt. 5, 20.

Est os & caro Matris Virginis. 15, 90.

Convivium Pharisæi egregiis dictis & factis instruxit. 1, 104.

Est frater Virginis Matris, ideo & ipsa purissima. 15, 89.

Christo unicum sufficiebat seculum. C. 1. n. 105.

Christi & Mariæ in vultu divinus splendor radiabat. 15, 47.

Cum lacrymis Deo Patri preces offerens est exauditus. 13, 57.

Affixus Crucis Chirographum decreti contra nos affixit. 8, 49.

Cilicium.

Cilicis usus apud omnes gentes symbolum pœnitentiæ. 4, n. 2, 9.

Cilicium servit carnis mortificationi. C. 1. n. 11.

Arcet vim hostis tam corporalis quam spiritualis. 4, 12.

Eo usi Sancti Martinus, Basil. Nazianzen. Thomas Morus. 4, 13.

Adhibetur ad impetrandum aliquid à Deo. 4, 10.

Cilicium est vestis Ecclesiæ. 4, 8.

Canis symbolum purgationis animæ per pœnitentiam. 4, 19.

Cineres aspersio symbolum luctus, pœnitentiæ, humilitatis. 4, 13. 14, 15.

Cineri tituli vani inscribuntur. 13, 7.

Civitates ob convivorum sumptus redactæ ad inopiam. 1. 93.

Cervi allecti odore terra maris tranantes quid nos docent? 6, 40.

Clementia.

Clementia Regis nihil civibus gratius, & amore civium nihil Regibus securius. 13, 15. & C. 1. n. 217.

Clementia Regis imber serotinus quare. 13, 21.

Firmat & tuetur Imperium. 13, 20.

Clementia Philippi Macedonis, Vespasiani, Titi. C. 2, n. 5, 6, 7.

Item Theodosii junioris, & Frederici Imperatorum. 2, n. 8, 9.

Cœlum.

Cœlum continet omnia honesta sensuum oblectamenta. C. 1. n. 64.

Habet lapides pretiosos & gemmas. 1, 56.

Cœli pulchritudo. C. 1. n. 55.

Cœli enarrant gloriam Dei. C. 1. n. 42.

Ejus aurea & gemmea palatia viderunt Sancti. C. 1. n. 57.

Comitis Effexii vita & mors. 7, 106.

Clotharius indictum Ecclesiæ vectigal admonitus revocat. 10, 13.

Colocynthides amara miscentur mundi deliciis. C. 1, n. 270.

Cogentes ad potandum. C. 1. n. 120.

Cogens ad potandum morte multatur. 1, 121.

Commentus de Scythis triumphans imaginem Dei Matris in triumphali curru locat. 9, 45.

Conditio nimis secunda formidanda. 7, 55.

Conceptioni Immaculatæ Deiparæ multi Doctores applicant illa verba ex Capite 15: Non morieris, sed pro omnibus hac lex constituta est. 15, 82.

Cognitio exigua Dei præstantior est maxima rerum creaturarum. 8, 21.

Confessio peccatorum catena aurea est, in qua humilitas est primus annulus. 14, 34.

Columba perfusa unguentis olim convivas perfumabant. 2, 122.

Constituta puritas præbet fiduciam impetrandi à Deo. 14, 67.

Conversatio nostra in cœlis est, quid sibi velit. 16, 38.

Constantinus in imagine sua draconem ut draconem depingi fecit. 11, 26.

Constantinus omni exclusa adulatione veritati aures dabat. 13, 46.

Constantia S. Cypriani, Adriani, Procopii, Liberii. 31. n. 49. 50, 51, 54.

Constantia Mathathiæ, Trium puerorum, Danielis, &c. 3, n. 44. 45, 46.

Constantia symbolum lapis quadratus. 3, 47.

Copula Et initio librorum sacrorum posita, quid significat? 1, n. 1.

Cœna dicta Gradis à communi societate. C. 1. n. 27.

Cœna primorum Christianorum cur dicta Agapæ, & qualis illa fuerit. C. primo num. 85, 86.

INDEX RERVM MEMORABILIVM.

CONCILIVM, CONSILIARIVS.

Concilium sapientum fuit apud omnes gentes cultas. 1, 22 & seq.
Consilium dubiis in rebus à sapientibus petendum. 1, 218.
Consilium Reip. fundamentum. C. 1. D. 222.
Consilium prævalet armis. 1, 223.
Consilium magnis in rebus adhibendum. 13, 41.
Consilium probum vitiatur consiliarii improbi turpitudine. 13, 44.
Consilio destituta mens multis periculis patet. 1, 220, 221.
Consiliarii optimi suos mortui, id est libri. 1, 229.
Consiliarii dotes probitas & prudentia. 1, 230.
Consiliarius omnibus numeris absolutus rara avis. 1, 228.
Cornu horum dux cum inauguratur, rustico vestitu prodit. 15, 14.

CONVIVIVM.

Conviviorum infelices exitus docent exempla. 1, 271.
Convivium coronarium filiorum Iob. 1, 88.
Convivia utrorum meritò arcentur femina. 1, 159.
Convivium dictum à vita conjunctione. 1, 76.
Convivia exhibentur, ut simultates extinguantur. 1, 87.
Conviviorum funesta Catastrophe. 1, 34.
Convivia sine peccato vix habentur. 1, 89.
Ab illis plerumque celebrantur Nymphæ, Gratiæ, Musæ, adsunt verò Bacchus, Eros, Venus. C. primo n. 90.
Cornua cervi & Rhinocerotis Christi Crucem notant. 8, 85.
Cor hominis est simile fontis fabrilis, qui clavicula versa aquas fundit. 4, 62.
Cor Regis in manu Domini, sicut Divisiones aquarum ex Proverbiis, exponitur. 15, 57.
Corpus est quasi anima indumentum & cingulum. 4, 35.
Corpora SS. Hilarionis & Sumeonis Stylitæ post mortem suavem spirarunt odorem. 2, 112.
Coronam auream hic positurus in cœlo cum eo tinet, &c. 6, 104.
Coronas aureas è cœlo allatas viderunt sanctis 1, 59.
Coronis triumphantium insculpta erant eorum facinora. Et, qua de causa? 6, 120.
Creatura sunt hominum liber, ut S. Antonio, Ignatio. 1, 45.
Crotoniatæ matrona pretiosas suas vestes Junoni offerebant. 2, 149.

CRVX.

Crux Christi rhoda triumphalis. 8, 50.
Crucem cur horreant dæmones. 8, 62.
Crucibus mortua Romanorum corpora affixa. 9, 21.
Crucis signum summa prosperitas. 8, 67.
Cruces apud Persas etiam proceres affigebantur. 7, 66.
Crucis signum dæmonum fugat ex opere operato. 3, 61.
Crux Christi cur dicitur gemina. 8, 51.
Crux Christi latronum crucibus altior fuisse videtur. 5, 65.
Crux infamis apud Iudæos. 9, 26.
Crux inter cornua cervi apparuit SS. Eustachio & Huberto. 8, 59.
Crucis supplicium apud Romanos & alias gentes ignominiosum. 9, 23.
Crucem inter & diabolum ea est Antipathia, qua inter fraxinum & serpentem. 8, 55.
Crux asylum est ad eam confugientibus. 8, 65.
Crucem latronum & Christi æquales fuisse probabile est. 5, 68.
Cruces quondam humiles fuerunt, ut S. Blandinæ. 5, 69.
Crux cur parata Mardochæo? 5, 63.
Culices Saporis Regis Persarum fugant exercitum. 9, 7.
Cultus non muliebris sed honestus viros Principes decet. 8, 111.
Cunegundis sive Kinga Poloniæ Ducissa vestitu simplici usa. 14, 85.
Cunæ Prænestinorum urna liberos. 2, 99.
Cyrus, unum publicum Angarorum vel veredariorum instituit. 8, 81.
Cyri stultitia indignantis contra Gyndum fluvium. 6, 78.

D.

Daniel in aula Regum Chaldæorum & Darii Præfectus, Collega. 10, 18.
David quomodo inclinaverit cor suum propter retributionem, &c. 6, 45.
David spe præmii allectus certamen iniit cum Goliatho. 6, 38.
Decalvata mulier est turpissima. 14, 12.
Dæmon apparuit in specie draconis. 11, 25, 32.
Dæmon cur gaudet specie serpentis? 11, 33.
Dæmones è cœlo in terram ceciderunt, quod etiam fabula gigantum indicat apud poëtas. 11, 37.
Dalmatæ Babylone expulsi Darium. 3, 60.
Delectatio vera & vitalis primariò gustatur in cœlo. 14, 103.
Deliciis carnis deditus prætermissis divinis similis est Scarabæis, Cocodrymis, Pantheris, elephantis. Cur? 14, 104.
Demetrius Phalareus lectionem librorum Ptolomæo commendat. 6, 23, 31.
Detractionis ofors David, Tiberius, Trajanus, Titus. Cap. 3. n. 54 & sequent.
Detractionis lectio Regibus commendatur à Deo. 6, 27.

DEUS.

Deus Chaldæis pro obsequio sibi præstito in Tyro capienda spolia Ægypti tribuit. 6, 51.
Deo ludus est alta deprimere, humilia elevare. 6, 92.
Deus dicitur Universus. Cur? 6, 130.
In scriptura vocatur tutor pupillorum. 2, 63.
Potest justos cum impiis occidere, ut parentes in filiis suis puniantur. 8. n. 85. 86, 87.
Ad maledictionem parentum punit liberos. 13, 91.
Punit Respublicas per malos Consiliarios. 10, 24.
Stat ad ostium impiorum ad vindictam. 6, 128.
Regibus bonis providet de probis Consiliariis. 10, 22.
Similis est medicis qui primum purgant corpus, deinde dictum prescribunt. 8, 136.
Deus sanctorum hostes sæpe placat, ut Proverb. liber docet. 15, 63.
Solum septem festa instituit in lege veteri, reliqua verò ipsi Iudæi. 9, 22.
Deus servorum suorum labores remunerat. 6, 57, 59.
Deus quasi centrum lineas sibi oppositas unit, ita hostes suos sibi conciliat. 15, 64.
Interdum annuit quorumdam illicitis votis & appellationibus. Cap. 13. n. 90.
Mulieribus forma gratiam dedit, ut animantibus diversis alia & alia. 14, 55.
Deus & natura ab imperfectis procedunt ad perfecta. 11, 42.
Deus illustri exemplo tutor ostenditur suorum. 2, 64.
Per tonitrua & fulmina bellum indicit, ut tuba Imperator. 11, 5.
Creavit mundum ex informi & confusa materia. 11, 41.
Dei promissa in reducendo populo Iudæorum. 14, 39.
Romanorum vi vitæ morales orbis imperio remunerantur. 6, 58.
Deus descripsit nomina beatorum in manibus, id est in animo suo. 8, 27.
Deus numerat omnes dies, opera, &c. quibus illi servimus. 6, 64.
In viris sanctis prudentiam sæpe supplet. 2, 231.
Lacrymas nostras in lagena, & libro suo ponit ut remuneret. 6, 60, 62.
Glorificantes se multis modis glorificat. 6, 96.
Ex parva glande magnam quercum educit, sigillum suum imprimens. 11, 43.
Superbos instar pili in altum sublatos mox dejicit. 6, 89.
Deum posse laudare maxima laudis merces est. 6, 97.
Dei gloriæ similis est Pantarba lapidi pretioso. 8, 25.
Deus imitatur Iudices qui saperecos de pulvere erigunt. 6, 88.
Deum semper vigilare ut scelera puniat docet Scriptura. 6, 123.
Animas corda Principum, ut habes R. Iob. 15, 56.
Attribuit probis pudorem, improbis impudentiam. 1, 185.
Pœnitentibus quare promittit veniam sub dubio? 4, 123.
Vt supremus Aquilex aquam, id est, favorem Regum transfert in eos quos vult. 15, 58.
Deus summa vestrorum vestrorum, tantrum anima, in quo quiescit. 1, 146.
Deus mirandus in S. Pauli conversione, sicut medicus peritus apparet, cum febrim curat maximè intensam. 15, 61.
Deorum suorum gemma Gentiles cera linebant & amplectebantur. 7, 48.
Descendere ad inferos in scriptura propriè accipitur. 13, 39.
Diabolus instar lupi ab homine provisi, fugit, cum illum prævenimus per peccatorum Confessionem.
Diabolus apud gentes adumbravit festum Expiationis & Passionis Christi. 16, 57.
Diabolus captus est à Christo in typo Amani. 7, 5.
Diabolus qui primus excitaverat Iudæos ad Christum crucifigendum postea pœnituit. 8, 53.
Diabolus ubique Crucem fugit & horret. 8, 54, 56.
Diadema quale fuit? 6, 80.
Diadema curis plenum. 3, 67.
Diadema & Cidaris quid? 2, 158.
Diadema signum superbiæ; quare? 14, 70.
Dido decepta Æneam hospitio suscipiens. 16, 26.
Diana verecundia. 1, 190.
Dies septimus in lege veteri, & Dominicus in lege nova festivi; cur? 9, 46.

Die-

Dionysius Iunior Athenis conflictum petendi proposuit. 1,111.
Discrimen inter objecta sensuum & intellectus. 8,22.
Dira subditorum magis Principi metuenda quam arma hostium. C.10.11 10.
Dorg Idumæus delator pessimus. 3,58.
Domitia Flavium Clementem, Natalis Adrianum, alia matrona alios viros suos ad fidem converterunt. 16,49.
Dominica Palmarum, qua rami præferuntur, quid notat? 16,61.
S. Dominicus ornatissimus vestis est cælum ingredi. 8,127.
Dormiens nullius alicuius est pretii. 6,18.
S. Dorotheus rosas & poma à cælo misit. 1,60.
Domus in scripturis accipitur pro familia. 8,3.
Domus saltus Libani unde dicta? 1,40.
S. Dunstani insignis audacia constantia & virtutes. 8,18.
Dux à milite ad Dei tribunal citatus hora condicta moritur. 13,93.

DRACO.

Draco insigne Epaminundæ & Spartiatarum. 11,17.
Draco in vexillis Ægyptiorum, Romanorum, unde & Dracanorii. 11,21.
Draco symbolum potentiæ & vigilantiæ in Principe. 11,18.
Draco imago boni principis. 11,11.
Dracones cur dicti Mardochæus & Aman. 11,8.
Draco Hieroglyphicum Deorum & Regum. 11,10.
Draconum quorundam immensa magnitudo. 11,19.
Draco cur pingitur ad pedes S. Silvestri. 11,31.
Dracones ignivomi in Scotia. 11,29.
Draco symbolum diaboli. 11,22.

E.

EBRIVS. EBRIETAS.

Ebriorum exitus infelices ex profanis, ut Alexandri Magni, M. Antonii, Philippi Macedonis, Antiochi, Ptolemæi Gothi. 1,172.
Ebriorum exitus infelices ex historiis sacris. 1,171.
Ebrius Rex aurigæ imperitus, & gubernator amisso clavo. 1,175.
Ebrius quidquid in animo latet, eructat. 1,177.
Ebrietas unde dicta? 1,114.
Ebrietas corporis humani citharam dissolvit. 1.115.
Ebrietas Regibus indecora & vetita. 1,174.
Ebrietate rationem hebetari docet fabula de Polyphemo. 1,176.
Ebrius similis Elpenori. 1,113.
Ecebolius Sophista Hypocrita pedes Christianorum osculatur. 13,70.
Ecclesia instar orationum suarum Dei commemoratione collata beneficia. 13,5.
Ecclesia Christi crevit viris variis prosperis expolitis. 4,3.
Ecclesia latius patet Romano imperio. 11,47.
Edissa, quod est nomen Esther, myrtum significat. 2,34.
Educatio Paulæ & Pacatulæ ex S. Hieronymo. 2,50.51.
Edwardus Anglia Rex damonem vidit ludentem juxta pecuniam ex vectigali collectam. 10,11.
Eginhartı amorem furtivum erga filiam suam Carolus Magnus deprehendit. 2,89.
Eleazari sacerdotis magnanimitas procul à simulatione remota. 13,74.
Elesbaan Rex Æthiopum coronam suam mittit Hierosolymam. 14,89.
S. Elisabetha diebus festis de ornatu corporis aliquid detrahebat. 9,82.
Elementa omnia plena dæmonibus. 11,36.
Elephantis infesta formica, mures, &c. 5,49.
Elephantis & draconis pugna; Item hominis & dæmonis. 11,39.
Epula festiva culpa hominum in luxum abierunt. 9,58.
Epula dierum festorum propria. 9,47.
Eremum viri sancti & mulieres inhabitarunt. 16,15.
Ernesti Austriaci castitas. 1,167.
Erubescendum non est cum erroribus vanitatibus, sed potius tunc cum in errore scientes persistimus. 16,15.

ESTHER.

Esther sub foliis symbolo visa Mardochæo Reginam eam fore signabat. 10,37.
Estheræ Reginæ imitata Pulcheria Augusta. 4,120.
Esther in Oratione sua forte secuit Canticum Graduum. 14,18.
Estheris virtutes. 8,37.
Ejus exemplo præsidi quis purpuram gestare, & cor sursum habere. 14,69.
Exemplo Sanctorum ille eo adiuto superiore versus Hierusalem oravit. 14,17.
Solum vescebatur cibis lege Moysi permissis. 14,74.
Delectus Persidis non capiebatur. 14,73.
Prius latens facta Regina instar Solis resplenduit. 10,32.
Estheræ exemplo monentur concionatores à Deo sermonis gratiam petere. 14,51.
Estheræ abstinentia, fiducia in Deum, caritas, exemplum bonum. 4,131.
Estheræ vultus rubore perfusus. 15,28.
Esther Veritcordia & quare. 16,41.
Fuit Deipara typus. 15,81.
Ejus cum Assvero connubium finis luctuum. 2,108.
Quid nomen ejus significat? 2,38.
Estheræ atavi. 2,32.
Ejus gena similes fragmini mali punici. 15,29.
Altissima instar solis omni umbrâ vanitatis caruit. 2,189.
Ejus exemplo ministri Ecclesiæ Deum erant instar Psalmodiæ. 14,53.
Esther exemplo confugiendum ad Deum cum homines terrent. 14,50.
Esther quemodo Semiramidem imitata. 14,16.
Esther meritò vocata Myrtus ob animi virtutes. 2,36.
Esther quomodo soror parvus. 10,25.28.29.
Esther similis Lunæ quæ in plenilunio decrescit. 2,190.
Estheris nulla pura voluptas in palatio Assueri. 14,75.
Esther Persicè Astrum, vel Aster vocata, & quando? 2,39.41.42.

V. EUCHARISTIA.

Eucharistia homines quasi Deos efficit. C.1.10.136.
Est medicamentum Panchreston. 1,127.
Est sanguis uva & mori. 1,127.
Eucharistia nunquam consumitur. 1,134.
Est ἀγγελικὸν μυστήριον.
Est compendium mirabilium Dei. C.1,133.
Est Colophium. 1,125.
Est calix validus lætificans. 1,127.
Est esca πολυχρήστος. 1,128.
Eucharisticum sumpturus, ne serpens paturus, prius virus evomat. 1,130.
Est anima sagina & ebrietas sacra. 1,129.
Est amuletum castitatis. 1,131.
Est spirituale Mithridaticum. 1,126.
Eucharistici convivii collatio cum Assueri epulo. 1,124.
Est Edulium Calydonium famem tollens. 1,135.
Eunuchorum in sacris litteris triplex acceptio. 2,72 & sequent.
Eunuchorum origo à Persis, & eorum officium. 1,169.
Eunuchorum acceptio in scripturâ pro castis. 2,76.
Eunuchorum castorum laus & præmium ex Cap. 56 Isaiæ 2, 77.
Euphrosyne, id est, lætitia unde Græcè dicta? 14,95.
Euthymius in exilium portatur cum quem S. Ambrosio paravisse. 7,78.
Eutropius à templo abstractus, cujus asylum aliis negaverat. 7,77.
Eutropii incredibilis superbia. 3,38.

EVANGELIUM.

Evangelium quomodo sancti honoraverint. 8,95.
Evangelii leges longè justissimæ sacratores. 8,91.
Evangelii codex in flammas conjectus apparuit illæsus. 8,77.
Evangelii laus ex sanctis Patribus. 8,94.
Evangelia Christi quadriga, in illis Decalogus continetur. 8,101.
Evangelii liber in manibus S. Bonifacii divisus esse nulla litterâ deletâ. 8,75.
Evangelii liber tamquam clypeus oppositus interficit. 8,78.
Expiationes peccatorum apud Gentiles. 4,22.
Exercitus hostium per flumen intumescens describitur. 10,27.
Exempla mulierum sancta plus profuit mortuis quam disputatio. 16,44.
Exordium, principium ut & initium in scripturâ duobus modis accipitur Cap. primo. 2.

F.

Fabula Pyrami & Thysbes applicata puellis. 2,86.
Fabula Danaïs applicata virginibus. 2,87.
Fabula gallinæ ovæ serpentis fovendis docet à malis hospitibus cavendum. 16,34.
Fabula de Leone, pardali & lupo docet principes vel sævire vel ferire. 7,90.
Fabula de vulpe & capro nimis credulo docet frequenter decipi eos, qui aliorum dictis temere fidem adhibent. 16,11.
Fabula Rabbinorum ficta de Cruce Mardochæo parata. 5,64.
Facundia Vetustæ & Voluntatis, Sabinarum, S. Monicæ, 14,61.

INDEX RERVM MEMORABILIVM.

Fabritii in Pyrrhum fides, & Pyrrhi in Romanos liberalitas. 6,50.
Favoris Emblema docet favorem esse instabilem. 7,92.
Faustina serpentem parere visa quod portenderit. 13,24.
Fallacia felicitatis humanæ ex S. Cypriano. 57.54.
Fastus Imperatoris Tartarorum, Domitiani, Regis Abassinorum. 13,5.
Fastus Zatama Persarum Regis, Tigranis Armeni, Moscovia ducis. 13,4.
Felix necessitas quæ in meliora compellit. 8,132.
Felix Præses audiens S. Paulum agentem de judicio contremuit. 7,17.
Felicitas quare à Græcis dicta μακαρία. 14,93.
Felicitatis & moderationis dividuum contubernium. 7,107.
Ferdinandus 2. Imperator Deiparam Generalissimam vocabat. 9,42.
Ferro pluit, cum Rex à solio savit, cum clementer regit, tunc rorat. 13,16.
Fenella pomum dolosum symbolum vanæ gloriæ. 5,62.

FESTUS DIES.

Festis diebus prohibentur profana spectacula. 9,83.
Festa olim celebrabantur epulis & & aliis lætitiæ signis. 16,59.
Festum μαχαιρῶν & interitus vitiorum apud Persas. 16,56.
Festis diebus honestiores vestes assumuntur. 9,51.
Festum Sortium indictum Persis ob regni incolumitatem docet vitè celebrari à Christianis festum Redemptionis per Christum. 16,54.
Festa non celebrantur epulis profusioribus nec saltationibus. 9,81.
Festa instituta in memoriam divinorum beneficiorum. 9,61,69.
Festis diebus primi Christiani spiritualiter gaudebant. 19,52.
Festis diebus primi Christiani vestium cultiore utebantur. 9,53.
Festis diebus etiam infantes speciosius induebantur. 9,56.
Festus esse debet omnis dies Christianis, in quo spiritualiter epulandum. 91,49.
Festum Redemptionis nostræ semper celebre in Ecclesia. 16,58.
Festa honorantur Missa sacrificio. 9,79.
Festum victoriæ Judith, & festum victoriæ de Nicanore. 9,8.
Festa à majoribus instituta posteros obligant, sed de votis distinguendum est. 9,104.
Festis diebus Christiani pauperes ad epulas vocabant. 9,57.
Festis præcipuis Christiani jejunia & vigilias præmittere olim solebant. 9,196.
Festa instituerunt Gentiles falsis diis suis. 16,55.
Festum institutum ob recuperatam Hierosolymam. 9,76.
Familiaritas nimia inter homines contemptum parit, Curt 4,114.
Familiaritas cum Deo perfectionis idea semper venerationem parit. 4,117.
Fiat Dei & fiat Mariæ confertur & expenditur. 8,42.
Fides rara apud Ethnicos. 12,10.
Fides incrementum per granum sinapis. 11,46.
Fides Reges & regna tuetur. 12,5.
Fides res sanctissima. 12,3.
S. fides Virginis in tormentis ferendis constantia accenditur propositâ cœlesti coronâ. 1,68.
Fiducia in Deo figenda tempore tribulationis.
Filiarum vella instituuntur exempla ex Scripturâ. 2,44,45.
Filii præclare instituti cur vocati novella olivarum. 14,30.
Filii à parentibus monasterio oblati possunt jam puberes ab eo recedere. 9,107.
Nec unquam ex more Ecclesiæ cœtibi fuerunt ibi manere. 9,108.
Factor cadaverum amuletum contra libidinem. 2,127.
Fœtent corpora in regionibus calidioribus. 2,104.
Forma mulieri est occasio superbiæ. 1,194.
Forma modici temporis animodicus tyrannus. 1,195.
Est aureus gladius, laqueus purpureus, &c. 1,196.

FONS.

Fons sæpe origo est fluminis maximi. 11,40.
Fontium properietates. 10,30.
Fons Enfermes sive Solis quis in libro Iosue? 10,51.
Fons unctæ salutaris in Brasilia emanat in ade B. Mariæ. 10,50.
Fons salutaris apud Emausem, in quo Christus pedes lavit. 10,47.
Fons æquis collectis exundans, vel multum commodi vel incommodi adfert. 10,26.
Fons Hammonis, quem Solis vocant, quis. 10,52.
Fons, ex quo soles Rex bibebat, erat in Persida, in Hispania, & etiam Hierosolymis. 10,34,40,41.
Fontes duo qui eruperunt juxta tabernaculum Alexandri Magni, aqua & olei quid significant? 4,69.
Fontes oleum & medicæ tum alibi, tum in Scotia dictus fons Sanctæ Catharinæ. 10,48.
Fortuna non fidendum. 7,61.
Fortuna utriusque exempla Pompejus; Crassus, alii. 7,62.
Fortuna optima pessima proxima, & omne fortunatum instabile. 15,5.
S. Francisco sedes gemmea in cœlo parata. 1,61.
S. Franciscus omnem fudorem suum Deo vendiderat. 6,43.
Apertione Evangelii eidem Deo dixit voluntatem. 3,82.
S. Francisc. Xaverius & Ephrem fatuos fuerunt Dei consolationes. 14,101.
B. Francisci Borgiæ Apophthegmata ad sui demissionem spectantia. 15,11,15.
Francisci Gallorum Regis egregia fides. 12,14.
Fratris & sororis nomen usurpatur formulâ blandiendi. 15,75.
Frugalitas primorum mortalium in mensa, ut Cyri. 1,94.
Frugalitatem docet Petitio: Panem nostrum, &c. 1,126.
Fucantium se mulierum vanitatem Phryne lepidè arguit. 2,135.
Fuco utentium mulierum mera insania. 2,134.
Fulica pullum aquilæ repulsum ut suum fovet. 2,61.
S. Fulgentii aspiratio sancta ad cœleste palatium. 1,53.
Fruitio Dei est beatitudinis complementum & gaudium Domini. 8,35.
Fulmen cur arripitur imagini Alexandri Magni. 11,7.
Fulmen symbolum vel claritatis vel cladis. 11,6.
Fulvius Argentarius ob insolentiam à Senatu Romano punitur. 3,132.
Fumum ignominiæ sæpè fugimus, & in ignem miseriæ incidimus. 16,16.
Fures privati in vinculis conjiciuntur, publici auro splendent. 10,8.

G.

Gaianus & alii Deiparam blasphemantes acriter puniuntur. 9,40.
Galba Romano cuidam altiorem crucem paravit, & Verres Gavio. 5,67.
Gerardi fratris S. Bernardi mirabilis conversio. 8,140.
Ganymedis raptî fabula docet confitentes vocandos. 3,226.

GAUDIUM.

Gaudia beatorum sunt Manna absconditum, cujus nullum est fastidium. 15,93.
Gaudiorum cœlestium immensitas. 15,101.
Gaudium de Deo solum hominis mentem explet. 14,99.
Gaudium mundi semper mixtum dolori, &c. 5,54.
Gaudium iniquorum ruina & perditio. 5,56.
Gaudium nullum comparandum cum Deum
Gemma stella terræ, cœli gutta, &c. 1,63.
Gentilis Rex diadema suum vilipendit. 14,90.
Gentiles etiam Romani daemonem in forma draconis ut Deum colebant. 11,39.
Gentiles cupiditate gloriæ igni se dederunt, ut Mutius, Pompejus & alii. 2,11,12.
Gemmæ siccandis lacrymis spongiam petiit. 4,82.
Globus aureus in manu Imperatoris cum Cruce quid? 1,44.
Globus scopo extorsus in lunam, cadit, murum verò frangit, quæ significatione? 6,95.
Godefridus Bullonius Hierosolymis numquam voluit auream ferre coronam. 14,87.
Gloria & vestis gloriæ quæ sit. 15,22.
Gloria aurum postponit miles generosus. 3,99.
Gloria mundi vocatur gloria iniquorum. 14,68.
In gloria mundi nulla securitas. 71,86.
Goliathi caput Hierosolymis loco edito fixum. 9,32.
S. Gorgonia commendatur à pudore & candore. 1,187.
Græci ad convivia mulieres non admittebant. 1,155.
Græci habebant diversa cœnacula virorum & mulierum. 1,157.
Gratia pudoris comes. 15,26.
Gratiis templum & ara apud veteres extruebatur. 6,52.
Gratia Dei omni cestu rapacior & efficacior. 15,74.
Gratia facilitas & efficacia à Deo provenientis. 15,59.
Gratiarum vel Charitum vetus Emblema. 6,55.
Gratia Dei in Artaxerxe conversæ ad mansuetudinem præcessit omnem motum liberi ipsius arbitrii. 15,55.
S. Gregorius peregrinos mensa adhibens & Angelum & Christum suscepit. 9,88.

H.

HAbbiras vox Hebræa quid significat? 1,4.
Hæreticis per mulieres hæreses suas per orbem sparserunt, ut S. Hieronym. docet. 16,42.
Hæreticorum vox est in Psalmis: Quiescere faciamus omnes dies festos à terrâ. 9,77,78.

INDEX RERVM MEMORABILIVM.

Haretici hospitio excepti familias & regna haresi infecerunt. 16.33.
Imperitiâ detrahunt auctoritatem Ecclesiæ se... 91. 69. 70.
Helena stella nautis formidanda, & mulier formosa viris maximè in contrum. 1.164.
Heliogabalus ad votum aquarium alligabat Parasitos favorem Principum instabilem demonstrans. 7.96.
Helicealis quid? 2.102.
Hercules Gallicus, Magnes, Lyncurius, Glossopetra Eloquentiæ Hieroglyphica. 1.104 & seq.
Herculanus scyphus quis? 1.173.
Hereditas cur funiculus in scripturâ vocatur? 13.54.
Hermes Stephano mendacium qui putat Sanctorum imagines vocare idola. 11.11.
Herostratus Dianæ templum incendit amore gloriæ. 3.100.
Herodes Ascalonita fraude regnum Iudæ invasit. 16.29.
Herodis Agrippæ funestus interitus. 6.129.
Herodes Tetrarcha cur vocatur vulpes à Christo? 16.30.
Hierosolymitanæ templa fastigium cur aureis vestibus Lucebat? 6.111.
Historia lassi ex Politiano. 6.32.
Historia lectio animi & corporis morbis medetur ut Telesilla. 6.24.
Historiarum lectionis fructus Rege dignus. 6.22.
Historia Emporium non mercium sed virtutum. 6.30.
Historiarum lectionem frequentarunt Scipio Africanus, Carolus Magnus, Alexander Severus, Carolus Quintus, Theodosius Iunior, Lucullus. 6.28.
Holofernis caput è muris Bethuliæ suspensum. 9.29.
Homeri Iliadem Alexander Magnus Darii pretioso scrimiolo includit. 8.93.
Homines similes sunt pictis tabulis. 4.115, 116.
Hominis miseri descriptio ex Seneca. 13.9.
Homo quare dictus ἀνθρωπος. 1.13.
Homo ex omnibus suis divitiis moriens solum loculum possidebit. 7.101.
Homines sancti quo Deo conjunctiores, eo etiam ejus reverentiores. 4.119.
Honor viaticum futuræ supplicii. 7.87.
Honoris titulus sine homine. 3.29.
Honor Dei est, cum servi ejus liberantur à malis, ut eum laudent. 13.86.
Honor, pœna, beneficentia &c. humana vita statum continent, suntque columnæ Reipublicæ adamantinæ. 6.33.
Hormisda nobilis Persa ostendit non fore fidum Regi suo terreno, qui non fuerit Deo. 12.11.
Hora momento quis in solio sedet, & mox alienis advolvitur genibus. 7.97.
Hortorum finis voluptas vel utilitas. 7, 20. 23, 24.
Hortorum laus ex antiquis illorum cultoribus. 7.23.
Hortus pensilis, ejus descriptio & auctores. 7.21.
Hospitalis tessera sacra. 16.27.
Hospitis violatores Sext. Tarquinius, Zopyrus, Ingurtha. 16.28.

HVMILITAS.

Humilitas honorata rara virtus. 2, 193 & sequent.
Humilitas honorata Nebridii, Iosephi, Danielis, Esthers, &c. Cap. 2. n. 188 & sequent.
Humilitas hominem tuetur, ut fabula docet de arboribus. 2.196.
Ejus symbolum est nardus. 2.200.
Est similis Hyssopo. 2.199.
Hominem magnum efficit. 2.195.
Humilitatis mensura cuique est sua magnitudo. 2.192.
Humilitas gradus ad honores. 6.87.
Humilitas calceamentum sunt Despara. 2.201.
Hyacinthus symbolum est misericordiæ. 8.117.
Hyacinthus tuetur contra fulmen & misericordia contra Dei iram. 8.119.
Hyacinthus flammas extinguit. 2.52.
Hyacinthus plena sunt manus sponsi. 8.118.
Hydrophobi qui aquas timent Christiani esse non debent. 1.70.
Hyacinthi flores violacei & regii coloris descriptio. 8.116.
Hymnus quid sit. 13.85.

I.

IAponia Reges per suas Legatos se pedibus Gregorii 13 Papæ prostraverunt. 13.73.
Iaspis divina Gratia Hieroglyphicum. 5.93.
Iaddus Pontifex Iudæorum Alexandrum Magnum placavit. 25.66.
Idolum propriè est manè simulatrum & spectrum vanum. 14.13.
Idolum quare Hebraicè dicatur Elil. 14.17.
Idola & idolorum cultores nihil sunt. 14.4.16.
Iemini idem est cum Benjamin. 2.9.

IEIVNIVM.

Ieiunium mirabile quorundam Monachorum. 4.134.
Ieiunia finxerunt nos similes sanctis, quorum festa præveniunt. 4.99.
Ieiunia festis præmissa sunt præparatio & præpurgatio à peccatis. 9.95.
Ieiunio festis præmissa per afflictionem ad cœli festa perducimur. 19, 20.
Ieiunium rigidum Iustiniani Imperatoris. 4.136.
Extinguit libidinem & alia peccata. 4.141.
Illo mens aptior fit ad vacandum Deo. 9.101.
Ejus Encomium. 4.138.143.144 & sequent.
Ieiunii Deus & sancti coluntur, & per Lutriam sunt hostia corporis. 9.100.
Ieiunio brevi sempiterna inferni tormenta evadimus. 4.143.
Ieiunium tres pueros in igne reddidit puriores instar Amiantii lapidis. 4.142.
Ieiunium admirabile S. Antonii, Hilarionis, Asellæ. 4.135.
Ieiunium S. Francisci, Danielis, Petri Apollolæ Martini, Iacobi. 4. 137.
Ieiuni hominis saliva serpentes necat. 4.140.
Ieiunium Iudæ cur vocant humilitationem. 14.6.
S. Ignatius Loiola in re dubia quæ votorum se forti committeret. 3.83.
Illustres viri suæ tenuitatis memores fieri volebant. 15.60.
Imago Dei matres olearum balsamiferum stillans apud Damascum. 10.49.
Imaginem inter & idolum magnum discrimen. 14.15.
Imperator sit similis cœlo, Soli, mari quæ semper moventur. 6.11.6.
Imperator labore suo civium quietem procurare debet. 13.28.
Imperatores Christiani jure vetuerunt, ne Iudæi Crucem exuerent. 9.66.
Imperatores quidam Romani permiserunt se adorari, pedes sibi osculari. 12.67.
Impudens mulier altera Pandora. 1.191.
Impura res dicitur ex permixtione cum viliore, sic homo sit impurus cum creaturarum amori se subjicit, &c. 14.103.
Incertitudo rerum humanarum docet hunc mundum esse Labyrinthum, ut probant plura exempla. 6.
Inferni incendia excitant lacrymas si recogitentur. 4.9.
Infamis habetur si rectum corpora insepulta in patibulo manentia. 9.25.
Infans in cunis S. Maria potentiam voce distincta professatur. 5.13.
Inimicitia omnis nobis gerenda cum diabolo, ut Despara gestemus. 36.
In prosperis non insolescere rarum est. 14.2.
Infigurores malefici in crucem adversum olim vellebantur. 9.27.
Insigne Mediolanensium anguis infantem ex ore evomens. 11.16.
Instabilitas bonorum fortunæ. 6.56.
Invida superbia comes. 6.107.
Invidiæ symbolum Basiliscus & equus Trojanus. 6, 107 108.
Invidia carne viperina pasta, quare? 6.109.
Iob egregius tutor. 2.54.
Iobi filia cur dicta Cornu stibii vel Amalthea. 2.177.
S. Ioannes Chrysostom. Gainam tyrannum placat. 15.60.
S. Ioanni Eleemosynario Misericordia apparet, ut puella speciosa. 8. 120.
Ioanna Lusitaniæ Principis ad Monasterium secessus. 2.27.
Ioannes 2 Lusitaniæ Rex Insigne sumpsit Pelicani cum Lemmate, pro Lege & Grege, & morsum hoc ostendit. 13, 32. 33.
Ionatæus Summus Sacerdos ab Alexandro summis honoratur. 6.4
Ipsis festum instituit B. Mariæ ad Sepes; quare? 9.75.
Iosephus male vexatus divinum Pharaonis pro Fame somnium. 9.63.
Iosue excusatur a lentitudine redendi à S. Ambrosio. 16.8.
Ira frenanda varia præcepta Athenodori, Mecenatis & Macedonis. 6.3. 1. 2. 3.
Ira major plerumque in coqui est potentior. Cap. 1. nu 215.
Ira Regis humilis Leonis & ejus cura. C.1, nu 212.
Ira Asueri Regis maximi Estheram terruit. 15.54.
Iris dicta ab admiratione Thaumantias, eloquentiæ symbolum. 14.92.
Isaac, ut cum Deo liberius ageret, in agrum se contulit. 7.26.

IVDÆI.

Iudæi Amani statuam exurunt diebus Sortium. 9.64.
Iudæi festis suis præmittunt jejunia, & quare. 9.95.
Iudæorum Reges idololatræ. 14.18.

INDEX RERVM MEMORABILIVM.

Iudæi in conviviis unguentes servabantur. 2.114.
Sunt sordidi, qui sortes tamen Baptismo abluitur. 2,5.6.
Festis diebus non ejulabant. 9.62.
Armani statuam crucis affigunt, clamores excitant, &c. 9.65.
Habebant tempore exilii, Synagogas, Oratoria, &c. 4.129.
Iudæi & Orientales interdum ad convivia mulieres admittebant. 11,155.
Iudith à Deo petit composita labiorum verba. 14.57.
Iuditha pulchritudinem Deus auxit. 14.56.
Iudith diversis armis expugnat Deum & Holofernem. 14.3.
Iudicii dies cur vocatur dies conversionis sacer. 7,18.
Iudicii dies supervenit exultantibus. 1.272.
Iudicii timor in S. Hieronymo, Arsenio, Agathone, Augustino. 7.16.
Iugonis Carinthia Principis insignis liberalitas. 1.51.
Iulius Cæsar Alexandri res gestas legens flevit. 5.60.
Iulia Augusti filia ostendit uxorem posse se elegantius ornare ut placeat viro. 5,2.
Iulianus Apostata summus Hypocrita, & Politicus: 13.79.
Iulianus omni apparatu aulæ recto vulgo contemptus fuit. 8,112.
Iuno Homerica mulebris suaviloquentia Hieroglyphicum. 14.63.
Iunoni victima offerebatur felle carens, quo indicabatur à contagio vel amaritudinis abesse debere. 15.110.
Iupiter apud Homerum excitari jubet Agamemnonem. 6,7.
Iupiter Hospitalis apud veteres hospitii præses & vindex. 16,20.
Iupiter fulmen non mittit nisi ex Deorum Concilio, nec Princeps punire debet sine deliberatione. 13.42.
Iustinus Imperator splendidarum vestium vanitatem Tiberio murmurat. 14.91.
Iustitia augmentum simile est luci Solis. 11,45.
Iustus prior accusator est sui. 14.32.
Iusti hic exercentur à Deo, ut triticum, uva, semina, &c. 8.138.
Iustis & probis veris recte tituli adscribuntur. 13,10.
Iustis ut Dei clementiam provocarent, peccata fatebantur. 14, 36.37.
S. Ivo Tutor pupillorum præclarus. 2.55.
Iuvenis puellam sepultam spolians ab ipsa re divina ad monasterium se cogitur. 8.139.
Iuvenis servilis septies tentationi resistens 7 coronis donatur à Deo. 6.11.66.
Incrementum regni & gratiæ similo est augmento seminis. 11,44.

L.

Labyrinthorum miraculum. 1.38.
Labyrinthi definitio. 1.
Labyrus quid fuerit. 6.81.
Labia frandis cur Græce dicantur labia Iudithæ. 14.59.

LACRYMÆ.

Lacryma gratum Deo sacrificium. 4.68.
Lacrymandi hic locus est. 4.78.80.
Lacryma pretium similes herbæ Lithospermo, id est, gemmas serenti. 4.40.
Lacrymarum donum à Spiritu Sancto est. 4.63.
Lacryma Christi servantur Vindocini in Gallia. 6.63.
Lacryma B. Mariæ asservantur Christi sepulcro impressa. 8.44.
Lacrymis perfusa apparet S. Maria B. Lugardi. 8.45.
Lacryma S. Petri, Augustini, Arsenii. 4.72.73.
Lacrymas fundit imago Deiparæ. 8.46.
Legationes pro nobis apud Deum fungantur. 4.67.
Sunt Auroræ peccatorum. 4.71.
Sunt bonum Strepeti, vinum Angelorum. 4.65.66.
Lacryma Davidis & Ionathæ excepta phialis. 8.43.
Lacryma pœnitentium in gemmas vertuntur. 4.39.
Lætitia improbum est risus Sardonicus. Quare? 14.96.
Lætitia si tanta est in valle lacrymarum, quanta futura in Paradiso deliciarum? 15.92.
Lætitia sola digna homine, quæ ex Deo percipitur. 14.97.
Lætitia, quæ de Deo est similis fluvio vitæ, &c. 14.92.
Lætitia accipitur in Scriptura pro corona, fortitudo pro armis, gloria pro ornatu. 15,23.
Lætitia hujus mundi vana & fucca. 14.94.
Lamenta conveniunt exulibus, non læta carmina. 4.76.77.
Lamentatio Ieremiæ, Mathathiæ & aliorum. 4.23.24.
Lancea Christi prælatâ Latini Christianos barbaros timore percussos miraculosè superant. 9,11.
S. Laurentii Instinianæ mensa mundi, sed facilè parata. 1.101.
Lectionum discutiendarum descriptio. C.1. n. 52.

LEO.

Leo prius in viros sævit, quam in mulieres. 15.103.
Ignem cum sis, ignem tamen formidas. 2.17.
Ejus ossibus percussis ignis exsilit. 1.214.
Symbolum est diaboli, & virtute Crucis interficitur. 8.63.
Leonem infestant culices, &c. 5.50.
Leones devoraverunt eos qui se emiserant à cavea. 2.8.
Leo symbolum Regis ferocis, Damonis, &c. 14.57.
Leon cruentus animalia cetera contremiscunt. 1.213.
Leoni primo Imperatori Deipara potestas per miraculum ostenditur. 5.42.
S. Leo Attilam Regem Hunnorum ab urbe Roma avertit. 15.67.
Leodiensis Propositus à S. Iacobi Abbate citatus ad Dei tribunal sistitur.
Levitas animi in credendo reprehenditur. 3.115.
Levitas in credendo ratione superanda est. 16.6.
Hæc vero abest etiam in Ecclesiæ Præsulibus. 3.119.
Eadem maxime reprehensibilis est in Principibus. 16.3.
Horum argumentum ioppus, Absalom, Hanon & alii. 16.4.
Hac peccavit David. Constantinus & alii. 3.116.117.
Lex iubanus, qua jubebat hospites humaniter excipi. 16.22.
Legum Chaldaicarum & Persicarum severitas. 16.52.
Leges antiquæ prohibuerunt provocationem ad æquales hostes. 3.116.
Liberalitas Gallia, Amadei Ducis Sabaudiæ, Ludovici Regis Galliæ, & aliorum. Cap.1. n.50. & 51.
Libr. quinam legendi sub mensam & quo studio. 1.99.
Licinius Cæsar primum simulavit se fautorem Christianorum. 13.77.
Lilium flos divinus & cœlestis. 1,17.
Est symbolum castitatis. Ibidem. 14.
Est symbolum & insigne Regum Galliæ. 1.14.
Est flos Regius. Ibidem. 16.
Est Antidotum contra virus serpentinum. 1.24.
Lilii radix effigiem cordis habet. 1,15.
Linum Iudaicum igne non uritur, sed purgatur. 3.53.
Linum symbolum Christiani per patientiam ad perfectionem tendentis. 4.42,43.
Linum, ut in vestem formetur, exercetur, unde dictum Belgice, vam Lien. 4.41.
Lingua calumniatoris navacula. 3.59.
Littera veteres sunt veteris testamenti, nova verò Assueri, nostræ. 8.90.
Literæ vel contractus Sartium quid sit, & significet. 3.86.
Loth salvatur non de merito, sed in gratiæ parva Segor. 7.113.
Lotos quinam sit arbor, &c. 1.148.
S. Lucæ præclara oratio ad Paschasium Præfectum. 14.49.
Ludi profani Gentilium diebus festis. 9.50.
S. Ludovici Galliæ Regis præclara heroum imitatio. 2.49.
Eiusdem & aliorum in pauperum causis humanitas. 4.112.
Idem præcepit filio morienti ne vestigalia, nisi ex causa, imponeret. 10,9.
Lugent hic justi, improbi gaudent, ubi Amos vates exponitur. 3. 131.
Luna Soli proxima in lumine, & S. Maria Deo vicina in fulgore. 10,57.59.
Luna pisces hoc nomine præclarum symbolum divinæ gratiæ. 15.21.
Lux hieroglyphicum divinæ Gratiæ, vitæ, salutis, lætitiæ. 8,131.
Lucis proprietates. 8,130.
Lucis præconium, symbolum Dei, & rerum divinarum. 8.129.
S. Lupus divinitus Attilam placavit, ne Tracas invaderet. 15.68.
Luxus Persarum in convivus. 1.92.
Luxus conviviorum M. Antonii & Cleopatræ, Antonii Getæ, Iulii Cæsaris, & multorum aliorum. 1.91.
Lyncestæ tribus annis meditatus suam defensionem pro metu obticuit. 17.10.

M.

S. *Macarius ut piacularis hostia se obtulit pro populo Gandavensi.* 4.146.
Magistratus populo animata lex. 13.20.
Malum consilium consultori pessimum docent Amani Crux, Busiridis ara & multi alii. 1.60.
Machiavelli dogma malum. 13.78.
Majestatis veneratione parit abductio à publico. 4.86.
Manes parens Manichæorum ante annos occisus. 2.65.
Manipulus sacerdotalis significat sub sacrificium lacrymandum sacerdote. 4.74.
Manuel Comnenus mare beneficentiæ. 4.100.

Marga-

INDEX RERVM MEMORABILIVM.

Margaretta Austriaca Hispania Regina ab omni vano abhorrebat vestitu. 14,86.

MARDOCHÆVS.

Mardochæus Esthera patruus. 2,43.
Mardochæus significat amaram contritionem. Quare? 2,28.
Ejus oratio processit ex amaro animi dolore. 13,53.
Fuit figura Christi patientis & resurgentis. 6,114.
Nihil deferre Amano divinos honores quos poscebat. 3, 23,24.
Mardochæus ut musca mortua a pergamena cinere revivescit. 6,85.
Fuit similis serpenti juvenescenti, ut describitur a Tertul. 8, 103.
Mardochæus non detrectavit deferre honorem divinum Amano. 3, 22.
Mardochæi oratio exemplar Deum orantibus proposita. 13,50.
Ejus oratio est Canonica. 13,48.
Mardochæus num translatus fuit in Babylonem? 2,30.
Maria Amrilloia, ut marito placeret, se ornabat. 5,5.

S. Maria Deipara.

S. Maria miraculum maximum. 2,197.
Maria fons signatus ob fecunditatem & virginitatem. 10, 38,42.
Est spes desperantium, portus peccatorum. 7,42.
Ejus duæ familiæ Angelica & humana natura. 15,12.
Est nobis Triaria, terribilis ut acies Triariorum. 7,45.
Ejus clementia erga militem qui se dæmoni devoverat. 2,33,35.
Imago ejus colitur Constantinopoli sub nomine Victricis. 9,4.
Maria venustas perpetua. 15,45.
Maria similis platano, & quare? 7,40.
Maria præsidium contra libidinis insultus. 1,25.
Maria gratia efficacia explicatur. 8,39.
Maria sua forma in alios libidinem repressit. 1,21.
Est fons parvus ob modestiam & humilem conversationem. 10,45.
Est ex lege nostra Advocata, &c. 4,126.
Maria Esthera multum miseratione superat. 7,33.
Maria multum debet humana natura. 8,41.
Maria exhibet vitæ activæ & contemplativæ. 15,33.
Maria promptius adest tentatis contra castitatem. 1,28.
Maria oratio efficacior illa Thecuitis. 7,43.
Maria certantibus pro castitate adsit, ut docent exempla. 1, 30,31.
S. Maria studio Pulcheriæ Augustæ triumphavit de Nestorio. 5, 24,25,26.
Maria Parelius, alter Sol oculos mentis humanas præstringens. 10, 11.
S. Maria Susan sive lilium. 1,18.
Maria suspirium texit, redempta suis Christi passione excellenter. 15,91.
S. Maria & Esthera comparatio ex S. Bonaventura. 8,38.
Est gloriosior Cybele & Matre Castrorum. 9,44.
Est altera Debbora sub palma sedens ob suas victorias. 9,38.
Est fons in Solem conversus, tota lucida. 10,53.
Maria quomodo gratia plena? 2,176.
Est vallum & propugnaculum fidelium. 4,123.
Est fecunda virgo & mater multarum virginum. 10,43.
In anima ejus conspiraverunt actio & contemplatio sine murmure. 15,39.
S. Maria est verè Debbora & apum Regina. 5,45.
Texuit Christo tunicam inconsutilem. 2,98.
Potuit ex lege filios adoptare, &c. 4,125.
Non comprehensam decreto Originalis contrahendi quidam DD. tenent. 15,86.
Cur Deus ejus consensum requisivit in filii sui Incarnatione? 8,40.
Maria somnus vigilat. 15,37.
Maria diabolum non dolo, sed aperta vi devicit. 9,18.
Maria pulchritudinem S. Dionys. describit. 15,46.
Maria hominis spiraculum, vita & anima & signum. 4,128.
Est Mediatrix apud Deum magis quam Moyses & Aaron. 5,37. & sequent.
Triduum in sepulcro quæsivit. 15,31.
Est asylum omnium rerum tutius quolibet templo vel aræ. 7,41.
Est Platanus & quare? 1,26.
Maria uterus est medium terra ad quam omnes respiciunt. 4, 124.
Est sceptrum Orthodoxa fides. Cur ita? 5,23 & sequent.
Explicatur intercessionis ejus efficacia. 5,44.
Est hæreticorum scopus, quem impetunt. 5,25.
Est arca Noe; quare? 1,29.
Est humanæ naturæ venustas. 15,48.
S. Maria clypeus quare vocatur ostium. 7,46.
Maria fons signatus & hortus conclusus ob immunitatem à peccato. 10,44.
Maria virginitatem triplex à terra ortum lilium ostendit. 1,17.
Est nubes lævis, ut & sancta virgines. 1,26.
Est Amaltheum, Cornu copiæ, Epitoma operum Dei. 2,179,180.
Maria nihil unquam vel vidit, vel audivit. 1,23.
Maria dignitas regia orta ex Dei maternitate. 2,181.
Maria sanctum, vestita sanctitate. 1,27.
Ejus corona triplex, communis, particularis, singularis. 2, 185 & sequent.
Est fidelium fax, cœli thesaurus. 5,32.
Cur dicitur similis Lunæ? 4,127.
Est thronus Salomonis, Arca fuderit. Quare? 2,182,183.
Maria calcerata Luna indicat ejus regiam humilitatem. 2,23.
Maria gloria & splendor singularis. 2, 187 & sequent.
Maria Lilium quia immunis à peccato. 1,20.
Maria Regina Margaritarum. 2,22.
Maria misericordiam obtinet Regis divini dimidium. 5,29. 31.
Ejus ascendentis in cœlum typus fuit Esther. 15,31.
Vestitu simplici vivens utebatur. 2,151.
Maria Collegii Virginum fuit Præses. 2.23.
Misericordia opera Christo viventi exhibuit. 15,38.
Est mare plenum, nec tumescens. 2,198 & sequent.
Est fons in plures gratiarum aquas redundans. 10,46.
Est fons regius, ex quo Rex potum libat. 10,38,40.
S. Maria festivitatibus quatuor annis tempora coronantur. Quare? 4,122.
Martyrum sub Diocletiano multitudo innumera. 1,43.
Martyrum fortitudo, S. Laurentii & aliorum. 2,13.
Martius sit Caduciser Mercurius. 15,107.
Mariti imperium in uxorem post peccatum grave est. 1,258.
Mariti imperium in uxorem erat etiam futurum ante peccatum. 1,257.
Maritus tabernaculum, in quo virga Aaronis, & urna Manna. 15,109.
Mariti ferocis jugum uxori est intolerabile. 15,102.
Mariti imperium in uxorem est politicum. 1,255,256.
Maritus præsit uxori ut anima corpori illud fovens. 15,108.
Mater sollicita sit magis polire animum filiæ quam corpus. 2,97.
Matrimonium Judæis erat illicitum non solum cum Chananæis, sed etiam cum aliis gentilibus. 2,167.
Matrimonium fidelis cum infideli non erat licitum in lege priscâ. 2,165.
Matrimonium tamen hujusmodi erat illa lege vetitum. 2,166.
Matrisconensis Comitis horrenda punitio. 6,126.
Maximus fraude, quam Constantino paraverat, periit. 2,76.
Medusæ fabula moraliter explicata. 1,198.
Medici pro qualitate morborum etiam remedia mutant. 16,14.
Mendax primus sua fraude ruerit. 7,82.
Mensium Hebræorum ordo & ratio. 2,146.
Mensa frugalis Gentiles Deos suos adesse credebant. 1,103.
Mensa olim condiebatur doctis Problematis, Ænigmatis, &c. 1,100.
Mercurius junctus Veneri docet cum uxore ratione agendum. 15, 104.
Mercurius Caduceo dracones pugnantes dirimens, & Herculeo nodo jungens suaviloquentiæ efficaciam ostendit. 15,106.
S. Michaël Joannis inter Myrteta Esthera felicitatem notabat. 2,37.
Midæ fabula Pactolum mutantis explicatur de lacrymis piorum. 4, 64.
Missa olim pro festo accipiebatur. 9,80.
Missio solemnis tria requirit. 8,88.
Mittere ad inferos idem quod occidere. 13,40.
Mithridatis summa immanitas in cives Romanos. 3,130.
Modestia oculorum Pædagogus, ut etiam verecundia. 1,183.
Modestia præclara multorum virorum, ut Bionis Philosophi & aliorum. 15,8.
Magoris Rex amicos suos jubet ferre opificii sui insignia. 15,12.
S. Monica præclara educatio. 2,48.
Monica probis moribus Patritium maritum Christo lucrata est. 16,47.
Monica mariti iracundi imperium facile fuit. 1,259.
Monasterio offerre filios vel filias antiquus Ecclesiæ mos. 9,105.
Morosi ambitiosi consilium divinitus illusum. 2,116.
Moysei, Eliæ, Elisæi deserta coluerunt. 2,27.
Mos nobilium tondendi humeris famulorum, & gerendi vestes longas. 15,25.

MVLIER.

Mulier olim in Hispania præmium ferebat qua plus nevisset. 2,95.
Mulier quasi mollier dicta ob infirmitatem. 2,84.

Mulier debet esse viro subiecta, & quare? 1,261.
Mulier bona bonum virum facit. 16,46.
Illi gerendus est cultus potius animi quam corporis. 2,147.
Est titulus sepulcralis; & quare? 1,22.
Visum est toxicatum & ideo viro vitanda. 1,165.
Est ultra modum mundi & ornatus studiosa. 2,79.
Mulieres horas plures perdunt se ornando ut fabula docet. 2,138.
Mulieres sunt Luscinia. 14,60.
Mulierum Romanarum furor in legem Oppiam conspirantium. 2, 137.
Mulieres conjugata in habitu honesto assumendo maritis placeant. 5,1.
Mulieres cultum spernentes uxor Trajani, Philonis, Aspasia Regina, &c. 14,84.
Mulierum à viris separationem exempla Scriptura docent. 1,161.
Est noxia vino, ut quercus olea, & oleo vitis. 1,166.
Cum inornata tum maxime est ornata. 15,21.
Ardens studio se ornandi. 5,1,6,7 & 14,79.
Mulier sancta Tabernaculum fœderis, &c. 1,205.
Mulieres quæ imperarunt viris censentur. 1,262.
Mulieres olim in templis à viris separabantur. 1,162.
Mulier quia natura mobilis arcte custodienda. 2,82.
Mulier ob formam est illecebrosa. 1,193,196.
Mulier formosa oculorum dolor. 1,200.
Mulieres ut maritis placeant forma ornatum addere possunt. 5,4.
Mulieres se nimis comentes excusantur ob mentis imbecillitatem. 14,81.
Mulier etiam eminus visa virum fortissimum fœminit. 1,182.
Mulier quædam sancta præferens ignem & aquam ostendit Deo gratis serviendum esse, &c. 6,41.
Mundus muliebris unde dictus. 2,78.
Mundi muliebris nomine quæ significantur? 2,80.
Mundi muliebris & Universi similitudines variæ. 2,81.
Mundus animæ spiritualis. 2,133.
Muros nullos satis altos lasciviis puellis contemendis. 2,88.
Myrtus symbolum est viri sancti. 2,35.

N.

Nepenthes quid sit, & unde dictum. 1,147.
Neptunus Athenienſibus oratus missis illis Δυσβουλίαις, id est, consilium stultum. 10,23.
Nereis Semideo hominis terreni similes, & explicatur. 1,151.
Neronis tyrannica vox. 7,89.
Nidor ambustorum cornuum cervi fugat serpentes, sic & Crux Christi diabolum. 6,57.
Nicanoris caput & manus Hierosolymis suspensa, & corpus Saulis in muro Bethsan. 9,30,31.
Nicephori Imperatoris cubicularius monasterio vulgus imponere volens à S. Nicone flagellatus respiscit. 10,15.
Nicephorus Phocas Imperator sub trabea cilicium gerebat. 4,38.
Nilus leniter fluens Ægyptum impinguat, ita & Rex clemens populum, ut Cyrus. 13,17.
Nimis facilem esse in credendo, & nimis difficilem, utrumque vitiosum est. 16,1.
Ninivitarum quadragenarium jejunium. 4,1,22.
Ninivitarum publica pœnitentia. 4,56.
Nisi & Euryali capita hastis præfixa. 9,33.
Nobilitas cœlestium convivarum. 1,138.
Non esse dicitur, cui male est, esse verò, cui bene est. 14,42.
Non omnia necessariis quadrare debent res figurata, quæ de figura dicuntur. 15,84.
S. Nonnus visa Pelagia cultissima, & S. Pambo aliam mulierem conspiciens mire ornatam, uberrimè lætymantur. 2,140,141.
Nubentes velantur in signum subjectionis sub viro. 1,260.
Nuptiæ cœlestes. 2,1,3.
Nuptæ sunt nubes graves. 1,264.
Nuptiarum celebritas reddit conjugium firmius, docentur. 2,169.
Nuptiarum abusus, & quomodo is cavendus. 2,174,175.
Nuptiæ in nova lege. 2,172.
Nuptiarum convivia in Scriptura, apud Græcos, Romanos, &c. 2, 170,171.
Nuptiali in convivio Alexandri Regis Scotorum mortuus apparet. 1,273.
Nuptialis convivii Pleurensium horrendum exitium. 1,276.

O.

Oculus amoris incendii ansa, &c. 1,180.
Ocymi manipulus à Francisco Marcionis oblatus Ducem Mediolanensium mirè placat. 13,18.
Ocymum quid sit, & unde dictum? 13,19.
Oblationes fidelium diebus festis. 9,91.
Olivæ malus est qui radicitus herbas evellit, ita & Princeps plebem tributis exhaurions impijus.
Ophita hæretici serpentem quasi Christum coluerunt. 11,34.
Oratio est Panoplia contra omnia adversariorum tela. 15,59.
Orationis publicæ virtus multis ostenditur. 4,57,58 & sequent.
Orationem Esthers S. Hieron. Basil. & alii habuerunt pro Canonica. 14,50.
Oratores gentiles orationum initio Deos invocare soliti. 14,52.
Orationis animo amaro & contribulato fusa magna vis. 13,55.
Ornamenta mulierum maritus & liberi. 2,150.
Ornantes se ambitiose mulieres S. Cyprian. perstringit. 2,136.
Ornatum suum plures matrona Dei altaribus consecrarunt. 2,157.
Ornatum respuunt S. Gorgonia, Paula, Demetrias, & alia. 2, 152 & sequent.
Ornatus splendidus viri dignitatem auget. 8,106.
Originale peccatum contrahendi necessitati Dei matrem eximere fuisse Doctores quidam docent. 15,83.
Osculum est symbolum adorationis. 13,68.
Ossa Sanctorum in Resurrectione germinabunt. 15,99.
Oxyrynchi virgines millia Virginum. 2,26.

P.

Præmio proposito excitamur ad virtutem. 6,42,44.
Præmii vera Etymologia. 6,37.
Præmia virtutum ubi sunt, ibi viri virtutibus præditi. 6,35.
Pharao cur Draco vocetur habens multa capita. 11,14.
Palatia mundi similia aureæ domui Radbodi. 1,58.
Pan Natura Genius. 9,5.
Panicus terror quis sit, & unde dictus? 9,1.
Panici terroris exemplum ex Curtio & Polyæno. 9,3.
Panicus terror Babyloniorum adveniente Cyro. 9,12.
Pan Magnus, id est, Deus Persis terrorem incussit. 9,4.
Panis & vinum amicitiæ symbola. 1,78.
Pannus menstruata emundus sit, & noxius. 14,71.
Panthera vestentis humanis sordibus similes illi qui adhærent impiis Consiliariis. 13,43.
In Parabolis non omnia applicantur rebus significatis. 15,85.
Παραδειγματίζειν, id est, exemplum dare, quid sit in Scriptura? 14,46.
Παρθένια quid significet apud Septuaginta Interpretes. 14,21.
Placidia Regum Aquitaniæ matrimonio permotus in Romam evertet. 16,51.
Plautiani varia fortuna, prima prospera, postrema adversa. 7,99.
Pater in Scriptura quis dicitur? 15,38.
Patris nomen est dignitate plenissimum. 16,18.
Parentes possunt liberos impuberes monasterio offerre. 9,1,6.
Parentibus præcipit Deus, ut doceant filios legem servare. 14,26.
Parentibus Scriptura commendat piam liberorum institutionem. 14,22.
Parentum horrendum facinus filium occidentium. 9,16.
Pauperes suadet Christus ad convivium vocari. 9,87.
Pauperes cur diebus festis ad fores templi sedent? 9,92.
Pauperes sunt canes cœlestes. 9,93.
Pauperes initio Ecclesiæ ad epulas in templum vocabantur. 9,89.
Pauperibus Lazaro, Paulo Eremitæ, Antonio, Hilarioni cœlum patet. 4,29 & sequent.
Pauperes sanctis Mosi, Eliæ, Baptistæ, Lazarus aulis principum anteponitur. 4,26.
SS. Paulus & Petrus magnam orbis partem evangelizando peragrarunt. 8,99.
S. Pauli mirabilis conversio similis conversioni Assueri. 15,60.
S. Paulus titulo à Deo accepto gloriatur. 13,14.
S. Paula viduæ nunquam cum viro comedit. 1,163.
Pax Hebræis significat omne bonum. 15,98.
Pax publica exoranda. 13,26.
Pacis & ubertatis symbolum. 13,36.
Pace omnia gaudent, etiam fera animantia, &c. 13,34.
Peccatores multi similes herbis, quæ cum calcantur, crescunt latius. 8,137.
Preces gementium: vinculæ igneæ, quibus damnes uritur. 13,60.
Preces ea sunt aurea catena quibus ligatur Deus. 13,60.
Periculum esse in mamillis significat esse proximum. 14,20.
Perillus suo tauro à Phalaride inclusus. 7,72.
Perfectio hominis consistit in exercitio vitæ activæ & contemplativæ. 11,42.
Persona potentes & eminentes juxta Aristotelem non subduntur communibus legibus. 15,87.

Perseve-

INDEX RERVM MEMORABILIVM.

Perseverantia laus ex S. Bernardo. 4,75.
S. Petri mirabilis conversio sicut illa & *Pauli.* 15,62.
S. Petrus in Epistola docet uxores benignè à viris habendas. 15. 112.
Premislaus Bohemiæ ex rustico factus Rex vestes suas rusticanas servari sibi voluit in sua conditorio mnemosynon. 15,17.
Pessis Gandavi triduano indicto, jejunio cessat. 4,145.

PERSÆ.

Persæ vocis in carterem contellos, si nobiles, aureis pedicis vinciebant. 7,67.
Persis adorationem deferre Græci recusabant. 3,14,15.
Persarum frugalitas quomodo in luxum degenerarit. 3,72.
Persæ aliàs gentes numero, non industriâ vicerunt. 3,127.
Persarum Regnum cur simile ursо, explicatur. 3,122 & sequent.
Persis Sol vel solus Deus vel præcipuus, eus & equum immolabant. 20,34.
Persarum Regum feretes. Præloquio quinto numero primo.
Persarum Regum inaturalis ferocia. 15,51.
Persæ osculabantur vestigia pedum Regalium, quinimo solum calcei. 13,62.
Eorum septemviri oculi & aures Regis. 1,203,209.
Inter pocula de rebus maximis consultabant. 1,206.
Eorum Reges pro varietate anni sedem mutabant. 1,8.
Reges iidem Solis sibi nomen & titulum arrogabant. 10,36.
Ob crimen patresfamilias omnes domesticos puniebant. 16,40.
Regem ut Deum venerabantur. 6,72.
Persarum Consiliarii ad placitum Regi respondere debebant. 1,210.
Persica matrona in luctu crinem lacerabant. 14,13.
In publicis malis ululatus & clamores edebant. 4,25.
Eorum capitales pœnæ in reos mortis. 7, 63 & sequent.
Eorum petulantia à Macedonibus ferro coërcita. 1,153.
Eorum antiqua frugalitas. 1,137.
Eorundem edacitas & luxus subsequens. 1,108.
Persarum Regum magnificentia in Palatiis, thronis, &c. 1,41.
Persarum Regis thronus aureus. 15,50.
Persidis Regum hostis crudelissimus. 1,18.
Persæ osculabantur Regis soleas, manto humum tangebant. 3,11, 12,13.
Persarum Regum munificentia in bene de se meritos, ut Xerxis & aliorum. 6,47.
Persarum Reges crudeles, ut Cyrus, Cambyses, alii. 3,129.
Persarum Rex ad vigilandum excitabatur à Cubiculario. 6,16.
Persæ delicatis assueti unguentis utebantur. 2,109.
Reges eorum voluerunt se adorari ut Deos. 3,9.
Regum merita & demerita inter se conferebant. 7,68.
Ex Judæorum convictu noverunt eos Deo cura esse. 6,21.
Persarum Reges utebantur palli auro distincta bellutâ. 3,25.
Persæ ob crimen patris uxorem, liberos, familiam puniebant. 8, 83,84.
Plures habebant uxores. 2,164.
Asseri erant in mulieres, quas arcta custodia concludebant. 7, 51.
Eorum imperium diu viguit per rectam puerorum institutionem. 14,25.
Persarum Reges quo vino, qua aqua usi? 1,71.
Persicus ornatus. 8,105.
Persarum delicia in epulis. 1,32.
Persæ humi se prosternebant coram Rege. 3,10.
Persarum Regibus proprius annuli signatorii usus. 3,107.
Persæ uxores ad convivia ordinariè non admittebant. 1,154.
Persarum in Regem suum observantia, & Regum in eos severitas. 6,70,71.
Videntur agnovisse Angelos. 15,29.
Juventutem qua ratione instituerint, & quæ docuerint. 14,24.
Persarum Reges effermabant se in figuram Solis, Lunæ, &c. 10,58.
Pictor oculos fatigatos ad speculum colligit, Asceta ad vires. 9,32.
Phidiæ effigies clypeo Minervæ insculpta, & Dei imago rebus à se creatis. 3,47.
Philiberti Sabaudiæ Ducis Symbolum, Elephas oves proboscide submovens. 6,94.
Philetas Cous, quia levis, plumbeis calceis firmabatur. 2,83.
Philippomen Imperator ex habitu villæ, ut servus habitus. 8, 113.
Philippi Macedonis modestia in prosperis, & de hac Apophthegma. 15,7.
Idem à vetula sui officii admonetur. 4,109.
Ejus ardens desiderium Athenis potiendi. 1,54.
Pius quintus festum instituit S. Mariæ de Victoria. 9,39 & 74.
Pii multi in aulis Regum gentilium Ioseph, Moses, Daniel, Nehemias. 8,13.

PRINCEPS.

Principum vitam Deus maximè tuetur. Præloquio 8, *numero primo.*
Princeps palma Indica. 4,135.
Principes libentius audiunt placentia quam vera. 1,241.
Principum in aulis nemo fere verum dicit, adulantur omnes. 13,45.
Principum vitia conspectiora sunt. 1,230.
Principes moventur exemplo Dei & Sanctorum causas populi maturè discutere. 3,120.
Princeps vitiosus similis Soli deficienti, lucerna extincta, &c. 2,237.
Primates sunt pueri publici. 1,241.
Principes possunt leges ferre subditos obligantes. 9,71.
Princeps instar Solis omnibus lucet, ut suos omnibus fœnerari. 4, 92,98.
Principis vita similis Carbunculo, quare? 1,234.
Debet ut populi Pastor oves mulgere non emungere. 10,3.
Si extra necessitatem privatorum bona usurpet, injuste agit. 10,3.
Princeps, ut Numen quoddam terrestre, semper animo excubet. 6, 17,19.
Princeps cur ego *suos imaginem suam imprimi materia impura.* 8,7
Principes multo magis ornare debent aulam suam pretiosa vasa quam stemmate. 10,17.
Principes quidà gentiles genus suum ad Dracones retulerùt. 11,15.
Qui fidos minùs tros desiderat, ipse fidem datam fervet. 12,13.
Qui adulatori credit, similis fœni, cervo, &c. 1,246,247.
Princeps si moderatum vectigal imponit, prodest, si immoderatum, nocet. 10,4.
Pœnitentes jejunium corporis prostrationi & alijs conjungunt. 14,7.
Pœnitentia ferream peccatorum catenam in aureum convertit. 14,35.
Pœna, quam alijs paraverant, in proprios auctores, retorta. 7,74, 75.
Poeta malo juventutis exemplo Deorum flagitia finxerunt. 1,239.
Polycrates tyrannus, item Carsalo, & alii in altum crucem acti. 9,28.
Polemonis petulantia in Schola Xenocratis castigata. 3,123.
Polygamia plurium uxorum ante Christum lucta. 2,163.
Πολιτικὸς quid proprie significet. 16,37.
Politicorum summa impietas. 13,80.
Pontifices summi pedes olim Imperatores multi exosculati. 13,72.
Populus fertur in mores Principis. 1,235,238,242.
Populus est Heliotropium. 8,104.
Protogenes Apellem ex tenui linea, nos Deum ex minimis noscimus. 1,46.
Ptolomæus Philadelphus summa veneratione Dei legem excepit. 8,92.
Proprietates Draconis versibus descriptæ. 11,27.
Provocare ad Dei tribunal inimicos ordinariè non possumus. 13,87.
Potatores insignes. 3,119.

Providentia Dei.

Providentia Dei definitio. In Præfatione. num. 5.
Providentia Dei Hieroglyphicum oculus sceptro insistens. ibid. num.
Providentia Dei ostenditur ex Historia Esther. ibidem num. 6.
Providentia Dei in exaltatione Mardochæi & humiliatione Aman. 6,69.
Eiusdem clara indicia in tota Historia Esthera. 6,1,2.
Pulcheria Theodosii levitatem commento egregio castigavit. 3,121.
Pugil coronâ sua premit vulnera. 1,149.
Puella cultui corporis immoderatè dedita pœna horribilis. 2,139.
Puellarum exercitia lanam & linum facere, ut Romanæ, Tanaquil. Lucretia, mulier fortis apud Salomonem. 2, 90 & sequent.
Puellas Persides factorem habuisse, qui unguentis curaretur, quidam putant. 2,107,108.
Pulchritudo cur dicta Græcè κάλλος? 1,197.
Pulchritudo magnes amoris. 15,49.
Pulchritudo vera hominis in animo est. 1,203.
Pulchritudo summa & quare? 1,202.
Pulchritudo fugax & momentanea. 1,201.
Pulchritudo corporis similis templis Ægyptiorum. 1,204.
Prudens in multis aliorum dictis suspendit judicium suum. 16,5.
Prudens nemo habendus nisi idem etiam bonus sit. 10,21.
Prudens quilibet errorem suum retractat. 16,13.
Prudentia actus est non temerè credere. 16,10.
Purpura maximè tenuis obnoxia, ita multi vitiis. 3,42.
Purpura symbolum mortificationis, quid bibapha Sanctis vestimentum. 8,126.
Purpura splendore caret, si tangatur ab impuro. 3,41.
Purpura color est regius, & cur milites ea essam usi. 8,125.
Purpura quomodo primum inventa. 1,184.
Pyramis ambitiosi symbolum. Quare? 6,113.

INDEX RERVM MEMORABILIVM.

Q.

Quæstores ærarii sæpe assentatores, hirudines, populi devoratores, &c. 10,7.
Quintilius Crispinus quam sancta sint hospitii jura ostendit. 16,27.
Quærens aurum invenit laqueum; laqueum quærens, invenit aurum. 7,9.

R.

Rhamno quare Christus coronatus? 3,66.
Rhamnus præfert nobis tyranni sævitiam. 3,68.
Rector convivii & Architriclinus qui? 1,73.
Reorum supplicia militer ad aliorum terrorem proponuntur. 1,254.
Reginaldus Polus corpus suum vestimentum vocabat. 4,36.
Resurrectio Christi describitur Psalmo 29. 6,115.
Repudium olim Judæis licitum, & aliis etiam gentibus. 1,266.

Rex, Regina, &c.

Regum studium in hortis colendis, ut Cyri, Diocletiani, Romanorum.
Sinensium Regum, Caroli Quinti, & aliorum. 1,49.
Regum vindicta est, cum Deus sinit illos malis uti Consiliariis. 13,47
Regum est tirannum comprimere. 1,216.
Regis Persarum qualis vestitus. 6,76.
Ejus effigies est arbor fructifera, depicta in illa Nabuchodonosor. 4,106.
Imitetur generosa animantia. 13,25.
Rex in terris Dei vicarius, ut concordiam regno procuret. 13,29.
Rex bonus pastor quam bona lex.
Reges multi ante fuere pastores. 4,91.
Reges olim gloriabantur aureâ barbâ, & aurea Cæsarie. 5,12.
Regum quorundam magnifica convivia. 2,33.
Rex Dei vicarius magnus, & ab eo secundus. 6,73.
Regni optimus thesaurus est populus integer custoditus. 10,6.
Reges semper fidem servare debent, eorum verba jurejurando sanctiora. 12,15.
Regum Persarum liberalitas, Xerxis, Darii, &c. 5,34.
Regnum quietum est instar cœli serenum, crudele instar turbidi. 13, 22.
Regum gravis ira ut Astyagis, Darii, Xerxis, &c. 1,211.
Regnis Persarum in ornamenta à Regibus Civitates dabantur. 2,161.
Regina dotata nere. 2,96.
Regina Saba viso Salomone obstupuit, multo magis viso Deo beati. 15,94.
Religio est ornatus pupillæ & viduæ, Deo quam? 9,94.
Ritus genua amplectendi apud Gentiles. 7,47.
Ritus antiquus apprehendendi vel osculandi Sanctorum pedes. 13, 65.
Ritus publicæ pœnitentiæ & orationis in veteri lege. 4,52.
Ritus lugendi quinam? 14,8.
Ritus supplicandi apud Persas erat ignem apprehendere. 7,49.
Robertus nepos S. Bernardi quomodo transierit ad Cluniacenses, exponitur. 9,109.
Rosa character divinæ Gratiæ, sicut & oculus. 15,73.

ROMANI.

Romani serò in suum Rempub. admiserunt repudium. 1,268.
Romani imperii exiguum principium & progressus. 11,48.
Romana Custa Fides templum. 12,4.
Romana matrona maximâ curâ liberos suos educarunt. 2,46.
Romanorum veterum continentia. 1,181.
Romani dus suis, ex omnibus quæ acceperant ab iis aliquid offerebant. 6,53.
Romani convivia adhibebant mulieres, non tamen virgines. 1, 158.
Romani prisci Imperatorum dexteras osculabantur. 13,66.
Rubor pudoris, pallor abstinentiæ mulierem decet. 1,186.
Rudolphus Imperator ob vilem habitum malè a mulierculâ excipitur. 8,115.
Rivulus, cum ex eo bibentibus vectigal esset impositum, repentè evasit. 10,14.

S.

Sabas Martyr spe æternæ gloriæ se excitat ad Martyrium. 6,46.
Sacerdotes ubique gentium usi vestibus lineis in sacris. Ex quare? 8,124.
Sacrum corporis in mœrore scinditur & exuitur. 4,37.
Sal sudoris Dei, & pactum salis quid sint? 1,83.
Sal symbolum prudentiæ, gratiæ, &c. 2,95.
Sal nota firmæ amicitiæ. 1,84. & 81 & sequent.
Sal inspergendus sermonibus convivii, non obscœnitas. 1,96.
Sal si defit, mensa profana habetur. 1,82.
Salamandra fabula sibilis gallinas ad ignem invitantis & vorantis exposita. 15, 28.
Salomonis templum, thronus, palatia. 1,39.
Salmoneus, Caligula, Domitianus, Diocletianus dii haberi voluerunt. 3,17.
Salus in Cruce. 8,60.
Samsone capto Philistini convivantur. 3,134.
Sapientia Dei consiliorum Præses. 1,219.
Sardanapalus, & alii Reges barbari ne valeserent, se occultabant. 4,84.85.
Satur nullus unquam hic fuit bonorum, nec Alexander, nec Cæsar. 14,100.
Stativa Persidis Regina venenum inficitur in convivio. 1,275.
Statua Nemesis Dea ultionis qualis, & quid significat. 6,85.
Stesilaus Hosii Apophthegma ad eos qui jejunium ejus mirabantur. 9,103.
Stratagema Annibalis, quo Romanis illusit, & Darii quo Scythis. 9,10.
Stratagema ingeniosum Panos vel fabula potius. 9,2.
Saul à Deo primo exaltatus, postea humiliatus. 6,82.
Saul quærens asinas Regnum invenit. 7,8.

SANCTI.

Sancti aulici in palatio Neronis & Diocletiani. 8,14.
Sanctorum honor quo Deus eos prosequitur, maximus est. 6,98.
Sancti multi adhuc mortales in suæ splendore divino radiarunt. 10,56.
Sanctorum gloria dissipat Hegiomachorum invidiam, ut Sol nebulas. 6,102.
Sanctæ mulieres conjugata se modestè ornarunt. 5,3.
Sanctorum gloria æterna. 6,99.
Sancti Deum orantes proponere illi solent suam solitudinem. 14,19.
Sancti aliqui in alterum Sanctorum pervigilii reponuntur. 9,102.
Sancti zelo Dei permoti ad ejus tribunal immissi provocarunt. 13,89
Ipsorum mortua recitantur coram Deo & Angelis. 6,67.
Peccatis suis etiam levioribus communes calamitates adscribunt. 14,31.
Ipsorum memoria vivit in imaginibus, veluti, &c. 6,103.
Sancti aliqui meritò Patres patriæ vocari possunt. 10,16.
Sancti in rebus gravioribus publicum orationem populi petierunt. 4,130.
Sanctis convivia nostra detrectarunt, ut S. Ambros. Chrysost. 1,75.
Sanctificatur vir infidelis per mulierem fidelem, ut exempla docent. 16,43.
Sanguisuga, quam cimex repellit, est superbia. 4,16.
Sceptrum olim videtur habuisse formam litui. 4,93.
Sceptrum cur virga vocatur? 4,89.
Sceptrus Regum cur Cicuta & Hippopotamus affingebatur? 4,96.
Sceptrum inter & virgam Pastoris magna similitudo. 4,92.
Sceptra Regum olim hasta fuerunt. 4,94.
Sceptri varia materia & forma. 4,95.
Schedasi filiæ ab hospitibus violatæ; Item Margaretulæ. 16,36.
Semiramis soluta altera parte crinium properat Babylonem expugnatura. 14,15.
Semiramis pallam regiam Persarum invenit. 6,77.
Semiramidis ingens insolentia. 3,39.
Seneca egregia præcepta pro ira comescenda. 2,4.
Senex in India natus annos 335. Gallis valde grandævis. 2,31.
Senex varius in aulis Principum. 7,95.
Seni ne tamen nigro colore inficere turpe, ita & simulare in moribus. 13,75.
Seplasia & unguenta Annibalis castra enervarunt. 2,118.
Speculum ex cinere bris. 4,17.
Septem mundi miracula. 1,36.
Septenarii numeri usus & dignitas. 1,208.
Sejani miserandus casus. 7,98.
Seraphim Deo assistentiæ proximi maximè tamen illum venerantur. 4,118.
Sergius & Bacchus aulici Maximiani Cæsaris laudantur. 8,16.
Sericum quomodo à Bysso differat? 8,102.
Serpens nisi serpentum devorat non fit Draco, Græcum est Proverbium. 11,20.
Serpentes qui dicuntur Dracones. 11,9.
Servorum symbola sunt tintabi, olla, pedes, &c. 3,27,28.
Servili quodam ingenio non convertuntur ad Deum nisi flagellati. 8,134.
Sexus muliebris parvi pretii, multis vitiis obnoxius. 1,192.
Scientia cum virtute jungenda. 1,232.
Scipio Africanus, M. Marcellus, Titus deflent urbium excidia. 4,83.

INDEX RERVM MEMORABILIVM.

Scipio Africanus à vinis & mulieribus cultu commendatur. 8,114.
Sisyphus credulus Ciclum uxorem Genovefam innocentem occidi jubet. 3,118.
Sigismundus Imperator Reges beatos ajebat, quibus insignes mulier. 8,12.
Signum annuli Regis Persarum quale fuit? 3,109.
S. Simeon Stylites primum per septem, postea per 40 dies continues jejunabat. 4,133.
Simplicitas non semper culpanda. 16,9.
Simplex aliquando accipitur pro candido & bono viro. 16,7.
Similitudo Dei in beatis unde oritur? 1,119.
Simulatio magnum malum. 13,76.
Simulatio omnis exulo pervit. 13,82.
Simulata militia, summa impietas. 13,8.
Sine contemplationis gratia rusticanos secessus petunt. 7,11.
Sinarum Regis insigne color flavus & Draconci. 11,13.
Spinea corona in cœlis in auream commutatur. 6,105.
Spiritus Sanctus tamquam Advocatus & Referendarius Deo exponit Sanctorum preces. 13,49.

SCRIPTVRA SACRA.

Scriptura sacra toto orbe summa auctoritas. 8,12.
Scripturam sacram temerè tractantes à Deo puniti. 8,74.
Scriptura sacra reverenter legenda, honoranda, ut S. Antonius ostendit. 8,69,70,71.
Scriptura sacra olim à Judæis & Christianis hinc inde manibus tangebatur, &c. 8,96.
Scriptura quomodo intelligenda, qua malum imprecantur inimicis. 13,88.
Scriptura Sacra est Regis Cœlorum Epistola. 8,68.
Scriptura sacra confirmata miraculis ut Dei sigillo. 8,73.
Scriptura dicit aliquando factum aliquid, quod proximum est ut fiat. 9,13.
Sobrietas unde dicta à Gratia? 1,114.
Sobrietas quare dicta Gracis σωφροσυνη? 13,37.
Sobrietas corporis humani citharam componit. 1,115.
Scopa florentes significant gloriam inexpectatam. 6,80.
Societas Jesu socios suos in aulis Principum versantibus, profuit. 4,51.
Socrates moriturus se ad Semideos iro gaudebat. 1,144.
Solenis quidam, ut habet fabula, gravi casu mutatus est ex nebulone in virum bonum. 8,135.
Solis & fontis Analogia. 10,31.
Sol insculptus Mausoleo Josuæ vigilem ejus signabat providentiam. 6,3,4.
Solis ardor modo agris salutaris, modo noxius, sic Esther fuit suis & hostibus. 10,33.
Solus imago Regis Persarum tentorio eminens ex auro crystallo inclusa. 10,35.
Sola Regum basiare quid apud Martialem? 13,63.
Solitudo virtutis & contemplationis seminarium. 7,50.
Solitudinis Encomium. 7,28.
Somnium Mardochæi fuit divinum. 11,2.
Somniorum varia causa. 11,1.
Somnus divinis homo firmatur. 11,3.
Sorices Palatini similes muscis in lucernas volantibus. 7,109.
Sortes etiam superstitiosas divinæ Providentiæ moderatur. 3,84,85.
Sors triplex est, quando licita, quando illicita? 3,79, 80, 81.
Sortium festum majus & minus, & pridianum jejunium; Quæ ratio eorum? 9,60.
Sors Amanum contrivit, qua dicitur Pur à conterendo. 7,83.
Sors dicta fortuna, quasi Vortuna, quia Amanum evertit. 7,84.
Stola Christi est ejus caro & describitur ab Isaia. 6,116.
Summa æterna felicitatis est Dei fruitio. 15,96.
Sluisa Flandriæ urbe concha dispariverunt, cum earum piscationi vectigal impositum. 10,12.
Suncre cibum est homini Parergum. 4,139.
Spuma instar sunt regna & omnia humana. 7,57.
Soteria nostra Redemptionis cum gaudio celebranda. 16,60.
Stultis in dignitate servis sunt in equis. 2,26.
Superbia similis Bupresti, quam cum bos deglutit, rumpitur. 6,83, 6,100.
Superborum vertigo. 1,9.
Susa dicta à Lilio. 1,7.
Susa metropolis Persidis. 1,10.
Susorum quis Conditor? 1,5.
Susa sunt & urbs & Arx. 1,5.
Sybaritarum mulierum luxus. 2,100.
Sycophanta cujusdam in Loteria impostura insignis. 3,88.
Symbola Pythagoræ; Ne habeto Hirundines, Aves admittis anni-bus, quid? 16,32.

T.

Tarquinii Superbi ambitio. 3,69.
Thaisi in cœlo paratus lectus pretiosus. 1,62.
Theagenis statua se verberantem obtrivit, sic contingit Iconoclastis. 6,101.
Theodosii Junioris liberalitas erga scriptores rerum suarum. 6,120.
Theodosio contra Eugenium pugnanti tela ab hostibus missa retorquentur. 7,79.
Theodosius Junior ob Dei honorem libenter carnit honore suo. 9,84.
Theodosius Imperator aureis literis Evangelia descripsit. 8,97.
Themistocles tropæis Miltiadis ad gloriam excitabatur. 6,16.
Tiranes maclatus à Busiride ex suo consilio. 7,70, 71.
Thrasibulus Aram statuit Phosphoro. 10,61.
Theodelinda dans maritos ad pietatem traduxit, ut Cratholdis Clodovæum, Ingundis Hermenegildum, &c. 16,48.
Therapeutæ olim dicebantur viri religiosi, Dei cultores. 15,19.
Θρησκεία, id est, cultus, quid significet? 15,17.
Templa Gentilium cur dicta Dracenia. 11,35.
Templum S. Mariæ de Lacrymis. 8,47.
Templi pars quam Julianus Apostata ædificabat, corruit, permanente parte, quam Gallus ejus frater exstruebat. 13,83.
Temporis opportunitas in omni negotio observanda. 5,33.
Teredo non facile rodet a bores duras, nec vitia viros fortes. 3,33.
Terrorem minatur Deus se missurum in hostes Israelis. 9,80.
Terror Judæis gravior horrendis Scythis tonuens. 7,33.
Terror Dei invadit Chananæos immissis crabronibus & Vespis pestilentissimis. 9,6.
Terroris Punici exempla ex scripturâ & varia ejus miracula. 9,1,9.
Testudini tarda, exclusa levis nuptiis, multos homines similes.
Tobias gratiosus fuit Salamasari, alis apud alios, Deo conciliante. 15,65.
Tobiæ & Saræ orationes gemebunda ascendit à Deo. 12,56.
Tobias die Pentecostes pauperes ad mensam invitabat. 9,80.
Trajanus ob comitatem dictus Optimus. 13,23.
Trajani Apophthegma: Cape hunc (gladium) & siquidem recte imperavero, pro me, sin aliter, contra me utere. 13,31.
Tiberii præclarum Apophthegma: Cæsar populo servire debet. 13,30.
Timor aliquando accipitur pro veneratione. 8,128.
Trajani Imperatoris majestas. 8,24.
Trajanus à vidua interpellatus statim ei satisfecit. 4,210.
Tobias & Palamon Anachoreta docuerunt quomodo epulandum. 9,59.
Trebonii, Galbæ, Ali Bassæ capita pilis & hastis prefixa. 9,34.
Titi Imperatoris, qui orbis delicia audiebat, beneficentia. 4, 103, 104.
Titulorum Saporis Regis Persarum indicatio. 13,2.
Tituli Soldani Babylonis, item Solymanni, & aliorum. 13,3.
Tituli Regum Persarum & aliorum. 13,1.
Tentorum quorum veterum forma Appendix? 11,4.
Tribulationibus multis coactis ad Deum convertuntur. 8,135.
Tributum Christus solvit, & solvendum docuit, sicut & Apostolus. 10,1.
Triumphus Christi dies Palmarum. 16,65.
Triumphus Christi describitur in Apocalypsi. 6,117, & sequent.
Tiberii Draco à formicis occisus quid significet? 10,12.
Thronus Regis altior sedilibus Principum. 5,66.
Thronus Leucophrynes imago benevoli Principis. 4,101.
S. Thomæ Cantuariensis vigilantia Episcopo digna. 6,12.
S. Thomas Cantuariensis post mortem inventus est cilicio indutus. 4,34.
B. Thomas Morus etiam in carcere utebatur veste cultiore diebus festis. 9,55.
Thomas Morus facetè ostendit se invitum in aula morari. 4,44.
Thomæ Mori Apophthegma in mulierem se laboriosè consumentem. 2,142.
Thomas Morus aulicorum speculum. 8,19.
Thomæ Mori cura in libris instituendis. 2,47.
Thomæ Volsæi exitus Tragicus. 7,104.
Thomæ Volsæi verum Apophthegma. 7,105.
Turpius est in errore persistere quam errare. 10,12.
Turris Babel ventis subversa. 1,35.
Tutela quid? Tutoris officium. 2,52,53.
Tutores præclari Ulpianus, Fredericus Imperator; Lycurgus, Ferdinandus Aragoniæ Rex. 2,56,57,58,59.

V.

Vallis lacrymarum est hic mundus. 4,84.
Vanitas hominis qui veris relictis titulis vanis fruitur. 13,62.
Vaticinia Isaiæ de Sanctorum felicitate clara explicantur. 15,97,100.

Vbertas ex pace, ut ostendit Regnum Salomonis Pacifici. 13,35.
Vellendi crines ritus apud Indaos in luctu. 14.9.
Veneris cestus amoris illecebra. 1,188.
Verecundia præconium. 1,189.
Verborum repetitio in oratione vana non est, sed devotionem auget. 13.51.
Verdurius & viridus quis? 8.79.80.
Vespasianus Imperator parem se Nilo ajebat ob suis copiam omnibus gratiam. 4.99.
Vestigia pedum osculari quid? 13,61.
Vestigium Latine etiam significat solum sive imum calcei partem. 13,64.

VESTIS.

Vestis gloria quænam? 14,5.
Vestes serica mulierum pellucentes. 14.79.
Vestes pretiosa sæpe non ornant, sed dehonestant. 2,148.
Vestimentum ornatus sui in Esthera quid significat? 15,16.
Vestium scissio symbolum luctus apud Indaos & alias gentes, & quare? 4.1.
Vestimenta cultus vocantur, quibus Esther religiosè Deum colebat. 15,18.
Vestitus honestus probatur in Principibus, non nimius. 8,109.
Vestis muliebris vitio exosa. 14,72.
Victoria obscena omnes gentes festa instituerunt, ut Syracusani. 9. 73.
Vigilia Ludovici & Delphini. 6,13,14.
Vigilantia Alexandri Magni & Aristotelis. 6,10.
Vigilantia exprimitur typo oculi, cordis pulsi, seculi accensi. 6,5.
Vigilantia symbolum Hercules, & Grus. 6. 8, & 9.
Vigilantia Imperatoris Vespasiani. 6,11.
Vigor formæ quis fuit in Esthere? 15.27.
Viles homines ad honores evecti insolescunt. 3.30 & sequent.
Villiges Moguntia Præsul Carpentarium se agnoscit. 15.10.
Vinculis aureis ligantur mulieres, gemmæ sub gemmis. 14.80.
Vindicta servo præmium datum ob detectam conjurationem Tarquiniorum. 6.49.
Vinum cur dictum Λυαῖον & Liber? 10.111.
Venum dictum à vi, & tunctum à tentando. 1,109.
Vinum sobriè sumptum commoda. 1,110.
Vinum immodicè sumptum incommoda. 1,112.
Vipera virum exosum congressura cum Murena, quod symbolum est in conjugio amarissimum abesse debere. 15,111.
Virorum erga uxores benevolorum exempla. 15,113.
Vir bonus omnem diem habet pro festo, ut ajebat Diogenes. 9,85.
Vir uxori moderate imperet, ut pater.
Viri probi descriptio quoad habitum interiorem & exteriorem. 10.55.
Viri immodicè se ornantes, Demosthenes, Hortensius, Mecænas, alii. 14,82.
Vir in rebus maioribus domi imperet, uxor in minoribus. 15.4.
Virga aurea eadem cum sceptro. 4.88.
Virga aurea est æquissimum Christi imperium. 5,10.
Virga aurea S. Mariæ ob potentiam & clementiam. 5,22.
Virga aurea est perfecta Christiana, & vetita intentio. 5,9.

VIRGINES.

Virginum immensa multitudo initio Ecclesiæ.
Virginum Deo sacrarii multitudinem ostendit Psal. 44. C. 2. n. 18.
Virgines ubi multæ, ibi & multi homines. 2,25.
Virgines jugi martyrorum sunt nutrimenta. 1,263.
Virgines magistratu ne meretricio vivant. 2,125.
Virgines filiæ Agilulphi Regis crudis pullorum carnibus inter mamillas positis & factantibus castimoniæ sua consuluerunt. 2,126.
Virginitas, quia pretiosa, caute servanda. 2,85.
Vir moller eloquii mulierum, Abigailis, Thecuitidis, Judithæ. 14,58.
Visio Dei prima hominis felicitas & præcipuus actus. 8.19.
Visio Dei consistit in perfectâ ejus similitudine. 8,20.
Vitium oblatum B. Gertrudi, & S. Annoni docet nihil inquinatum intrare in regnum cælorum. 2,144,145.

VITA.

Vita humana Labyrinthus. Quare? 7,2.
Vitam quis sæpe in mundo quærit, & invenit mortem. 7. n 7.
Vita humana fabula, quæ finita plausus veritus tollitur. 7,103.
Vita hominis vanitas, quanto magis stulti honorum. 13,8.
Vita æterna cur vocatur corona? 2,184.
Vita activa & contemplativa duæ alæ Aquilæ Magnæ. 15,34.
Vita activa & contemplat. duæ manus ad sedile throni Salomonis. 15,35.
Eadem duæ leones ad thronum eiusdem. 15,36.
Eadem sunt catenæ aureæ. 15,43.
Eadem sunt vitæ Angelorum & Christi. 15. n. 40,41.
Vitionem divinum interdum advenire subito etiam Eliseus novevat. 6,122.
Vitio impiis advenit desuper à cælo instar pluviæ lagenarum. 6,125.
Vlyssis exutis pannis, & magnifice vestitus dignior apparuit. 8,107.
Vnciones in auribus mulierum. 14,78.
Urbes sale & sulphure conspersa ob habitantium scelera. 16,53.
Vrtica libido, myrtus Castitas. 2,20.

VNGVENTVM.

Vnguenti vis ex Myrrha. 2,101.
Vnguentorum usus homine indignus, res vana, inertia. 2, 131, 132.
Vnguentorum nimius usus in cadaverum unctione reprehenditur. 2,113.
Vnguentis utentes puellas Isaias reprehendit. 2,129.
Vnguentorum usus ad delicias inventum Persarum, ab his transiit ad Græcos, & hinc ad Romanos. 2,115,116,117.
Vnguentis delibutum juvenem à se dimisit inglorium Vespasianus. 2,13.
Vnguenta Plancum & Muleassen hostibus prodiderunt. 2. 123. & sequent.
Vnguentis olim mulieres usas constat ex scriptura Sacra. 2,103.
Vnguentum assueta Venetiarum Ducissa ante mortem comparavit. 2,128.
Vnguentorum & Diapasmatum usus est libidinis invitamentum, olet utique tam, est animi mollis argumentum. 2,119,120,121.
Voluptas carnalis est Hydra. Quare? 14,105.
Voluptas seculi non est voluptas. 14,106.
Voluptas nulla hic sincera. 1,269.
Vox S. Petri Ananiam & Sapphiram quasi fulmen interficit. 7.14.
Vrsi quare jussu Elisæi pueros sibi illudentes occiderunt? 14.29.
Vrsus velocissimus inedia, ut primi Persæ. 3,124.
Vrsus acie debili oculorum, capite infirmo, ita & Persa. 3,126.
Vrsa partis fœtum informem, quem lambendo formet, ita Persa. 3,125.
Vrsa catulos suos lambendo fingere dicit parentes formare liberos. 14,28.
Vrsi sæviendi maxima crudelitas, ut & Persarum. 3,128.
Vva Parnassia quænam? 1.150.
Vulpes viso leone primum fere deficit, sæpe visum allocutur. 4,113.
Vultus Dei apud Hebræos significat vultum venerabilem. 15,77.
Vxor habenda à marito benigne, non tamen soluta. 15,116.
Vxoris efficacium ad convertendum maritum describit S. Chrysost. 16.45.

X.

Xerophagia veterum Christianorum. 4.137.
Xerxes defles multitudo suorum omnium brevi futurum mortem. 4.81.

Z.

Zebedæi filii cur per matrem à Christo primas sedes petierunt? 5, 40.41.
Zelus & fortitudo Esthera 9,22.
Zelotypum animal homo est, qui etiam ille malo corruptus in furorem vertitur. 7,52.
Zelotypia furore accensus maritus Justinam pulcherrimam conjugem, & quidem innocentem occidit. 7,53.
Zeno egregio Apophthegmate virtuosum puerum ejusdem juvenis reprehendit. 16,17.
Zeno fatuè perstringit virum nimis ornatum studiosum. 14.83.
Zenonis Imperatoris ebrii sepultura adhuc viventis. 1.179.
Zephyrus fidelis Dauis consiliarius. 1,227.
Zeuxaster quis, & quare sic vocatus. 2,40.

FINIS.